HISTORIÆ CANADENSIS,

SEV

NOVÆ-FRANCIÆ

LIBRI DECEM,

Ad Annum vſque Chriſti MDCLVI.

Auctore P. FRANCISCO CREVXIO, è Societate IESV.



PARISIIS,

Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Et SEBAST.
MABRE-CRAMOISY, Typographos Regis,
viâ Iacobæâ, ſub Ciconijs.

M. DC. LXIV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

LVDOVICO XIV.

REGI

CHRISTIANISSIMO.

NOVA Francia, *qualis qualis eſt, tua eſt, Ludouice, hoc deinceps pleniùs, quòd recens tanquam propria poſſeßio tibi ceſſit, nec inuitis ijs, à quibus ad hoc vſque tempus legitimè occupata fuerat. Idcircò, nondum edocta licèt aulicas conſuetudines ſeu veſtis, ſeu orationis, non veretur tamen ſubire conſpectum tuum, qui aditum ad Te tuorum cuique vel tenuiſſimo patere velis & jubeas. Ac tametſi ex quo ad Euangelij lumen aperire cepit oculos, dedocta*

barbariem, inſtitutorum noſtrorum partem jam maximam arripuit, tamen ſuæ ſibi adhuc ruſticitatis conſcia, ad Majeſtatis tuæ fulgores animo perſtringeretur, atque adeò in ſiluas ſuas refugeret ocyùs, niſi oppreſſa, & propè exciſa à truculentiſſimis Iroquijs, extremo in diſcrimine opem tuam implorandam, ceu vnius rerum ſuarum vindicis et reſtauratoris prorsùs ſibi eſſe intelligeret. Referent tibi hi Noua tuæ Franciæ Annales, quâ geſtientis lætitiæ ſignificatione diem natalem tuum proſecuta ſit; cùm Galliæ veteris inſtituta cultiora eadem, & magnificentiora imitans (vt perſæpè paruæ magnis componuntur) hinc tùm ſclopos majoráque tormenta diſploſit ad pompam, tùm feſtas pyras accendit; illinc, quod potiſſimum, ſupplicationem duxit ad ædes ſacras, tanto pietatis ſenſu, tanta modeſtiæ ſignificatione, vt vel hinc enituerit quid poſſit fides, etiam in feris naturâ, immanibúſque pectoribus. Ecquis verò mortalium nouit, Rex inclyte, num partem aliquam, & fortè non exiguam cæleſtium munerum, quæ in te contulit confértque in dies cæli terrarúmque regnator, conciliauerint tibi vota precéſque Canadenſium tuorum? Etenim ſi multum valet (*apud Deum*) deprecatio juſti aſſidua, *quanto plus valet tot juſtorum! Habet Noua tua*

Iac. 5.

Francia, Ludouice, habet ipſa quoque Sanctos plurimos, illius quidem generis, quod paſsim in Epiſtolis ſuis Apoſtolus commemorat: ac fortaſsis eo nomine ſuperat apud æquiſſimum rerum æſtimatorem, Galliam noſtram, quòd pro ſuâ paucitate tot penè Sanctos numerat, quot Chriſtianos. Omninò, perſæpè lacrimas nobis elicuit commemoratio tantæ virtutis: Barbari, regenerati in Chriſtianam infantiam, vnà cum vndâ vitali induunt continuò nouum hominem, ac præſtantem quidem in modum: homines prouectæ ætatis, tanquam pueruli, agi ſe, ac flecti à moderatoribus ſinunt, quocunque ij impulerint: vitiorum vel nomina abolita: peccata grauiora tàm illic infrequentia, quàm hîc crebra: pietas incenſiſsima: fides ad extremum vſque ſpiritum per ærumnas duriſſimas perſeuerans.

Et illi tamen tàm pij, tàm Deo cari, tàm Dei amantes, ad internecionem profligantur à truculentis proditoribus, quorum belluina ferocitas nullâ adhuc arte, nullâ injuriarum condonatione, nullis caritatis, hoſpitalitatis, aliarumve virtutum officijs potuit deliniri. Hurones è patrio ſolo per diriſſimam immanitatem exturbatos, dum in Aurelianenſi Inſulâ glebam ſibi attributam quietè pacatéque colunt, penè

vniuerſos trucidauere : Algonquinios Montanóſque omni genere crudelitatis quotidie necant: & , quod reddent Annales ſequentes, ante quinquennium, niſi ſingularis Dei prouidentia obſtitiſſet, ſimul ac ſemel Gallicum , & Chriſtianum nomen ijs in oris exciſum ibant. Nec Dei, tuáſque injurias perſequêris , REX CHRISTIANISSIME? inultos ſicarios diutiùs eſſe patiêris ; poſtquam terrorem armorum tuorum toti Europæ injeciſti ? volitare ſines impunè armatam latronum manum , inſultantem Gallico nomini , & nunc hos nunc illos carpentem ex inſidijs, excarnificandos dein per otium, et lentis ignibus indigniſſimè vſtulandos ? Ac tu quidem jam per manipulos quos identidem ſubmiſiſti, aggreſſus es ad reprimendam tàm petulantem ſæuitiem : verùm, vt paucæ aquæ guttulæ candenti ferro aſperſæ ardorem ignis non minuunt, ſed intendunt , ſic rabiem Iroquiorum non modò non mitigant illæ copiolæ , ſed exacuunt potiùs, dum qui alios non ſemel inſidiosè cecideruntt, & hos quoque putant ſe poſſe exſcindere. Iuſtæ copiæ expectantur à tuis , LVDOVICE, vel Iroquiæ perfidiæ vindices, vel cuſtodes rei Canadenſis, & ſacræ, & politicæ : quæ vtraque cùm ad hanc diem nutarit , in te reſpicit tanquam in ſui conſeruatorem, cujus in ope , ſecun-

dùm Deum, ſpes omnes deinceps ſuas collocatas habet. Et verò, tuâ intereſt, LVDOVICE, moram omnem, ſuſtentationémque amoliri: etenim ſi paulò plus diſtuleris, ecquas oues habebit reliquas, quibus inuigilet Epiſcopus ille, tali loco omni ex parte digniſsimus, quem ornaſti recèns ſic, vt prouideris ne ex partibus Infidelium titulum ſibi poſthac cogatur adſciſcere, Canadenſis Antiſtes et futurus, & nominandus in poſterum. Concilium item illud lectiſſimorum capitum, quod ante aliquot menſes inſtituiſti, quid diſceptet, quid iudicet, quas controuerſias dirimat, ſi nulli erunt quibus jus dicatur? nulli autem erunt profectò, ſi paucos illos Algonquinios, Montanóſque, qui ſuper ſunt, inimica vis abſumpſerit.

Verùm, quò me æſtus miſerationis ærumnarum gentis miſerrimæ incogitantem abripit? Te ipſe conſulito, REX CHRISTIANISSIME, qui tantum conſilio polles, quantum vllus Principum, ſi non plus quàm vllus: & ſagaciſsimâ illâ tuâ mente expendito, quid facto opus ſit. Mihi ſatis eſt gentis Canadenſis calamitates, ſtylo expreſsiſſe: tu ferro Iroquiorum contumaciam atrocitatémque contundes. Eâ domitâ, lætiſsima ſeſe facies aperiet Eccleſiæ illic ſurgentis: regnum ſimul Chriſti, ſimul tuum lon-

gè latéque propagabitur: Euangelium disſeminabitur per ſubditos tuos, ad extremos vſque Solis Occidentis fines, quò nullus fortè vnquam Europæorum penetrauit. Sic donet tibi benigniſſimus Deus, Delphinum illum tuum, delitias tuas, matris, auiæque ſolatium, ſpem alteram Galliæ, Europæ decus, regijs artibus vniuerſis per ætatis ſecuturæ gradus imbutum, ornatúmque, ad ſupremum apicem humanæ celſitudinis prouehere, ex eóque cernere olim nepotes auis, proauis, parente digniſsimos. Pium votum, vnà cum hiſce Annalibus offert ex animo,

MAIESTATIS TVÆ,

Obſeruantiſſimus ſeruus,
ſubditúſque,

FRANCISCVS CREVXIVS,
è Societate IESV, Sacerdos.

Burdegalæ, 7. Idus Septemb. 1663.

ILLVSTRISSIMIS VIRIS

SOCIETATIS INDIÆ OCCIDENTALIS,

VTRIVSQVE AMERICÆ

MERIDIONALIS

ET

SEPTENTRIONALIS,

Capitis viridis & Senegæ.

HÆC Hiſtoria Nouæ-Franciæ, viri clariſſimi, Chriſtianiſſimo Regi merito conſecrata, nomen quoque veſtrum præferre cupit, quoniam hæc regio non ita pridem ab eodem Principe, vobis haud petentibus contributa, fructus etiamnum offerre debet, quibus haud ſcio an ſitis vnquam percepturi glorioſiores. Exhibet enim Chriſtianam fidem in has terras iuris

veſtri, mirabiliter propagatam, & Eccleſiam naſcentem ex pleriſque ſanctiſſimis Chriſtianis conflatam, cum ex adultis feruentiſſimis, tum ex paruulis Chriſti fonte elutis Algonquinis, Montenſibus, Huronibus, immo & Iroquæis Hoſtibus, quos in ouile ſuum cœleſtis Paſtor acciuit. Hanc Hiſtoriam porro edidimus, ſuadente non vno moderatore noſtræ Societatis, quam ſi rebus veſtris obſtrictam negem, profecto mentiar. Cum enim Patres Societatis noſtræ vnam Dei ſpirent ſpectentque gloriam, cuius tutelam, & amplitudinem ſolicitudini veſtræ Deus ipſe commiſit, næ iſti vehementer errarent, niſi res veſtras ita rebus ſuis implicatas vellent, vt eas diſiungi non poſſe, ſine vltimâ Chriſtianitatis labe, factis verbiſque faterentur. Horum quidam vt fidem Chriſtianam fouerent, ac propagarent, horis ſeptemdecim aquis feruentibus in odium ludibriumque baptiſmi, prius eluti, lentis ignibus exuſti ſunt, vti Patres Ioannes Brebeuſius & Gabriel Lalemantius: Alii, dum ſibi commiſſum fouent gregem, eiuſque ſalutem vitæ anteponunt ſuæ, ab ijſdem Iroquæis immaniter trucidati ſunt; Patres Carolus Garnerius, Natalis Chabanelus, Antonius Daniel. Pater Renatus Menardus in ſyluis fame enectus

periit, dum eò proficiſcitur, quò neque Chriſti nomen, nec furor Iroquæorum peruaſerant. Obriguit inter niues decuſſatis in modum Crucis manibus, Pater Annas de Noüe, frigente corpore, dum eius animus cœleſtibus flammis ardebat. Denique nonnulli inſidiis hoſtium intercepti, trucidati ſunt, dum aut eorum ſaluti, aut longè latéque circumiacentium populorum inuigilant, Patres Iſaacus Iogues, Iacobus Buteux. Leonardus Garellus, magnæ animæ, & prodigæ non ſemel ſui ſanguinis, vt Chriſto nouos cultores aſſererent. Qui ſuperſunt in Nouâ Franciâ Noſtræ Societatis homines eandem mortem ambiunt, & iampridem expectant, neque viuere volunt, niſi vt, dum venantur animas, gloriosè ac fortiter moriantur. Erunt hi omnes negotiorum veſtrorum partim in cœlo patroni, partim apud Deum è terris Procuratores; eorumque ſanguis ac ſudor Chriſtianorum ſemen erit, quod ſine præſidio, tutelâque veſtrâ creſcere nequit. Quis autem erit & nouorum Chriſtianorum, & Patrum qui eos excolunt ſenſus? cum audient ſe veſtri iuris eſſe, & à Chriſtianiſſimo inuictoque Rege conceſſum eſſe vobis hunc Americæ tractum, eâ tantum lege, vt inde exterminandos Iroquæos ipſe ſibi reſeruaret,

& tollendum obicem Euangelij, quem barbaræ iſtæ gentes armis & crudelitate ſtatuerunt. Denique cum per Nouam Franciam ſperetur ad Sinas atque Iaponas, noua & expeditior, breviorque via, erit commiſſa hæc vobis regio, Orientis & Occidentis nexus, dignus auſpiciis veſtris, dignus induſtriâ, diuitiis atque religione. Expectantur ergo ex illuſtriſſima Societate veſtrâ vberes fructus, & Dei muneribus ac gratiis, piiſſimorumque virorum laboribus reſpondentes, quos potiſſimum ſperat & exoptat

Illuſtriſſimæ Societati veſtræ.

Addictiſſimus in Chriſto
FRANCISCVS DV CREVX.

NOMINA CENTENVM, qui primi Societatem Nouæ-Franciæ conflauerunt.

ARMANDVS Cardinalis Richelæus, ſupremus nauigationis, mercaturarúmque Galliæ Præfectus.

ANTONIVS Ruzæus, Regiorum ordinum Eques, Marchio Effiatenſis, Regi à Conſiliis, & rei æratiæ Galliæ Archi-Præfectus.

ISAACVS Martinus Mauuoyſius, Regi Chriſtianiſſimo à Conſilijs, & rei nauticæ Præfectus.

IACOBVS Caſtillonius, Ciuis Pariſienſis.

FRANCISCVS à S. Albino.

PETRVS Blondus.

MARTINVS Ancelmus.

LVDOVICVS Iurius.

SIMON Clarentinus.

IOANNES Burguetus.

LVDOVICVS Hoellius, Regi à Conſilijs, & Salinariarum rationum Antigrapheus, Broagij.

FRANCISCVS Derræus.

ADAMVS Manneſſerius, Ciuis & Mercator Portus Gratiæ.

FRANCISCVS Bertrandus, Dynaſtes Pleſſæi.

MARTINVS Haguenyerius, Notarius Caſtelleti Pariſienſis.

ÆTHERIVS Hoberius, Consiliarius Regius, & Quæstor in Prouinciâ.

SIMON Alix, Consiliarius & Secretarius Regius.

PETRVS Robinellus, Consiliarius Regius, & Quæstor Equitum leuioris armaturæ.

IACOBVS Pagetus, Consiliarius Regius, & Regiorum Vectigalium Depositarius ad Montem Desiderii.

IACOBVS Sage, Consiliarius Regius, & Regiorum Vectigalium Depositarius Segusianus.

CAROLVS du Fresne, Secretarius Præfecti Triremium.

CAROLVS Robinus Dynastes Corsaij.

CAROLVS Robinus, Consiliarius Regius, & Summus Præfectus aquarum siluarúmque, in Turonibus.

THOMAS Bonnellus, Dynastes Plessæi, Consiliarius & Secretarius Regius.

IACOBVS Bonnellus Dynastes Beluasij.

RADVLPHVS Lhuilerius, Mercator Parisiensis.

CAROLVS Fleurialius.

RENATVS Robin, Dynastes Rupis-faroïæ.

MATHVRINVS Bandellus, Ciuis Parisiensis.

ROBERTVS Godefredus, Consiliarius Regius, & Quæstor Generalis militarium pensitationum extraordinariarum.

CLAVDIVS Bragelonius, Consiliarius Regius, Super-intendens & Commissarius Generalis militaris annonæ in Galliâ.

IACOBVS Borderius, Consiliarius & Secretarius Regius.

CLAVDIVS Margonnæus, Conſiliarius Regius, & Depoſitarius Generalis ærarij, Sueſſione.

HIERONYMVS à Santonibus, Conſiliarius Regius, & Quæſtor in Campaniâ.

STEPHANVS Heruæus, Ciuis Pariſienſis.

IOANNES Verderius, Conſiliarius & Secretarius Regius.

BERTRANDVS Campi-florius, Secretarius Ducis Retenſis.

PETRVS Feretus, Secretarius D. Archiepiſcopi Pariſienſis.

ANTONIVS Cheffaltius, Actor cauſarum in ſuprema Curia Pariſienſi.

BARTHOLOMÆVS Quantinus, Dynaſtes Molineti.

PREGENTIVS Proſtius, Ciuis Pariſienſis.

PETRVS Ryerius, Conſiliarius, & Secretarius Regius, ad rem ærariam.

IOANNES Potellus, Conſiliarius, & Secretarius Regius in priuato Conſilio.

NICOLAVS Vaſſeurius, Conſiliarius Regis, & Depoſitarius Regiorum vectigalium Lutetiæ.

OCTAVIVS Mey, Ciuis Lugdunenſis.

BONAVENTVRA Quantinus, Dynaſtes Richeburgi.

PETRVS Aubertus, Conſiliarius, & Secretarius Regius.

GVILLELMVS Martinus, Dynaſtes Vernadiæ, Conſiliarius Regius.

AMATVS Sirollus, Conſiliarius Regius, & Quæſtor Lutetiæ.

CLAVDIVS Girardinus, Mercator Rhotomagenſis.
SIMON Dablonus, Syndicus Dieppæ.
IOANNES Chironus, Mercator Burdegalenſis.
IOANNES Dauid, Mercator Bayonenſis.
STEPHANVS Pauillonius, Conſiliarius Regius, & Quæſtor militaris Prouincialis, in Santonibus.
IOANNES Pontacus, Ciuis Pariſienſis.
CAVDIVS Myræus, Ciuis Pariſienſis.
DESIDERIVS Myræus, Ciuis Pariſienſis.
PETRVS à Portis, Dynaſtes Lignerij.
GVILLELMVS Vernerius, Pariſinus domicilio.
CLAVDIVS Caſtellanius, Commiſſarius ad extraordinaria militaria.
IOANNES de Ioüy, Pariſinus domicilio.
PETRVS Fontanus, Dynaſtes Neuillij.
IOANNES Peleau, Conſiliarius & Secretarius Regius, in Cancellariâ Aquitanâ Audientiarius.
ANTONIVS Nozerellus, Mercator Rhotomagenſis.
FRANCISCVS Mouretus, Mercator Rhotomagenſis.
IACOBVS Duhamelius, Mercator Rhotomagenſis.
IACOBVS Dozonus de Bourran, in ſupremâ Curiâ Burdegalenſi Senator, & Inquiſitionum ibidem Præſes.
IOANNES Dozonus de Bourran, in ſupremâ Curiâ Burdegalenſi Senator, & ibidem in Decuriâ Supplicum libellorum Præſes.
IACOBVS de la Ferté, Regi à Conſiliis & Eleemoſynis, Abbas S^tæ Magdalenæ Caſtellodunenſis.

Ad centum, adiecti ſeptem.

PRÆFATIO.

DVM ad Hiſtoriam Nouæ-Franciæ ſcribendam aggreſſus ſum primùm, ab eâ me mente reuocare conabantur multi viri ſanè graues, quorúmque iudicio plurimùm tribuebam; quaſi propè oleum & operam perditurus eſſem, qui argumentum tam exile idem, & tam horridum tractandum ſuſciperem. Nullum enim hîc habere locum poſſe Hiſtoriæ ornamenta, orationes militares, quibus bellatorum animi ad pugnam Martémque accendi à Ducibus ſoleant; ciuiles, de pace, de bello, de fœderibus, de vectigalibus, de Vrbium propugnaculis, de Prouinciarum adminiſtratione, de Magiſtratibus, de multiplici geſtione Reipublicæ. Deſcriptiones Vrbium quemadmodùm adhibeantur, cùm Vrbes deſint? Palatiorum mentionem quî facias, cùm illîc, præter vaga mapalia, eáque ſanè infrequentia, ædificiorum viſatur nihil? Hortorum irriguas ſationes, tubos, canales, aquæ-ductus abeſſe, vbi omnia nemorum ſaltuúmque aut horror, aut vaſtitas oc-

cupet? Ita quæ dici poſſent, perpauca eſſe, & vnius ferè generis: vbi Patrum aliquot è Societate IESV labores & ærumnas; Catechumenorum Neophytorúmque in fide ſuſcipiendâ retinendâ-ve conſtantiam enarraueris, vel conticeſcendum fore, vel tanquam in orbem, ad eadem redeundum iterum tertióque: quo quid poſſit eſſe legenti faſtidioſius? Adiungebant, nihildum ijs in oris conſtitutum ſatis eſſe: nutare ſedes omnes à Gallis ijs locis conſtitutas, tum ex rerum penuriâ, ad victum cultúmque neceſſariarum, quæ ſine certis reditibus parari nequeant; tum ex indigenarum mobilitate ingenij, qui, ſi quid increpuerit tanquam ſturni turmatim auolent; tùm ex Iroquiorum ferinâ immanitate, quæ in eos quibu cum nobis illîc aliqua ſit conſociatio, ad internecionem identidem graſſetur. Ego contrà, iam tum in ſuſcepto conſilio obfirmatus, aiebam. Vt noſtrum non ſit

Act. 1. noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſuâ poteſtate; *tamen ſi coniecturâ ageretur, ſpem eſſe, fore non modo vt perſtarent quæ feliciter iam coaluiſſent, verùm etiam aliæ ex alijs acceſſiones fierent ad opus Dei: vagos homines, nec minùs domicilio quàm moribus ſilueſtres, certo loco conſtituros quandoque: iam tum tanquam paternæ leuitatis obſides teneri hinc filios, illinc filias: operarum numerum quotannis excreſcere, non ad culturam animorum modò, ſed ad artes etiam: rerum præſtantiſſimarum ferè quarumlibet initia, tenuia eſſe: & noſtræ fortè*

Eſth. 10. *ætati reſeruari à Deo, vt* fons paruus creſceret in fluuium. *Nam quod ad horridam illam rerum faciem attineret, ipſam quoque oratione nonnihil poſſe niteſcere: nec minùs picturam delectare, quæ tenebricoſis receſſibus obſcu-*

retur,

retur, quàm quæ floridiorum colorum ſplendore perſtringat oculos : atque vt in Tragœdiâ, mortes ipſæ neſcio quo voluptatis ſenſu afficiant : ita, quales quales res ſint, haud iniucundam fore earum commemorationem tùm alijs paſſim, tùm verò maximè hominibus Apoſtolicis ijs, quorum alij Japones Sináſque excolunt, alij recentiùs inſtituendas ſuſcepere Ægei Maris Inſulas, alij Mexicanis item Inſularibus operam ſuam impendêre ; vt nihil de ijs dicam, qui Indiam iampridem obtinent. Vtique non poterit non eſſe iucunda gnauis operarijs, laborum ſuorum in aliorum laboribus inſpectio : ac tametſi omnibus ferè ijs Anima ſua in manibus ſuis ſemper ; tamen beatos (credo) ſeſe hoc nomine putaturi ſunt, præ ijs quorum res geſtas perſequi inſtitui ; quòd cum hominibus ferè rationem habeant, hoc eſt, cum Gentibus ad humanitatem pridem informatis: Canadenſibus autem noſtris cùm eadem pericula immineant, illud accedit præterea ſanè graue, quòd ſi minùs cum truncis & ſtipitibus, quales Barbari illi à nobis ad hanc penè vſque diem habiti ſunt, nec immeritò ; cum feris certè, & agreſtibus hominibus, & ad omnem immanitatem proiectis agere adhuc neceſſe fuit. Pſalm. 118

IAM, vt omnia deinceps diſſoluerentur tanquam nauis malè compacta, quod ante quinquennium temerè à pieriſque iactatum eſt, dum Angli è Portus-regalis ſtatione in Acadiâ, Gallum illum fluxæ fidei haud magnopere reluctantem exturbarunt ; minimè tamen ferendum eſſet, interire nomina & memoriam tantorum virorum, vel eorum qui non ſudoribus modò ſuis, ſed etiam cruore, malignum ſolum illud rigauerunt ; vel eorum qui ſuas opes in tam pium opus

pergunt effundere ; vel eorum qui ſuâ auctoritate, ſuíſque conſilijs benè cœpta promouent : Ac ſi de publico benè mereri cenſentur , qui Vitas Virorum illuſtrium in lucem edunt, quòd præſtans illa virtus pro ſpeculo eſſe ſoleat , in quod quiſque intueri magno ſuo emolumento poſſit ; non minùs vtique commodaſſe morum rationi cenſeri debeat , qui tot Virorum in omni virtutum genere præſtantium facta dictáque in vnum volumen congeſſerit. Et verò , quis non ante annos triginta cum ſingulari quadam approbatione voluta-uit Triumphos Martyrum Iaponenſium *à P. Nicolao Trigautio editos , partem quantulamcunque Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ illius ? quis , dum hæc ſcribimus , non probat magnoperè conſilium tùm P. Philippi Alegambe , qui cepit, tùm P. Ioannis Nadaſi , qui extremum decennium ſuppleuit præſtantis Commentarij , de* Heroïbus & Victimis charitatis Societatis IESV , *hoc eſt , de ijs qui tantâ animi excelſitate varijs Europæ locis vitam pro charitate pacti ſunt, dum totos ſe, ſuóſque labores conſecrarunt iuuandis ijs , quos peſtilens lues afflauerat , peſte eâdem abſumpti denique , dum alij curandis affectorum fratrum corporibus , alij procurandis mentibus dant operam. Equidem vt S. Paulus de ſe ipſe prædicabat,* nihil minus *ſe* feciſſe à magnis Apoſtolis *; ità nihil per hyperbolen dixero , ſi aſſeruero nihil minus feciſſe Iſaacum Iogueſium , Ioannem Brebeuſium , Gabrielem Lalemantium , Carolum Garnerium , alióſque quorum res perſequimur , quàm fecerint Heroës illi noſtri recentes , quorum gloriæ Chriſtiani omnes fauemus , quorúmque facta ardua ab inuidentiæ dente intacta deinceps , ſuſpiciunt ſuſpiciéntque ſinceri filij Dei , atque Eccleſiæ.*

2. Cor. 11.

CETERVM, *non planè deerunt Orationes, ſeu militares, ſeu ciuiles: reddentur nonnullæ ſuis locis, mirum in modum moratæ, præſertim ex quo tempore vernaculam gentis linguam Galli noſtri arripuerunt: nam id vel præcipuè populorum illorum conuerſioni obſtitit initio, quòd nec Galli Barbaros, nec Gallos Barbari ſatis capiebant: vnde per ea tempora nutu potiùs quàm verbis ſenſa mentis vtriſque exprimenda fuere. Atque hinc exigui illi, vel nulli, vt putabantur, progreſſus ijs locis, ſanctæ fidei: Æthiopem propè lauare credebantur gnaui illi operarij, qui ærumnoſam vitam infeſtis locis trahebant, ferarum gentium contumelijs æquè, & iaculis continenter propoſiti: at pòſt, vbi tùm ijdem, tùm qui ijs ex interuallo deinde ſucceſſere, pleniorem linguæ cognitionem adepti ſunt; ſic, vt in publicis conceſſibus explicare non ineptâ oratione ceperint quæ mente & cogitatione informauerant: ſementem ſanè aſperam conſecuta eſt illicò meſſis vberior: vt cùm ante annos circiter quindecim, aut etiam pauciores, de rei ſummâ penè deſperaretur, nunc conſtet egregiè fructus non tantùm annorum admodùm triginta, quorum labor tam præclaro operi attributus eſt, ſed etiam ſeculi totius, ſi totum in id impenſum fuiſſet.*

AC LONGE *quidem antè, peregrina maria, ac penè ignota Galli tentauerant, Floridámque, quæ dicitur, perluſtrauerant, Gallicis lilijs illatis eò, inde ab anno MDXXIV. à partu Virginis, per Ioannem Verazzanum, Italum illum quidem, at Franciſci I. Regis Chriſtianiſſimi auſpicijs rem gerentem: ſecutúſque eódem, anno eiuſdem ſeculi quinquageſimo ſecundo, Ioannes Ribaldus, negotium apud Carolum IX. promouente Gaſpare Caſtillonio Thalaſſiarchâ, impij Caluini*

aſſeda contumaciore : octennio pòſt , plagam eandem adijt Dominicus Gourgueſius (illuſtre apud Burdegalenſes nomen, tùm ob propria viri merita, tùm vel maximè ob familiam vnam ex vrbis totius ampliſſimis, quæ ab Augerio Dominici fratre, ductâ origine, longè latéque per affinitates propagatâ, locum præſtantiſſimum etiam nunc ibidem obtinet:) ad Braſilos ſub idem fere tempus penetrauit Villagagnonius, Eques Melitenſis : ſed nihil admodum geſſere dignum vel tam duris laboribus, vel tam ingentibus impendijs.

AD *Aquilonarem autem Americæ plagam curſum intenderunt , exeunte quidem ſuperiore ſeculo , Jacobus Quarterius , Ioannes Franciſcus Roberualius ; hoc ineunte Marchio Rupenſis , Petrus Montanus , Pontius Grauæus , haud multò maiori operæ pretio , niſi quòd orâ maritimâ luſtratâ ſtudioſiùs , cupiditatem iam tum iniecere Samueli Camplenio , fœdus amicitiámque iungendi , quoad licebat , cum incolis ad mercaturas fibrinarum præſertim pellium. Sed ne id quidem proceſſiſſet , niſi Petri Cotoni conſilia ſublimiora promouente Deo , adducta tandem eſſet , eiuſdem Cotoni hortatu , Marchioniſſa Guercheuillæa , femina ſpectatâ virtute , ad pulcherrimum ſuſcipiendum facinus , Societate ad id initâ , de conſenſu Henrici Magni , cum Caluiniſtis quibuſdam (quando Orthodoxorum erat nemo , quicum paciſceretur) quò operarios aliquot è Societate IESV ad tam arduum idem , & tam Deo acceptum opus immitteret. Quanquam & egregios illius conatus interturbarunt hæretici : nam vbi ad Portum Regalem primùm , mox ad Portum S. Saluatoris in Acadiâ, conſtiterant aliquandiu Petrus Biardus , Enemundus Maſſæus , exacti eâ ex orâ ab Anglis ſunt , cum Gallis quotquot*

erant. Commentarium de totâ eâ expeditione, déque rebus ſuis ſcripſit idem Petrus Biardus: extat Libellus, editus Lugduni, anno huius ſeculi decimo ſexto: illum, qui plura volet, conſulat: de rebus autem eorum quos ſupra memorauimus, Marcum Leſcarbotium, ac Samuelem ipſum Camplenium, virum optimum & de vtraque Franciâ optimè meritum, de Nouâ autem maximè, vt fuſe Annales noſtri prodent.

ELVSIT eadem hæretica prauitas religioſos Venerabilium Patrum Recollectorum labores: quorum ex familiâ cùm Sacerdotes quatuor vnà cum illo eodem Samuele Camplenio, Horflæo (oppidum Normanniæ eſt) ſoluiſſent ſub exeuntem Martium anni MDCXV. Dionyſius (cognomen non reperi) Commiſſarius, vt vocant, futurus, Ioannes Delbellus, Ioſephus Caronius, Pacificus Pleſſæus; ſuis artibus perfecerunt homines nequam, vt toto decennio penè nihil promoueri potuerit, niſi quòd laborum quidem atque ærumnarum affatim ipſis fuit, quod ipſum, ex Apoſtoli Pauli oraculo, in magni beneficij loco numerandum eſt, & quòd ſeuerâ illâ æquè, & integrâ vitæ morúmque diſciplinâ Gallorum pleroſque continuerunt in officio; omnes quà Sacramentis, quà verbo Dei excoluerunt, & quotidianæ Liturgiæ firmiſſimo ſuauiſſimóque præſidio munierunt.

ITA, anno huius ſeculi quinto & viceſimo nutabant adhuc omnia, donec firmioribus præſidijs ſtabilita res eſt, eo quo deinceps perſequemur modo, Hiſtoriarum Canadenſium ſeriem ab hoc ipſo anno auſpicantes. Antequam autem ad argumentum aggredior, profiteor conteſtórque, Decreto Sanctiſſimi Domini noſtri Vrbani VIII. pariturus, non exigere me vt plus fidei tribuatur à quoquam, ijs quæ à me

ſcribentur, quàm quod tribui vulgò ſolet veraci Hiſtorico; vel auctoritati ſinceritatíque illorum, à quibus quæ ſcribo, accepi: atque adeò, nihil me præiudicati afferre velle, quod ad venerabiles ſeruos Dei, quorum hîc res geſtæ attexuntur, Sanctos, Beatóſ-ve declarandos pertineat.

PORRÒ, *de Etymologiâ vocis* Canada *nihil ſatis certi potui comperire: priſcam quidem eſſe, conſtat ex eo, quòd illam ante annos propè ſexaginta paſſim vſurpari audiebam puer. Ac Marcus quidem Leſcarbotius fluuium S. Laurentij vocat identidem* Magnum fluuium Canadæ, *ſeu, Latinâ appoſitione,* Magnum fluuium Canadam, *nec de vocis origine quidquam prodit. Locorum aliorum appellationes recentiores ferè ſunt, & quidem non ſine aliquâ probabili ratione inditæ, vel quòd certo anni menſíſ-ve die primùm eò inuectæ naues ſint, vel quòd aliquid ad rerum in Galliâ vulgò notarum ſimilitudinem accederet, vel ad decus commendationémque Principum Dynaſtarúm-ve Galliæ veteris, vel ſimili aliquâ de causâ, vt cuique prodiue erit obſeruare in decurſu.*

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS diplomate cautum eſt, ne quis in ipſius regno alijſve locis eius ditioni ſubiectis intra proximos decem annos à die impreſſionis primæ perfectæ inchoandos, excudat, vendat, vendendum excudendúmque quouis modo ac ratione curet librum qui inſcribitur, *Hiſtoriæ Canadenſis, ſeu Neuæ Franciæ libri decem, ad annum vſque Chriſti* 1656. *auctore Patre* FRANCISCO CREVXIO *è Societate* IESV, præter SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis & Reginæ Architypographum, Regiæ Typographiæ Luparenſis gubernatorem, nec non vrbis Pariſienſis Exconſulem, ſub pœnis in originali diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſijs die decima octaua Iunij 1664. & ſignatum de mandato Regis. MABOVL.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS *Societatis* IESV *in Prouincia Franciæ.*

CLAVDIVS BOVCHER Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Franciæ, iuxta Priuilegium eidem ſocietati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. Ludouico XIII. 14. Febr. 1611. & Ludouico XIV. regnante 23. Decembris 1650. conceſſum, quo Typographis omnibus prohibetur ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant, permittit SEBASTIANO CRAMOISY ET SEBASTIANO MABRE-CRAMOISY, Typographis Regijs, librum qui inſcribitur, *Hiſtoria Canadenſis*, authore R. P. FRANCISCO DV CREVX eiuſdem Societatis, ad decem proximos annos imprimere ac diuendere poſſint. Datum Pariſijs 13. Nouemb. 1660.

CLAVDIVS BOVCHER.

Locus ſigilli.

HISTORIÆ

HISTORIÆ CANADENSIS, SEV NOVÆ-FRANCIÆ.

LIBER PRIMVS.

ROSEMINATVM primùm ab vno Adamo hominum genus, ab vno deinde Noëmo ſecundùm cataclyſmi ſtragem reſtitutum Chriſtiani profitentur omnes. Eâ ex Arcâ prodierunt quotquot deinceps orbem terrarum tenuerunt incolæ, quaſcunque tandem in oras, quemque infelix illa diſcordia diſſiparit: adeò *Non eſt Gentilis, neque Iudæus*, non modò in Chriſto, vt loquitur Apoſtolus, ſed neque in naturali quidem origine. Id cùm ita ſit, ſubit ſæpenumerò demirari vehementer, vndénam tanta, támque denſa caligo mentes oppreſſerit Barbarorum illorum, quorum nobis eſt hiſtoria ad ſcribendum propoſita, vt neque cognitionis ſummi & optimi Dei, neque inſitæ humanitatis, neque idiomatis quod ſit illis cum aliis *Col. 3.*

gentibus commune, reliquiæ penè vllæ apud eos ſupereſſent tum, cùm à noſtris ad eos primùm aditum eſt: niſi quòd vt in ijs imaginibus, quarum nitorem elegantiámque vel temporis ipſa perſe diuturnitas corrupit, vel fumus obſcurauit, vel imber eliſit, veſtigium tamen aliquod præſtantis manus agnoſcas; ſic quantumcunque in deploratiſſimis populis naturale lumen obſcurauerit vel rerum penè omnium ignoratio, vel morum prauitas longo vſu corroborata, & licentiori conſuetudine; tamen hæret in imis præcordiorum receſſibus caliginoſa quædam diuinitatis opinio. Equidem ſi poſt commune illud orbis terrarum diuortium, in remotiſſimas ſtatim inſulas, aut ipſi vltrò conceſſere, aut vndarum æſtu inuiti deportati ſunt, ab ceterorum deinceps mortalium excludendi commercio; potuerint illi quidem parentum incuriâ, inſcitiaque, in idololatriam (vt eſt mens noſtra in peiora procliuior) prolabi, ac tanquam ager malè cultus, pro felici ſegete paliuros dumtaxat, & vepres fundere: verùm, vnde tanta illa immanitas, ad tàm multos populos pertinens, vnde tanta in Montanis Algonquiniiſque ſocordia? Nulla cura rerum ad victum cultúmque maximè neceſſariarum, nulla agriculturæ ratio, nulla nauigationis, nulla mercaturæ cum aliis Nationibus exercendæ. Ferina vbique barbaries, fœda corporum nuditas: victus aſperrimus idem, & minimè parabilis. Nam ad idioma quod attinet, putant multi, ac viri quidem iudicio & eruditione præſtantes illorum linguam populorum inter primigenias illas numerari poſſe, quæ ad Turrim Babel extiterunt derepentè: quod tametſi ex merâ opinatione affertur, refelli tamen vix poteſt; præſertim cùm idem illud aſſeratur à pleriſque, de Hibernico idiomate, déque Cantabrico, hoc eſt eo, quod vſurpant incolæ exigui illius receſſus in finibus Galliæ, Hiſpaniam verſùs, quem Biſcaïam vocamus vulgò: quod vtrumque plus quiddam affinitatis habere videtur cum linguis Europæorum, ad œconomiam ſaltem quod attinet, vt ex ijs quæ tradentur infrà, colligere procliue fuerit. Illud tantùm hîc incommodi occurrit; quod permirum meritò videatur, auguſtiſſimum Dei nomen abraſum penitùs ex mente atque ex memoriâ omnium fuiſſe: cùm in cunctis penè aliis tractibus orbis terrarum, vt idololatria longè latéque graſſata ſit perdiu, ſi minùs Dei, Deo-

rum certè commemoratio manſerit frequens: hîc neque Dei, neque Angelorum, neque ſpirituum nomenclatura vlla ſuperfuerit, niſi fortè ſub vocibus Manitv, & Okki, de quibus infrà. Vt vt id fuit, conſtat Gentes penè omnes, quæ ab Orbis noſtri continente diſtractæ, Americæ nomine continentur, quotquot retrò ſecula à calamitoſo illo linguarum, atque adeò penè ſtudiorum diuortio fluxerunt, in ſummâ illâ infelicitate manſiſſe, donec reſpiciente Deo homines quos condidit, ſeculo ſuperiori per Luſitanos Hiſpanóſque, hoc noſtro potiſſimùm per Gallos importari cepit deploratis populis vnà cum mercaturarum opportunitatibus, lux Euangelij. Sed non eſt inſtituti mei ea perſequi, quæ pari compendio & laude geſta ſunt ab exteris: de Gallorum tantùm expeditionibus memorabo, ſuſceptis in oras Aquilonares eas, quæ Nouæ-Franciæ nomine continentur, à gradu potiſſimùm quadrageſimo, ad quadrageſimum octauum: ordiárque ab anno huius ſeculi quinto & viceſimo, quando in Præfatione perſtrinxi quæ anteceſſerant.

ANNVS MDCXXV.

Miſſionis Canadenſis redintegrandæ fundamenta iaciuntur.

ERGO ANNO partæ ſalutis quinto & viceſimo ſuprà milleſimum ſexenteſimum, qui Iubilæus, de more, Europæ fuit, cùm Ieſuitarum plerique intimum ardorem iuuandorum Canadenſium imis in pręcordijs taciti fouerent, oblata pręclara opportunitas eſt rei tàm ad Domini Dei gloriam ceſſuræ, tàm ad ſempiternam miſerarum gentium ſalutem conducibilis, non tantùm tentandæ denuò, ſed etiam magnopere promouendæ. Initium, vt rerum omnium, tenue in ſpeciem, atque adeò propè temerarium, ſi humana tantùm ſpectares: Paulus Iuuenęus, Bartholomæus Vimontius cepere, dum dant operam Philoſophiæ in Flexienſi Collegio, neſcio quâ cupidine incenſi interiùs, Miſſionis Canadenſis redintegrandæ, cuius de vtilitatibus ad animarum ſalutem ab Enemondo Maſſęo, qui tum ibidem Flexię agebat, audiebant ſæpè, déque ſpe gentem miſeram ad Dei Chriſtique IESV cognitionem alliciendi. Cùm eò ſe rapi vterque perſentiſceret, mentem eam mirum in modum confirmauit ſomnium per id tempus obiectum Iuuenæo, naturaliter necne, æſtimet qui volet: febre quidem tunc vehementi æſtuabat. Viſus ſibi eſt inter Iroquios verſari, quorum ne nomen quidem vnquam ad eam diem, ad aures acciderat: cúmque ad mortem per diros cruciatus rapi

ANNVS MDCXXV. se ab ijs putaret, Vimontij opem inclamauit tàm vehementer, vt Vimontium appellantis clamor exauditus totis ædibus fuerit. Ergo cùm ijdem aliquandiu post Lutetiam missi ad Theologiam audiendam fuissent, ibidem, Ioannem Bretesschium reperere, ex eadem Societate Sacerdotem singulari virtute, morúmque sanctimoniâ, peritiâ autem rerum asceticarum tantâ, vt Rhotomagi Lutetiæque probandis tyronibus annos complures præfuerit. Apud eum cùm mentis arcana deponeret, vt fit, Vimontius, inter cetera expostiit, quali quantóque æstu in Nouam Franciam mente & auiditate ferretur. Dum de re tota deliberant, deque ratione opus tam ad Dei gloriam spectans instituendi, vnus occurrit Henricus à Leui, Dux Ventadorius, Par Franciæ, cuius quidem de pietate vel ex eo facere licet coniecturam, quòd abdicato Ducatu cooptari se expetijt in Collegium Canonicorum Ædis Metropolitanæ Parisinæ: ac ne cui grauis esset sua in Clerum transitio, non se, vt fere fit, in alterius locum substituit, sed nouos prouentus Ecclesiæ eidem attribuit, vnde ad certum statumque Præbendarum numerum vna recens accederet, mansura deinceps in perpetuum, à se quidem obtinenda, quandiu in viuis ageret. Talis tantusque vir idoneus repertus, cuius auspicijs Societas in Nouam Franciam immigraret, siquidem polleret auctoritate: sed nulla dum ratio satis expedita occurrebat. Via certa demùm hæc iudicata: Proregis Nouæ Franciæ dignitatem à Duce Montmorantio coëmeret Ventadorius. Et pollicitus est ille quidem: verùm, cùm paulò pòst Bretesschius è viuis excessisset, cum moriente intercidere visa spes omnis rei perficiendæ: quanquam is dum ad valetudinarium pergeret, sub initia morbi, qui postremus viro fuit, circunstanti Vimontio hæc insusurrauerat: *Non est moris quidem, mei de rebus euenturis affirmare magnopere: illud tamen tibi asseuero, visurum te Kebecci domicilium Societatis.* Et tanquam prædictioni asserendæ, commodum, cùm sub eos dies Lutetiam venisset, negotiorum causâ Collegij Bituricensis, Philibertus Noyrotius, ex eadem Societate Sacerdos; paulò post quam tumulatus Bretesschius erat, adit ad eum Ventadorius, postque officia verborum, quæ in familiari consuetudine præmitti solent, declarat certum sibi esse, Confessario deinceps ipso vti, post-

Henricus à Leui Dux Ventadorius se abdicat Ducatu.

quam è terris ad vitam meliorem Bretesschius emigrauerat. Nihil accidere potuit eo tempore Philiberto iucundius: videbat enim additum aperiri vnum omnium commodissimum ad Canadensem Missionem reponendam: proinde modestè præfatus, se non quidem aptissimum esse ad rationes mentis tàm exageratæ moderandas, de studio tamen operam suam qualemcunque viro tàm claro præstandi, concedere se nemini significauit. Nec ita diu pòst, quærenti Duci, quâ potissimum ratione satisfacere ardori suo posset, Canadensibus opitulandi, suggessit Philibertus, ad optatissimam mentionem penè gestiens, opportunius fieri nihil posse, quàm si ipse, qui percontabatur, Proregis Nouæ Franciæ dignitatem, quod iam agitatum esse audijsset, emeret à patruele Montmorantio: Montmorantium, à quo tunc obtineretur, ad arma potiùs natum, quàm ad controuersias mercatorum dirimendas, tædere molesti tituli, nec grauatè vel onere, vel honore cessurum, honestis dumtaxat conditionibus. Nec mora: agit continuò cum Montmorantio Ventadorius, cum eóque breui decidit in librarum Turonensium centum millia, & quod excurrit: hac tàm grandi pecuniâ penè profundendâ illustrissimè testatus, quàm sibi cordi Canadensis res esset. Exin factum ipse suum sibi gratulans, ad Cotonum approperat, Franciæ tunc Prouincialem: quo loco res sit, declarat: & qui è Societate operarij in Nouam Franciam mittantur, designari confestim flagitat. Nihil Cotono accidere potuit optatius: videbat sibi à Domino Deo, singulari prouidentiâ reseruatum, vt opus incredibili animi ardore inchoatum à se aliàs, nunc demùm maioribus proueheret incrementis, darétque initium colonijs deinceps per stata interualla submittendis, vnde fides longè latéque per infinitos illos populos propagaretur. Ita morâ nullâ interpositâ, cum sponderet Ventadorius, omnia se, quoad certum quidpiam consisteret, euntibus suppeditaturum, lecti qui quamprimùm nauigarent, Sacerdotes tres, Carolus Lalemantius Parisinus, qui tum ibidem Lutetiæ Conuictoribus præerat: Euemondus Massæus, idem ille qui Petri Biardi comes antè fuerat, Ioannes Brebeufius, clarum postèa nomen: adiuncti Laïci ex eadem Societate duo, Gilbertus Burellus, Franciscus Chartonus lectus à Montmorantio, qui suo

ANNVS MDCXXV.

Missionem Canadensem promouet.

ANNVS MDCXXV. loco in Nouâ Franciâ quam-optimo iure præeſſet Samuel Camplenius, vir magni animi, & qui multas iam expeditiones eas in oras ſuſceperat, rei nauticæ idem, & militaris ſcientiſſimus: ſed cùm nonnullâ eius operâ egeret coràm, Campleniúmque ipſum priuata quædam negotia in Galliâ ad tempus diſtinerent, eius loco in hunc quidem annum miſſus interim Guillelmus Cadomius, quem mercaturis Canadenſibus Caluiniſtæ mercatores Caluiniſtam præfecerant, cum ſeueriſſimâ tamen Proregis denunciatione, ne vllâ in re Patribus Orthodoxiſ-ve reliquis moleſtiam vllam afferri ab hæretico quoquam ſineret, aut vllum omninò ſanctæ fidei offendiculum obijci. Et is quidem, præſcripti eatenùs memor, humaniter habuit tùm ceteros, tùm vnà cum Ieſuitis, imprimis Ioſephum à Rupe, ex Patrum Recollectorum familiâ Sacerdotem, quem cæleſtis ardor primùm ad paterna decora vnà cum ſeculo deſerenda poſtmodùm, vbi aliquot annos in Cœnobio religiosè exegerat, impulerat etiam ad expeditionem Canadenſem: lucrandis animabus Dieppæ conſcenderunt omnes 6. Cal. Maias, ſecundóque nauigationis curſu, Kebeccum altero pòſt menſe tenuerunt. Illic excepti ſingulari charitatis & beneuolentiæ ſignificatione Ieſuitæ à Recollectis Patribus, ínque particulam admiſſi ædificij, dum, nouum ipſis extruere liceret. Vt ad labores veniſſe ſe intelligebant, continuò mentem manúmque operi admouere. Ac Brebeufius quidem cum vagis illis ſiluarum montiúmque accolis, vagus ipſe, ac Scytharum in morem tabernaculum hac illac quotidie transferens, hyemem exigere conſtituit, tùm gentis moribus obſeruandis, tum cognoſcendo idiomati. Lalemantius cum ceteris ad Kebeccum conſtitit, partim linguæ item operam daturus, interprete quodam è Barbaris, quem frequentibus largitiunculis vtcunque demulcebat; partim excitando tugurio, multò maximè Gallorum Orthodoxos ad Chriſtianum officium informaturus ad quos conſenſus Dominicis feſtíſque lucibus Patres Recollecti, ipſéque adibant alternis: diſtabat enim ab Arce, Patrum domicilium, milliaria circiter duo. Ac ſub initia quidem auerſis animis auribúſque, hortatorem Ieſuitam Galli propè reſpuere, ab eóque & ſocijs refugere: quippe anteceſſerat calumnia, illa atrociſſima miniſtra hæreticorum, &

inuidiosis suspicionibus, vt assolet, opplerat incautos: neque modò in circulis ac sermone familiari eorum innocentiam lacerauerat, sed etiam per contubernia sparserat famosum libellum, Anticotonis nomine Galliam aliquandiu peruagatum. Sed vicit denique audaciam pudor: cùm alia omnia in dictis factísque Iesuitarum deprehenderent, cicurati paulatim, & officiosâ rectè monentium humanitate capti, apud illos eosdem anteactæ ætatis totius homologeses ritè instituerunt: quinetiam pestilentem codicem, malam mercem vtique, vltrò tradiderunt: ita pacatè, benignéque annus vtrinque transactus: dum in Galliâ interim Cotonum eadem semper in curas vigilem nouo solatio recreauit Deus. Erat Lutetiæ inter Claromontani Collegij auditores adolescens, ex clarissimâ apud Picardos familiâ Gamachiorum, Renatus Roaltius. Is cùm Societatem Iesv perdiu incredibili solicitudine ambijsset, voti denique compos à Cotono factus, à pijs, religiosisque parentibus flagitare institit, vt quàm amplissimam facultatum partem portionémque tributuri sibi fuissent, eam suâ causâ ne recusarent in Canadensium Barbarorum salutem transferre. Annuerunt pro eximiâ suâ Dei hominúmque charitate: & Collegio Societatis Iesv Kebecci constituendo, millia aureorum sedecim donauere, vnde annuus prouentus existeret in perpetuum; diuinam vtique à se gloriam, non auram popularem captari, liquidò comprobantes, qui liberalitatem tantam in Barbaros exercere non dubitauerint, gratiam agnituros nunquam, nedum relaturos. Verùm hæc, coepta licet hoc anno agitari, non nisi nouuennio pòst perfecta sunt, vt ex literis liquet, quibus Præpositus Generalis fundationem acceptauit: quas literas ad verbum hîc visum adnexere, ad grati animi significationem ergà beneficos coniuges, déque, re Christianâ Nouæ-Franciæ optimè meritos: sic igitur habent.

ANNVS MDCXXV.

ANNVS MDCXXVI.

Roaltius cum coniuge Kebecci fundat Collegium Soc. Iesv.

MVTIVS VITELLESCVS, Societatis IESV Præpositus Generalis, omnibus in quorum manus hæ literæ venerint, salutem in eo qui est vera salus. Cùm nobilissimus atque illustrissimus Dominus, Dominus Nicolaus Roaltius, Eques Torquatus, Marchio de Gamache, Baro de Longroy, & Hinchouille, ac Dominus de Beauchamp, Mareuil, & Bonnin our, &c. Et nobilissima atque illustrissima Domina, Domina Francisca Mangot, eius

ANNVS MDCXXVI.

coniux, diuini amoris, ſalutiſque animarum zelo permoti, vnum Societatis noſtræ Collegium in Nouâ Galliâ pro ſpirituali Canadenſium auxilio & inſtitutione fundare propoſuerint, & in hunc finem eidem noſtræ Societati ſexdecim aureorum millia purè & irreuocabiliter inter viuos donauerint; Nos eodem ſtudio ducti, & idoneam noſtræ Societatis miniſterijs ſedem in illis partibus fore confiſi, ac vtriuſque pietati & propenſæ ergà noſtram Societatem voluntati, quoad in nobis eſt, reſpondere exoptantes, prædictam donationem cùm noſtro tùm noſtrorum ſucceſſorum nomine, omni meliori modo quo poſſumus, acceptamus, ipſoſque nobiliſſimos illuſtriſſimóſque Dominum Nicolaum Roaltium, & Dominam Franciſcam Mangot in primi Societatis noſtræ Collegij in dictâ Nouâ Galliâ ex illâ pecuniæ ſummâ erigendi, & conſtituendi, Fundatores cum omnibus prærogatiuis & gratijs à noſtrâ Societate alijs Fundatoribus dari ſolitis, agnoſcimus & recipimus: Deúmque precamur, vt tàm piæ fundationi feliciter aſpiret, ac de inexhauſto Filij ſui theſauro noſtram inopiam ſupplens, eoſdem nobiliſſimos, & illuſtriſſimos Fundatores multis in hac vitâ meritis auctos, æternæ tandem gloriæ coronâ remuneret. In quorum fidem has litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ die 15. Auguſti, 1635. Mutius Vitelleſcus.

Mors P. Cotoni.

PORRO COTONVS quaſi tàm ſalutari, tantique momenti negotio confecto, nihil eum vltrà in terris moraretur, ita paulò poſt è viuis ſublatus eſt. Dierum admodum trium morbo confectus, cùm XVII. Cal. April. decubuiſſet, IV. deinde die occubuit, ipsâ luce S. Ioſepho ſacrâ, quem ſuauiſſimâ ſemper veneratione proſecutus fuerat religioſus cliens. Vir vltrà Gangem Euphratémque famâ notus, & à Matthæo Riccio illo, qui apud Sinas tàm illuſtria rei Chriſtianæ fundamenta iecit, eò vſque obſeruatus, vt cùm moriens officioſas ad eum literas (quod meditabatur) dare nequiiſſet, commendauerit enixè ijs, quos ſuperſtites relinquebat, vt quamprimùm ſuo nomine homini meritiſſimo, tùm alia gratularentur, tùm perpetuam illam in Aulâ religioſiſſimæ vitæ conſtantiam, Sed Commentarij de eius vitâ accuratiſſimi ſcripti ſunt.

IAM NOYROTIVS in quem tanquam in nauum operarium omnes oculos coniecerant, cùm ſuo ardori anno ſuperiori ſatisfacere per Bituricenſem illam procurationem minimè potuiſſet, tum demùm iis curis iuxtà, negotiiſque exolutus, dum

ANNVS MDCXXVI.

dum idoneam tempeſtatem auidiſſimè opperitur, annonam intereà ſedulò comparat, non ijs modò paucis qui Kebecci iam eſſent; ſed operis prętereà viginti, partim ad ædificationem, partim ad arationem deducendis vnà ſecum; ſociiſque Ieſuitis duobus, Annæo Noæo Sacerdoti, Ioanni Gaufretæo Laïco. In ijs exactâ hyeme, vt primùm licuit, Dieppæ conſcenderunt omnes, XVII. Kal. Maias, naue minori propriè conductâ, ne quid cum hæreticis commercij habere cogerentur. Et Camplenius confectis item negotijs, iuſſus quoque ipſe à Ventadorio proficiſci: eò vel maximè, quòd de Cadomio grauiter ab Orthodoxis expoſtulatum erat, illud potiſſimùm querentibus, ſe contrà quàm Prorex ſeueriſſimè interdixerat, publicis precibus, quas Caluiniſtæ profano ſuo ritu peragerent, coactos intereſſe (id in reditu factum fuiſſe oportuit:) Quæ quamuis ab iniquis ſuis conficta Cadomius clamitaret, euincêre tamen à Prorege Catholici, vt is ſuo loco Catholicum quempiam ſufficeret, cuncta adminiſtraturum quæ ad mercaturas pertinerent. Ità poſt diuturnas altercationes, inuitus ac repugnans, Raldæum quendam ad id muneris delegit, ipſe è Gallâ vetitus excedere. Camplenio honeſtior ampliórque prouincia relicta, Arcis Kebecci muniendæ, ac ſi ex vſu eſſe cenſeret, excitandarum aliarum: propagandæ quoquo modo poſſet, ſinceræ fidei: iuri dicendo præficiendi quos idoneos putaret: cum finitimis Dynaſtis, aut etiam Regibus, amicitias fœderáque ſanciendi, maria portúſque tuendi, explorandi nouos terrarum tractus: ac ſi quo modo fieri poſſet, aditus per Canadenſes vaſtitates, fluentáque S. Laurentij, ad Iaponas Sináſque aperiendi. Eadem die eodem ex portu naues ſoluerunt omnes; omnes curſum eundem tenuerunt ad X. vſque Cal. Iunias: quo die denſiſſima exorta ſecundùm fœdam tempeſtatem caligo aliarum alijs conſpectum eripuit, diuerſáſque diſiecit: tandem permoleſto omnibus interuallo, ad XII. Cal. Quintiles, Camplenius, cùm in naue eſſet minùs habili, ſaluos ceteros incoluméſque ad Inſulam Perforatam aſſecutus eſt: vnus Emericus Cadomius, illius alterius ex fratre nepos, Tadoſſacum antegreſſus erat: hunc nono pòſt die cunctri cùm attigiſſent, poſtridiéque Kebeccum lembus properaret, tùm commeatui importando, tùm mercibus ad emporium

Cadomio Camplenius à Prorege ſuo loco ſufficitur.

ANNVS MDCXXVI.

qualecunque conuehendis, in eum Noyrotius immigrauit; Camplenius paulò pòſt adfuit, rebus omnibus Tadoſſaci exploratis, & vt res tempúſque ferebant, compoſitis.

HIC VARIAS inter ſe pro ſuo quiſq; inſtituto partiti vices, Camplenius quidem opus ab ſe inchoatum Arcis tùm extrà muniendæ, tùm intùs exædificandæ, propè nihil interim proceſſiſſe conſpicatus, cùm animaduerteret præterea ædificij formam anguſtiorem, quàm vt præſidiarios milites, Gallos reliquos, & indigenarum adeò nonnullos capere poſſet, ſi Anglus iterùm, aut hoſtis omninò aliquis immineret; ſtatuit rude illud quidquid erat, diruere, Arcem laxiorem ampliorémque à fundamentis excitare. Lalemantius autem adductas operas varias variis locis adhibuit, has ad cœptam domunculam, illas ad arationem, quâ maximè induſtriâ conſtitui res Canadenſis debuit. Ne momentum quidem temporis ab opere vacatum (ait Camplenius) homines ſingulari vigilantiâ, ac rerum difficilium patientiâ, in id vel maximè curam intenderunt, vt ſiluas illas ſaltúſque ad ſementem exciſis arboribus, vulsíſque ſtirpibus apparárent: atque hoc labore tàm ſedulo, támque aſſiduo perfectum profectò fuiſſet, vt intrà annos paucos ex ſeipſis apti, nihil admodùm ex veteri Galliâ requiſiiſſent, niſi Anglica perfidia aliquantò pòſt cuncta peſſundediſſet. Nec indiligentiùs in opus fidei incubuêre Brebeufius Noæúſque ad Hurones profecti, gentem ſtabilem, atque adeò ad Euangelij ſatus opportuniorem, vt ſuis locis reddent anni conſequentes: Lalemantius domi ſubſtitit, Gallis adfuturus: Enemondo Gaufretæóque rei domeſticæ qualiſcunque cura commiſſa: Noyrotius Galliam iuſſus repetere. Videbant ab hæreticis infringi prohiberíque conatus omnes fidei propagandæ ſuos: neque modò clàm à perfidioſis hominibus opus Dei retardari, ſed etiam palàm interuerti. Retulerat Noæus, ſeriùs paulò quàm reliqui pridie. Id. Iul. adueniens, Tadoſſaci, poſt Emerici diſceſſum, quicquid is contrà edixiſſet, denunciaſſétque, Caluiniſtas ineptis aut impijs Marotij Bezæque cantilenis, non Pſalmis Dauidicis, quos inſulſi muginatores Gallico verſu rythmico corruperant, omnia latè loca oppleuiſſe, tantâ inconditæ vocis contentione, vt exaudiri facillimè à Canadenſibus poſſent: ex quo nemo eſſet qui non intelligeret, homi-

ANNVS MDCXXVI.

nes refractarios nullâ vi coërceri posse, nullâ humanitate deuinciri: semper illis id esse propositum, vt vel infelix lolium spargerent, vel triticum euellerent: his porrò Præfectis, quid sperari tandem posse? Inter agnos lupósque conuenturum citiùs, quàm inter fidei propugnatores oppugnatoresque. Quam enim societatem esse luci ad tenebras; quam conuentionem Christi ad Belial? Ad quod quisque affectus sit, illud potissimum sequi; & quæ obstent ac impediant, remouere omnia pro viribus. Vnam proinde excidendi mali rationem esse, si depulsis hæreticis, Orthodoxi administratores adhiberentur: quod cùm obtineri nisi maximo labore & contentione posse, nulli non esset exploratum: nemo vnus Noyrotio visus aptior ad rei difficillimæ expediendum exitum. 2. Cor. 6.

ITA QVÆ PRIMA nauis in Galliam vela fecit, in eam se Noyrotius imposuit, deduxítque secum vnà, adolescentem annos natum sedecim septemdecím-ve, patriâ Huronem, ex præcipuâ inter eos familiâ, Amnatacha nomen erat. Liberalis indoles, ingenium acre, viuidúmque, moderatio sanè matura, familiaris vitæ consuetudo non inelegans conceptam de Canadensium stupore opinionem plerisque eripuit. Et quidem cùm breui tempore feliciter Gallicè non modò loqui, verumetiam elementariorum characterum ductus effingere didicisset, instítui perfacilè potuit ad Baptismum, cuius se cupidissimum profitebatur. Et placuit gentis primitias præcipuâ celebritate consecrare. Rothomagi, quod felix, faustúmque esset, Illustrissimus Archiepiscopus ipse sibi initiandum Neophytum putauit: Longueuillæus Prorex sacro de fonte susceptt, déque Regis Christianissimi nomine, Ludouicum appellari voluit. Nec prodigio ceremonia caruit; tempestate iam tum frigidâ, derepentè micare fulgetrorum ignes, tonitru reboare, fulmen erumpere, at innoxium: quasi ad venerationem, non ad perniciem adesset, lambere modò visum locum in Æde sacrâ editiorem, qui ad religiosam pompam, theatri instar, excitatus erat, at intactis omnibus, euanuit, incredibili tamen, vt tali in re ac tempore, hominum concursu. Atque vtinam in Ludouico candor iste diuturnior fuisset! Anglorum nequitia petulantiáque, quorum in manus captiuus venit, eam deinde innocentiam corrupit; sed de funesto casu postea: nunc ad

Adolescentem Huronem Rothomagi Longueuillæus Prorex sacro de fonte susceptt.

ANNVS MDCXXVI. Noyrotium reuertamur. Expoſuit is Ventadorio, eíque quo plurimùm Ventadorius vtebatur, Ioanni Lauſonio, tum ſupplicum Libellorum Magiſtro, pòſt prætereà, Iuri dicundo reíque æràriæ ac politicæ in Aquitaniâ ſummâ cum poteſtate Præfecto, nihil magnopere in Nouâ Franciâ vel ſuſcipi vel geri poſſe ad Dei gloriam, quandiu mercaturæ Præfectura penès Caluiniſtas eſſet: homines ad inſaniam hæreticos, quidquid ſpondeant in ſpeciem, in eo tamen perſtare nec obſcurè, vtinuiſorum Ieſuitarum conatibus intercedant: Canadenſium animis non modò non venerationem ſacrorum myſteriorum, ſed etiam odium horrorémque eorum, à quibus inſtituendi ſint, ab ijs inſtillari: coloniarum deducendarum curam poſtremam cunctis eſſe, hominibus videlicet qui quæ ſua ſunt ſolùm quærant, non quæ IESV Chriſti: rixarum diſcordiarúmque cauſas perpetuò ſeri: quæ vbi graſſentur, quid confici magnum poſſit?

ANNVS MDCXXVII. HÆC CVM ita ſe habere res ipſa loqueretur, conſtituunt conſenſu, de re tanti momenti ad Regium Conſilium referre, ac, ſi quo modo poſſent, hæreticos remouere: verum quoniam haud breuiſſimo tempore confici negotium poſſe intelligebat Noyrotius, ne extremâ interim penuriâ Kebeccenſes conflictarentur, cùm iam ineunte vere anni conſequentis nauigandi tempeſtas appeteret, Actuarium per ſe ſeiunctim adornare conſtituit, ſubuehendis omnibus quæ tum ad ſupellectilem ſacram, tum ad vitæ communes vſus neceſſaria putabantur. Senſerunt Caluiniſtæ infeſtum Noyrotium moliri in ſe nonnihil, neque temerè abs ſe ſeiungi: vtque verſutiâ valent plurimùm, ipſi viciſſim omnes clàm adhibuere machinas ad illius euertendum conſilium. Et par pari abundè rependerunt: nam non modò impedierunt quò minùs nauigaret, ſed parcè admodum laboranti Camplenio, eo anno pacta ſubſidia ſubmiſerunt. Cùm iam adulta æſtas eſſet, neque quidquam de Noyrotio inaudiretur, ne per literas quidem, ingens omnium animos ſollicitudo inceſſit: præſertim cùm rumor increbuiſſet, à nauicularijs è Galliâ piſcatoribus diſſipatus, Noyrotium vel naufragio perijſſe, vel ab Anglis prædonibus captum eſſe, ſoluiſſe certè Horflæo. Ergo re in deliberationem vocatâ, rogatus Lalemantius, cum Raldæo ſub

ineuntem Septembrem reuertente tranſmiſit in Galliam, abductâ ſecum maximâ operarum parte, quando vnde aleret non ſuppetebat. Quinque tantùm ex toto numero reliquit cum Maſſæo, Noæo, ex Huronibus reduce, alteróque laïcorum; & quoniam ex ſuperiori annonâ nihil penè ſupererat, vnde menſes nouem decém-ve exigerent, ante diſceſſum de publici promptuarij adminiſtris nautici panis quantum ſatis eſſet, coëmit, iniquo ſanè pretio. Nec minùs animo Camplenius angebatur. Galli remanebant quinque & quinquaginta, quibus in iſtis difficultatibus anguſtiíſque, victum quotidianum tandiu præbere haud facillimum meritò putabatur. Acceſſere ſub extremum Ianuarium virgunculæ indigenæ tres, vltrò præter morem, oblatæ à parentibus, vt profitebantur, arctiori firmandæ amicitiæ, re quidem verâ, partim vt aliquid eblandirentur, vnde extremam famem propulſarent, cùm ferina déeſſet, tempeſtate perincommodâ, partim metu ne Gallorum duorum cædem, quos Barbari aliquot dormientes, recens, per ſummam inhumanitatem oppreſſerant, Camplenius grauiùs vlciſceretur. Aſſerebant prætereà, certum ſibi eſſe domicilium deinceps proximè Arcem figere, terrámque colere, quod vtrumque à noſtris vehementer expeti intelligebant: quæ ne leuiter dicta putarentur, tradere ſe obſides filias, quibus nihil eſſe poſſit parentibus neque charius, neque ad fidem obligandam firmius. Quid hîc ageret Camplenius? tametſi aliquandiu diſſimulauit, irato diffidentíque ſimilis, tamen haud diu ſecum ipſe cunctatus eſt: in ſummâ inopiâ, pernegante Pontio Grauæo, qui promptuario præerat, poſſe ſe quidquam inde ſuppeditare, non dubitauit vir magni animi, excipere virgines: tùm quod eas certiſſimo exitio ereptas, in Chriſti familiam transferebat: tùm quod à Barbaris volentibus lubentibúſque id porrò deferebatur, quod nullis hactenus pollicitationibus impetrari potuerat: & verò, haud ita diu antè Chirurgus Gallus, vir probus, cùm in Canadenſium conuentu vnam aliquam expetiſſet in legitimum matrimonium, repulſam planè tulerat. Ne tamen inſoleſcerent Barbari, liquidò edixit, inquiſiturum ſe nihiloſeciùs in ſicarios, déque ſontibus meritas pœnas ſumpturum.

ANNVS MDCXXVII.

ANNVS MDCXXVIII.

AT Lalemantius vbi primùm Lutetiam attigit, curas vi-

ANNVS MDCXXVIII.

giliáſqſie confeſtim cum Noyrotio coniungere : Ventadorio Lauſonióque confirmare, quæ is antè expoſuiſſet : addere, niſi prouideretur quamprimùm, non modò rem Chriſtianam, ſed etiam Francicam Kebecci periclitari : in graui penuriâ verſari iam tum Camplenium cum ſuis, paucos, qui ſupereſſent, Religioſos, vitam ægrè tolerare ; Raldæum, Orthodoxum licet, haud obſcurè tamen fauere Cadomio; Cadomium nihil penſi habere, niſi vt acceptam à Ieſuitis iniuriam (ſic enim interpretabatur) vlciſci quoquo modo poſſet. Quæ cùm in arcano Galliæ Conſilio expenſa vehementer eſſent, conſtituit Armandus, Cardinalis Richelæus, cum quo iam tum grauiſſimas Regni curas Ludouicus XIII. partiebatur, benè cœpta non modò tueri, verumetiam, quà daretur, prouehere, & remotis hæreticis, quaſcumque demum conditiones ferrent, illuſtrem ad ſempiternum decus prouinciam Orthodoxis tradere. Id vt commodiùs conficeret, Ventadorio primùm ab Rege reſtitui curauit ſummam illam ingentem pecuniæ, quam perſolutam Montmorantio diximus: tùm titulis aliis abdicatis, rei nauticæ mercaturæque totius Præfecturam cum ſummâ ſub Regiis auſpiciis poteſtate in ſe transferre decreuit. Ita Ventadorius, poſtquàm triennium circiter ardentiſſimo ſtudio, & inuſitatâ liberalitate Canadenſium ſaluti, quoad eius facere potuit, conſuluerat, Proregis dignitate exceſſit, ſimul curas ſeculi valere iuſſit omnes, vni ſe Deo probandi percupidus. Richelæus autem, quâ valebat iam tum authoritate, ex totâ Galliâ penè momento contraxit homines locupletes & pecunioſos ad centum, non modò Catholicos, verumetiam egregiè pios, qui honeſtiſſimâ cum Rege ipſo pactione, tractus Canadenſes omnes Francicæ ditionis quam optimo iure tenerent, emolumentáque quęlibet ex Nouâ Franciâ extitura, inter ſe partirentur; viciſſim autem colonias eodem ſubinde deducerent, deductas alerent; Euangelicis operariis aliquot, omnia ad victum vſúſque vitæ ceteros neceſſaria ſuppeditarent, Barbarorum ad fidem traductionem omni ope & operâ promouerent. Extat diploma Optimi Principis, datum è Caſtris ad Rupellam, quam obſidebat, menſe Maio, cuius Præfationem libuit hîc ad verbum reddere, vel vt Chriſtianiſſimi Regis ſtudia con-

Armandi Cardinalis Richelæi conſilio & opera lecti homines locupletes ad centum, qui rem Canadenſem inita ſocietate omni ope curent & promoueant.

ANNVS MDCXXVIII.

filiáque poſteris innoteſcant, vel ne intercidant nomina eorum, qui primi in præclaram ſocietatem coierunt: hunc igitur in modum Regiæ literæ.

LVDOVICVS Dei gratiâ Francorum & Nauarræorum Rex, præſentibus futuríſque ſalutem. Cum è diuinâ gloriâ, éque re Regni noſtri publicâ eſſe intelligamus, vt qui Nos ardor ad augendam illuſtrandámque Catholicam Religionem impellit, non vnius Galliæ finibus circunſcribatur, ſed ad illius exemplum & normam, cuius & nomine honeſtamur & ſceptro, ad exteras quoque regiones longè latéque ſe porrigat, quò Gallorum fama vel remotiſsimas regiones illuſtrem in modum peruagetur, pietas celebretur, gentium ad fidem adiunctione earum, quibus nondum Euangelij ſplendor affulſit; reputauimus animo & cogitatione ſanè frequenter, quanam maximè ratione traduci ad Chriſti agnitionem cultúmque poſſent Americæ Nationes eæ, quæ Nouam Franciam incolunt. Talia meditanti ſuggeſſit Cardinalis Richelæus, rei Nauticæ, Mercaturæque tota Gallia à nobis Præfectus, expeditiſsimam eam rationem ſibi videri, vt legerentur è toto Regno noſtro homines eximia virtute, fortitudine animi, & Nauticarum rerum ſcientiâ, támque locupletes præterea, vt ſuis ſumptibus claſſes quotannis apparare poſſent, & colonias è Galliâ virorum peræquè & mulierum ſubmittere: repertóſque ei negotio tanti momenti curatores peridoneos, Claudium Rupemontium, Briſonÿ dominum; Ludouicum Hoëlium Conſiliarium noſtrum, & rationum ſalinariarum apud Broagium Approbatorem; Gabrielem Lartagnantium, Maiorem ciuitatis Caletenſis: Simonem Dublonium, Syndicum ciuitatis Dieppenſis, Dauidem à Quercu, Conſiliarium Scabinúmque Villæ-Franciæ, ad Portum Gratiæ; ac Iacobum Caſtillonum ciuem Pariſienſem, qui iam indeà menſe Aprili, anni ſuperioris ſpoponderint ſocios adſcituros ſe ſe ad centum, omni ſtudio diligentiáque in id incubituros, vt Noua-Francia frequentetur; Notum facimus, nobis eorum conſilium magnopere probari.

DESCENDIT deinde ſigillatim ad capita pactionis: hæc præcipua: *Vt curatores ÿ eo ipſo anno duodetriceſimo ſuprà milleſimum ſexcenteſimum, Gallos ad ducentos trecentóſve in Nouam-Franciam traducerent, tùm ſubinde pergerent ita, vt pòſt annos quindecim ad quater mille viri & mulieres, omnes omninò & Galli & Orthodoxi numerarentur, peregrinis prorsùs excluſis. Vt colonis ÿſdem cuncta ad victum cultúmque neceſſaria triennium totum ſuppe-*

ANNVS MDCXXVIII.

ditarent; intráque id tempus, agri tantum cuique attribuerent, quantum alendæ familiæ ſatis eſſet, ſemente in annum primum ſubminiſtrata; aut aliâ omninò ratione prouiderent, vt degere inibi non incommodè adſcitorum quiſque poſſet. Vt in vnaquaque ſedium à curatoribus conſtituendarum, tùm Canadenſibus ad fidem alliciendis, tùm Gallis procurandis, Sacerdotes tres eorumdem curatorum ſumptibus alerentur, rebúſque omnibus vel ad vſus vitæ communes, vel ad ſacra munia neceſſarijs inſtruerentur: quod ſi progreſſu temporis, eorundem Sacerdotum numerus ad Dei gloriam augendus putaretur, eorum qui accederent, ratio perinde haberetur: ſumptúſque omnes in annos quindecim à curatoribus tolerarentur, non modò fixarum ſedium, ſed etiam Miſſionum. His conditionibus frueretur ſocietas perſe ſuóſque in perpetuum, totâ Regione, quæ Noua-Francia ſeu Canada dicitur, à Florida ad Circulum Arcticum vſque, in latum; in longum, ab Inſula Terræ Nouæ, occaſum verſùs, ad Magnum vſque Lacum, vulgò mare dulce; atque adeò ad terminos vſque, ad quos ipſi ſua opera induſtriáque Gallicum nomen propagaturi eſſent: nominatímque Arcæ Kebeccenſi, & ſi quæ aliæ deinceps excitandæ viderentur; fluuio S. Laurentij, amnibúſque ceteris; Inſulis maioribus minoribúſque; auri, argenti metallorúmque ceterorum fodinis: nihil aliud ſibi Chriſtianiſſimo Rege reſeruante, præter ſupremam Dynaſtiam, vtque in clientelari fide & obſequio ſemper eſſent: cui teſtando, nouis ſubinde Galliæ Regibus coronam auream tributi nomine pendere tenerentur librarum quatuor Gallicarum: ac ſi progrediente die conſtituendus videretur, qui ius ibidem ſuprema cum poteſtate diceret, is ex pluribus ab Societate deſignatis vnus ab Rege eligeretur. Interdicit deinde Guillelmo Cadomio eiúſque aſſeclis, omni omnino vſu emendi, vendendíque, facultate tum ipſi, tùm alijs quibuslibet adempta quidquam in Nouæ Franciæ mercaturis inuita Societate tentandi.

HÆC SAPIENTISSIME prouiſa partim imminuta deinde, partim corrupta Gallorum Sectariorum dolis, Anglorúmque ad rebelles adiunctione. Nec tamen nihil hoc anno perfectum: nam & centenûm illorum ſocietas magnam partem coaluit, quorum nomina ne poſteritati excidant, ad calcem operis attexentur; & eorumdem ſumptibus, ex conuento, inſtructæ naues quatuor, præter Noyrotij Actuarium: Rupemontius expeditioni Præfectus, vnà cum claſſe, ſi Noyrotium

ANNVS MDCXXIII.

Noyrotium eumdem numeres, Ieſuitæ quinque nauigauere: Lalemantius in Prætoriam accitus: Ioannes Raguenæus, item Sacerdos, in Propręторiam : laici duo cum Noyrotio fuere: eorum alter Ludouicus Malotius etiam deinde naufragij ſocius. Profecti cuncti Dieppâ 5. Non. Maias, qui dies ſanctę Cruci Inuentæ ſacer, circa Id. Iulias in fluminis S. Laurentij oſtia feliciter inuecti, dum ſe breuî Kebeccenſibus opem ſolaménque allaturos rebantur, ipſi Præfecti temeritate (quid enim attinet diſſimulare? hominem grauiter incuſat Camplenius) in extremum diſcrimen adducti ſunt. Fauces illas aditúſque fluminis obſidebat iam aliquandiu Dauid Kerſius, Anglus, ab nauibus, militibúſque Rupemontio inſtructior: vtque per id tempus fœdus amicitiámque Galliæ, Rupellenſium atque adeò Caluiniſtarum, quotquot Regno toto erant, furori amentiæque Anglia poſthabuerat, præmonitus pridem ab exulceratis Cadomianis, qui excluſos ſe ſe ab Nouâ Franciâ, tantâ, vel ignominiâ, vel rei familiaris iacturâ impotentiſſimè ferebant, de nauium tranſmiſſarum numero, de Noyrotij Actuario nominatim, de militum robore, de commeatu, de omnibus denique quæ hoſtis vel incendere cupiditatem, vel ſtimulare diligentiam, vel cautionem munire poſſe videbantur; tanquam ex inſidijs illac neceſſariò traiecturos, vicina interim maria longè latéque infeſta habens, opperiebatur. Et ante dies aliquot, hoc eſt poſtridie Non. Iulias, Kebeccum ad Camplenium militariter exultans ſcripſerat, miſſis ab Sereniſſimo Rege Britanniæ nauibus duodeuiginti, lectiſſimis cum epibatis, ad Acadiæ Canadæque tractus vindicandos, ſibi propriè eſſe mandatum, vt eam totam oram Anglicæ ditioni aſſereret. Iam à ſe teneri ſedem Miſcoënſem, iam Portum Tadoſſacium, vbi eſſet in anchoris: iam captas expugnatáſque naues, quotquot eâ tempeſtate ex Galliâ ſoluerant: in ijs vnam Nouæ ſocietatis, in quâ annona Kebeccenſium tota, vnà cum aliquanto numero mercium. ei præfuiſſe Noyrotium quendam, in eadémque Turrianum eſſe. Cùm apud ſe deliberaſſet, num rectà Kebeccum contenderet, viſum ſatius nauem vnam militarem cum lembis duobus ad Promonrorium Procelloſum præmittere, bobus abducendis, quos eo loco Camplenius aluiſſet: non enim dubitare ſe,

Rupemontij confidentia rerum ſummam in extremum diſcrimen adducit.

ANNVS MDCXXVIII.

quin Arce potiturus facilè eſſet, poſtquam cibaria deeſſent. Ceterùm certum, conſtitutúmque ſibi planè eſſe, eas anguſtias occupare, dum nauigandi tempus prorsùs effluxiſſet. Videret proinde num ſine certamine tradere Arcem mallet, an cruento Marte experiri: ſi ſponte cederet, nihil à ſe officij atque humanitatis vel in ipſum Camplenium, vel in Præſidiarios prætermiſſum iri.

HÆC PARTIM VERA Kerſius afferebat, partim gloriosè mentiebatur: Tadoſſacum quidem obtinebat, & ſedem Miſcoënſem, operâ indicióque Iacobi Michaëlis cuiuſdam, Galli transfugæ, & abacta iam pecora erant, quæ ad Promontorium Procelloſum, octo ab Kebecco leucis Camplenius aluerat: Noyrotij autem nauem, neque tum viderat; neque pòſt vidit: verùm, ex falsâ gloriatione manifeſtè deprehenſum, de nauium profectione, ac de Noyrotij nominatim Actuario ipſi ſignificatum fuiſſe. Quibus in conuentu palàm à Camplenio perlectis, in eam omnes iere ſententiam, qui eminùs minas intentaret, illius impetus non eſſe magnopere reformidandos. Eam itaque in ſententiam viſum eſt reſcribere; *Haud quaquam dubitare ſe, quin Sereniſſimi Angliæ Regis iuſſu eam expeditionem ſuſcepiſſet, tales à Principibus ſolere deligi, bellatores videlicet egregios: incommodè quidem ſibi accidiſſe de Noyrotio Turrianóque: ſuppetere ſibi tamen haud exiguâ copiâ Indicam frugem, piſa, fabas, præter eaquæ locus ipſe ſuppeditaret; cui victus aſperitati Kebeccenſes Præſidiarij aſſueuiſſent pridem: Indignos ſe fore qui pro viris reputarentur, quique vnquam in Chriſtianiſſimi Regis conſpectum venirent, ſi Præſidium, re domeſtica tàm bene conſtitutâ, traderent. Ab eo ipſo qui deditionem ſuaderet, pluris ſe ſuóſque factum iri, poſtquam fortiter depræliantes & vidiſſet, & eſſet expertus, quàm ſi tàm effeminatè cederent. Moraturos ſe proinde eius accęſſum, exſcenſionem, impreſſionem, bombardarum exploſionem: dum Arcem ipſe oculis contemplatus fuerit, futurum vtique vt coarguat vel leuitatem vel inſcitiam eorum, qui tàm modicè, atque adeò tam iniquè de loci munitione retuliſſent. De pauculis illis bobus ad Promontorium Procelloſum exuſtis potiùs, quàm abductis, nihil tanti eſſe, ſi Canadenſium indicio, oppreſſi ab armatis compluribus inermes armentarij quatuor fuiſſent; ceterùm, ſi vel vnum diem procraſtinaſſent, ne hac quidem prædâ potituros fuiſſe. Quod reliquum eſſet ex-*

pectare dum aduentaret: eius conatus pro virili retuſuros. ANNVS MDCXXVIII.

LITERIS IIS per eoſdem Cantabros piſcatores redditis, per quos ad Camplenium ſcripſerat, Kerſius de conuocatis ſuis exquirit, quid potiſſimùm opus facto videatur: cúmque interrogati Cantabri ex compoſito ijs, quæ Camplenius præſcripſiſſet, conſentanea afferrent; tùm demùm ratus Anglus omnia munitiora quàm eſſent, & Camplenij conſtantiâ deterritus, ab oppugnandi Kebecci conſilio abſtitit. At Rupemontius, ſanè quàm præfidentior, cùm ſub eoſdem dies Gaſpeïum tenuiſſet, Portum Kebecco leucis centum & triginta diſtantem, Deſdamæum quendam Gallum cum celoce ad Camplenium allegat continuò. Is vt Inſulam S. Barnabæ attigit, leucis cis Kebeccum circiter quadraginta, in canoam raptim tranſcendit (canoas Canadenſium nauigiola appellant) quò ſe Anglorum exploratorum oculis commodiùs ſubduceret. Expoſuit coràm (néque enim literas ab Rupemontio tulerat) ipſum ad Gaſpeïum adeſſe, cum nauibus: præter commeatum omnis generis, aduectas etiam operas agris colendis, familias complures incolendæ regioni: vbi in conſpectum veniſſet, & in nauibus & in littore ignes excitaturum, quo indicio dignoſci ab Anglo poſſet: Gaſpeïj expoſitam farinæ vim ingentem, quò expeditior ad pugnam eſſet: hoſtem enim certum ſibi eſſe vel ad Tadoſſacum vſque perſequi. Cùm ex Deſdamæo ſciſcitari pergeret Camplenius, nullas-ne ferret literas à Præfecto? Nullas prorsùs, inquit: neque enim in illâ tantâ feſtinatione ſcribere potuit: illud modò habeo quod addam, poſtridie eius diei exauditos nobis ingentes diuturnóſque bombardarum reboatus & fragores: idcirco crediderim inter noſtros Anglóſque commiſſum certamen. Et ita res erat prorsùs: ad XIV. Cal. Sextil. dimicatum eſt tàm infelici aleâ, vt poſt horas ipſas ſex (tamdiu enim pugnæ atrocitas tenuit) Gallicis nauibus vndâ tenùs perforatis, deditionem denique Rupemontius fecerit. Et Galli quidem, quorum vitæ ancipitis dimicationis ſors pepercerat, duas in naues impoſiti, in Galliam redire permiſſi ſunt: vnâ cum ceteris, capti è Ieſuitis duo, Carolus Lalemantius, & Ioannes Raguenæus, haud diu in Angli poteſtate fuere. Londini, quò abducti ſunt, tum fortè agebat Tricaſtellius Marchio, à Lotharingo Duce

ANNVS MDCXXVIII.

ad Regem Britanniæ Legatus. Is ab eo magnopere inſtitit, Ieſuitas ſecum ire ſineret; & cum iam de pace Angliam inter Galliámque ageretur, euicit. Ita Dumkerkam breuî deportati, Ambianum deinde ſe ſe receperunt. Ludouicum Amantacham pertinaciùs retinuerunt, & (quæ fuit adhuc optimè morati adoleſcentis infelicitas) miſerum in modum deprauauerunt. Vnum Noyrotij Actuarium euaſit, perque mille diſcrimina refugit in Galliam, poſtquam diu multúmque nautarum animis pertentatis, ad Kebeccum, quò & Francici nominis decus, & res Canadenſis propemodùm deplorata, & magnæ mentis ſcilicet ardor vocabat, aſpirare non licuit. Nihil tali loco ac tempore accidere grauius potuit: præterquam quod enim inſignis fuit per ſe clades, nec ferendum dedecus, quo tempore ſuis demùm malis domita Rupella ſupplices tendebat Regiæ Clementiæ manus, eodem Gallos Gallorúmque res in Anglorum poteſtatem venire: Deſtituebatur Camplenius, Gallíque tùm viri, tùm mulieres prope ad centum in euidentiſſimo mortis ex fame diſcrimine, &, quod caput erat, cùm triennium iam néque alimenta vlla, néque nitrati pulueris aut plumbearum glandium ferrearum-ve quidquam prorsùs importatum eſſet, Arce excedendum omninò erat, ſi, quod euenit, Anglus iterùm ingrueret. Atque hoc profectò, Rupemontius culpam maiorem ſuſtinet, qui neſcio quâ militaris decoris prurigine, hoſti vltrò ſe obiecerit, quem declinare ſtudioſiſſimè debuerat. Reputaret ſecum, non eò ſuſceptam expeditionem eam eſſe, vt cum Anglo manus conſereret, ſed vt in Nouam Franciam nouos colonos induceret, & ijs qui Kebecci iam eſſent, commeatum omnis generis afferret. Si vinceret, nihil magnopere propterea ad rem regni, fidei-ve publicam collatum iri; ſi vinceretur de Gallorum in Nouâ-Franciâ, atque adeò de Canadenſuum ad Chriſtum conuerſione, qui ſcopus præcipuus, & Regis Chriſtianiſſimi, & recentis Societatis fuiſſet, planè actum fore. Rationem habendam ſibi Gallorum, quos deduceret, quos non ancipiti formidoloſi certaminis aleæ proponere, ſed in tutum omninò ſubducere oportuerat. Et verò, ſi tanta eius pectus pugnæ cupido ſtimulabat, ſaltem (ait Camplenius) in nauem è quatuor quas habebat, minimam eandem, celerrimámque, Flibotium

ANNVS MDCXXVIII.

nomine, pueros feminásque, imbellem turbam; tùm farinam, puluerem tormentarium, oleum, acetum, ad eúmque modum cetera, quibus in præsens Præsidiarij egebant magis, exoneraret; tùm, medio in æstu certaminis, dum intentati exitij metus hostem omni ex parte distinuisset, velis remísque porrò Kebeccum contendere iuberet. Vel, quod consultius longè fuisset, quódque faciendum omninò fuit, vbi primùm de Anglis inaudijt, ex locorum peritis scisciteretur, quem maximè ad Portum, æstuarium-ve appellere exiguam classem posset, dum Anglus Kebecco rediens, vel præteriret, vel prælium cieret prior, si fortè per Michaëlem transfugam de secessu cognouisset: tunc enim rebus omnibus maturo consilio prouisis, circunspectis-ve, vel Kersij ferociam victor domuisset; vel, si quid secùs euenisset, vacasset temeritate. Omninò, inconsulti ducis est, rerum summam tàm exiguo operæpretio in vltimum discrimen adducere.

Camplenius industriâ suâ res Kebeccensium desperatas sustentat.

ATTEREBATVR, interim Kebecci exiguum illud annonæ reliquum, quod Camplenij cura vigilantiáque comparauerat. Centum erant non modò ærumnis consternati præsentibus, sed etiam impendentis extremi periculi metu conturbati. Iam diurni victus ratio ad septem omninò pisorum vncias redacta erat: ex Galliâ præcisa spes omnis subsidiorum, menses totos minimùm decem: à Canadensibus quid expectari magnopere posset, qui vix se se ipsi tueri hyeme queant? Angebat illud præterea incredibilem in modum, ne sicut annos iam duos solicitorum spem & expectationem euentus eluisset, in tertium item, aliquid minùs faustè incideret: vt, quàm è re Franciæ publicâ erat Arcem teneri, tàm priuatim expedire videretur, ab Anglo capi, ex quo illud saltem commodi consequeretur, ne fame necarentur. Non tamen in istâ rerum omnium iniquitate animum despondit Camplenius; sed dolorem angorémque suum fortiter constantérque dissimulans, cunctos ad patientiam hortari: nisi ad Mensem Maium annona ex Galliâ subueheretur, de honestâ deditione simul omnes cogitaturos: appellare eorum vnumquemque testem, nihilo se plus cibi sumere, quàm cuique impertiatur: ex Rupellensium obfirmatâ peruicaciâ, vel potiùs desperatione disci ab ijs posse, quid tali loco ac tempore faciendum sit: néque

ANNVS MDCXXVIII.

consentaneum esse, vt perditis hominibus plus animi ac virium fuisse dicatur ad famem in pessimâ causâ ad extremum vsque tolerandam, quàm ipsis ad eas ærumnas perferendas, in optimi, & humanissimi Regis fide, atque adeò in Dei Christique obsequio: quâ in constantiâ si obeunda mors sit, præclarè vtique cum ijs actum iri, qui quam lucis vsuram à naturâ acceperint, eam Regi, patriæ, Barbarorum saluti, ipsi Liberatori mortalium IESV Christo repræsentent, tàm sempiternâ commendatione digni, quàm illi omnium deinceps seculorum execratione. Sperare se tamen lætiora; néque eò dum rem redijsse, vt non extremi arcendi discriminis nulla reliqua sit ratio: augurari se, neminem inediâ confectum iri. Tali oratione confirmatis animis, versare secum ipse cepit, vnde, qua-ve arte extundere alimenta suis in formidolosum tempus posset. Ante omnia, quoniam animaduerterat demensum id quotidianum ex pisis, ad mortem potiùs arcendam, quàm ad vires tuendas valere, quòd vnâ aquâ macerata, (nam sal quoque deerat) succi parùm sanè sufficiebant; pistillo primùm in mortario contundere, mox, quod id & laborioſius & moleſtius esset, trusatili molâ ægrè concinnatâ conterere, post etiam aquariâ in moletrinâ pinsere instituit: hinc refici paulò magis corpora ceperunt, & vires vtcunque reparari. Deinde ad anguillarum piscatum curam conuertit; harùm enim ijs in locis vis propè infinita: sed agiliores patientioréſque Canadenses anteuertebant; vt, cùm Gallos suus plerúnque labor frustraretur, recurrendum ad Barbaros fuerit: verùm ij, qui mos est omnium gentium, Gallorum indigentiam in compendium suum verti posse rati, non nisi iniquissimo pretio captas vendebant: in denas, quod penè fidem superet, singulæ pelles ferinæ dabantur, eæque nouæ, nec vllâ vsurâ attritæ: harum autem pellium pretium vulgò erat aureus Gallicus: ita plus sex assibus Gallicis anguillæ singulæ venibant. Venationem magnam partem omittere cogebat nitrati pulueris penuria: libræ admodum triginta erant, & illius quidem non exquisitissimi: è Præsidiarijs tamen aliquot alcen cepere (cuius de naturâ posteà) sed, quæ eorum fuit intempestiua ingluuies, pauci se eius carnibus ingurgitare semel maluerunt, quàm prædam in omnes partiri, plures in dies,

C

ANNVS MDCXXVIII.

ſi rectè curaretur, obſonium abundè præbituram; quod fœdæ edacitati ſuperfuit, ad libras admodùm viginti attulere. Liberalior Chomin, homo Canadenſis, totas aliquot feras illius generis impertijt, quantâ ſuâ laude, tantâ lureonum illorum infamiâ, & inſigni ſcilicet rerum conuerſione, vt à Barbaris alerentur Galli. Adeò de omnibus benè mereri ſtudere quiſque debet.

TANDEM, cùm quamlibet ſedulâ prouiſione curáque nihil ſe aliud perficere poſſe Camplenius intelligeret, niſi vt ad extremum Maium annonam qualemcunque extraheret; de minuendo ſuorum numero, niſi qua nauis tempeſtiuè adeſſet è Galliâ, cogitare inſtitit: cúmque id efficiendi ratio duplex eſſe poſſet, vt vel in Galliam reueherentur, vel ijſdem in oris, extrà Arcem degerent; inutilem pridem lembum, fatiſcentémque, vtcúmque reſtaurare aggreſſus eſt, in quem quotquot capere poſſet, imponerentur, cùm primùm ſe maria aperirent: eâ enim tempeſtate adfuturas è Gallia naues ad piſcationem complures, in quas credibile erat eos exceptum iri, ſi modò in naulum victúmque, quod æquum videretur, perſoluerent: in vtrumque fibrinas pelles traditum iri. Quinetiam poſtquàm expoſiti primi eſſent, alijs denuò auehendis rediri Kebeccum poſſe, hóſque alteros ſatis tempore ad bellicas naues acceſſuros: ita ingenti vtrinque commodo, & ſcilicet eorum qui remigraturi in patriam eſſent, gaudio incredibili, remanſuros dumtaxat quot commodè ali in præſidio poſſent. Ad alterum illud, generoſum ſanè quiddam animo & cogitatione voluebat. Videbat à montiuagis illis accolis nihil magnopere ſperari poſſe, quippe qui ipſi in diem viuant, nullis certis laribus, nullo penu, nullâ cellâ; venatu & piſcatione viuere ſolitis, non ſementem facere, vnde fruges deinde proueniant. Iroquijs autem, quos bello pridem, infenſorum ductor populorum vexauerat, vt in Commentarijs ipſe ſuis perſequitur (gens eſt immaniſſima, de quâ dicendum erit pòſt compluries) norat ſegetes ſuppeditare. Ita, cùm nihil tàm finitimæ Nationes auerent quàm vt ſecum ſocius belli, & periculorum propulſator futurus, proficiſceretur, conſtituerat eò æſtate cum ſuis, ad quinquaginta, ſexaginta-ve, pergere, ac vi irrumpere in vnum aliquem ex vicis hoſtilibus,

ANNVS MDCXXVIII.

locóque nouis munitionibus firmato, congestis frugibus vesci tandiu, dum vere deinde proximo certius aliquid affulgeret. Et eius studium magnopere finitimi incendebant, eo potissimùm nomine, quod si res prosperè, felicitérque, vt sperabant, eueniret, ea demum certissima esset ratio pacis cum ferocienti hoste ineundæ, vnde tuta & libera vltrò citróque commeandi facultas, magno tùm gentis, tùm Gallorum ipsorum emolumento & commodo. In his maximè meditationibus Kebecci hyems exacta.

AT IN GALLIA, vt quísque affectus erat, ità de infelici nauali prælij successu sermocinabatur. Damnabant plerique Rupemontij confidentiam, qui tàm alieno tempore pugnam commisisset. Triumphabant gaudio Caluinistæ, procacitérque iactabant, quandiu rei Canadensi præfuissent, omnia feliciter administrata; vbi remoti essent, cladem illicò importatam: recens Societas tametsi initia malè cesserant, tamen perstabat in proposito, déque nouâ nauium apparatione seriò cogitabat. Lalemantius Noyrotiúsque assidui hortatores aderant (nam Lalemantius Ambiano accitus Lutetiam erat) aiebant indignum esse, Camplenium cum Religiosis Gallísq; alijs, post tantos, tàm constanter, tamdiu exantlatos labores, mediâ in Barbarie destitui, fame vtique interituros: virum fortem æquè, & industrium, sustentaturum sese sine dubio, & quoquo modo aliturum suos ad statum vsque tempus nauigationis: dum maturetur, nihil dum conclamatum videri. Qui sumptus grauiores in hunc annum faciendi essent, eos abunde postmodum repositum iri: neque nullam acceptæ iacturæ rationem Consilium Regium habiturum: cùm præsertim Cardinalis Richelæus, facinus Anglorum insignem iniuriam interpretatus, è Regijs nauibus septem tradi curaret Razillio, Equiti Melitensi, notæ virtutis naualibus in prælijs bellatori, arcendis fugandísque Anglicis emissarijs, si, quod facturi dicebantur, Kebeccensem Arcem iterùm affectarent. Id si vt deliberatum erat, ità perfectum fuisset, constitissent sanè omnia: sed quòd sub id ferè tempus firmata pax Gallos inter Anglósque, ac paulò pòst vtrobique promulgata est; idcircò cùm existimaret Richelæus cum Anglis deinceps tanquàm cum fœderatis, non tanquàm cum hostibus agendum esse, pariáque

ANNVS MDCXXIX.

ANNV MDCXXI

pariáque ab eis expectaret; reſcribi Rupellam iuſſit, vnde ſolutura claſſis erat, nihil eſſe quòd Regiænaues proficiſcerentur, quidquam-ve moueret Razillius. Ita onerariæ omninò quatuor vela fecerunt, & quidem inter illas moras tardiùs. Etenim quo ferè tempore nauigare ceperunt, iam Dauid Kerſius pacem factam vel ignorans, vel diſſimulans, Canadenſi pelago, atque adeò S. Laurentij flumine infeſtus inuehebatur: &, quæ fuit aduerſarum rerum haud leuiſſima, captus eſt ſub medium Quintilem à Thoma, Dauidis Fratre, Boulæus Propræfectus, Camplenij affinis. Is cùm in lembo, quem vtcunque reſarcinatum vidimus, tenderet in Galliam, Regem Richelæúmque de deplorando Kebeccenſium ſtatu certiores facturus; ab eo, quem dixi, Thomâ Kerſio, medio mari, bombardæ maioris exploſione inhibere curſum procul iubetur: cúmque Boulæus contrà, velis remíſque refugeret, dromonem Anglus præmittit, duplici ad celeritatem remigio: ita vegeti ac valentes fame inediáque confectos breuî aſſecuti, in lembum inuolant, & fibrinas pelles, ceteráque paucula deprædati, captiuum nauigium ad Thomam agunt: Thomas haud inhumanè exceptum Boulæum Dauidi fratri ſiſtit. Nec minor in ſpeciem Thalaſſiarchæ comitas fuit: verùm, poſt ſalutationem officiáque verborum, Anglus de Arce ſedulò percontatur: qui Præſidiariorum numerus, quàm largè cibaria ſuppetant, quæ munitiones, operáque pulueris nitrati, globorúmque quàm abunde. Ad hæc ità Boulæus reſpondit, vt id quod res erat diſſimulans, hominem de oppugnandi Kebecci conſilio, quoad eius fieri poſſet, deduceret: illud quoque adiecit, ſe de Emerico Cadomio, in quem incidiſſet, annonam Kebeccum in menſes aliquot deportantem, cognouiſſe, pacem iam ab vtróque Rege iuratam. Habet penès ſe initæ pacis conditiones infit Kerſius. Cùm Boulæus negaret, fucum facit, inquit. Et captiuos Gallos diuerſos appellans, tandem vel ab incautis per artem, vel per promiſſa à perfidioſis elicit id quod iam ſuſpicabatur, & optabat, Camplenium extremâ rerum omnium penuriâ conflictari. Nec cunctandum ratus, quò vel nec opinantem exciperet, vel Cadomio præuerteret, qui commeatum ferre nunciabatur, ipſe ad Tadoſſacum conſiſtens, naues tres bellicas præmittit, Lu-

Boulæus in Gliam tendens Anglo capitur

ANNVS MDCXXIX.

douicóque ac Thomæ fratribus germanis ſuis (Prothalaſſiarches hic erat, ille Arci poſtquàm in poteſtatem veniſſet, præfuturus mittebatur) mandat Camplenium de voluntariâ deditione interpellarent. Viæ duces ſe ſe præbuere Canadenſes aliquot, dum ſe, ex gentis leuitate, commodiùs ab Anglis habitum iri putant, quàm ab Gallis haberentur.: nec Galli nauicularij aliquot defuerunt, ſeu vltrò, ſeu parendi neceſſitate.

HÆC Camplenium latebant omnia: nihil quidquam de imminente periculo cogitans, qui nihil eo anno neque de Gallis neque de Anglis inaudiſſet, in eo totus erat, vt victum ſanè aſperrimum eundem, & parciſſimum tùm alijs tùm ſibi quomodocúnque expediret. Et ſolus quidem in Arce verſabatur, dimiſſis alijs aliò Præſidiarijs, famulíſque, vel ad piſcandum vel ad vellendas radices; cùm trepidè primùm ab Manitɛgach (quem Naſſam vulgò, à concinnandarum naſſarum peritiâ Galli vocitabant) homine rei Gallicæ ſtudioſiſſimo, mox à domeſtico famulo affertur, aduolare ſine dubio naues Anglicas, ac vix leucam abeſſe, certiſſimè ſibi conſpectas poſt vicinum Iſthmum (à Ventadorianâ gente, Leui appellare placuerat.) Ad hanc denunciationem miranti quàm attonito ſimilior, quoad in ijs tamen & temporis & rerum omnium anguſtijs licuit, proſpicere ſedulò Camplenius, ne incautos hoſtis opprimeret: cúmque ſe omnes, vt fit in tumultu, ad Arcem continuò recepiſſent, antequàm adeſſet hoſtis, exquirit de ſingulis in conſilio palàm, quid tali loco ac tempore faciendum potius eſſe cenſerent. Omnes omninò in eam iere ſententiam: vt, quandoquidem vel negligentiâ eorum, quibus in Galliâ Canadenſis incumbebat curatio, vel quâ aliâ ex causâ, eò redacta res erat, vt pulueris tormentarij penè nihil, cibariorum nihil planè ſuppeteret, fieret ſanè deditio, at quàm commodiſſimis liceret conditionibus: quòd ſi fortè paciſci hoſtis ferocior abnueret, repugnaretur pro virili, néque impunè incruenté-ve exſcendere ſineretur. Vix ea inter ſe ſtatuerant, cùm inuehi viſus ad Arcem rectà lembus Anglicus, vexillo candido, quo indicio colloquium expetebatur: & ex Arce viciſſim ſublatum alterum eſt, quo ſignificatum accedi tutò poſſe. Vt applicitum ad ripam eſt, ex-

ANNVS MDCXXI

ſcendit Anglus nobilis, ad Campleniúmque perrexit cum literis ab Ludouico Thomáque, in eam ſententiam. *Quod Dauid frater iam inde ab anno ſuperiori prædixerat, obtenturum ſe aliquando Arcem Kebeccenſem, id nunc demùm inſtare. Compertum exploratúmque ſibi eſſe, quali quantáque rerum omnium inopiâ laboret: cùm repugnare nequeat diutiùs, nihil ab eo commodius fieri poſſe, quàm vt Arcem vltrò honeſtis conditionibus dedat: eas à ſe tùm ipſi, tùm Gallis qui in præſidio eſſent omnibus deferri.* Datæ erant literæ ex Flibotio, naue Gallis anno ſuperiori ereptâ, XIV. Cal. Sextil.

Camplenium tremâ rerum nium inopiâ borantem de cis Kebeccenſi ditione Angli interpellat.

EAS coràm Primario mercaturarum adminiſtro, aliíſque aliquot quorum præcipuæ partes erant, Camplenius cùm perlegiſſet, viſum eſt in hanc ſententiam reſcribere: *Inficiari quidem ſe minimè poſſe, quin vel curatorum negligentiâ, vel temporum iniuriâ, & nauigandi difficultate, ſperata è Galliâ ſubſidia defuerint; Idcirco prohibere ſe non poſſe quod anno ſuperiore feciſſent, ne Arce pro voto ipſi demùm potiantur. Ipſorum eſſe, quæ ſemel iterúmque detuliſſent, re præſtare, & in conditiones paciſci mox mittendas. Intereà obteſtari ſe, ne antequam vtrinque de omnibus conueniſſet, naues intrà bombardæ iactum admouerent, neu quis exſcendere tentaret: poſtridie rem totam confectum iri.* Eâ ipsâ die ſub veſperum ad ſuos Anglus idem ſequeſter redijt, pactionis capita propoſiturus: hæc huiuſcemodi fuere.

DIPLOMA Regis Britanniæ proferretur, ex quo intelligi poſſet, Kerſiorum expeditionem legitimâ auctoritate niti: itémque planum fieret, hæc, à Ludouico Thomáque, conſcio & approbatore Thalaſſiarchâ, agitari. Attribueretur nauis reuehendis in Galliam Præſidiarijs, quíque Kebecci tum eſſent, quíque paulò antè, eorum in manus veniſſent (de Boulæi ſociorúmque caſu ex ſequeſtre cognouerat) Eadem Religioſos deportaret Recollectos, Ieſuitáſque, puellas præterea duas, quæ ante biennium à parentibus donatæ Camplenio eſſent: neu quis prohiberet quò minùs eas ſecum decedens abduceret. Non modò Præſidiarijs Præfectis militibúſque, ſed etiam reliquis omnibus, nominatímque Religioſis, liceret res ſuas efferre, & quam quiſque ſupellectilem, ſeu ſacram, ſeu domeſticam haberet. Cibi in totum iter præberentur, eâ dumtaxat lege, vt ſuum quiſque commeatum fibrinis

ANNVS MDCXXIX.

pellibus ex æquo & bono redimeret: quæ pelles cuíque deinde ſupereſſent, eæ ne eriperentur. Humanè & benignè cum vnoquoque Gallorum ageretur, neu cui ſeu Præſidiariorum, ſeu Religioſorum, ſeu eorum qui recens capti eſſent, vis vlla afferretur. Quæ nauis in Galliam dedititios ceteróſque deportatura foret, ea traderetur poſt triduum quàm Tadoſſacum ventum eſſet, eò vt tutò & commodè perueniretur, ſuppeditaretur Actuaria minor, aut nauigium omninò aliquod iuſtæ magnitudinis firmitatíſque. De his vbi conueniſſet, & chirographum additum ritè eſſet Dauidis Thalaſſiarchæ, ad legitimam cautionem, ſpondebat Camplenius ſe Arcem, adiunctáque domicilia dediturum Kerſijs, vel cui ipſi tradi vellent.

HÆc cum Camplenij Pontíque (hic ille erat quem dixi, primarius mercaturarum adminiſter) chirographo, ab eo ipſo qui repopoſcerat, quantâ fieri potuit celeritate ad ſe perlatâ, vbi Ludouicus Thomáſque exactiùs expenderant, hunc in modum circunſcripſere. Diploma quidem Sereniſſimi Regis Britanniæ, domini ſui, penès Dauidem fratrem eſſe: ad Tadoſſacum prolatum iri. De poteſtate ſibi ad paciſcendum à Thalaſſiarchâ attributâ minimè dubitaturum Camplenium, poſtquam is conditiones adiectâ ſyngraphâ confirmaſſet: id autem ſe omninò curaturos aſſeuerabant. Nauem minimè attribui poſſe, ijs qui memorabantur, in Galliam deportandis: curatum tamen iri fideliter, vt in Angliam rectà, mox in Galliam veherentur omnes: idque ipſum valiturum eò, vt ne in Anglorum denuò manus venirent, quod fortè contingeret, ſi ſoli infeſto æquori ſe ſe committerent. Puellæ Canadenſes vt in Galliam abducerentur, ſinere ſe nequaquam poſſe: eius rei cauſas coràm expoſitum iri. Quod ad arma ſupellectilémque attineret, Præfectis quidem poteſtatem fieri, præter arma, veſtéſque, fibrinas quóque pelles quæ cuiuſque priuatim eſſent, efferendi: militum ceterorum vnicuíque, ad veſtem vulgarem, tunicam è pellibus vnam adiungere licere: Religioſis veſtes relinqui ac libros, præterea nihil. Ceterùm, ne quid ad firmitatem deeſſet, acceſſit Thalaſſiarchæ auctoritas in hæc verba; *Hæc pacta conuenta rata ſunto.* Addiditque chirographum. Verùm, niſi mendum in Arithmeticas notas irrepſit, mirum profectò videatur, tot res tam citò peragi po-

tuiſſe: vno eodémque die (leucas prope quadraginta) iri, rediri tàm multoties; de conditionibus diſceptari; Tadoſſacum deſcendi ad Dauidem; tum ab eo ad fratres, hinc Kebeccum pergi: niſi fortè is folium purum tradiderat, in quod fratres, quod videretur, referrent. Sed nimirum ſtimulos addebant hinc cupiditas, illinc metus: videbant in momenta ſingula magnam rerum conuerſionem fieri poſſe, ac ſi vel claſſis adeſſet è Galliâ, vel omninò certi de pace nuncij afferrentur, eluſum iri ſpes ſuas: eò, ne momentum quidem temporis deperditum volebant. ANN. MDCXXI

CERTE pergit Camplenius memorare, poſtridie eius diei, hoc eſt ad XIII. Cal. Sextil. eas pactionis leges ad ſe perlatas, denunciatúmque, conſtitueret quamprimùm cum ſuis, ſubire eas vellent, nec ne: cúmque cuncti, poſtquam nihil è Galliâ affulgebat, quod dabatur accipiendum ſenſiſſent, poſt internuncij reditum, ſublatis anchoris confeſtim Kebeccum Ludouicum, Thomámque tetendiſſe. Præter Gallicam illam nauem, Actuarias agebant duas: epibatæ erant ad centum quinquaginta: tormenta maiora plus viginti. Ad eos officij causâ adit continuò Camplenius: rogátque cuſtodes apponi, qui Ædem ſacram Ieſuitarum, eorumdémque ac Patrum Recollectorum tuguria, & Hebertianæ familiæ domunculam à direptione defenderent: nec difficiliter impetrauit. Tum armatis expoſitis, exſcendit Ludouicus, poſſeſſionémque Arcis adijt: eâ quidem modeſtiæ ſignificatione, vt cùm excedere ſtatim proprio cubiculo, quippe vt in ijs anguſtijs, paulò commodiori, Camplenius vellet, vetuerit omninò, néque ex eo migrare paſſus ſit. Idem tamen ad pompam qualemcunque, læto tormentorum fragore tùm ex nauibus, tùm ex Arce ipsâ, militum coronâ in armis circunſtante, Britannicum vexillum loco editiore erexit. Exinde luſtratis inſpectíſque curiosè omnibus, ex cellâ communi ad quatuor penè millia fibrinarum pellium aufert: tùm per transfugam Gallum, quo adminiſtro ad ea vtebatur, in exiguam ſupellectilem Patrum Recollectorum Ieſuitarúmque inuolat. Inter hæc incredibili animi ægritudine conficiebatur Camplenius, qui tàm luctuoſa ſpectacula oculis vſurpare cogeretur. Eò, ab Ludouico petere inſtitit, eius vt bonâ veniâ, intereà

Arcis Kebeſis deditio.

ANNVS MDCXXIX.

dum ſubſequi cuncti poſſent, ſibi Tadoſſacum ad Thalaſſiarcham ire liceret, opperiendæ nauigationi: vtrique, vt quidem ſperaret mutuam conſuetudinem gratam & iucundam fore. Cùm Ludouicus annuiſſet, in Flibotium impoſitis ijs quæ ex pactis conuentis aſportandi facultas erat, cum Thomâ vt primùm licuit, conſcendit: reliqui tantiſper ſubſtiterunt.

Emericus Cadomius nauale cum Anglo prælium committit.

DVM vela faciunt, ecce tibi aduentare cernitur ex aduerſo Emericus Cadomius, quem iam fluminis oſtia ſubijſſe Thomas cognôrat. Is cùm è Galliâ eo conſilio profectus eſſet, vt Kebeccum rectà pergeret, tùm auehendis pellibus quæ Guillelmi Cadomij erant, tùm importandæ annonæ Kebeccenſibus in menſes tres, dùm naues ceteræ aduenirent, tametſi de Boulæo, quem obuiàm habuit reſcierat, rem Kebeccenſem deploratiſſimo loco eſſe, atque adeò maturandum quoad poſſet; tamen neque ipſe magnopere properauit, néque adduci vnquam potuit, vt Boulæo cum aliquo numero nitrati pulueris, cibariiſque vel in iter, vel Kebeccenſibus tantiſper interim recreandis, recentes remiges aliquot mutatos feſſis & languentibus, qui in lembo erant, commodaret, quò quamcelerrimè Kebeccum repetere poſſet de eius aduentu Camplenium certiorem facturus. Quin, tametſi paulò pòſt Galli duo monuerunt, viſos à ſe Canadenſes cum Anglicanis mercibus, ex quo conſtaret Anglicas naues eſſe in viciniâ, ſpreto contemptim indicio, ire perrexit temerè ſecurus: paucíſque pòſt diebus cùm denſa nebula cælum obtexiſſet, diſcuſsâ deinde caligine haud procul Anglicam claſſem intuitus, quam paululùm, ſurſùm versùs prætergreſſus erat, quaſi id ageret vt ſéque, rémque Galliæ publicam ijs locis proderet, perderétque, impactâ ad latentes arenas naue, ipſe vltrò tormenti maioris exploſione ab Anglo opem expopoſcit: ac iam tum capi profectò potuit, ni Thalaſſiarches Gallicam nauem eſſe admonitus, atque adeò non ad opem, ſed ad prædam accurrendum videri; mittere neglexiſſet: cùm diceret elabi eum quiſquis eſſet, nullo modo poſſe, ac demirari ſe vehementer hominis temeritatem, qui ſe hinc inde in naues Anglicas induiſſet. Proinde tunc quidem pergere ſinendum: haud tamen ſapienti conſilio, quando ſine pugnâ, & ſine cuiuſquam ſuorum exitio, naue potiri tunc licuit, quæ pòſt non ſine cer-

tamine in poteſtatem venit, & formidoloſo quidem futuro, ſi res adminiſtrata à Gallis rectè, atque ordine eſſet. Etenim poſtquam æſtu accedente, nauem ipſe cum ſuis, è vadis extricauerat, dum inſtitutum iter contendit, deprehenſus ab Thomâ, vbi vidit integrum ſibi non eſſe, fugâ, quod nitebatur, elabi, ad pugnam ſtrenuè ſe comparat. Ac primò quidem infeſtâ bombardarum diſploſione res geſta eminùs: mox, Thomas, certum cùm eſſet certamine experiri, admoueri quàm-proximè Flibotium iubet. Et ad Camplenium conuerſus; Noſti, inquit, naualium dimicationum leges. Si quis eſt in naue ex hoſtium partibus captiuus, is nequaquàm ſinitur in foris, dum pugnatur, liber ac ſolutus verſari: proinde in imam contabulationem ſecedere tantiſper ne pigeat. Paruit illicò Camplenius: ac Thomas iam tum ſibi metuens, clathra & ſuper imponi, & clauis figi imperat. ANNV MDCXXI

IAMQVE Emerici nauem propè contingebat, cùm vtrinque & lapidibus, & crudâ tormentariorum globorum eiaculatione cœptum dimicari: at nullo ferè momento ad victoriam: etenim dens alter anchoræ Kerſianæ in Emerici nauem impactus, ita vtramque implicuit, vt néque accedere propiùs, néque recedere liceret deinceps. Cúmque à prorâ facta eſſet impreſſio, ab vno altero-ve armato Anglici impetus perfacilè eludebantur. Anceps ea dimicatio tenuit aliquandiu, donec hæreticus neſcio quis, illo tumultu vlrà quàm bellatorem decebat, perturbatus, verbulum emiſit ad deditionem ſpectans. Et temerariam vocem Kerſius repente arripuit. Perlubenter verò, inquit, Emerice! quas conditiones tulimus Camplenio quem hîc habemus, eædem tibi tuíſque ſunto. Atque hîc finis pugnæ fuit: vbi de Camplenio inaudijt Emericus, viri colloquium flagitat, haud tàm facilè vtique deditionem facturus, ſi eum adeſſe priùs comperiſſet. Certè & à Barbaris & à Noſtratibus quibuſdam ſtrenuè ſeſe eo in certamine geſſiſſe perhibetur homo egregiè Catholicus. Vt vt id fuit, reuelli quidem clauos recens adhibitos extemplo Kerſius imperauit: ceterùm eâdem diffidentiâ; Caue, inquit, Camplenii ne dum tu cum Emerico colloquêre, turbet quidquam: ſi qua vltrà bombarda explodetur, certa tibi nex. Suade modò dedant ſeſe, ac, ſi quid ſapiunt, ſuæ ſaluti conſulant: appro-

ANNVS MDCXXIX.

pinquant, vt vides, Actuariæ: antequàm conuentum ſit, ſi adfuerint, ſummo iure in eos agam. Hîc Camplenius modeſtè atque intrepidè, Captum quidem necare perfacile Kerſii at non item decorum. Tu cum fratre incolumitatem omnem ſpopondiſti: fidem violare non eſt viri fortis. Ceterùm, meum non eſt, quem ipſi minimè agnoſcant, ijs præcipere quid potiſſimùm in tàm præſenti diſcrimine faciant? id natura cuique præſcribit, vt vitam, libertatémque ſuam tueatur, contráque vim intentatam ac paratam pro viribus obluctetur. Laudare debes potiùs eorum conſtantiam, magnitudinémque animi, qui vt magnanimos viros decet, acriter fortitérque dimicent. Accedit, non vſque eò rudem eſſe Emericum, vt non quidquid dixero, tanquam à captiuo profectum accipiat, qui cùm non ſit arbiter ſui, ab alijs præſcripta afferre potiùs, quàm quæ ſentiat, expromere cenſeatur.

EA ORATIO commotum vtcunque ſedauit: iámque pacatior; Illud ergo inculces, precor, inquit, dum ſe dedant, omni humanitate exceptum iri. Et fecit ſeriò Camplenius, qui animaduerteret nullam ſpem ſalutis ſupereſſe, ſi cum Actuarijs prætereà depugnandum eſſet. Deplorat tamen idem Emerici vel ignauiam, vel imprudentiam, qui tam properè de deditione verba fecerit. Æquo adhuc Marte decertabatur, vel potiùs ad Gallos victora inclinabat: ex Kerſianis tres ceciderant, in ijs nautarum vnus imprimis experiens, cui globus ex maiore bombardâ libratus caput à ceruicibus reciderat, è Gallis nullus interijſſe proditur. Maturaret igitur, & antequàm noua ſubſidia afforent, vrgeret ſanè pugnam; quippè & ab epibatis, & à tormentario puluere, Anglo inſtructior. Omninò trepidabat iam tùm Anglicus miles, ſéque in ima nauis ſenſim ſubducebat. Inferret ergo ſe ſe in nauim impeditam, cum expeditiſſimis ſuorum: terrore & minis cuncta fremens impleret; reuelleret nimirum confeſtim clauſtra Camplenio, cuius vel nomen formidoloſiſſimum hoſti eſſet. potuit eo die tentari, atque adeò fortè peragi inſigne in paucis facinus; vt antè quàm auxiliares Actuariæ certamen capeſſerent, expugnato Flibotio, Galli deinde ſi minùs numero, bonitate certè nauium ſuperiores, Actuarias eaſdem momento deprimerent: tum vel in claſſem reliquam impetu ruerent, quæ tametſi nauium

uium erat quinque, tamen præter Præfectos, vix virum habebat; ac ſi ſuperiores extitiſſent, Kebeccum reciperent continuò; vel in altum inuecti, Galliam versùs curſum reflecterent, dum cum quatuor quæ aduentabant nauibus coniuncti, opprimerent prædatores, & Kebeccum porrò aſſererent. Sed eas ſpes vnius hominis temeritas inſcitiáque infregit. Et Camplenius quidem nutantia cuncta, perturbatáque conſpicatus, deditionem Emerico ſuaſit tàm opportunè, vt ſtatim atque arma dedititj in Thomæ fidem accepti, poſuerant, ad fuerit Actuaria vtraque, verùm ad ſpectaculum non ad pugnam: vetuit ſiquidem planè præciſéque Thomas quidquam in Gallos mouere. Ergo extemplò in Flibotium ad Thomam, Spinæum Propræfectum obſeruantiæ ergô Emericus præmittit: ipſe mox ſubſecutus, ſéque infelix, réſque ſuas tradit. Vt Tadoſſacum ventum eſt, Camplenius quanquam à Thalaſſiarchâ vt in victoriâ humaniſſimè exceptus, perhonorificè deinceps haberetur, ingentes tamen animo coquebat curas: ac tametſi prudenter moerorem diſſimulabat ſuum, angebatur tamen intimis ſenſibus. Videbat, etſi non ſuâ culpâ ab Anglo tamen teneri quidquid in Nouâ Franciâ tandiu, tot laboribus, diſcriminibúſque, tantis ſumptibus quæſitum à Gallis eſſet: animaduertebat Euangelicis operarijs expulſis, conuulſum iri veræ fidei pietatíſque fundamenta, quæ haud infeliciter iaci ceperant: ex vno Ludouico Amantachâ, cuius egregiam indolem ab Anglis, quibuſcum agebat, magnâ ex parte corruptam gemebat, augurabatur quid futurum eſſet Canadenſibus alijs, quos vel in auitâ ſuperſtitione deſerturi eſſent, vel periculoſiſſimis erroribus imbuturi, atque adeò ad effrænatam licentiam proiecturi: miſerabatur ſortem Hebertianæ familiæ, quæ in medio Nationis prauæ atque peruerſæ conſiſtere malebat, quàm ad certiſſimam egeſtatem in Galliam remigrare. Exulcerabat denique piam mentem Gallorum transfugarum vel in Regem perfidia, vel in Deum impietas, quos cum Anglis ad quatuor quínque-ve reperit. Anteſignani duo ad poſteritatis memoriam infamandi, Iacobus Michaël, cum Marſoleto quodam. Ille vtriúſque Anglicæ ad Kebeccum expeditionis auctor, dúxque, poſtquàm aliquandiu à Puritanis Caluiniſta cultus fuerat, in contem-

ANNVS MDCXXI

Tradit ſe hoſt.

Iacobus Michi transfuga ino na morte oppri mitur.

ANNVS MDCXXIX.

ptum deinde, vt fit, apud omnes venit. Diffidere Thalaſſiarches homini: Propræfectum eius in naui apponere, qui in eius dicta factáque diſſimulanter inuigilaret: negare quæ petebat, penè omnia. Hinc ægritudo cruciatúſque mentis incredibilis, vultus deiectus, os exangue, ſuſpiciones perpetuæ: horror ſui, extrema denique deſperatio ex probris conuitiíſque quotidianis eorum ipſorum, ad quos transfugiſſet, à quibus non aliter ſe, quàm Proditorem vocitari norat. Ergo cùm tàm malè ab animo haberet, corpus quóque demùm contabuit. In lethargum incidit horarum quínque & triginta: tum infeliciſſimam animam egit, poſtquàm pridie furoribus & furijs exagitatus, auguſtiſſimum Dei nomen millies blaſphemis vocibus violauerat, diríſque omnibus ſe deuouerat, ni acceptas, vt rebatur, iniurias vltus eſſet. Hîc hominis amentiam reprimere Camplenius blandè cepit, ex eóque cauſas doloris quas diximus, elicuit: tum, vbi delinitum tantiſper animaduertit, penitiùs in cauſam ingreſſus, poſtquàm de ſui facinoris atrocitate confeſſus ipſe fuerat, ad ſpem veniæ à Chriſtianiſſimo Rege obtinendæ deiectum animum ſenſim erigere inſtituit. Graue quidem crimen eſſe ac nefarium: non deeſſe tamen, quibus paria clementiſſimus Princeps condonaſſet. Ad quæ cùm ille ſubieciſſet; ita prorsùs rem habere, optimum & benigniſſimum Regem ſuum eſſe; quin igitur, excepit Camplenius, eius ad clementiam confugis? ego ſi quâ in re potero, ſtudium illud tuum ſtudioſè iuuero. Et illud ipſum meditor, inquit: iámque ex Galliâ certior factus ſum impunè mihi fore, ſi redire voluero: verùm, niſi Regium ſigillum condonationis tabulis impreſſum erit, non committam vt Galliam repetam: ac ſi id fiet, aliò quouis potiùs, quàm Dieppam adibo. Sed ea verſantem animo inopina mors eo quo dixi modo oppreſſit derepentè. Videlicet ita ferè fit: deſignantur facilíùs crimina, quàm expiantur: & quæ perperàm contrà ius fáſque perpetraueris, ea plerunque eluendi, vt adſit voluntas, facultas tamen omnis eripitur. Corpus cum aliquâ pompâ militari, Dauidis iuſſu ſepultum Canadenſes poſtmodùm erutum refoſſúmque, & per extremam ignominiam diſcerptum canibus obiecerunt, dignâ proditionis mercede.

ALTER proiectiſſimâ audaciâ æquè & libidine, incredibi-

ANNVS MDCXXIX

lem viro pio humanóque dolorem inuſſit, dum per indigniſſimum flagitium virgines illas duas Canadenſes, ipſi, vt antè expoſuimus, à parentibus, qui nec ſe, nec illas alere per infeſtiſſimam hyemem poterant, oblatas eripuit. Eas ſemper in filiarum loco Camplenius habuerat, & liberaliter ad Galliæ mores inſtitutáque formauerat. Ac quanquam à Ludouico Kerſio caput illud pactionis antiquatum erat, tamen ab eo poſtmodùm coràm impetrauerat, ſecum vt ambæ in Galliam irent: eò, vtramque cum eius bonâ veniâ abduxerat. Nec abnuebat Thalaſſiarches primùm, iámque eæ ſortem ſibi ſuam gratulabantur: cùm ecce tibi Kebecco, quò paulò antè iuſſus perrexerat, ad Thalaſſiarchen ſcribit Marſoletus: Canadenſes aliquot ex conuentu ad Trifluuium recens habito, omnium nomine renunciaſſe; nullo modo ſinendum videri puellas illas in Galliam à Camplenio deportari, quando Gallica ditio nulla deinceps ijs locis eſſet. Enixè ipſos ab Thalaſſiarche poſtulare, omninò eas pro poteſtate retineat; ni faxit, rem Anglicam ijs in oris labaſcere: & ex Anglis Kebecci tutò futurum neminem. Se quidem, ſi quid, vt metuebat, ingruiſſet, culpâ vacaturum, qui impendens malum, & antè denunciauerit, & quâ ratione declinari poſſet, aperuerit. Certè, ſi quid ſibi credendum putet, puellas illicò è Camplenij manibus retractas, Kebeccum remiſſurum. Has literas Thalaſſiarches ſub epulas Camplenio cùm tradidiſſet, intellexit is continuò eam ſtropham ſine dubio à Marſoleto adornari; quippe iam increbuerat, cum earum adultiore (Spem nomen interim Camplenius fecerat, altera Charitas ab eo appellata) peſſimum corruptorem precibus pollicitationibúſque egiſſe, ſecum vt eſſe vellet potiùs, quàm Camplenium ſequeretur: cuncta ſe largè atque abundè ſuppeditaturum. Quæ cùm forti conſtantíque neglectu virgo reieciſſet, etiam apud ſuos populares de eâ indignitate queſta erat: hæc, inquam, cùm emanaſſent, non dubitabat Camplenius, quin fœdiſſimæ cupiditati, vtilitates publicas nequiſſimus prædo per vafritiem obtenderet. Ergo hunc in modùm apud Thalaſſiarchen egit. *Quod ipſas Marſoleti literas perlegendas mihi vltrò tradidiſti, humanitatis id tuæ fuit, iamdiu à me perſpectæ & exploratæ. Ac ſi vera quidem afferret, næ ego inurbanus eſſem, qui mi-*

Marſoletus a ter transfug per indigniſſ mum flagiti virgines dua Canadenſes Camplenio eripit.

ANNVS MDCXXIX.

hì vt ſatisfacerem, incommodare vobis non vererer, ſed hoc mihi credas, precor, Kerſi! commentum id profectò eſt, ab intemperanti Marſoleto flagitiosè confictum atque excogitatum, vt ingenuas caſtáſque virgines ad turpitudinem, quod iam nec ſemel tentauit, pelliciat. Ego eas à parentibus non per vim extorſi, ſed obtruſas difficillimo tempore, ex Chriſtianâ charitate excepi, aluíque: eâ lege, vt de illis ſtatuerem, quod æquum bonum videretur, &, quod nominatim caui, in libertatem filiorum Dei per ſacrum Baptiſmum aſſertas, ad illius ſupremi Nūminis cultum ac venerationem noſtro more, modóque informarem. Ex eo tempore (biennium totum intercurrit) nullâ in re ipſis defui: victum veſtitúmque pro noſtrâ tenuitatè benignè ſuppeditaui: tanquam filias ingenuè liberalitérque habui: quî tandem eripi mihi nunc ſine iniuriâ poſſint? Nam, quod ait Marſoletus, de ÿs in conuentu ad Triſluuium recens habito, ità conſtitutum eſſe, vt ne aliò excedere ſinantur; illud, pace tuâ, Kerſi! dixerim, à veo prorsùs abeſt. Nec alium huius rei teſtem appello, quàm teipſum. Nuper dum Kebecci verſarer (eò paulò antè, Dauid cuncta luſtraturus adierat) ſcio, ſeriò ac diligenter percontanti tibi, grauitérne ferret ea gens, puellas à me abduci, à Dieppenſi Algonquiniorum interprete, ex quo iſta quærebas, confirmatum eſſe, non modò non inuitis ÿs, ſed etiam gratulantibus ſibi parentibus, eas mihi relinqui: ſcio Colartium (Heberti is gener erat) cùm illud ipſum ſciſcitareris, aſſeueraſſe, nihil hinc prorsùs turbarum extiturum: ac ſi quid periculi foret, ſe vnum omnium minimè diſſimulaturum, cuius maximè interſit, quando inter infeſtos illos hoſtes, quos Marſoletus fingit, ſit ſubſtiturus. Hæc cùm ita habere, res loquatur ipſa, cúmque flagitioſiſſimus veterator aliud ſequatur nihil, niſi vt deſtitutas virgines perditum eat; Per ego te ſupremi Numinis reuerentiam obteſtor, Kerſi! vt miſeris & derelictis puellis conſuli à me ſinas. Eſt profectò Deus factorum noſtrorum conſiliorúmque teſtis, & vindex: is, ſi quid eius causâ piè feceris, abundè olim rependet.

EXACERBAVIT hominem ea oratio, non flexit: è-veſtigio conſurrexit à menſâ, vt quidem videbatur, iratior: ſed non diu æſtus ille tenuit: vt aſſueuerat, ità paulò poſt familiariter agere perrexit cum Camplenio. At is, ne quid intentatum relinqueret, Thomam ipſum apud fratrem interpoſuit, ſed fruſtrà. Quæ vbi virgines cognouere, dolore affectæ vix conſolabili, nec ſomnum capere, & cibos ex lan-

guore reſpuere, Thalaſſiarchæ obſtinatius propoſitum grauiùs incuſantes, à quo non ſinerentur egregiâ in ſe Camplenij voluntate vti. Lubet hîc ex eiuſdem Camplenij commentarijs, Chriſtianæ Amazonis ad Marſoletum orationem penè ad verbum attexere: quò & intelligant omnes, Canadenſes, ſi adſit inſtitutio, Europæis nec ingenij bonitate, nec conſtantiâ cedere; & extet nobile trophæum pudicitiæ in virginibus necdum ſacro Baptiſmo initiatis. Ergo earum adultior, annos nata circiter ſeptemdecim, tempus nacta opportunum, cùm aliquot poſt diebus Kebecco reuerſus Marſoletus Thalaſſiarchæ adſtaret, cum nauium Præfectis epulanti, coenaculum ingreſſa cum lacrimis gemitúque, nequiſſimum flagitij architectum hunc in modum coràm appellat. *Continere*, inquit, *me ipſa nequeo, quin in te ſtomachum erumpam.* Quid rei eſt? infit Marſoletus. Tum illa: *Publice*, inquit, *ac palàm compellare te volo, quò, & omnes exaudiant, & quotquot Canadicè ſciunt, te deinceps execrentur. Compertum, exploratúmque eſt omnibus mendaciſſimum te eſſe, & verſutâ arte atque ſubdolâ, nunquam ea proloqui quæ oporteat, quæque mandata ſint, ſed quæ fingas, atque comminiſcaris, obtendere. Téne auſum eſſe ementiri quæ à populariбus meis non modò non dicta ſint, ſed ne cogitata quidem vnquam? Sed minirum tametſi impudentiſſimus es, puduit te tamen id quod res erat, profiteri. Inficiare, nequiſſime! inficiare ſi audes, me à te ſæpius de flagitio interpellatam: nega cuncta à te mihi promiſſa affatim; oblatam pecuniam, quæque in arcâ haberes, obtruſa omnia, dum aſſentirer. An non eò vſque prorupit effrænis tua libido, vt me turpiter attrectare tentaueris. Sed te reiecci videlicet, pro eo ac pudor pudicitiáque præſcribebat, interminata prætereà, ſi pergeres, me de vi expoſtulaturam. Hícque demum exanguis & perturbatus abceſſiſti, illud vnum infrendens, pertinaciorem eſſe me, aliquando expugnatum iri conſtantiam meam: non ſemper me futuram Tadoſſaci, Kebeccum certò redituram. Et ego te æquis oculis intueri queam, impuriſſimum caput! tu ſic habeto, quanquam fœmina ſum imbellis, tamen ſi vnquàm eo animo ad me propiùs acceſſeris, ferrum in contaminatiſſimo pectore defixuram, vel ſi mors obeunda ſit illicò. Ceterùm, canes ipſi humanitatis ſenſu te ſuperant; etenim ij ab illis diuelli nequeunt, à quibus aluntur: tu eos oppugnas à quibus educatus es, ac populares tuos Anglis prodis. Nec te furiarum ſtimuli*

ANNVS MDCXXIX.

ANNVS MDCXXIX.

exagitant, qui auro patriam vendidiſti & quaſi nefariâ in patriam tuam molitione, audacia illa tua, atque crudelitas nondum expleta ſit, eodem exitio miſeras inuoluere conaris ſcilicet, & à cultu ſupremi Numinis retrahis, cuius metum abieciſti. Ille ille tamen impiorum vltor Deus ſine dubio conſceleratam vitam noxio eripiet, ſi, vt credere me populares tui docuerunt, debitas criminibus poenas rependit.

AD INOPINATAM euulgationem flagitij, támque acrem obiurgationem attonitus impurus, ac vix ſui compos, hæc, inquit, egregie meditata affers. *Atqui*, ſubijcit virgo, *multò plura his adderem, ſi quæ mente concepta, incluſáque contineo, ſermone atque oratione perinde poſſem depromere.* Et hîc vberes lacrimæ ſingultúſque vocem penè intercluſerunt. Tùm ad alteram duodennem conuerſus Marſoletus; Tu verò, inquit, num quid addis. *Vnum illud*, ait, *quæ ab ſociâ audiſti, eadem à me tibi dicta puta: addo tamen, ſi cor tuum extrahere ex nefarijs viſceribus liceret, eam eſcam longè ſuauiorem mihi fore, quàm vllum eiborum eorum qui hîc proſtant.* Vtriúſque orationem demirati quidem magnopere quotquot aderant: non tamen Kerſius dimotus è ſententiâ. Ea duritas neſcires vtris plus doloris, virginibus-ne, an Camplenio attulerit. Ille, quod licebat vnum, vbi eas eripi ſibi vidit, eiulantes eâ maximè ſpe ſolatus eſt, Gallos breuî Kebeccum repetituros. Tum egit enixiſſimè cum Colartio, ipſas cum vxore ſuâ eſſe pateretur, famularum miniſteria obituras: id charitatis officium hoc gratius Deo fore, quò certiori in diſcrimine ſempiterna illarum felicitas futura eſſet, niſi ab eo ſuſciperentur. Nec verò ſe immemorem fore beneficij: ſicubi poſſet, pro virili gratificaturum. Ad hæc Colartius, eas ſe quandiu ſecum eſſe vellent, non in famularum, ſed in filiarum numero habiturum ſeriò aſſeuerauit. Ambas porrò in diſceſſu paternè hortatus eſt, ſtuderent pietati, meminiſſent pudoris, pudicítiæque, ac Deo iiderent. Altiſſima Domini Dei conſilia quis inueſtiget? neutra Baptiſmi deinde munere impertita: nam Spem quidem morbus poſteà popularis abſumpſit: Charitas externo homini nupta, apud Iroquios diem clauſit extremum. Fortè, vt Catechumenæ ambæ fuerant, nec ſacræ doctrinæ prorsùs rudes, pijs illis ſtudijs, tantáque conſtantiâ id aſſecutæ fuerint, vt

ANNVS MDCXXI

actum Contritionis (quem vocamus) exercerent, antequàm morte defungerentur. Verùm manet lis ſub ſupremo Iudice.

INTER HÆC adornabatur profectio: rebus omnibus Kebecci ab Anglo compoſitis, deportatíſque Tadoſſacum tùm Præſidiarijs tùm Patribus Recollectis, Ieſuitíſque, in iis Brebeufio, qui commodùm paulò antè ex Huronibus redierat; vela facta ſub incuntem Octobrem, non ſine Kerſij ſollicitudine metúque, ne in Razillium incideret: nunciatum enim à Canadenſibus erat, ad Gaſpeïum naues decem ab omni militari apparatu inſtructiſſimas Angli tranſitum opperiri; ſed indices vel fallebantur vel fallebant. Nulla tum nauis Gallica eâ in orâ verſabatur: neque plures profectæ erant, quàm quatuor quas diximus: & ſeriùs quidem, quæ certiſſima cauſa exitij fuit, vel quod tempori Camplenio ſubuentum non eſt: vel quod per ventos eâ ferè tempeſtate aduerſos ac reflantes, in ſinum fluminis S. Laurentij penetrare non licuit, quod præ ceteris tentauit Noyrotius, Actuarium ipſe ſuum ductans, quippe qui nihil dum certi de dedito Kebecco comperiſſet; in eáque obſcuritate, & dubitatione accedere peroptaret quam-proximè, ſubſidijs Camplenio, ſi integra res eſſet, quamprimùm ſubminiſtrandis. E reliquis tribus, vna minor in Galliam feliciter repulſa, ad oram Armoricæ: altera Hiſpaniam versùs reiecta, leucas retrò circiter ſeptingentas: tertia, quæ Danielis viri fortiſſimi fuit, per caliginoſam nebulam diuulſa ab alijs, ad extremum Auguſtum, ad Ciboïum fluuium flexit, vbi comperto Stuartium quendam Scotum nauibus maioribus duabus, ac militari dromone eam plagã populari, Gallóſque moruarum piſcatione arcere (piſcis eſt notiſſimus, qui ſalis egregiè patiens, annum totum ad tenuiorum maximè cibum aſſeruatur) niſi decimam partem prouentûs, vectigalis nomine penderent; Daniel indignum ratus Gallos vbique ab Anglis oppugnari, ad Portum Cetorum rectà, vbi Scotus latrociniorum ſuorum ſedem fixerat, cum ſuorum expeditiſſimis progreſſus, bipertitò agmine derepentè præſidium oppugnat, expugnatque: captis Anglis, ac Britannico vexillo deiecto, quòd ea ſtatio hoſtilibus excurſionibus impediendis idonea imprimis viſa, locum nouis operibus communire conſtituit. Atque ea eſt Inſula, *Armorici Promontorij*, in quâ annos deinde plures ex interuallo, aliquot è

Danielis Gal viri fortiſſim preclarum fa cinus.

ANNVS MDCXXIX.

Societate IESV verſati, quâ Gallorum mentibus procurandis, quà promouendæ Barbarorum ad Deum Chriſtúmque conuerſioni. Initium dedit Bartholomæus Vimontius, is qui aliquandiu pòſt, Canadenſibus Domicilijs omnibus IESV ſuperior præfuit, quem tunc ſuâ in naue habebat Daniel; in alias diſperſi ceteri erant.

Noyrotij Sociorúmque naufragium.

NOYROTII porrò Actuarium (iam enim nos ad ſe lamentabilis caſus vocat) dum eâ quâ dixi de causâ littus legit, in latentes cautes vi ventorum impactum naufragium fecit. Ad X. Cal. Septemb. ſub veſpertinum crepuſculum tranquillo pelago cælóque, eminùs tuentibus aperuere ſe ſe terræ. Accedere propiùs per noctem, cùm tutum minus videretur, paulatim in altum versâ prorâ; ſub auroram deinde poſtridie terras versùs curſum reflectere placuit: cùm repentè tertiâ circiter horâ pòſt ſolis exortum denſiſſima ſuperfuſa caligo proſpectum prorsùs omnem trepidis eripuit. Acceſſit Vulturnus vehementior: cuius pertinaciâ cùm ad terras nauis raperetur, ſic, vt nullâ remigum contentione inhiberi curſus poſſet, Nauarchus ipſe cunctis denunciat, nî venti violentia remitteret, conclamatam ſalutem eſſe. Sed non modò non poſuit, verumetiam intendit ſe in horas, tantáque vi ad littus impellere nauem perrexit, vt cùm nihil ſedula nautarum diligentia efficeret, ad mortem ſe quiſque ſalutari peccatorum confeſſione comparauerit. Vni nauicularij tantiſper diſtulere, donec ſub proximæ noctis initium fragorem ipſi auribus excepere Actuarij, ad ſaxa impetu alliſi: tunc enim pro ſe quiſque aliorum inſtitêre veſtigijs: & quando ſpes vitæ mortalis nulla deinceps ſupererat, ad immortalem vota ſtudiáque conuertunt. Erant omninò in Actuario quatuor & viginti, partim nautæ, partim vectores, in ijs è Societate IESV Sacerdotes tres, Carolus Lalemantius, qui relictâ Prætoriâ, ad Noyrotium ſe ſe adiunxerat, Alexander Veteripontius, Philibertus ipſe Noyrotius; Laïcus vnus, Ludouicus Malotius. Ac Lalemantius quidem de ſe ipſe prodidit, cùm conſtituiſſet fatale momentum in ipſo cubiculo vnà cum Ludouico præſtolari, euocatum ſe ad ſuprema tabulata ab vno aliquo: Noyrotius eſſe compertus eſt, qui extremam ſibi abſolutionem adhiberi flagitabat. Ergo aduolat quam-celerrimè, iuxtáque eum conſiſtit eo in nauis latere,

ANNVS MDCXXIX

tere, quod ab vndis magis extabat: Sacro peracto myſterio, cùm omnes ſimul denuo opem auguſtiſſimæ Deiparæ expoſcerent, ea ipſa pars nauis momento diſſiluit. Ac Noyrotius quidem hauſtus fluctibus eſt, in pijs piorum morientium vocibus, dum ſpiritum iamiámque efflandum ſummo Deo commendant: Lalemantius inter trabales aſſeres quatuor è nauis compage, hinc inde à pectore & à tergo interceptus, haud dubiè interclusâ animâ confeſtim interijſſet, niſi fluctus ſubſequens molem eam diſieciſſet continuò, vnde ipſe ſemianimus expeditus, impetu naturæ potiùs quàm certo conſilio, brachijs in incertum expanſis, ſubiectum caſu aſſerem, collectis vtcúnque viribus prehendit, totum ſe ſe dein vndarum agitationi permittens. Malotius Noyrotij vel in morte comes, merſus itidem eſt. Veteripontius vt euaſerit, ne ipſe quidem ſatis vnquam intelligere potuit. Ita arcanâ Dei prouidentiâ eo naufragio è Ieſuitis abſumpti duo, ſeruati totidem: ex alijs, vorticibus hauſti duodecim, enatarunt octo. Et nauicularij quidem vt valentiores erant, eóſque ad caſus comparati; paulò faciliùs littus tenuerunt, quà vis ventorum agebat. Lalemantius poſtquam horam ipſam ſurſùm deorsùm vltrò citroque fluitauerat, & in momenta ſingula vndis obrutus, per obſcuriſſimæ noctis tenebras, quæ horrorem intendebant, mortem continenter expectauerat, animaduertit derepentè ſe in dumis ſenticetíſque verſari: tum oculos, vt licuit hac illac per denſam caliginem circumferens, videt quínque ſex-ve iam in terram eiectos: ipſe, quæ erat proſtratarum virium imbecillitas, hortantibus licet alijs, atque excitantibus, ægrè emerſit, crure ad rupem vehementer alliſo. Vt in malis tamen, ſolatium ingens attulit Veteripontij aſpectus: is paulò firmiori corpore, Lalemantij debilitatem opportunè ſuſtentauit, ac ſecundùm preces ab omnibus, gratijs Deo agendis è genibus conceptas, vix pedibus conſiſtentem ſuis, propinquam in ſiluam abduxit. Huc cuncti gratulationem inter, ſolicitudinémque ſuſpenſi conuenere: pro tecto cælum, pro culcitrâ, humus, pro ceruicali, arbor cuíque fuit, & in veſte ſcilicet madenti. Ita omni humano ſolatio fomentóque deſtituti, in triſti quíſque proprij periculi imagine, miſeratione eorum quos interijſſe cognôrant, aliorum, ſi qui fortè ſuperſtites

E Ieſuitis Noyrotius Malotiusque fluctibus hauſti, Lalemantius & Veteripontius ſeruati.

ANNVS MDCXXIX.

essent, desiderio, alij alijs appliciti noctem exegere. Vbi primùm diluxit, explorare circà, locum, Insula ne esset, an continens! Et breui quidem agnouere, modicam Insulam esse, è quâ, recedente maris æstu, transitus per vadum in continentem pateret. Reperti item è decem tres, ad alios se adiunxere: tùm cuncti captare sedulò, si quid esculentum è naufragij reliquijs ad littus ejceretur. Nec defuit diuina prouidentia: vini cadi quínque primùm obiecti, mox in obseratâ capsulâ, oleum, acetum, ac temerè deinceps, casei formæ aliquot, suillum pingue, panis nauticus, at vndâ salsâ perfusus: tum, simul cucurbitula tormentario puluere referta, nec humenti, simul catapulta, cuius ex silice elicitus ignis confestim, quo subsidio nihil tunc opportunius.

Noyrotij Malotúque exequiæ.

MISERABILI item spectaculo proiecta eam ad oram corpora Noyrotij Malotiíque ac duorum Noyrotij nepotum, ex fratre sorore-ve: quasi pij manes tumulum à superstitibus, iustáque funebria reposcerent. Ergo ante omnia, iniecta cunctis gleba, à complorantibus comprecantibúsque vt benè & feliciter seiunctis mentibus in alterâ vitâ eueniret: quod sperandum vtique tùm de alijs, quando extremo tempore noxas sacrâ pœnitentiâ eluerant: tùm maximè de eximiâ vtriúsque Iesuitæ virtute. Noyrotius inde vsque ab religiosæ vitæ primordijs, egregium præ se tulerat studium absolutissimi officij. Burgundio erat, Augustodunensis Diœcesis, annos natus, dum Societatem inijt, quínque & viginti. Vix tyrocinij statuta spatia decurrerat, cùm Biturigas missus, necdum Sacerdos, studio tamen rudes iuuandi, alteri se adiunxit, nondum item sacris ordinibus initiato, cum eóque excurrit constanter annos plus quatuor, Dominicis festíque diebus, in vicinos circà pagos, ad tradenda pueris, iuxtà, grandioribúsque pecus pascentibus, ea quæ scitu factúque ad vitam beatam maximè necessaria sunt Solenne ijs erat, penè ieiunos dies huiuscemodi traducere: sub meridiem dumtaxat ad fontis marginem panis frustulum mandebant, at cum exultatione cordis, ponendo iam tum, vt aiebant, tyrocinio asperioris vitæ illius, quã apud Barbaros actur olim essent. Et ad institutionem opiliunculos ità cicurauerãt, vt certis locis concionem ipsi vltrò cogerent ad ea audienda, quæ de Christianæ doctrinæ præcipuis capitibus, de modo ritú-

Eorumdem virtutes eximiæ.

que Dei manè ac veſperè adorandi, rogandíque, de ſacrâ tùm homologeſi, tùm ſynaxi faciendâ proponerentur. De illo eodem hæc inſuper ab vno aliquo ipſius perfamiliari prodita ſunt. P. Philibertus Noyrotius, paucis ijs annis quibus in Societate vixit, ſingularis charitatis Dei proximíque, perpetua documenta edidit ſanè illuſtria. Ad vtramque explicandam, dotibus tribus prædítus fuit, ſanè appoſitis, animo magno celſóque, ad ardua quæſlibet ſuſcipienda, quæ modò gloriam Domini Dei promouerent, augeréntque; laborum, rerúmque aſperarum patientiâ planè inuictâ, prudentiâ, dexteritatéque ſingulari, ad ea quæ animo conſilióque complexus eſſet, perficienda. Accedebat hinc fortiſſima deſpicientia ſui, illinc Dei fiducia, & pietas: ardor tantus, támque aſſiduus, vt quocúnque tandem occupationum æſtu iactaretur, in precatione tanquam in tranquilliſſimo portu ſemper conquieſceret: atque adeò nunquam quidquam imminueret de præſcripto orandi tempore, deſtinata ſpatia anteuertere ſolitus, ſi quando ea ſibi iuſtâ aliquâ & neceſſariâ de causâ præreptum iri præuidebat. Ceterùm, quaſi tanto antè quid ſe futurum eſſet præſagiret, amnes in itineribus perſtudiosè declinabat, etiam compendij, aut omninò viæ facilioris opportunitate oblatâ; ſciſcitantíque cuidam, cur tandem cùm ſcapha præſto eſſet, eâ commoditate vti nollet? hæc, inquit, vita non fluuijs, ſed mari debetur. Malotius autem Lotharingus è Tullenſi Diœceſi, annos in Socitate quindecim ſic exegerat, vt iam multarum palmarum athleta difficilem illam, durámque prouinciam appetijſſet, vitæ contemptor egregius, dum peſtilentiâ contactis pluries adeſt. Aurificinam callebat apprimè, ſcalprum autem adhibebat tàm peritè, vt omnes eo in genere facilè ſuperaret. Extant totâ Galliâ in pleriſque Societatis Domibus, typi ex ferro, quorum impreſſione tùm Epiſtolæ, tum literæ viatoriæ, alíæque à Superioribus obſignantur, ab eo elegantiſſimè elaborati: quam ad peritiam cùm multiplex vſus affinium opificiorum, miniſteriorúmque omnium, quæ factitare Laïci in Societate ſolent, &, quod caput eſt, eximia religioſarum virtutum abſolutio acceſſiſſet; neminis vnius opera ijs quidem locis vtilior opportunior-ve futura fuiſſe meritò putabatur. Sed ſummo rerum omnium adminiſtratori

ANNVS MDCXXI

ANNVS MDCXXIX.

aliter visum. Illud habuit in morte solatij, quod Nauarchum, hominem Caluinistam, vel modestissimæ vitæ exemplis, vel assiduis hortationibus, ad eiurandam hæresim adduxit: atque adeò viam illi, qui singularis amicitiæ fructus est, quantùm quidem augurari possumus, ad felicitatem muniuit.

VT AD naufragos redeamus, quoniam quæritandi pelago Galli erant, à quibus exciperentur, quod vnum perfugium nisi adesset, ex aquâ emersis, fame intereundum prorsùs erat; ad nauigium qualecunque ex Actuarij fragmentis fabricandum studia curámque pari omnes consensu conuertunt. Et iam quarto die opus processerat, cùm haud procul lembum conspiciunt, ad se, quod maximè optabant, cursum flectentem: verùm nautæ vbi collectos in littore plures vident, vim insidiasve veriti, refugere quam celerrimè. Nostris è naufragis nauicularius quidam id quod erat suspicatus, eos metu recedere; cum nemine communicato consilio, ad proiectiorem crepidinem solus accurrit, quà transituros intelligebat; tum metu fugientes appellans, reuocat ad se tandem, ab vno nihil existere posse periculi confisos: collocutúsque cominùs, suam cæterorúmque calamitatem exponit. Cantabri erant, Gallicæ linguæ rudes illi quidem, at perhumani: etenim cum ex loquentis ore vultúque naufragium factum intelligerent, nec satis cetera assequerentur, exceptum nauicularium ad Nauarchum deducunt, Cantabrum illum peræquè, at Gallici idiomatis peritum. Is cognito infortunio Gallorum, lembum ipse conscendit continuò, ad eósque aduolat: ac oculis casum contemplatus iuxtà, animóque miseratus, benignè significat, vbi primùm sui à piscatione redijssent, ad eos relaturum de re totâ, suasurúmque vti omnes in nauem acceptos velint: intereà abducturum se Sacerdotes Iesuitas duos. Ea humanitas omnium animos erexit, recreauítque: Iesuitæ nominatim pro eo sui studio prolixissimas gratias egerunt: ne tamen reliqui deseri se se putarent, institerunt, eius vt cum bonâ veniâ alterutri remanere fas esset: quam cautionem is magnoperè probauit, commendauítque. Ita Veteripontius substitit: Carolus Lalemantius, vt pote imbecillior, totúsque à iactatione contusus, cum Nauarcho profectus tàm diligenter eorum quos relinquebat, causam egit, vt postridie cuncti in nauem

ANNVS MDCXXI

acciti ſint. Ibi dum diſceſſum opperiuntur (nondum enim piſcandi tempus effluxerat) audijt Veteripontius ex indigenâ, viro humaniore quàm ferret illa vulgaris barbaries, de nouâ Colonia ad Promontorium Armoricum, vbi cum alijs Bartholomæus Vimontius relictus eſſet à Daniele in Galliam redeunte: vtque incredibili flagrabat cupiditate cum Barbaris hyemandi, enixè flagitauit à Lalemantio Superiore, eò ſibi pergere vt liceret cum illo eodem indigenâ, qui ſe ducem itineris perlubenter fore profitebatur. Annuit Lalemantius, tùm vt Veteripontij ardori ſatisfaceret, tùm vt Vimontio ſocium adderet, non mediocri vtique leuamento futurum. Nec defuit vbi ambo præclaram illam de omnibus benè merendi voluntatem occuparent, ſeu Gallos ſpectes, ſeu Barbaros. Illi in peſtilenti lue, quæ pleroſque omnes ſtrauit, plures abſtulit, inſignem vtriuſque charitatem experti ſunt, dum & corpora aſſiduâ ſolicitudine curant, fouéntque, & mentem præcipuè ad Chriſtianum conſtantémque è vitâ mortali exitum comparant, vt qui reualuere, dictitarent palàm, ferre ſe quodammodò ægriùs, quod non tunc moriendi neceſſitati ſatisfeciſſent. Singulare profectò vel conſtantiæ in ægrotis, vel in animorum Medicis peritiæ documentum. A Barbaris autem, in eorum familiaritatem ſe ſe, quoad quidem per ſermonis vernaculi imperitiam licuit, inſinuando, & munuſculis feritatem expugnando, illud euicerunt, vt filiolos, quorum de vitâ conclamatum eſſet, ſacris aquis tingi ad ſempiternam ſalutem paterentur. In his maximè curis hyems exacta: æſtate dein proximâ, vtrumque vocauit in Galliam Franciæ Prouincialis: quod quandiu S. Laurentij flumen ab Anglis teneretur, vix videretur quidquam ijs locis ad animarum ſalutem expediri poſſe. Lalemantius autem, piſcandi euoluto tempore cum redeuntibus Cantabris pridie Cal. Octob. profectus, quaſi Tartarus totus in eum coniuraſſet, naufragium denuò ad oram Cantabriæ in ipſo penè portu fecit. Fœdiſſimis conflictati tempeſtatibus, poſt dies demùm quadraginta cùm paſſis velis in portum, haud procul à S. Sebaſtiani Hiſpanorum oppido inueheretur, alliſa ad ſaxa nauis momento diffringitur. Vectores nautáſque ad vnum omnes, complures ſcaphæ aduolantes illicò vt adulta dies erat, in tutum recepere: cetera perie-

Alterum Lalemantij naufragium ad oram Cantabriæ.

ANNVS MDCXXIX.

runt prorsùs. Lalemantius in nocturno capitis tegmine, crepidatus ad Collegium Societatis cùm diuertiſſet, vix pro Ieſuitâ agnitus, recreatus vtcunque, tandem ſub medium Nouembrem ad prædium peruenit Collegij Burdigalenſis, leucâ vnâ à ciuitate, quà in Hiſpaniam iter eſt: hícque demùm ærumnarum terminus fuit: quippe & perhumaniter exceptus, & quacunque re eguit, in iter liberaliſſimè inſtructus, Lutetiam deinde, vbi commodum viſum eſt, inſigni omnium gratulatione ſe recepit: cùm iam reliqui è Societate, qui cum Dauide erant, ex Anglià, reuecti eſſent in Galliam.

PORRO' Camplenius rectà deportatus eſt à Kerſijs in maiorem Britanniam, nec inuitè: videbat enim, ſi, vt euenit, facultas daretur agendi Londini coràm, cum Chriſtianiſſimi Regis Legato, quem poſt conſtitutam pacem, eò vtique miſſum ſuſpicabatur; non parùm momenti habituram orationem ſuam ad repetitionem Kebecci, quæ omitti profectò nequaquàm poſſet, quando quo tempore à Kerſijs Arx occupata eſt, pax iam vtrinque coaluerat, quidquid vafri fratres diſſimularent. Sed quoniam res in annum tertium extracta eſt, vt reddet ſequens liber, nos intereà, dum hæc vltrò citróque agitantur, ad Naturalem Hiſtoriam deſcendamus locorum hominúmque: quam partem à me in operis veſtibulo requiri ab vnoquóque legentium facilè intelligo.

Noue Francia deſcriptio.

NOVÆ FRANCIÆ nomen immenſos illos tractus deſignat Americæ, quà ad Septentriones obuertitur, à Floridâ vſque, hoc eſt à gradu ſecundo & triceſimo, ad Circulum Polarem, in latum; in longum, ab Inſulâ *Terræ-Nouæ*, quam vocant, ad Magnum Lacum, vulgò *Mare dulce*, & vltrà: qui ambitus vtrinque maior eſt, quàm tota vetus Francia pateat. Huius partes, & quaſi Prouinciæ, *Acadia*, *Soricij*, *Norembegia*, *Labrador*, &, quæ vox vulgatior, *Canada*, non tàm certi cuiuſpiam loci nomen, quàm plagarum earum, quæ vtrinque ripis adiacent ampliſſimi fluminis illius, cui à S. Laurentio Galli appellationem fecere, communis nomenclatura. Quæ Inſula prima terrarum illuc è Gallià tendentibus occurrit, *Nouæ-Terræ* dicta, leucas minimum octingentas à nobis diſſita, latitudinem ferè obtinet eandem, quam Pictones atque Armorici. Eius ora ad Meridiem omninò raden-

TABVLA NOVÆ FRANCIÆ

Anno

1660.

PARS CHOROGRAPHIA REGIONIS HVRONVM. hodie desertæ

Lacus Huronum

Lacus Ouentaronius

SINVS HVDSONIVS.

SINVS IAMETIVS.

SINVS KILISTONVM.

KILISTONES Alimibegbecii.

LACVS SVPERIOR

MARE DVLCE seu LACVS HVRONVM

LACVS ERIVS seu FELIS

GENS NEVTRA

LACVS ONTARIVS seu S. Ludouici

ATIKAMEGVII seu Candidi pisces.

NATIO-FELIVM

NIPISIRINII

TABITIGBECII

KILISTONES

TONES OVKOVNGOVECHONECII.

ONTONAERONNII

ONDIERONNII

ONONTAERONNII

OIONENII

ATIKAMEGVII

ETECHEMINII

ABNAQVIOII.

OVPAPINACHOVETI.

OVMIOVCHI.

KAKOVCHAQVI.

NATIO ESQVIMAVXIORVM.

BERSIAMITÆ

FLVVIVS ET ÆSTVARIVM S. LAURENTII.

SORICOI.

ACADIA.

NOVA ANGLIA

NOVA HOLLANDIA

NOVA BRITANNIA

SINVS S. LAURENTII.

TERRÆ NOVÆ.

ORA CORREALIS.

Sinus Gansius.

Sinus Hollandicus.

Sinus Siluestris.

Sinus Arauisicanus.

Magnus sinus.

Insula arenaria.

SIRTIS MAGNA.

PARS

pag. 46.

ANNVS MDCXXIX.

da Kebeccum porrò pergentibus : ea eſt in Nouâ Franciâ ſedes Gallorum primaria, ad Borealem ripam nobilis fluminis. Tractum illum leucarum octoginta emenſis, aperit ſe ſe continuò ſinus, an gurges? Latus leucas centum & quinquaginta; ſeptuaginta longitudo colligit, ab occiduâ Inſulæ crepidine, Gaſpeium vſque, vbi primùm fluuij latitudo ità contrahitur, vt leucas tamen ſeptem & triginta pateat Hinc ad Tadoſſacum (nauium maiorum ſtatio tunc erat: neque enim ijs temporibus illæ vltrà, Kebeccum verſùs prouehebantur; pòſt, Kebeccum vſque auſæ progredi) ſurſùm verſùs numerantur leucæ nonaginta: hícque adhuc fluuius leucas ſex in latum ſe porrigit. Tadoſſaco Kebeccum leucas circiter quadraginta diſtat. Quantum quidem ex Lunæ maximè defectionibus vtrobique putatis deprehendi potuit, Sol veteri Galliæ quatuor quinque-ve horis citiùs oritur, ex quo de regionis longitudine ſtatui facilè poſſit: latitudo eadem quæ Galliæ interioris, graduum ſex & quadraginta cum dimidiato. Híncque Nouæ-Franciæ appellatio: prætèrquàm quòd enim Galli omnium primi eò adiere, eidem inſuper cœlo in latum ſubiacet, ita dumtaxat vt in Meridiem, Septentrionéſque magis protendatur. Ac quanquam bimeſtre ferè iter eſt, non tamen ire & redire ſæpiùs vno eodémque anno licet. Prohibet infeſta frigorum vis, & concretum in montes gelu per maria, vix ad ineuntem Iunium liqueſcens. Nec ſemel eo menſe nauibus extremum periculum conflauerunt eæ moles, ad triginta quadragintá-ve leucas vulgò, nonnunquam ad ſexaginta, &, quod fidem penè ſuperet, ad centum ipſas continuatæ. Aduentantium indicium, frigoris vis ſolito longè vehementior. Ita neque ante Aprilem inſtituitur profectio; & reuerſio ita tunc comparabatur, vt Gallicum littus ad ineuntem Octobrem naues tenerent: nunc diuturno vſu edoctæ, in procraſtinando nihil admodum eſſe periculi, quo tempore in Galliam aduenìebant, eo primùm ſoluunt Kebecco, nonnunquam poſt initum Nouembrem. Hîc porrò meritò quæritur à pleriſque, vnde tanta frigorum aſperitas diuturnitáſque, in regione conterminâ? Quibus ita ſatisfit, vt dicatur; Primùm, regionem lacubus fluuiiſque abundare, vnde pro aquarum copiâ vapores denſi, frigidíque exiſtant conti-

ANNVS MDCXXIX.

nenter. Deinde, quæ certior ratio, cùm non niſi per nemorum opacitatem, proceritatémque arborum Solis radios humus excipiat, nonniſi tardiſſimè tepefieri : maximè cùm aratro proſciſſa fuerit nunquam, vnde tanquam cruſta perpetua, & prædura ſcilicet, toti ſuperficiei circumfunditur. Accedit totâ penè hyeme aura perfrigida, cuius afflatu amnes lacúſque facillimè conglaciant: tum gelidi illi halitus vaporibus permixti, qui à Sole paluſtribus ijs locis copioſi excitantur, concreſcunt in niues, quæ vbi terram ſemel contexere, multos in menſes durantur ſcilicet, à Sole perdiu intactæ. Quòd ſi horrentes illæ ſiluæ exciſis arboribus colerentur, frequentarentúrque, & ex incolarum domicilijs exhalationes calidiores eædem, & ſicciores ob ignes perpetuos, ſurſùm ferrentur, & à Sole, tellus aperta longe ante caleſceret. Certè diuturno iam vſu comperere qui ijs in locis degunt, circà noualia priùs & niues liqueſcere, & nebulas euaneſcere, quàm in ſiluis; ex quo liquidò perſpicias, nihil quidquam ei ſolo ad bonitatem, niſi culturam deeſſe : quæ ſi adhiberetur, nec feliciùs vſquam in vetere Galliâ, nec certiore compendio tellus efferret. Argumento ſunt arbores plantæque cuiuſcúnque generis, quas edere terra ſponte ſolet, quercus, fagus, carpinus, populus, cedrus, pinus, abies, nux, morus, pyrus, pomus, prunus, corylus, labruſca, vuarum haud peſſimarum ferax, fraga: ſtirpes item multiplices, tùm ad vſus medicos, tùm alimentariæ; quæ tametſi cuncta ſilueſtre quiddam redolent, nihil tamen propterea de ſoli pretio bonitateve detrahitur: illud modò admonemus plagam nullam orbis terrarum eſſe, vbi Adami poſteri non id perſentiſcant quod tantò antè ab ſupremo criminum vindice denunciatum eſt, nullo loco quæ ad vitam tuendam neceſſaria eſſent ita parabilia fore, vt non ad telluris fertilitatem, artem, induſtriámque adiungere oporteret. Ceterùm optimi & feraciſſimi ſoli dotes reliquæ apprimè conueniunt, glebæ nigror, lentórque, & herbida paſſim luxuries, non nuſquam ad iuſtam humani corporis proceritatem; & riuorum fluminúmque frequentia, peropportuna non modò ad agrorum irrigationes, ſed etiam ad victum, ob piſcium omnis generis vim incredibilem, nunc horum, nunc illorum: ſic tamen, vt ſicut non vbique prorsùs eadem

Telluris feracitas.

eadem eſt telluris bonitas, id quod & in vetere quoque Galliâ experimur, & gens vnaquæque de natiuo ſolo confitetur; ita alijs interuallis ea copia maior ſit, alijs minor: ſemper verò illud maneat, piſcoſiſſimos eos amnes eſſe. Nihil de auri, argenti, metallorúmque aliorum fodinis attexam, nihil de lapidicinis: coniectura non vulgaris eſt; & ſcilicet vſu aliquo approbata, nihil huius generis ijs locis deſiderari. ANNVS MDCXXIX

NON MODÒ amnium huiuſce regionis longè maximus eſt, ſed etiam cum præcipuis totius orbis terrarum & aluei amplitudine, & continuatâ cursûs perennitate certat fluuius S. Laurentij. Leucas hucuſque quadringentas fontem versùs progreſſi Galli, Canadenſés-ve: necdum tamen vbi locorum oriatur, explorare ſatis potuerunt. Vulgò ferunt emanare ex immenſo *Lacu Huronum* ſeu *Mari dulci*, cuius ipſius ambitum leucas quingentas colligere perhibent, vnde præcipua huiuſce fluuij deriuatio, orientem Solem inter, & Septentriones. Vt verò ad eam plagam è Mari dulci erumpit amnis S. Laurentij, ſic ex eodem ſeu Mari, ſeu Lacu, Septentriones inter & occaſum deriuatur flumen aliud, vnde ad Sinicum pelagus perueniri poſſe dicitur. Quæ ſi ita habent, quanto tandem compendio illac ad Sinas Iaponéſque perueniretur, tàm procul à Galliâ remotos, ſi tritum iter perſequare. Hanc tantam opportunitatem interpolant *ſaltus*, quos Galli vocant, frequentes in alijs amnibus, per quos neceſſariò iter ad Hurones inſtituendum fuit, quandiu Iroquij, Gallici nominis æquè & Huronici hoſtes implacabiles fluuium S. Laurentij latrociniis cædibúſque infeſtum habuerunt. *Catadupa* veterum ſunt, ità perinde atque in Nilo flumine, aqua ex editioribus iugis præcipitat rupium, nec ſine horrido fragore, ſubiectas in voragines: vt illac néque deſcendere ſine præſentiſſimo diſcrimine, néque ſcandere vllo modo queas. Non tamen ij obices Barbaros rebus duris aſſuetos retardant, quo minùs cœptum iter perſequantur. Ad eos torrentes vbi deuentum eſt, nauigiola ipſi ſua (Canoas Bataui ſcriptores appellant: nos eâdem nomenclaturâ vtemur deinceps) imponunt humeris, nec grauiſſimâ ſarcinâ, quippe ex perleui cortice betulæ arboris. Onus reliquum, ſi quod eſt, inter ſe partiuntur, nautæ ijdem, & vectores, & baiuli: expeditíque

Fluuius S. Laurentij.

Catadupa.

ANNVS MDCXXIX.

per abrupta ſaxorum reptant (ea eſt corporum agilitas) ad vnam & alteram leucam nonnunquam; & quod magis mirere, per denſa hiſpidáque ſiluarum, quæ ripas non tàm decorant quàm obſident. Porrò pro ludentis naturæ miraculo haberi poſſit, quod ad eorum *Cataduporum* nonnulla, ex editiſſimis cautibus iuxtà, & tanquam arte ad libellam directò deorsùm exciſis, vnda tota fluminis tanto impetu ruit, vt ipſo in aëre ventilata, arcuatum in fornicem ſpargatur potiùs quàm decidat, ſic, vt infrà ſicco veſtigio tranſeuntes Barbari, per ludum rorantem vndulam alter alteri certatim inſpergant. Amnis vndis ſalem ſuum Oceanus admiſcet, leucas vſque infrà Kebeccum decem, ſuprà, ad quadraginta quotidianum æſtum propagat, ad *Lacum S. Petri* qui dicitur, hoc eſt ſinum fluminis ampliorem, leucas ſeptem longum, tres latum: cùm ad Kebeccum alueus in quartam leucæ Gallicæ partem contrahatur, aliàs vbique ad Catadupa vſque S. Ludouici diffuſior, hoc eſt, ad leucas vſque ſuprà Kebeccum ſexaginta.

Piſcium magna vis eſt varietas.

Piſcium in amnibus vis incredibilis: ſalmo, trutta, acſipenſer modi triplicis, aloſa, mulus prægrandis, rhombus ſquamarum expers, cyprinus, lucius, tinca, perca, teſtudo, lupus marinus, turſio albus: anguillarum annua quaſi ſeges (has ad fumum ſiccant in hyemem) totâ autem orâ pelagi prætereà, quouis ferè anni tempore obuia morua, immaniáque cete, Gallos ad quæſtuoſam piſcationem alliciunt. Ex hoc genere vnus eſt, de quo nihil proditum à veteribus Scriptoribus, fortè quod in ſolo Lacu Iroquiorum, nuſpiam prętereà reperiatur, Chaſſarŭ, gregalium ſuorum, hoc eſt piſcium reliquorum hoſtis ſanè atrox, denos quandóque pedes longus, octonos vulgò. Craſſities humani femoris craſſitiei penè par: forma eadem ferè quæ lucij: color leucophæus, vergens in candidum. Squamis horret totus, tàm duris, támque densè inter ſe compactis, vt ne pugione quidem tranſadigi queant; idcircò *Piſcem armatum* Galli nuncupauere. Capitis moles grandior, præ reliqui corporis gracilitate: roſtrum longum pedes duos & dimidiatum, eâdem ferè formâ quâ porcellorum: ordo dentium duplex, & acutiſſimorum quidem. Nec modò ingluuiem exſatiat ſuam cæde ſtragéque piſcium reliquorum, ſed etiam inſidiatur auibus. Eò occulit ſe ſe inter ripæ carecta,

Chaſſarŭ piſcis lucij ferè ſimilis.

Chabsard seu piscis armatus. pag. 50.




Fiber.

ANNVS MDCXXIX.

quâ denſiſſima ſunt: tum diducto roſtro, immotus manet tandiu, dum accedant volucres: eæ vbi primùm roſtro incautæ inſederunt, ſtipem ratæ, aut omninò innoxium quiddam; continuò perfidus adducto roſtro miſerarum pedes ità ſtringit, vt nequidquam reluctantes trahat ſecum in gurgitem, omni denceps erepto effugio. Ceterùm, permagni fit Chaʒſarʒ ab indigenis, hoc nomine, quòd profitentur, atque adeò expertos ſe ſe aſſerunt, valere illius dentes ad dolorem quemlibet abigendum, ſi quâ parte ſæuit, ei dentis cuſpidem infigas, ſic, vt exiſtat cruor.

Inſigniores Regionis quadrupedes.

EAM piſcium infinitatem æquat in ſiluis quadrupedum copia. Quas animantes habent nemora noſtratia, eaſdem apud eos pleráſque reperias: accedunt complures, quibus caremus prorsùs, inſigniores: *Alce* longè celeberrima, *Magnam belluam* à corporis proceritate nonnulli dixerunt. Et tibijs eſt ſanè præaltis: caput mulari capiti quam-ſimillimum: moles eadem quæ boum: in crurum commiſſuras commodiſſimè ad paſtum ſomnúmque ſubſidit. Vel huius carnibus, vel Fibri, de quo mox, aluntur regionis incolæ aliquandiu: pelles non in veſtes modò cedunt, poſtquàm ab ijs ſunt non ineptè prorsùs villis ademptis variegatæ, & quaſi tæniolis exornatæ; ſed etiam mercaturam penè totam conficiunt, tùm inter eos, tùm cum externis: fruſtrà enim aurum argentum-ve ab ijs requiras, quibus gaza præter eas, & concham veneriam in globulos minutatim conciſam, nulla: atque adeò vt eorum quiſque maximè pellibus abundat, vel eiuſmodi globulis, ita cenſetur locupletiſſimus. Nec deſunt animantes aliæ, quarum pelles vel ad veſtitum adhibeant, vel alijs mercimonijs permutent, vrſi, lupi marini, lutræ, ex muſtellarum genere eæ quæ Martes dicuntur: adipémque, & neruos, & ipſa adeò viſcera, indidémque expreſſum oleum, ſcitè in varios vitæ vſus vertunt.

Alce.

Fiber anceps beſtia.

VTRARVM ANIMANTVM in numero, terrenarum-ne an aquatilium, collocandus ſit Fiber, haud ſatis liquet: aptiùs, ex eorum mente qui illius naturam diligentiùs inueſtigarunt, ex ancipitibus eſſe dicetur, quæ vtrâque in ſede viuant. Omninò & ſingulare quoddam munus eſt ijs regionibus à Deo tributum, cuius deinde vt participes eſſe poſſint, Nationes cetetæ tantoperè elaborant; & nullum vnum fortè animal eſt, cuius

ANNVS MDCXXIX.

Eius natura.

sit admirabilitas maior. Veruecis instar obtinet, è minoribus: color ferè castaneæ: pilus interior (etenim peculiare Canadicis est, vt & duplici pilo sint, & nonnulli ab niue albescant) villoso serico longè mollior: cauda à pilis nuda, striatur quasi in squamas, grato oculorum errore, tanquam in picturâ: néque enim si tentes, demere queas. Subnigra est, & attenuata, soleæ piscis in morem, pro animantis modo, maior minor-ve, absque flocculo. Pedes breuiores, & ad natandum apti, posteriores præsertim, per quos pellicula contextim protenditur, earum instar quæ & aquatilibus auibus, & marinis lupis insunt. Ligno, quis credat? vescitur, maximè certarum arborum. Casulam hyeme figit ad lacuum, fluminúmque crepidinem: figura, qualis clibanorum nostrorum supernè arcuata: materies, ligna, tanquàm cæmento ex glebâ pinguiore tàm firmè inter se colligatâ compactáque, vt ne glande quidem plumbeâ è sclopo labefactare opus possis: vix toto nisu, totáque virium contentione Canadenses effringunt. Habet ea casula contignationes complures: infimum tabulatum propter aquam, è transuersis lignis crassioribus, instratis desuper ramusculis ex abiete alia-ve arbore. Alia magis extant à flumine: in eísque traditur à nonnullis lignorum struem congerere, vnde hyeme se alat: negant tamen alij eò quidquam lignorum inferri, præter ea quæ ad ædificandum vsui sunt: vesci eum ijs ipsis ramusculis arborum vel quæ ad fluuiorum ripas assurgunt, vel quæ in vndis ipsis excrescunt. Illud certius, Fibrum Autumno excidere ingentem lignorum vim, partim in domunculam, partim in penum: hæc autem posteriora minimè inferre in casulam, sed proximè abdere, ipso in flumine lacu-ve, ad quem, hyemem acturus est: quæ ne enatent, ne-ve cum vndis conglacient, dum frigorum vis est inclementior, deprimere in imum gurgitem, ligno aliquo grauiore leuioribus superimposito: ad eúmque modum concretis licet fluminibus, tutò victitare, ex aquis quod videtur, quantúmque, impunè depromendo. Superiora igitur illa tabulata idcircò excitat, ab infimóque secernit, vt si quando intumescente alueo, inferiorem illam sedem deserere necesse sit, habeat quò se per varia fluuiorum incrementa, in tutum recipiat. Quo ipso tamen tempore identidem ex superioribus illis

contignationibus deſcendit ad infimam, hincque per meatus eam in rem conſultò excauatos, euadit in fluuium, ad alimenta ſcilicet auehenda. Dentes habent octo: ſuperiorum, inferiorúmque maiores duo, ſerrâ qualibet acutiores, rubicundiores ebore antiquo, ad digiti longitudinem: ijs ligna quæ diximus, excidunt: retuſos ex interuallo tanquàm cote exacuunt, alios alijs affricando, cum ſtrepitu, quem exaudire ſæpenumerò liceat. Quoniam autem vt cædendis lignis ſinguli, ſic comportandis præ corporum tenuitate eſſe pares nequeunt, mutuas operas inter ſe commodant, gregatímque per Autumnum in denſiores abditioréſque ſiluarum receſſus conueniunt, & aggeſtam ramorum ſtruem prægrandium, exportant paulatim, plures vni eidémque oneri ſuccedentes, perinde atque formicæ pro ſuo modulo, dum eundo redeundóque cuncta demùm extulerint. Quinetiam in vnum eundémque larem, paulò laxiorem ſcilicet, recipiunt ſe ſe nonnunquam plures, vt ità dicam, familiæ, mas videlicet ac femina cum ſuis ſeorsùm fœtibus, ad ſeptem quandóque, vulgò ad quínque ſex-ve. Sed mirabilius quod ſequitur: Si quando anguſtiâ loci premuntur nimiùm, ſic, vt alij alijs incommodent, ſunt qui abſcedant vltrò, conuaſéntque, & nouas ſedes inquirant ad aquarum fluenta. Ac ſi quem fluuiolum nanciſcuntur, cetera ad ſuos vſus accommodatum, non tamen alto ſatis gurgite; aggerem ipſi coërcendis aquis ſtruunt (rem omni ex parte ſuſpiciendam) tantâ arte induſtriáque, vt vim mentémque ſuperiorem aliquam agnoſcere neceſſe ſit. Arbores grandiores arrodendo deijciunt: deiectas comportant in alueum, tranſuerſáſque tam aptè collocant, vt ab Architectis vel peritiſſimis elaboratius quidquam expectari vix poſſit. Latitudo pedum ſex: longitudo maior minor-ve, prout plus minus-ve alueus quem oppilant, in latum expatiatur. Paſſuum plus ducenûm reperta opera huiuſcemodi, atque adeò quæ ad quartam ipſam partem leucæ Gallicæ tenderentur. Porrò aqua eum in modum intumeſcit in ſtagnum, vbi Fiber tanquam in aula ſuperbus deinceps imperitet. Quod ſi quando vnda intumeſcit nimiùm, tum per canalem, ex diffracto opportunè aggere tantum emittit quantum ſat eſſe iudicat, ne nimiâ aquarum copiâ ſuis in penatibus obruatur: contrà, ſi decreſcit nimium,

ANNVS MDCXXIX.

tum verò locum humiliorem quà diffluebat, exaggerat, quò ſemper vnda partem domunculæ inferiorem occupet, occulendo videlicet, occludendóque oſtiolo, per quod exire ipſe, dum lubet, in vicinum alueum ſolet. Teſtatur vir fide digniſſimus, ſuis ſe oculis vidiſſe, partem depreſſiorem aggeris iſtiuſmodi, ad eum modum ab vno Fibro, pluribus-ve intrà vnius noctis interuallum ad iuſtam altitudinem perductam. Portò in ſuperiori contignatione cubat, ſomnúmque capit ſi non in culcitrâ, certè in lectulo ſtrato molliter, vt plumâ, ſic iunco teneriori. Caſam tamen prorsùs deſerit æſtate, per æſtus vehementiores: quandiu ij tenent, in aquâ dies noctéſque exigit, obuijs herbis victitans interim. Hæc vt commemorata ſunt, ita ſe vidiſſe homines fide digni aſſeuerant: exquo intelligas angulum nullum, receſſum-ve orbis terrarum eſſe, vbi non effector ille mundi, & molitor Deus mirabilem ſe ſe hominum generi, ex factis operibus-ve præbeat. Sedenim ſolertem animantem non tutatur ſua ſagacitas: belluam tàm vtilem, ad vſúſque tàm multos accommodatam, victus, veſtitus, mercaturæ, pari induſtriâ Canadenſes perueſtigant, nunc inſidijs ſtruendis, dum è ſiluis in domunculam, è domunculâ in ſiluas ſe confert, nunc ſub altiſſimâ glacie deliteſcentem vrgendo: tantam autem vim capiunt, vt in vno eodémque conuiuio appoſiti Fibri centum & viginti perhibeantur.

ALCEN alterum illud paratum à Deo perfugium, immiſſis primùm canibus exagitant, mox iaculis, miſſilibúſque confodiunt. Nunquam quæſtuoſior felicior-ve venatio, quàm vbi altæ niues in gelu duratæ conſiſtunt: quo tempore in reticulam quandam haud diſſimillimam earum, quibus in ſphæriſterijs vtimur, ampliorem tamen, inſertis pedibus, loco tàm infido perfacilè ſuſtinent veſtigium, pérque niues incitatiſſimè gradiuntur; Alce autem ſuo pondere depreſſa, nullo negotio vel à puerulo conficitur. Sin niues minùs altæ, imbres ſunt aſſidui: enimuerò hyemem ſummâ in egeſtate tolerant, nec ſine extremo mortis è fame diſcrimine. Atque hæc eſt illa Alce, cuius vngulæ poſterioris pedis læui vires & facultates tales tantæque ſunt, vt ad miraculum accedere dicantur à Medicis. Nam imprimis ſingularem effica-

Mira vires Alcis vngulæ.



citatem habet aduersùs morbum comitialem, seu admoueas cordi, seu in annulari digito læuæ gestes, seu in volâ item læuæ, manu in pugnum collectâ, seu eâdem siniſtram auriculam titilles interiùs: sic tamen, addunt plerique, vt ad cutem proximè applicetur, eámque contingat. Addit Ioannes Schenchius, vim non minorem ineſſe puluiſculis ex vngulâ eâdem, ſi iniectos in aquam ſeu liquorem potiùs expreſſum è lilijs conuallium, aut nardi Celticæ epotes. Deinde, valet mirum in modum vel fruſtulum ex eâdem, admotum cordi, contrà purpuratas variolas, latentis veneni iudices, itémque contrà flatus viſceribus incluſos, contrà pleuritidem, aluíque profluuium, contrà atram bilem, contrà capitis vertigines, diſtillationéſque lacrymarum ex oculis, contrà vermes, doloréſque colicos: mirámque efficacitatem obtinet contrà corruptos humores, vnde morbi tàm multi, támque varij generantur, contrà moleſtas periculoſáſque cordis palpitationes, contrà capitis hebetudinem, contrà deliquia, contrà flatulentas, tibiarum potiſſimùm conuulſiones. Quæ ne quis à nobis temerè dicta propoſitáque criminetur, habet, quiſquis ambigit, celeberrimorum Auctorum complurium teſtificationem ſanè luculentam, Medicorum maximam partem, Antonij Mariæ Venuſti, Iulij Cæſaris Cardini, Iuliani Mercurialis, Lemmij, Agricolæ, Cardani, Menabœni, Ioannis Schenchij, quem laudauimus, Franciſci Belriguardi, Andreæ Guerinonis, M. Antonij Cyprij, Georgij Tranſſyluani. Ceterùm, vſus iam aliquis edocuit cicurari & Fibrum & Alcen, non tamen ad arationem, poſſe: quod ſi procedet, omninò nihil ad earum quidem regionum opportunitates excogitari queat conducibilius: æquabit enim ea copia, aut etiam fortè ſuperabit quæcunque nos ex bubus ouibúſque lucra & compendia nanciſcimur: quanquam habent & ipſi ad armenta gregéſque alendos, paſtiones tàm vberes, vt tradat Camplenius, fœna iuxtà Promontorium Procelloſum ad iuſtam humani corporis proceritatem ſolere excreſcere. E cicuribus, canes alunt: quæ animalcula ex putredine exiſtunt, non minùs illis infeſta, quàm nobis: culices præſertim generum complurium, roſtello tàm acuto, vt ſanguinem ſæpè eliciant, cutémque extimam faucient ſic, vt cum inſigni deformitate

ANNVS MDCXXIX.

ANNVS MDCXXIX.

intumeſcat. Eſt & aliud muſcarum genus, tàm exile, vt aciem oculorum penè effugiant, dolore primùm adeſſe ſentiantur. Minuitur tamen ea peſtis in dies, vt denſa ſiluarum in aruorum plana vertuntur: ex ligno enim putri gignuntur. Auium copia alicubi incredibilis. Narrat Paulus Iuuenæus è Societate IESV, clarum ſuo merito apud Canadenſes nomen, & rerum ibidem ad Dei gloriam geſtarum pars inclyta, cùm primùm eò adijt, ad fauces ſinus Magni fluminis, hoc eſt S. Laurentij, geminos ſibi viſos ſcopulos, rotundum alterum, alterum quadratum, à Domino Deo medijs in vndis affixos, tanquam periſterotrophia, ad aues ex alto excipiendas, quæ eò tàm infinito numero conuolent, vt calcari ſe hominum pedibus patiantur; ac niſi greſſum diligentiſſimè figas, incautum reſurgendo reſupinent, Lembos totos, qui illac nauigant, opplent nonnunquam: hinc *Inſula Volucrum* dicta. Alibi paſſim aues prædatrices, tùm alíæ, tum ſingularis vna quædam, gallinæ inſtar, ſi molem ſpectes; pennis à tergo leucophoeis, ſub aluo candidis. Pedum alter, vncus, ceu aquilarum: alter, ceu anatum, continuatâ pelliculâ. Hoc aquis innatat per-commodè: illo, piſces ad eſcam immerſa extrahit, inaudito adhuc ſolertiæ genere. Abundat item anate, anſere, tùm noſtrate, tùm grandiore: ruſticulâ maiore, minoréque, querquedulâ, alaudâ marinâ, ardeâ, grue, olore, mergo, duplicis triplicis-ve generis, fulicâ, turdo, gauiâ; ad maris littus præterea, phalacrocorax, picáque aquatilis, ſuo qúæque tempore infinitâ frequentiâ volitant, eam volucrum vim nihili faciunt homines rudes: iaculis tamen obuias nonnunquam confodiunt, at neglectim.

Auium copia incredibilis.

Indigenarum natura & mores.

IAM INDIGENARVM genera vniuersè duo, vagi, ac ſtabiles illi nullo certo lare, Scytharum in morem, ſedes identidem mutant, at intra certos dumtaxat limites: néque enim facilè eo tractu decedunt, quem pro ſolo patrio vel nacti ſunt infantes, vel delegerunt viri: niſi fortè iter longinquius ad alias Nationes ſuſcipere naturalis rerum nouarum videndarum cupiditas ſuadeat. Hi certo loco conſiſtunt, in pagos vtcúnque ſociati. Priores hyeme quidem in ſiluis perdurant, quò ſolennis venatio vocat, è quâ maximè ratio victus miſerrimæ genti pendet: æſtate, ad amnium ripas quaſi caſtra metantur, ad



ANNVS MDCXXIX.

ad neceſſariam item piſcationem: túncque, hoc eſt ſub veris ferè initium, agnoſcunt inter ſe, verſantúrque alij cum alijs tanquam populares & gentiles, & quaſi in pagum confluunt. Vtrobíque, partim ſub pellibus agunt, partim ſub corticibus è betulâ potiſſimùm: nam aliarum quóque arborum cortices adhibent nonnunquam, æſtate præſertim, quibus caſulas maximam partem obtegunt compactiles. Has momento erigunt, diſſoluúntque, depactis humi perticis, vnius modi omnibus. Latera corticibus intexunt: ijſdem, pellibus-ve ad tectum vtuntur, ſupernè vaporario relicto. Cura tota tabernaculi figendi, refigendíque penès feminas, eæ pro famulis, mancipijs, opificibus, iumentis. Eæ aquam, lignáque comportant: eæ focum ſtruunt, fouéntque; cibos & coquunt in diem, & fumò in poſterum ſiccant; ferinam è nemore comportant domum; canoas reficiunt: pelles cæſis belluis detractas, in veſtem concinnant, inque calceos, toti familiæ: ijſdem piſcatio incumbit. Denique extrà venationem, belláque, quidquid laborum, ærumnarúmque vitam quotidianam exercitam habet, totum ferè id in miſeras viri reijciunt, tanquam contra decorum ſit quidquam à ſe huiuſcemodi miniſteriorum attingi. Canoas tamen nonnunquam viri reficiunt, piſcantur nonnunquam: ad conſtituendas caſas ſolum deſignant, perticáſque erigunt: vt hæc paucula miniſtèria, & ſi quæ alia, virorum mulierúmque communia eſſe videantur. Adde curam infantulorum, in vagâ illâ vitâ matribus permoleſtam. Pro Europæis vagientium loculis, aſſeres vtcúnque dedolatos ipſæ ex fronte ſuſpendunt, aptos ex loro paulò latiore, ſarcinámque humeris incumbentem circumferunt, ſeu in ſiluis lignario exercenda ſit, ſeu aquatio vocet ad flumina: ad puellulorum autem eiulatus cantitant. Hinc gentis paucitas, ſeu quod matres in aſſiduâ illâ, & laboriosâ ſcilicet concurſatione ac moleſtiâ rariùs concipiant: ſeu quod infantuli intereant maximam partem, vel lacte defecti, pultéque, & alijs fomentis infirmioris ætatulæ, vel frigore enecti: vt vero quam-ſimillimum videatur quod aiunt, è triginta vix vnum adoleſcere. Accedit rei medicæ chirurgicæque mira inſcitia: ex quâ fit, vt ferè nunquam è morbis paulò grauioribus emergant. Stirpibus quidem pauculis ad medicamenta vtuntur. Phlebotomiam ignoraue-

Apud Canadenſes omnium ferè laborum ac miniſteriorum cura penès feminas.

Medendi ratio.

ANNVS MDCXXIX.

rant ad aduentum vſque Gallorum: nec verò eam peritiſſimè nunc adhibent: ſunt qui venâ in fronte temerè incisâ interierint. Sudorem autem cient vel maximè, anguſtiore ſepto quodam è cancellatis perticis, aggeſtiſque pellibus, tanquam clibano, mediâ in caſulâ incluſi: candentibus lapidibus admotis, priùs concalefacto, thermarum in modum. Sed hæc haud magnopere arcere appropinquantem mortem ſolent, quippe néque ad omne morborum genus apta, néque ſcientiſſimè adminiſtrata.

ERGO morbis ſuis, populariúmque aliter medentur (ſi medentur tamen) Hurones præſertim. Ii, quantum quidem aſſequi potuêre qui ſat diu apud ipſos ad ea cognoſcenda verſati ſunt, morborum cauſas adſtruunt tres: nam alios oriri aiunt ex cauſis naturalibus, atque hos, vt conſentaneum quidem eſt, naturali pelli medicinâ: alios exiſtere ex mente ægrotantis, quæ aliquid concupiſcat, atque illos non aliter fugari, quàm ſi ægro ſuppeditetur id quod eius mens concupierit: alios denique refundunt in maleficia ſagorum, ſeu veneficorum, atque hos conſanari excuſſis è corpore rebus ijs, quibus faſcinum adhæreſcebat. Ac tametſi iudicant prudentes, morbos ſecundi generis meras eſſe ineptias; tertij, meras fraudes præſtigiáſque circulatorum; tamen mirum, quántum vulgò credant, tribuántque iſtiuſmodi illuſionibus. Etenim ſtatim atque ex morbo decubuerunt, accerſitur è-veſtigio Medicus, hoc eſt impoſtor: is remedia naturalia adhibet primùm, potiones, hemeticum quidpiam, liquores è diſtillatoriâ cucurbitâ, fomenta per cataplaſmos. Vbi hæc nihil proceſſere (ſunt enim ferè artis medicæ rudes, vt diximus) ad *Deſideria* declinant. Eſt enim hæc inſignis in paucis Huronum inſulſitas: ineſſe putant in hominum vnoquóque, atque adeò in infantulis, Deſideria quædam innata, quæ ne ipſi quidem agnoſcant, qui concupiſcere perhibeantur, nedum ſentiant. *Saokatas* autem ſuos (hoc nomine Impoſtores appellant) tanquam ſuperiori quadam ſagacitate præditos (quales Ariolos Ethnicorum plerique fingebant olim, nunc etiam Chriſtianorum nonnulli ineptè, ne dicam impiè, autumant) ſi non oculorum, mentis certè aciem inferre in penitiſſimos animorum receſſus, atque imis in penetralibus perſpi-

cere quid quiſque appetat tanquam ſalutare: id ſi repræſentetur, ægros reualituros, ſin, emorituros vtique. Quare in eo ſolicitudinem omnem ponunt, vt aſſequantur quod cuiúſque ſit *Ondinnonk*, ſic enim intimas illas appetitiones appellitant: qui afferat aliquid, quod ægrum aut delectet, aut iuuet, vt temerè fit aliquando, hunc demùm & incredibili prædicatione efferunt, & adhibent certatim. Ipſi, quoniam ſatis vident à ſe quæſitum iri quemadmodùm iſta peruideant, occurrunt vltrò eſſeuerántque ſanè confidenter, declarata illa ſibi ab OKKI quodam, hoc eſt Genio præpotenti & ſagaci vltrà modum: hunc aſpectandum ſe præbere identidem, corui formâ, aut aquilæ, aut aliâ ſpecie, prout cuíque *Saokatarum* comminiſci libuerit: néque enim vero ſimile eſſe aſſerunt qui egerunt cum *Saokatis* coràm, vaniſſimis homulis commercij quidpiam cum cacodæmone intercedere: potiùs exiſtimant ipſos vafrè & ſubdolè venditare quæ nequiter excogitauerint, eâ tamen cautione, vt ſi morbum pertinaciorem eſſe ſenſerint, quàm vt naturali remedio vllo fugari poſſit, prædicent mentem ægroti appetere quiddam inuentu difficillimum, quò, ſi emori deinde ipſum contigerit, affirment, idcircò conſanari eum minimè potuiſſe, quod quæ concupierat, præſto non fuerint. Contrà, ſi perſpexerint morbum eſſe leuiorem, aut omninò minimè letalem, enimuerò fidenter ægro inculcant, eius mentem deſiderare complura, &, ſi quidem honeſtiore loco eſt, etiam maioris pretij: vident enim fore, vt nulli néque operæ, néque ſumptui parcant populares, ad res omnes eas repræſentandas, inde ſe nonnihil emuncturos: vt inepta illa ſuperſtitio auaritiam vnicè foueat. Nam vbi primùm *Saokata* de rebus ab ægro appetitis pronunciauit, cogunt ſtatim conſilia Præfecti, tanquam de re ad publicas vtilitates magnopere pertinente inſtituenda ſit deliberatio, mox ex eo conuentu leguntur qui ad ægrum adeant, reſciántque coràm ex eo ipſo, quid appetat. Is tanquam actor in ſcenâ aptè diſſimulans, etiamſi ſæpè, ſi ægrotet, ægrotet tantùm leuiuſculè, vocem tamen inflectit flebiliter, tanquam propè animam agens: peſſimè ſibi eſſe, atque adeò breuî emoriturum, quod hæc illave appetat, fortè non repræſentanda. At vbi ad conuentum de ægri appetitione relatum eſt, tum verò præfecti ijdem,

ANNVS MDCXXIX.

omnes omninò in conuentum accerſunt: dein omnium Princeps orationem ad circunſtantes habet, hortans magnopere vnumquémque ad leuandum ægrum, rebus ijs largiendis quas appetat. Nec mora: conferre quiſque ſtàtim de ſuo, quod ad releuandum ægrum valeat, & tàm celeriter quidem, vt nonnunquam intrà horulæ vnius interuallum, obtrudantur ægro res magni pretij, plus viginti, inquit, Paulus Raguenellus, & eâ quidem conditione, vt non commodentur, ſed donentur prorsùs, ſic, vt ægrotus momento diteſcat: néque enim repetere quiſquam ex valente auſit quæ decumbenti obtulerit. Sequuntur choreæ vulgò, & imperatæ ſcilicet in triduum, quatriduum-ve, ad iacentis lectum: conueniunt omnes, iuuentus autem præſertim, & in veſte, vt fieri etiam apud Europæos ſolet, magnificâ, quà ſuppetit. Choreas excipit epulum, conſanguineorum ægri ſumptibus: conuocantur omnes, qui loco aliquo in pago ſunt: hinc ægri valetudo commodior ſemper, ſaltem in ſpeciem: nam re, ſæpè poſtridie emoritur: verùm, quoniam leuiuſculi, magnam partem, morbi iſtiuſmodi ſunt, vel nulli potiùs, idcirco ijs qui vltrò ægrotarint, perfacile eſt perſonam ponere, affirmaréque id quod eſt, conſtare vires, valetudiníſque firmitudinem: atque id vel maximè ad Sycophantarum famam exiſtimationémque facit. Frequens eſt eorum, & quotidiana querela, ex quo cum exteris conſuetudinem iunxerunt, interire longè plures: diúque perſuaſiſſimum habuere magicis cantionibus, toxico-ve vitam ſibi per ſummum nefas eripi, &, quâ nulla capitalior teterrimi dœmonis fraus eſſe potuit, ſacrâ Baptiſmatis vndâ eam pernitiem importari: ſed compererunt denique, cauſam originémque mali, crapulam vnam eſſe. Exprimitur à Gallis, Anglis, Batauíſque, ex vino fugiente aut acido, liquor veteribus fortè ignotus, cui, quod ijs qui animo linquuntur, præſentiſſimum robur inſpiret, fugientéſque ſpiritus recolligat, *Aquam vitæ*, nomen fecere. Inijciunt in cucumam diſtillatoriam vini huiuſcemodi vim non modicam, ſubiecto igne ſanè luculento: eo æſtu ſecretum quidquid vini reliquijs viuidum inerat, ſurſúmque paulatim elatum, ſubiectum dein in createrem guttatim labitur. Eum ipſum liquorem, ne quid ad abſolutionem deſit, nonnunquam in cucumam rursùm re-

fundunt, & eundem in modum flammâ ſuppoſitâ excoquunt denuò, ſi quid fœculentum crudum-ve reſederat. Hunc præcordiis ſalutariter fouendis excogitatum, ad vulgarem potionem obtruſerunt deinde Europæi Barbaris: illi auſterâ illâ non ſuauitate, ſed acrimoniâ Barbaricè capti, ſine modo legéque, pellium permutatione coëmptum hauriunt: hinc, præter ebrietatem, aduſtis vitalibus morbi graues & periculoſi, accedente præſertim vini, eſculentorúmque inſuetorum copiâ, queis ſe ad Gallicarum nauium aduentum quotannis ad complures dies, homines ad eſum potúmque abiecti fœdè ingurgitant: ex quo, corporum temperatione ſublatâ, crebras mortes quis miretur. Tum, quaſi non ſat eorum paucitatem tàm multæ, támque variæ peſtes exhauriant, ſi quem ſuorum vident diuturniori morbo languere, necant vltrò grandæuos præſertim, & ſcilicet per amoris ſtudiíque in eos ſui teſtificationem, cùm mors (aiunt) eorum ærumnis modum ponat: eadem immanitate in orborum puerorum vitam graſſantur. Poſteriores certis affixi ſedibus terram arant, ſponte ne, an neceſſitate, neſcias. Certè procul à Magno flumine poſiti, haud facillimè ex Gallis cibaria auehere in annum poſſunt: ita eâ deiecti ſpe, aliunde proſpicere ſibi ſuíſque coguntur, ſementémque facere. Maritimi autem, aduentitiæ annonæ nixi fiduciâ, cetera negligunt, vni venationi dant operam, quam & nobiliorem putant iuxtà, & grauem minùs: ſedenim illud non reputant; Miſerrimum eſſe, victus rationem ex mari aptam habere, innumeríſque caſibus, qui exterorum retardare nauigationem, aut intercludere planè poſſint, quod ipſum non ſemel ſunt experti: ſed nimirùm non modò Barbaris, verumetiam hominum ferè generi perfamiliare eſt; Otium ſequi, & aſſiduos cuiuſcúnque generis labores fugitare. Excuſare præterea conſilium illud ſuum poſſunt hoc nomine, quòd ſi vni agriculturæ addicti, affixíque, venationem prætermitterent, carituri breuî eſſent commoditatibus omnibus, mercimoniíſque, quæ aliunde ab exteris importantur. Cùm enim illud vel maximè propoſitum habeant mercatores, vt pelles auehant, vtique ſi venandi ſtudium quieſceret, interiret tota mercaturæ ratio: quo nihil poſſet eſſe gentibus ijs exitioſius, quibus per ea commercia vt fides primùm illata eſt, ſic ad eam deinceps

ANNVS MDCXXIX.

tuendam propagandámque ſubſidia quotannis ſubminiſtrantur.

HÆC VTRISQVE communia. Non modo hebetes non ſunt, vt Europæorum plerique adhuc exiſtimauere, ſed etiam ingenij acie, ac iudicij firmitate valent: cetera à nobis vtrique quàm qui maximè diſcrepant. Valere ingenio planum fit ex ſolertiâ, quam rebus in omnibus adhibent: ex natiuâ eloquentiâ, quæ in cætibus conſiliiſque maximè viget: & quotidianæ vitæ conſuetudine, in quâ acumen ferè elucet: ex memoriâ in pueris, & rerum myſteriorúmque fidei feliciſſimâ perceptione: morum diſſimilitudinem quæ ſequuntur, planè probant.

Quàm multis in rebus Canadenſes Europæis ſint diſſimiles.

CVM IN GALLIA, totáque fermè Europâ detergatur vultus ad concinnitudinem, ac ſæpenumerò abluatur, ipſi faciem oleo & vnguine delibutam hoc formoſiorem cenſent, quò niteſcit magis, ceu cutis porculorum, qui ad ignem torrentur. In Galliâ, ad pulcritudinem facere cenſetur, grandioribus eſſe oculis, labris clauſis potius, quàm diductis, aut hiantibus: apud Hurones formæ pretium in labris prominentibus, inuérſiſque, & in oculis exilibus. Neque verò lex vlla tondendi capilli apud eos: quem quiſque modum ſibi finxerit, hunc vſurpat. Sunt qui comam ſurrigant in verticem: ab eáque crinium conformatione Natio apud eos tota quædam nomen inuenit: alij verticem ipſum radunt capillis vtrinque ad tempora propendentibus, occipitio item raſo: alij partem alteram capitis totam radunt, in alterâ excreſcere ſinunt cæſariem: feminæ autem capillorum partem maximam in occipitium reijciunt, parte alterâ, rariori, circà tempora neglectim dependente. Apud Europæos barba nonnihil, ſi non ad formam, certè ad dignitatem facere cenſetur: apud Canadenſes nihil deformius. hinc facetum illud, quódque Gallis riſus materiem ſubminiſtrauit affatim: Cùm homo Canadenſis Gallum quendam benè barbatum contemplatus diu, ſilens, & tanquam in rei cuiuſpiam inſolentis conſideratione defixus, tandem cum impetu; O barbatum! inquit, ô deformem! Atque illam ipſi deformitatem, quam putant, vitant tàm ſtudiosè, vt ſi pilus enaſci in mento ceperit, vellant continuò. In Europâ, turpe mulieri eſſet, nudo capite, fluentíque capillo pro-

dire in publicum: Canadenſes feminæ & nudo ſemper capite ſunt, & capilli colligendi curam nullam ſuſcipiunt, preter eam quæ dicta eſt. In Europâ viros à fœminis amiculum capitis diſtinguit inter ceterâ: apud Canadenſes, ſi quando caput contegunt (contegunt autem frequentiùs deinceps, qui plus habent cum Gallis commercij) tegumentum muliebre viri, virile feminæ haud magno delectu arripiunt: quanquam viri ferè galeros noſtros adamant, aut caſſides illas, vt ita dicam, nauticas, non ex ære, neque ex ferro, ſed ex panno craſſiore: feminæ pileos nocturnos ex lanâ, rubros præſertim. In Europâ muliebrem veſtem ſi inijciat vir corpori, pro perſonato habeatur: apud Canadenſes nihil frequentius. Certè ante annos aliquot cùm Moniales ſanctæ Vrſulæ virginem ex alumnarum ſuarum numero, paulò poſt nupturam, Francicâ veſte donaſſent, eius deinde vir non dubitauit pallâ eâ vti publicè, in eáque ſe magnificè circunferre: ac ſi quando in Francicas incidebat mulieres, earum cachinnos facti ſui approbationem interpretabatur. In Galliâ perraræ deinceps feminæ ſunt, quibus ad inſerendos vniones, aures perforentur, ac, ſi perforantur, exiguum foramen eſt: apud Canadenſes viris æquè, ac feminis aures perforantur, & ſcilicet foramen quò ampliùs, hoc pulcrius. Quare inde à cunabulis infantium auriculæ ad eum modum propè dilaniantur, in quas ſubinde pro diuerſitate ætatis, alia ex alijs ingerunt: ſunt nonnullis aures ita diductæ, vt facilè ceræ Hiſpanienſis, quam vocamus, accipiant longiores illos tubos, quibus ad obſerandas Epiſtolas vulgò vtimur: quin feminæ ambitum totum aurium, quàm latè in orbem patet, perforant, tum cauernulas opplent conchâ veneriâ. In Galliâ armillæ ad carpum inducuntur: apud Canadenſes non ad carpum modò, ſed etiam cubitum inter & humerum, aut etiam ad tibiarum partem eam, quæ malleolo proximè imminet. In Galliâ ſolæ feminæ vtuntur torquibus: apud Canadenſes id ornamenti genus etiam viri vſurpant: verùm, neque hæ, neque illi, adamantes adhibent aut vniones, ſed concham veneriam, globulos, aut etiam tubos minuſculos è vitro, vel ex teſtis piſciculorum. Vidi ipſe (inquit Paulus Iuuenæus, teſtis omni exceptione maior) qui è collo trocleam geſtaret ex ijs, qui-

ANNVS MDCXXIX.

bus in lembis vtuntur naucleri, ex eadémque gente alium, qui claues, quas aliunde furto tulerat aptârit in torquem: adeò nihil non illis pulcrum, quod modò sit insolens, & ademptum furto. In Galliâ, vngues resecamus identidem: Canadenses excrescere eosdem sinunt impunè. In Galliâ id sequuntur feminæ, virgines præsertim, vt strictior vestis sit, atque ad corpus apprimatur; apud Canadenses tùm virorum, tùm feminarum vestis laxior: hanc cùm supernè, suprà vmbilicum, infernè sub aluo cinxerint, in medio illo interuallo existit saccus, vt ita dicam, quidam, in quem deinde quicquid lubet includunt: ac matres quidem eo nonnunquam includunt infantulos, depositos ex asseribus tùm ad blandiendum, tùm ad fouendum calidiùs. In Galliâ vestis mulierum, opulentiorum præsertim, talaris: apud Canadenses haud infrà genua dependet: forma hæc ad omne laborioſæ operæ genus habilior. In Europâ tibialia, si quam futuram habent, habent eâ in parte, quæ posticæ cruris parti respondet: apud Canadenses virilium quidem tibialium futura inter crura, sic, vt altera alteri respondeat ex aduerso, ac dum aliquid adhibent ad ornatum, adhibent ibidem, fimbrias puta quasdam ex histricum setis, purpureo infectis colore quæ fimbriæ inter gradiendum haud sanè inuenustè inter se quasi committuntur: feminæ contrà, ornamenta istius generis ad partem cruris exteriorem, vtrinque collocant. In Galliâ calcei hoc pulcriores, quò magis ab humo extant: apud Canadenses, quò editiores, hoc deformiores putantur; & meritò, quoniam minùs commodi: proinde humile semper eorum calceamentum, ferè ad vdonum formam eorum, quibus nostrates vtuntur in sphæristerijs, at laxius, hyeme præsertim: tunc enim calceos vario & multiplici tomento ad frigoris vim arcendam suffarcinant. Facetum illud de infantulo, qui cùm propè feminam comptiorem è Galliâ, cursitaret lusitans, dum fortè pars ea calcei, quæ humum contingit, incurrisset in oculos, enimuerò metu exanimatus refugit ad matrem, ex quâ cum altera illa quæsijsset quæ tandem causa trepidationis! Nimirum putauit infantulus, inquit mater, illum hiatum calcei tui fauces esse Manitæ, hoc est tetri dæmonis, cuius sæpè hîc ad territandos filiolos facimus matres mentionem. In Europâ

ANNVS MDCXXIX.

ſeculo ſuperiore marſupium vulgò ex zonâ pendebat, nunc in perâ geſtant viri, aut in arcto veſtis receſſu: Canadenſes pro marſupio ſacculum è collo appendunt, infrà humeros pendentem, ex vulpinâ pelle, aut fibrinâ, aut vrſi recens nati, & ſi cuius animalculi prætereà, tantâ arte concinnatum à feminis, vt neque dentibus, neque caudâ, neque auribus, neque vnguibus detractis, conſtare tota bellua adhuc videatur: atque hunc in vidulum congerunt videlicet ea, quorum vſus frequens, tubum puta, ad tabaci fumos excipiendos, & ſi quid aliud prætereà habere ad manum volunt. In Europâ, ad mucum, ſtririam-ve excipiendam, ſtrophiola vulgò geſtamus: Canadenſes nos hoc nomine, inſulſitatis inſimulant, quod vile excrementum tàm mundè excipiamus: ipſi propalàm excuſſo naſo, digitis rem ſordidam abijciunt.

IN EVROPA cibum è mensâ editiore ſumimus, nec decumbentes, vt veterum paſſim mos fuit, ſed ſedentes: Canadenſes ad cibum capiendum humi ſeſſitant, quod ipſum vſurpare Turcæ dicuntur: & omninò nullus apud eos vſus, ne mentio quidem, ſellæ, ſcamni, cathedræ: ſi iter venationémque exceperis, humi ſedent, aut in latus alterum incumbunt: ſtare ipſis pro carnificinâ: crura illicò intumeſcere cauſantur. In Galliâ inter edendum intermiſcetur potus, ſic, vt per interualla bibatur: Canadenſes eſculenti capiunt quicquid, quantúmque placet, antè, quàm bibant prorsùs: vbi bibitum, ad eſum ſumunt prætereà nihil. In Galliâ is qui dat epulum, ſedet ipſe vnà cum conuiuis, cibóſque diſtribuit: apud Canadenſes is qui ad epulas inuitauit, neutiquam cum conuiuis veſcitur, ſed diſtribuit ipſe per ſe cibos, aut alium adhibet qui diſtribuat, ipſe nihilo minùs conuiuij expers. In Galliâ apponuntur epulæ in lancibus, ijſdémque menſa oneratur, quò cuíque ſit facultas, quo maximè cibi genere delectetur, eo vti: apud Canadenſes Magiſter conuiuij cuíque tribuit quantum quale-ve diſtribuendum putauerit. Gallis mos eſt colloqui inter epulas: Canadenſes eo tempore ferè ſilent. Apud Gallos Prouerbij locum obtinet; *Embamma ſæpenumerò eſſe cibis ipſis iucundius*: apud Canadenſes embammati locus nullus: cibos deamant quàm minimâ arte coctos. Sale condimus

ANNVS MDCXXIX.

Europæi cibos penè omnes, ad ſaporem exquiſitiorem: Canadenſes amarorem quendam ineſſe ſali dictitant: caſeum autem Batauicum, rapas, ſinapi, piper, aliáque id genus gulæ irritamenta execrantur. Ac de ſinapi quidem feſtiuum illud, narratum ab ijs qui conuiuio intererant: cùm ad epulas Canadenſis quidam inter ceteros inuitatus à Gallo eſſet, viderétque ſinapi in mensâ propoſitum in commune, vt fieri in Galliâ ſolet, explorare voluit curioſiùs, quid id tandem eſculenti eſſet, atque adeò, ignarus occultæ virtutis, pluſculum in os, adhibito cochleari, iniecit: ea vis peracris vbi cerebrum naréſque derepentè tentârat, homo quantâ maximâ vi potuit, cohibuit ſeſe, néque tamen perficere potuit, quin incerto commotóque vultu funderet lacrimas: eæ riſum conuiuis Gallis copiosè mouerunt. In Galliâ, lanij carnes vnà cum oſſibus diuendunt paſſim, atque adeò carnes eædem ferè in menſam vnà cum oſſibus inferuntur: apud Canadenſes viri feminæque indiſcriminatim tanta peritiâ carnes eaſdem ſecernunt ab oſſibus, vt eæ ferè ſolitariæ coquantur, oſſibus excretis: quæ quidem oſſa coquunt ipſi nihilo minùs, non externis conuiuis, ſed domeſticis: atque hæc ipſa vbi impigrè arroſa fuerint, haud tamen obijciuntur canibus, ſed vel igni cremanda mandantur, vel defodiuntur humi, vel editiore quodam loco ponuntur: vno verbo, curatur perdiligenter, ne attingantur à canibus, ex delirâ videlicet ſuperſtitione, quæ viget etiamnum apud eos Barbarorum, qui nondum ad fidem inſtitui ſe ſe paſſi ſunt, fore vt ſi fibrorum oſſa permitterentur canibus, ægrè poſtmodum fibri capi ſe ſinerent, veriti ſcilicet, ne & ipſi tàm indignum in modum haberentur. Europæi honorem ferè præfamur, ſi quando in familiari conſuetudine ſeu de pede, ſeu de calceamento mentionem facimus: Canadenſes non modò ad eam mentionem non verecundantur; ſed ſi quando in conuiuio diſcus deeſt, in extremo calceo obiectas dapes reponere non dubitant, aut etiam in nudo pede quandóque: tum, eodem mentis ſtupore pingues digitos ad eadem calceamenta detergunt: aut, quod nobis longè magis ruſticum, ad capillos. Europæi munditiei exquiſitioris, fuſcinulâ in mensâ vtuntur, ne cibos pinguiores attrectent: Canadenſes digitos prorsùs adhibent, ceu inſtrumentum ab ipsâ naturâ ſub-

ANNVS MDCXXIX.

miniſtratum: ac ſi cauſeris fuſcinulâ te malle vti, quàm adipe inficere digitos; Grande verò piaculum! aiunt: an non foris æquè & intùs opportunus adeps eſt? Certè aſſeuerant adipe cutem mirum in modum iuuari, ad flexibilitatem præcipuè. In Galliâ, vbi primùm tabellarij veredarij-ve aduenerunt, quærere quiſque certatim, num quid noui? hominem propè excutere curioſis quæſtionibus, ſciſcitari quorſum venerit? apud Canadenſes vbi quis aduenit, accedere ad ignem iubetur, & dum apparatur quod edat, tubus interim cum petuno ſeu tabaco porrigitur, nemine prorsùs exquirente cur venerit; pòſt, curato corpore, ipſe vltrò aperit aduentus cauſam, vnde, & à quibus mittatur, & quorſum, nemine prorsùs interpellante, donec ipſe conticuerit: tum, ſi quidem planè ac dilucidè rem explicauit, nullâ interrogatione laceſſitur; ſi quid quis minùs audijt, intellexit-ve, ſciſcitatur ille quidem quid rei ſit, verùm ab aſtantium aliquo: ſi quid autem quod ad cauſam pertineat, egere explicatione videtur, tunc è ſenioribus aliquis modeſte ſciſcitatur, quam in ſententiam hoc illud-ve prolatum fuerit! vbi ſatisfecit Orator, continuò epulum indicitur, maximè ſi de re quapiam maioris momenti inſtituenda ſit deliberatio. In Galliâ arrogantiæ tribuitur, in collocutionibus familiarium ſedere, cum aliquâ vultus compoſitione ſtudio meditatâ: Canadenſes arrogantiæ inſimulant, ſi quis inter colloquendum inambulet: fuítque cum filius patrem cum Gallo homine in ſermone familiari inambulantem intuens, continere ſe ſe nequierit, quin illud ipſum continuò parenti in aurem inſuſurrauerit, propè exprobrans, videret quid ageret: ſuperbiæ id tributum à popularibus quibuſdam, adeò vt rubor iniectus eſſet ſibi.

IN GALLIA, ſaltatores egregij neutiquam brachia agitant: erecto perſtant corpore: pedes autem tàm artificioſâ agilitate mouent, vt moueri vix ſentias: illud aduertas tantùm, eos generoſo quodam propè faſtidio dedignatos humum, penè librari in aëre: Canadenſes contrà, inter ſaltandum curuant in arcum corpora, brachia cum impetu agitant, tanquam ſi ſubigere pinſendo farinam velint; pedibus autem ſic terram quatiunt, vt eam commouere velle videantur. In Galliâ opificum ferè nullus pretium operæ expoſcit ante,

ANNVS MDCXXIX.

quàm perfectum afferat id de quo conuenit: apud Canadenſes numerandum pretium antè, quàm in opus incumbat opifex. In Galliâ, qui nauigant per imbrem, ad inferiorem nauigij partem ſe ſubducunt: Canadenſes, ſi quando imber ingruit vehementior, nauigiolum ad ripam appulſum inuertunt, ſub eodémque tanquam ſub tecto, vnà cum ſarcinulis ſe continent, dum procella defluxerit. In Galliâ, vulgò nomen quiſque prodit ſuum, rogatus ab alio: apud Canadenſes, ſi quem roges de nomine, neſcire ſe quî vocetur, reſpondere ſolet, innuítque cuipiam è cœtu, nomen ſuum quærenti edat. In Galliâ pater filiæ, dum eam elocat, dotem aut numerat, aut dicit: apud Canadenſes non ei quæ nubit, ſed eius patri dos perſoluitur: In Galliâ, atque adeò in Europâ ſuccedunt filij parentibus, eorúmque opes & fortunas inter ſe partiuntur; apud Canadenſes, ſororum filij ferè anteponuntur, ad Præfecturas quidem quod attinet; reculæ in amicos potiùs quàm in liberos diſtribuuntur. In Galliâ frequentiùs vir poſt nuptias vxorem illicò ſuas in ædes abducit: apud Canadenſes vir ferè in vxoris ædes immigrat. In Galliâ ſi quis nefarium quidpiam moliri, aut agitare animo deprehenditur, à ſuſcepto conſilio minis ferè, pœnarúmque denunciatione deterretur: apud Canadenſes, cum ijs qui talia cernuntur meditari, agitur potiùs munuſculis, quò, repudiato prauo conſilio, ad meliora ſe ſe recipiant. In Europâ magnam partem eò vſque inania verborum officia inualuerunt, vt ſimplicem ingenuitatem propè aboleuerint: apud Canadenſes nulla verborum officioſorum mentio: nudè ſinceréque promunt quæ habent mente concepta, niſi in adeundis amicis: tunc enim pauca præfantur. Galli in viarum diuortijs, ſi monere ſubſequentes volunt, aliquà eſſe tranſeundum, itineris quod ad locum illum fert, certum quoddam indicium relinquunt: Canadenſes notâ quapiam deſignant locum à quo declinare oporteat, fortè conſultiùs quàm nos: aiunt ſiquidem notas illas pro repagulis eſſe, vel pro ſerâ, quaſi moneant flexum illum itineris eſſe occluſum. Diſcrimina propè eadem circà vitâ functos: nam in Europâ quidem mortuis detrahitur quicquid ſuperfluum eſſe iudicatur, relinquuntur tantùm ea, quæ eripi non ſinit pudor, ſindon puta: Canaden-

ſes ergà mortuos liberales ſunt imprimis, vt ſuo loco videbitur, & non modò vngunt corpora, ſed etiam iis, veſtium optimas lectiſſimáſque induunt, & quicquid charum habuere in vitâ, defodiunt cum ijſdem. Galli mortuos ſuos ſic componunt in tumulo, vt toto corpore ſint extenti: Canadenſes mortuorum corpora contrahunt ad eam ferè formam, quam in matrum aluo habuere. In quibuſdam Galliæ Prouincijs mortuorum vultus ad orientem Solem obuertitur: Canadenſes ad occaſum conuertunt: quanquam Chriſtiani deinceps ritum noſtrum imitati, ſuorum vultus contrà altare collocant: ſic, vt perinde atque in Europâ Orthodoxâ, vultus idem altari ex aduerſo reſpondeat. ANNVS MDCXXIX.

DICACES ſunt, & in iocos effuſi: ijdem tamen perbellè diſſimulant: ac ſi fortè, vt fit, is quem mordebant, interuenit, abruptâ oratione, hilarè in circulum accipiunt, quaſi nulla de eo mentio incidiſſet: quinetiam ſi quorum ad aures acciderit, eum ad modum ſe ab aliquo proſciſſos, neutiquam excandeſcunt propterea: illud modò contemptim reponunt, ioculatorem illum carere ingenio: & ſcilicet par pari rependunt. In publicis conuentibus nihil non ſerium, ſeu inter ſe ſuis de rebus diſceptent, ſeu agant cum exteris. Tam aptè nonnunquam, & ad perſuadendum accommodatè perorant, vt Galli ipſi mirentur, præſertim dum allata ab alijs vel ſalibus eludunt, vel rationum momentis confutant ex tempore. Ac quibus eſt ea dicendi vis à naturâ conceſſa, dominantur nimirum, præſúntque ceteris, pluribus paucioribus-ve, vt cuiúſque maior minor-ve eſt eloquentia: huius autem fontes non aliunde quàm à naturâ: néque enim vllius diſciplinæ vſus acceſſit rudibus: ex quo illud ſanè conficitur, & ingenio, & iudicio peracri eorum eſſe complures; vulgò autem vtróque plus valere quàm ruſticos noſtrates, tradunt, qui multos iam annos inter eos verſati ſunt. Corpus procerum ac decorè conformatum, & magnis viribus iuxtà, & agilitate: plus dignitatis ineſt quàm formæ: vt à priſcorum Romanorum ſpecie, quorum extant effigies ſculptæ, pictæ-ve, non multùm abeſſe videantur. Porrò inſigni eſſe robore, vel ex eò liquet, quod ſi valetudo infirmior ijs eſſet, ſupereſſe diu vtique in laborioſiſſimâ illâ, egentiſſimáque vitâ nequirent. Non gibber ferè *Dotes animi & corporis.*

ANNVS MDCXXIX.

quiſquam; non ventricoſus, non cocles: ac ſi qui tales fortè exiſtunt, enimuerò aliorum ſannis ſalibúſque propoſiti, pro deridiculo ſunt. Coloris ſuauitas eadem quæ Gallorum eſſet, niſi natiuum decus oleum adépſque corrumperet, quo vultus oráque, vt diximus deformant. Hinc fuſca cutis, qualis circumforaneorum hominum, qui ſe in Galliâ Galli pro Ægyptjis venditant. Accedunt pigmenta, nobis horrida, illis pulchra; Adeò hominum iudicia inter ſe diſcrepant. Alios videas naſo cæruleo, oculis, ſupercilijs, geníſque atratis: alij virgatas quaſi tænias atras, rubras, cæruleáſque ab aure vtraque ad os; alij ab alterâ aure ad alteram per frontem, tres per genam vtramque ducunt: alij intactâ fronte, mentóque extremo, & eo ambitu qui aures circunſtat, partes faciei reliquas fœdè denigrant: vt intueri te putes laruatos noſtrates per Bacchanaliorum licentiam. Quinetiam matres puellulos, ad concinnitudinem, eundem in modum inficiunt. Amictus ceteræ barbariei ſuppar; viri quidem per æſtum nudi, præter eas partes corporis quas obtegi pudor naturalis iubet: aliàs fibrinas pelles, aut vrſinas, vulpinaſ-ve ita ſuccingebant, vt corporum pars maxima pateret: erant tamen qui pellem aptarent vrſinam paulò commodiùs, vt læuum quidem brachium ſupernè coërceret, ſub dextrum dein depreſſa, ad genua vtrinque promitteretur: cingulum è pelle animantium. Nec deerant qui Borealium ceterorum inſtar, totum corpus amicirent. Feminarum indumentum honeſtius: quouis anni tempore pelles ex humeris haud ineptè aſſutas à collo demittunt ad genua, reſticulâ ſuccinctæ: brachia cruráque nuda vt in viris. Tùm viri autem, tùm feminæ per frigus aſperius manicas inducunt: eaſdem poſtmodum ponunt vt lubet, quippe veſti reliquæ minimè aſſutas. Induſij ex lino vel cannabe ante Gallorum aduentum vſus nullus: nunc, quibus eſt copia, ita vtuntur, vt non ſemper proximè cutem applicent, ſed quandóque veſtitui cetero ſuperiniiciant. Hinc breuî pædor incredibilis, ſed illum ipſum ſequuntur ſcilicet, quod id tegmen imbrem prorsùs excipiat, ſic, vt ad pelles nequeat aſpirare. In illâ illuuie ſuus tamen feminis eſt mundus muliebris. Verſatur maximam partem in teſtulæ veneriæ copiâ, ex quâ torques & armillæ, tùm in zonis quibuſdam verſicolori-

Cultus corporis.

Virorum & feminarum amictus.

Mundus muliebris.





III.

V.

bus, ex hiſtricis ſetâ haud ineptè ſanè contextis. Et ipſæ quoque vultum picturâ adulterant. Tuguria apud Hurones vnius eiuſdémque formæ omnia, arcuata ſcil cet in teſtudinem, vt in hortis noſtris pergulæ topiariæ; maiora minorá-ve pro inquilinorum numero, diuerſíſque anni tempeſtatibus. Illud modò diſcriminis, quod vagorum caſulæ leuiores, & tumultuarij operis; fixorum firmiores paulò, cedrinóque, aut querno tectæ cortice, vnde crebra incendia, queis toti pagi abſumuntur haud rarò. Pro pauimento, ramuſculi ex abiete: iis ſtoreas inſternunt ex mariſco, aut etiam luporum marinorum pelles, villis molliſſimis, holoſerici noſtri inſtar: in his per noctem dormiunt. Interdiu in clunes ferè ſubſidunt, perinde atque ſimiæ: is veſcentium habitus, nec tam laborioſus, ac putamus vulgò. Hæc intrà tuguria hyemem exigunt haud incommodè, foculo in partes omnes calorem benignè fundente. In filios item vtrique indulgentiores: in eos neque animaduertunt ipſi, neque ab aliis animaduerti ſinunt: fanda infanda ab ſuâ ſobole ferant potiùs. Hinc in pueris petulantiſſima licentia, quæ per ætatem deinde corroborata, neque vllarum legum tanquam frœnis coërcita, in omne nefas erumpit; neque modò in priuatorum caput vitámque graſſatur; ſed etiam nefaria bella ſuſcipit, & finitimos vltrò nullâ certâ de causâ oppugnat: eáque eſt gentis ſocordia, vt etiamſi indigniſſimè factum quidpiam à ſuis intelligant, malint ad internecionem dimicare cum ijs, quibus eſt illata iniuria, quàm fontes dedere: quod ſi qua elucet ratio componendi diſſidij, aliquid de ſuo ſinguli in commune conferre minimè detrectant in munera, quibus de more donandi ij, qui contra ius fáſque violati ſunt. Parent tamen vtcunque ſuis Ducibus, quos ex toto tractu, communi ſuffragio deligunt, vel illuſtriorum familiarum natu maximos, vel bellicâ laude claros, vel potiori in conuentibus eloquentiâ, vt diximus. Hos aſſectantur iuuenes, apud eos perpetui conuiuæ, ijſdem venantur, & operam totam nauant, quoad nullis nuptijs illigati: deinceps, ita obtemperant, ſi Ductoris oratione perſuaſi faciendum cenſuerint. Porrò, Ductorum, ſeu Præfectorum eſt, conuentus cogere, conſiliis præeſſe: referre de rebus quas vocandas in deliberationem putant: priuatorum inter ſe

ANNVS MDCXXIX

Turgiouiorum forma.

Parentes in filios indulgentiores.

Duces ſeu Præfectos ſibi deligunt communi ſuffragio, iiſque obtemperant.

ANNVS MDCXXIX.

diſſidia componere: vt eorum qui ſubſunt nemo, tàm grauibus, támque aſſiduis laboribus conflictetur. Ceterùm etiam apud eos viget honorum dignitatúmque contentio, at minùs atrox quàm apud Europæos. Bella ferè perpetua, non domeſtica aut inteſtina (ciuilium enim tumultuum ne veſtigium quidem) ſed cum finitimis, néque vt eos in ſuam ditionem redigant, pellant-ve priſcis ſedibus, ſed iniuriarum causâ, vel ſibi, vel fœderatis impoſitarum. Nec iuſta prælia committunt, ſed ſtruunt inſidias, aut omninò ex improuiſo hoſtem adoriuntur. Arma, claua, arcus, iacula; horum cuſpidem olim præacuto officulo piſcis cuiuſdam muniebant, cum toxico: nunc de noſtratibus coëmunt prætereà ſpiculorum mucrones è ferro, gladios, ſecures militares, & (quæ noſtra eſt infelicitas) feros ac barbaros Iroquios ſclopis Batauis in Neophytorum perniciem recens inſtruxere; Adeò apud inconſultos euiluit Chriſtianorum & nomen & cruor. Sed locus alius erit tàm grauem támque noxiam calamitatem deplorandi.

Præclara Canadenſium in rerum quarumcunque pe peſſione conſtantia.

MIRAM RETINENT in rerum quarumcunque vel acerbiſſimarum, perpeſſione conſtantiam: nec, quidquid ingruerit, de animi tranquillitate dimoueri ſe patiuntur, non virtutis ſtudio, cuius ne nomen quidem vſurpant, ſed vt omnem mentis angorem arceant, quoad eius facere poſſunt. Sciſcitantur nonnunquam de noſtris, num iraſcamur Galli? ipſi certè pulcherrimo exemplo, ne in extremis quidem morbis, obſtrepentibus ſuccenſent, nec penè vnquam erumpunt in querimonias. Biduum triduum-ve nonnumquam in itineribus ieiuni, ex rerum omnium indigentiâ: hilari tamen perſtant animo, ægritudinémque ſtudiosè declinant iocis & ſalibus, nec ſeciùs aut venationem excercent, aut incumbunt remis. Ad cetera intrepidi, mortem horrent: & tamen, quæ naturalis eſt eorum mentis firmitas, in diriſſimis cruciatibus, de quibus infrà, canunt, ſaltántque ad numerum: prout hoſtes, quorum in poteſtate verſantur, & à quibus crudeliſſimè necantur, præſcripſerint. Diligunt inter ſe vehementer, cum incredibili conſenſione animorum. Diſſidia inter eos nulla, nullæ penè rixæ, nullæ ſimultates, nullæ officia exprobrantium querelæ. Viri curam rei familiaris totius vxoribus minimè malignè relinquunt: eæ pro arbitratu ſtatuunt de omnibus: néque vnquam

quam exquirunt mariti, quid cibarijs factum ſit, etiamſi haud ſanè frugaliter diſpenſata ſint. Mulieres viciſſim placidiſſimè ferunt ſe à virorum conuiuijs excludi, ab ipſis ſi quid delicatius eſt, totum abſumi, ſibi laborem dumtaxat relinqui, ærumnámque: ſuas quiſque ſedatè partes obit, & quam Spartam nactus eſt, hanc pro viribus exornat. Illud tamen ineſt ſanè agreſte, quod non modò nullam adhibent verborum lenitatem ſuauitatem-ve, ſed etiam voce vtuntur aſperiori, vt irati nunquam, iraſci quandóque videantur. Iniurias ſuorum lentiſſimè perferunt, nec niſi riſu ſannísque fures vlciſcuntur. Singulari inter ſe liberalitate, illud ſtudent, ne-cui rei vehementiùs animo & cupiditate adhæreſcant, quò ſi fortè donanda deinde ſit, vt ex ijs quæ diximus paſſim faciendum eſſe liquet, ferant æquiùs. Néque tantùm in exigui pretij reculis erogandis largi, ſed etiam in perpetuâ aliorum egeſtate ſubleuandâ munifici. Conſanguineos, amicorum liberos, viduas, ſenes alunt, quandiu neceſſitatis ratio flagitat, ſic, vt nihil propemodum inter adſcititios illos, & domeſticos interſit: nec vnquam ſuam ipſorum penuriam excuſant. Ex quo mortes illæ crebræ, orbos pueros magno numero relinqui, res ipſa loquitur: hos patrui auunculíque & per humaniter excipiunt, & conſtanter educant. Æqua illorum & filiorum familias conditio: par in victu veſtitúque indulgentia, comitas penè par. ANNVS MDCXXIX.

HAS TA'M egregias laudes obterunt vitia grauiora, crudelitas, ingluuies, libido, &, quæ flagitiorum omnium ſcaturigo, Religionis ergà Numen ſenſus penè nullus. Credi vix poſſit quali quantáque immanitate in captos hoſtes ſæuiant. Itaque in prælijs id ſequuntur, vt viuos aliquot capiant; quos in patriam abducant, barbarâ prorsùs diritate excruciandos non à viris tantùm, ſed etiam à feminis, quibus ea laniena ſuauior. Ergo ſi quos fors belli eum in locum adduxit, ijs primùm vngues euellunt, non ferro, ſed dentibus: tùm in nudatos reuinctis à tergo manibus omnem importuniſſimæ feritatis atrocitatem certatim exerunt. Verberant ad ſatietatem neruis funibus-ve: in plagas dein, tanquam ſalem, ſic prunas inijciunt, lentíſque ignibus carnes torrent, gratiſſimo ſpectaculo. Nunc eorum in artus morſu inuolant: nunc reſciſſas vul- *In captos hoſtes ſæuitia.*

ANNVS MDCXXIX.

ſas-ve particulas, conciſáſque fruſtillatim, ipſis obijciunt, & mandere cogunt ſcilicet. Nunc tædis ardentibus tùm corpus pertentant totum, tùm maximè vulnerum hiatus. Nunc candenti cuſpide abditiores plagarum receſſus rimantur. Nunc per dilacerati carpi fiſſuram neruos extrahunt. Nunc cute capitis abſtracta, cranio flammantem arenam inſpergunt. Nunc miſeros per ſubiectos ignes aut traducunt, aut ipſos cogunt ingredi. Supplicium autem extrahunt in multos dies, paſcendæ crudelitati: in eámque rem conſultò dant identidem aliquid laxamenti: donec feſſi potiùs quam exſaturati, cor demùm è viſceribus euellant: illud, ſi generosè cruciatuum acerbitatem captiuus pertulit, toſtum in pruna, iuuenibus vorandum obijciunt: corpus totum ipſi abſumunt in ferali conuiuio: vnam reſeruant cutem capitis cum comâ, circunferendam quacunque perrexerint, ceu trophæum belluinæ diritatis. Porrò in totâ eâ carnificinâ illi ipſi miſeri qui cruciantur, canunt, ſaltántque, ad nutum illudentium: eâ ſe interim cogitatione ſolantes, vel ſe idem alias in aliàs factitaſſe, vel mortis ſuæ pœnas à conſanguineis amicíſque olim repetitum iri, nec ſe inultos fore. Adde illud alterum genus crudelitatis, quod in ſuos exercent conclamatos ex morbo, dum illis vitæ reliquias adimunt, tanquam pro beneficio. Ingluuies quàm tetra ſit, niſi quotidiana documenta euincerent, vix ſibi quiſquàm perſuadeat. Si quorum, horum certè potiſſimùm *Deus venter eſt:* ita vni abdomini ſtudent, laborántque: ac dum gulam expleant, beati ſibi videntur. Non modò diem noctémque conuiuia continuant, quo nomine Europæorum nonnulli malè audiunt, ſed etiam toto ferè eo tempore eſſe pergunt, dum quod edant ne deſit. Hinc vagis annonæ abliguritio quotannis tàm propera, vt niſi hyems fuerit, hoc eſt niſi copiosâ niue regio diu obriguerit, extremâ fame conflictentur. Tum verò eâ ſe conſolatione ſuſtentant, poſſe ſe ad octiduum, atque adeò ad decem ipſos dies inediam tolerare, id quod haud rarò euenit: &, quæ eſt gentis ſtoliditas, nullâ præteritorum caſuum recordatione ad frugem frugalitatémque ſe recipiunt. Conuiuiorum apud eos genera duo: ex alteris, ſi quid ex eſculentis ijs quæ ſunt cuíque propriè attributa, ſuperfuerit, ferre ad vxores licet: ex alteris efferre quidquam

Gentis ingluuies.

Philipp. 3.

nefas: ac niſi quicquid obtigerit, abſumpſeris, nimirum in ergaſtulum continuò, hoc eſt in ſeptum arctius ad horas ipſas quatuor & viginti compingaris, tanquam indignus qui tàm honeſto in cætu verſere. Huic comeſſationum generi ab *Toto edendo* Galli nomen fecerunt; nobis liceat ex Græcis fontibus *Pamphagiam* appellare. Et apud Hurones quidem, ſi quis non ritè cuncta abſumpſerit, huic mulctæ nomine hoſpiti, hoc eſt ei à quo paratum conuiuium, pendendum nonnihil: apud Algonquinios autem, finitimarúmque nationum aliquas, is cui plus obtruſum eſt, quàm vt in ventrem abdere queat, conuiuarum aliorum alicuius opem operámque efflagitat quí ſe iuuet: quanquam id perrarum: ſiquidem ignauiæ tribuunt, quæ oblata ſint non poſſe conſumere omnia. Si ne id quidem procedit, quòd vnumquemque ſatis ſupérque demenſum ſuum occupatum habeat, in ignem reliquias conijciunt: nam canibus quidquam inde obijcere prorsùs nefas. Inſtituuntur autem conuiuia vel fouendis amicitijs, vel quærendæ auctoritati, vel in procinctu, vel, vt diximus, releuandis ægrotis, vel ab ijs ipſis qui animam efflaturi proximè ſint, eáque extremum Vale dicentium vocitant, à quibus abeſſe nefas, ne amico deeſſe videare, ſupremum id ſolatium expoſcenti. Denique conſilia penè nulla niſi ad Ahenum. ANNVS MDCXXIX.

VVLGARIS aduenientium exeuntiúmque conſalutatio incondito clamore concipitur, *Ho, ho, ho:* ea tota vrbanitatis ratio, ea officia verborum. Sæpé verò dum ab conuiuio vno diſcedunt, ad alterum accerſuntur, ex eo, quandóque ad tertium, nec recuſant vnquam; Adeò inexplebilis eſt hominum abdominatorum voracitas. Ex fœdiſſimâ illâ intemperantiâ exiſtit Ahenorum & pretium & commendatio: vt nihil tàm ad carnes aptè coquendas accommodatum viderunt, ita nihil tàm auidè coëmunt, quantocúnque pellium numero: nec vlla celſior initio de Principum noſtratium Maieſtate inſtillari barbaris mentibus cogitatio potuit, quàm vt ij de Ahenis pro poteſtate ſtatuere perhiberentur. Antequàm eorum vſum à noſtris accepiſſent, capedines excauabant è ligno, vel ex cortice conſuebant, in eáſque poſtquam carnes cum aquâ iniecerant, addebant ab igne candentem lapidem, is vbi refrixerat, ſubdebant alios deinceps ex alijs, donec coctitatum eſſet. Secun-

ANNVS MDCXXIX.

dum epulas, mira ex cantu ac ſaltatione oblectatio. Idcircò pro ſuo modulo cantiunculas ipſi ſtudio & arte elucubrant tàm ambitiosè, vt poſtquàm è vitâ exceſſerunt, nulla maior amicitiæ edi ſignificatio à ſuperſtitibus poſſe cenſeatur, quàm ſi modulatas illas cantilenas ab demortuo excogitatas, memoriâ comprehenſas vſurpent crebrò, tacito tamen authoris nomine. Eſt enim id apud earum gentium nonnullas quaſi prolege, vt mortuorum neminem proprio nomine appellent, neque mentionem vllius rei faciant, vnde obijci menti, eorum imago poſſe videatur, ne videlicet recrudeſcat dolor: ſed ſi quando de eo commemorandum, adſcititiâ appellatione vtantur, poſt obitum inditâ: inutili inſulſóque commento: quaſi non perinde demortui ſpecies recurrat, quem noua illa nomenclatura æquè deſignet. Nec verò exauditur vnquam vllâ in casâ demortui cuiuſquam nomen, niſi ſi quando ſuſcitatur, vt aiunt, hoc eſt, dum ſolemni cerimoniâ eius nomen alteri in conuiuio inditur. Saltationum vſus creber: his aduentantes peregrini excipiuntur: his infantulorum vagitus matres inhibent: his ſe ad bella accingunt: ſed eæ, antequam illata lux eſſet Euangelij, fœdè quandoque à nudis exercebantur. Ad inſaniam quoque adamant Fumum ex ſiccatis folijs ſtirpis ſuperiore ſeculo in Galliam illatæ: (ab eius qui intulit nomine *Nicotiam* placuit appellare: nunc *Tabacum* ſeu *Petunum* vulgò vocant: atque inde nomen apud Gallos inuenit, quæ inter Canadenſes populos Natio Petuniorum dicitur) eo, quòd cerebri exſiccandi vim miram habet, vti per nauigationes Europæi conſueuerant primùm, nunc vel ab eis vel à Canadenſibus res tranſlata ad crapulam. Hi certè ne paſſum quidem progrediantur ſine tubo longiuſculo, quo eiuſmodi fumos hauriunt, ac ferè ad temulentiam: pertentant enim cerebrum, ebrietatémque demùm inducunt, vini inſtar. Sanè & bonam partem temporis in re periculosâ ponunt, & quanto-vis pretio noxium puluiſculum coëmunt.

Intemperantia.

Iam vt libidinis nomine peiùs audiant ſtabiles quàm vagi, vtpote in qualicunque copiâ rerum ad victum neceſſariarum; tamen ne apud vagos quidem pudicitia multùm viget. Nam & polygamiam exercent quandóque, & vxores mutant identidem: & ijs eò vſque diffidunt, vt ſororum potiùs, quàm

ANNVS MDCXXIX.

vxorum filios hæredes teſtamento faciant, tanquam extrà omnem dubitationem ſuo è ſanguine ortos & procreatos: apud Hurones autem, quorum proiectior intemperantia, in demortuorum Præfectorum locum non filij, ſed ex ſororibus nepotes inſtituto leguntur receptiſſimo. Apud vagos, quibus cum Gallis adhuc aliqua conſuetudo interceſſit, demortui facultatulæ (neque enim hîc quiſquam non tenuis) non liberis ſæpenumerò cedunt, ſed propinquis alijs, vel amicis, qui obeuntis familiam tutari ac tegere poſſint, velint-ve. Vtrobíque obſcœnitas verborum ſuprà modum impudens: viri quidem propalàm prætextatis vocibus auram ipſam inquinant: feminarum ſermo coram viris caſtigatior: inter ſe clàm arbitris petulantes ſunt: atque eam ipſam fœditatem à parentibus puelluli arripiunt, vt dicere ſoleret Paulus Iuuenæus, cum ijs duriſſimam hyemem linguæ diſcendæ exigens, canes, ſuéſque, ſi loqui poſſent, haud aliter locuturos fore. Illud verò apud ſtabiles turpiſſimum, vulgò innuptæ nuptiæ; Hoc eſt obſcœniſſima intemperantia, & maritalis ſcilicet conſuetudo adoleſcentum puellarúmque promiſcuè, ad dimidium ferè menſem: túmque demùm vbi vtrínque collibuerit, Caius deamatus Caiáque præoptata in aliquam matrimonij fidem conueniunt, indigno gentis probro, & quandóque extirpandâ fœditate, poſtquam omnes Chriſtianarum nuptiarum ſanctitatem adamauerint. Vagi hîc quidem multò moderatiores: diſſimulare perſtud osè proci: quam virginem adament, non modò non appellare familiariùs, ſed ne in eâ quidem obtutum figere: ſi ſecùs faxint, pro deridiculo vulgò ſint. Tùm agunt ipſi per ſe cum virginis parentibus, doniſque ac muneribus teſtantur eam ſe, quod approbent, vxorem potiſſimùm velle. Illi vel generum adſciſcunt, ſi è re filiæ, familiæque eſſe cenſent, ſin, ablegant. Nuptias ſequuntur choreæ, conuiuia, nicotiæ ſuffitus, cantus, & ſi qua prætereà lætitiæ ſignificatio.

Anilis ſuperſtitio.

RELIGIONIS porrò quanquam & in animis ſenſus aliquis, & in inſtitutis moribúſque veſtigium quoddam ineſt; tamen neque publicâ vllâ precatione, neque vllo ſtato certóque cultu numen proſequuntur. Sanè in miſerrimâ natione deprehendas quod S. Auguſtinus tradit; Nullam gentem tàm feram, támque barbaram eſſe, cuius in præcordijs Deus non

ANNVS MDCXXIX.

loquatur. Agnoſcunt ſine dubio ſuperiorem aliquam naturam: ſed denſiſſimâ caligine, teterrimáque circumſepti, vel in anilem ſuperſtitionem degenerant, vel tàm benè de ipſis in horas momentáque merenti, debitam venerationem negant. Ac tametſi rogati de tanti momenti rebus, nunquam penè ſibi conſtant, ac modò hæc, modò illa ineptè inſulſéq; afferunt; quantum quidem tamen deprehendi potuit, & veri Dei cognitione quondam imbuti fuiſſe videntur, & de infelici primorum parentum lapſu, déque horrendo terrarum ſub Noëmo Patriarchâ cataclyſmo, inaudiſſe. Percontati aliquando ex Paulo Iuuenæo, in familiari congreſſu de Deo diſſerente, quidnam Deus eſſet? cùm is Deum eſſe affirmaret eum, cuius vis infinita eſſet, quíque cœlum terrámque condidiſſet, exclamauere derepentè, alij alijs annuentes; *Atahocan*, *Atahocan*, deſignabant videlicet ab eo quem ingeminabant Atahocan, rerum vniuerſitatem conditam. Profeſſi tamen deinceps nonnulli ſunt, quæ de Atahocan vulgò apud ipſos iactarentur, à pleriſque non haberi pro exploratiſſimis: eſſe ea ab vltimâ memoriâ repetita, atque adeò talia, vt nutent: & verò *Nitatahocan*, vox contermina, idem ſonat, ac, *Narro fabulam*. Orbem terrarum aquis obrutum merſumque, à *Mesv* quodam reſtauratum aiunt, ex quo illud adſtruitur, quod ponimus, de illâ totius orbis eluuione, ipſis auditione compertum, ſed rei fide, vt nunc quidem eſt, vaniſſimis fabulis adulteratâ. Aiunt venantis Mesv Pichivek (vulgò lupos ceruarios) queis canum loco ad inueſtigandas feras vteretur, immenſo in lacu, in quem præcipites inſiluiſſent, hæſiſſe: hos, cùm Mesv mirâ ſolicitudine requireret, nec vſpiam compararent, ab aue ſuperuolitante admonitum, medio in lacu à ſe deprehendi. Eò cùm ipſe ſubijſſet, lacum derepente ſic intumuiſſe, vt longè latéque reſtagnans, terras omninò omnes inundauerit, & extremam pernitiem hominum generi attulerit. Attonitum Mesv, & miro mentis angore fluctuantem, coruum miſiſſe, qui terræ particulam quantumlibet exiguam requireret, ad noua ſola condenda: hunc re infectâ rediiſſe, nec quidquam attuliſſe. Submiſſam dein lutram ad ipſum illud, in altiſſimas vndarum voragines, cùm nihil referret, ſpes illius eluſiſſe. Poſtremò murem odoratum feliciùs mandata expleſſe, parti-

culámque detuliſſe, è quâ Mesv tellurem hancce noſtram extuderit: tum, poſt ingens molimen, egregiè vltum eos qui Pichivek ſuos per vim diſtinuiſſent: murem enim feminam ex eadem gente vxorem duxiſſe, ex eáque liberos ſuſcepiſſe, per quos propagatum humanum genus: ad eúmque modum omnia denique reſtituta. Addunt aliqui, ex indigenis cuidam Immortalitatem à Mesv datam, intrà ſarcinulas quaſdam diligentiſſimè concluſam obſeratámque, ſeueriſſimâ interpoſitâ denunciatione, ne, quid intùs lateret, inſpiceret: & ipſum quidem ſibi temperaſſe; vxorem autem curioſiorem æquè, & audaciorem, faſciculum euoluiſſe: at, dum cuncta parat perluſtrare ſigillatim, euolaſſe confeſtim omnia: ex eóque homines moriendi neceſſitati ſuccubuiſſe. Hurones autem de ſuâ origine ita differunt, *Ataëntſic* mulierem de cælo delapſam (& cælos enim iam tum extitiſſe ponunt, & in eorum orbibus terram huic noſtræ ſimilem conſtitutam, vnà cum pratis, camporum æquoribus, lacubus, fluuiiſque: & incolis nimirum felicibus, quorum omnium ſi auctorem procreatorémque requiras, hærent videlicet) in vndas haſce noſtras præcipitem ruiſſe, quæ tum quidem tellurem totam noſtratem obnuberent, nullâ, néque ſuâ, néque fœtus offenſione (vterum enim tunc geſtaſſe.) Nec verò de causâ modóque tàm mirabilis cāſus inter eos ipſos conuenit: ſunt enim qui aſſerant, cùm aliquando in agro, operi intenta verſaretur, eius canem in prætereuntem vrſum effuſiſſimo curſu tetendiſſe, ipſam, canem vrſúmque perſecutam: vrſum, cùm canis vehementer inſtaret, dentémque inijcere pararet, dum maximè quærit effugium, in ſubiectum ſcrobiculum per imprudentiam lapſum eſſe: canémque ſecutum continuò. Cùm neuter appareret, Ataëntſic eódem, deſperatione ruiſſe, caſu tamen fortunatiori quàm putârat: in vndas enim incolumem cecidiſſe, quæ ſiccatæ deinde paulatim, locum terræ ceſſerint: ex eóque tellurem coli cepiſſe. Alij caſum in aliud quiddam conferunt, quod, tametſi ineptiſſimis obſcuratum deliriis, tamen lapsûs primorum parentum veſtigium etiamnum aliquod impreſſum retinere videatur: Ataëntſic videlicet eiuſdem virum in grauiſſimo morbo ſuo ſomniaſſe, excidendam arborem eſſe quandam, vnde Cœlites veſcerentur: vbi primùm eius fructum

ANNVS MDCXXIX.

ANNVS MDCXXIX.

ediſſet, ſine dubio conualiturum. Ataëntſic viri perſtudioſa cum ſecuri profecta ad arborem, vbi primùm totâ virium contentione totóque impetu, trunco ferrum appetierat, exciſam arborem fœdâ dehiſcentis telluris labe extemplòabſorptam ingenti fragore præcipitaſſe: attonitam ipſam, ac ſtupentem poſtquam de re totâ certiorem virum fecerat, ad locum reuerſam hiatum eundem ſubijſſe: cúmque lapſa aëre medio præcipitaret, teſtudinem quæ ex aquâ caput fortè exeruerat, rei nouitate inſolentiáque perculſam, fluuiatiles animantes ceteras illicò conuocaſſe, ex iíſque quæſiiſſe, quid tali in re ac tempore opus facto eſſet: eas magnam partem ad fibri arbitrium rem reieciſſe: fibrum, pro ſuâ modeſtiâ, teſtudini negotium totum permiſiſſe: eam demùm, cum nullâ interpoſitâ morâ incumbendum continuò in opus eſſe pronunciaſſet, iuſſiſſe, ab vnaquaque terræ aliquantulum ex imo gurgite comportari, ac tergo imponi ſuo. Dictum, factum: ex agreſti limo Inſulam in teſtudinis dorſo coaluiſſe, in eáque labentem Ataentſic molliter exceptam. Poſtmodum vt erat grauida, filiam edidiſſe, quæ ipſa quoque pòſt aliquandiu conceperit, (vnde, neſciunt) gemelloſque fuderit, *Taʁiſcaron*, *Iʁskehámque*. hos inter, cùm adoleuiſſent, rixam extitiſſe tàm atrocem, vt à verborum diſceptatione ad cruentum certamen progreſſi, conflixerint, at armis perquam imparibus: Iʁſkeham ramoſis cerui cornibus, Taʁiſcaron ſilueſtris roſæ baccis aliquot tantummodò, quod ſibi planè perſuaſiſſet imprudens, fratrem, vbi primùm iis ictus eſſet, caſurum ſcilicet ad pedes exanimem: at planè ſecus eueniſſe, Iʁſkehámque illâ baccarum volitatione nihil violatum, tantâ vi tantóque impetu ramale illud ſuum in germani latera adegiſſe, vt luculentum vulnus inflixerit (en tibi adumbratam cædem Abelis) ex quo cùm ingens ſanguinis copia manaret, eóque fugiens Taʁiſcaron cuncta paſſim reſpergeret, extitiſſe *Taʁiſcara* quæ etiamnum vocitant, hoc eſt lapillos quoſdam eorum ſimillimos quibus Galli ad eliciendos igniculos vtimur. Iʁſkeham autem inſtitiſſe nihilo ſecius, & comprehenſo necem denique per ſummam inhumanitatem attuliſſe. Hæc quàm nobis ridiculâ vanáque, tàm illis plauſibilia videntur: vt miſerum ſit homines in iis quæ ad vſum vitæ quotidianæ pertinent, haud ſanè hebetes,

bętes, tàm turpiter in ijs quæ ad ſummum numen vitamque beatam ſpectant, hallucinari. Minùs tamen miraberis gentem ſilueſtrem, quæque tot ſecula omni prorſùs inſtitutione caruerit, tàm tetrâ caligine laborare, ſi reputaueris ipſe tecum, Iapones ipſos ac Sinas, nationes vtique excultas & expolitas, haud multò commodiùs de rerum origine, déque ſummo earumdem auctore ac procreatore ſenſiſſe: vt nihil dicam de Talmudicis Mahometicíſque deliriis. Nimirum, vnde recta fides abeſt, hîc certi quidquam, aut veri fruſtrà quæras: atque vbi lux cæleſtis deeſt, nihil mirum tenebras cuncta occupare. Atque hoc nomine tantum Domino Deo debemus Chriſtiani, quantum diſſoluere poterimus nunquam, quod vnà cum nutricis lacte, vera nobis ſapientia inſtillatur, & illius agnoſcendi non modò facultas, verumetiam neceſſitas, de quo, ſine certiſſimâ pernitie ignorare queat nemo. Nunc pergamus ad reliqua. Meſę eiuſdem tot fratres natu minores conſtituunt, quot ſunt animantium genera. Aiunt ſiquidem eſſe cuiuſque formæ Principes animantes, miræ magnitudinis, è quibus ceteræ ortum ducant: à fibro quodam puta, exiſtere fibros, quotquot vbique ſunt: ac tametſi vulgares hice vix veruecisinſtar obtineant, illius tamen quem mente ineptè fingunt, molem tantam eſſe, támque vaſtam, vt eorum æquet tuguria. Hunc ſi quis per ſomnium viderit, non niſi opimâ cum prædâ ab venatione rediturum, ac fibrorum vim capturum; ſi alcen, alcarum, ad eundemque modum belluas ceteras. Ex ijs ſi requiras vbi ſint fratres ij germani animantium (fratres enim natu maximos eiuſdem animalium formæ vocitant) tàm vaſtâ tamque immenſâ mole? id ſe certò quidem ſcire negant: ſuſpicari ſe tamen, quadrupedum quidem giganteos fratres illos, ſub vndis; volucrum autem in aëre degere. ANNVS MDCXXIX.

ANNVARVM tempeſtatum moderatores effectores-ve agnoſcunt duos, veris, æſtatíſque *Napinękheth*, *Pepęnękheth* hyemis potiſſimùm. Homines ſint an belluæ, neſciunt: illud ſe verò ſcire aſſeuerant, vitæ compotes eſſe profectò, quippè qui à ſe exaudiantur perſæpè, loquentes perſtrepentés-ve, in aduentu præſertim: ceterùm quid muſſent, non ſe ſatis liquidò aſſequi poſſe. Orbem terrarum inter ſe partiri ſic, vt aliquandiu in extremis telluris partibus hinc inde diuerſi con- *Noua de Tempeſtatum moderatoribus & Genijs commenta.*

ANNVS MDCXXIX.

ſiſtant, tum alterum, in locum alterius ſuccedere ſtatis interuallis: Caſtorem & Pollucem dicas. Ac redeuntem quidem Napingkheth aues ſecum, & viriditatem, & apricos calores reducere: vitámque & ſpeciem rebus impertiri. Pepingkheth autem infeſtis Aquilonibus, niue, glacie, & ceteris hyemis ſatellitibus cuncta vaſtare, & perdere. Qui æſtate nati ſunt, ſi quando hyeme atrociùs deſæuiunt frigora, ardentem è casâ titionem exportant, in aëráque ſurſum vibrant: Pepingkheth prenſuri (aiunt) videlicet per iocum id quidem nonnulli, alij per ſtolidam ſuperſtitionem, & ſcilicet cum inconditis clamoribus, qui longè latéque exaudiuntur: ſilentibus intereà, immotiſque ijs, quos hyberno tempore prodire in lucem contigit: reuerentur videlicet tempeſtatem eam quâ nati ſunt. Genios item ponunt diei, ſeu aëris (*Khichikgai* vocant) futurarum rerum conſcios, quas nonnunquam conſulentibus prodant. Forma qualis eſſet, ita demùm cognitum. Ex indigenis duo, cùm Genios vno eodémque tempore conſulerent, ac diuerſis in tabernaculis, conſulentium alterum, hominem facinoroſiſſimum, qui cædes tres feciſſet, hominéſque totidem fraude interceptos impactâ dolabrâ necaſſet, ab Genijs interemptum eſſe: ad alterius ſubinde tabernaculum cùm pergerent, vitam vtique immerenti erepturi, contrà euenisſe: ab peregregio namque bellatore eo in conflictu interfectum vnum fuiſſe è Geniis. Licuiſſe ergo demortui corpus contemplari, pugni magnitudine, lapideum, longiuſculúmque: quantum quidem aſſequi potuit Paulus Iuuenæus, cui iſta narrabantur, conum impoſtor deſignabat, ex craſſiore in anguſtum deſinentem. Ac tametſi lapideum eſſe Geniorum corpus aiunt: autumant tamen & carnes intùs, & cruorem latere; cruentam quippe dolabram, dum è corpore extraheretur, fuiſſe.

HÆC ALIAQVE deliria & commenta nimirùm hoſti humani generis viam ſtrauere ad perdendos miſeros: ac principio quidem, perfidioſiſſimus veterator ex ijs flagitioſiſſimum quemque ijſdem artibus illigauit, quibus etiam inter eos, qui per ſacrum Baptiſma in Chriſti familiam cooptati erant, nonnullos fraudulentis vel præſtigijs vel pollicitationibus ineſcare ſolet; nos Magos appellamus: Montani quidem & Algon-

quinij *Mentuiſitÿk*: qui ad littus maris incolunt, proximè Gaſpeſum Promontorium, *Bŭedin*: Hurones *Arendiouan* eoſdem vocitant. Ab ijs, poſt concepta flagitia ſceleráque omnis generis, extorſit denique vt ſe pro Deo venerarentur: mox per eoſdem idem alijs perſuaſit, hoc procliuiùs, quòd multa illis, nî facerent, grauiáque incommoda importabat. Híncque ille gentis terror ad commemorationem *Manitŭ*: hoc enim nomine teterrimum carnificem appellant, quem malorum omnium auctorem putant, & infeſtiſſimum frequenter experiuntur. Siquidem Manitŭ Algonquinijs Montaníſque, id eſt, quod Græcis, atque adeò Latinis Dæmon, *Matchiamanitŭ* autem, Cacodæmon: at *Ouëchichigŭin Manitŭ*, Eudæmon, ſeu bonus Dæmon: porrò quem Algonquinij Manitŭ eundem Hurones Okki appellitant. Ac veris vbique falſa admiſcendo, vel ſuapte ſponte, vel, idquod eſt vero ſimilius, ab eodem hoſte miſerabiliter deluſi, ipſum quidem Manitŭ haud crudeliſſimum eſſe rentur: néque hominum odio magnopere teneri: intereſſe modò bellicis certaminibus atque prælijs ſpectatorem: in quos intueatur, eos extrà omnem aleam depugnare ſanè poſſe: à quibus autem oculos vultúmque auertat, hos certiſſimè interituros: (ex quo Montani ſupplices rogant ne quem Manitŭ ex Iroquijs reſpiciat, in ſe defigat obtutum) vxore autem eius (vxorem enim tàm honeſto coniugi tribuunt) nihil nec fieri nec fingi poſſe importunius: eam morbos omninò omnes accerſere: eam homines necare, alioquin ætatem in perpetua ſecula propagaturos: eam humanis veſci carnibus, ægrorum corpora exedendo paulatim, ex quo, in morbo macreſcant. Ceterùm veſtem ſibi texere ex elegantiori capillitio virorum æquè & mulierum, quibus exitium attulerit, háncque circunferre: viſendam ſe nonnunquam præbere ignis in modum: ſæpiùs tanquam flammam ſtridere: haud ſatis tamen percipi poſſe quæ proloquatur. Atque hinc illæ fortè inconditæ vociferationes propè ægros, & vlulatus, & tympanorum pulſatio, quò furiam illam arceant ſcilicet, vulnúſque illud lethale inhibeant infauſti Corybantes, hoc eſt *Autmoini* illi, Præfecti ſacrorum ſacrilegiorum-ve ijdem, & augures, & Medici: verùm vſus diuturnus réſque ipſa docet, eos ſtrepitus plus ad accerſendam mortem, quàm ad fugandam valere.

ANNVS MDCXXIX. Et Autmoinis tamen veſani fidem habent, ex eorum nutu pendent, obtemperant quidlibet præſcribentibus, donis & muneribus augent omni potiùs ſuppliciorum diritate digniſſimos. Porrò tametſi Autmoinorum plerique meri ſunt veteratores, qui non vllo cum dæmone commercio, ſed technis tantùm ingenioſioribus ſtolidorum ſimplicitati illudant; non dubitanter tamen afflare nonnullos putatur nequam ſpiritus: adeò eos quandóque furiæ exagitant: vt quæ de Athamante déque Mænadibus Poëtæ prodiderunt, non aliunde manaſſe videantur. Indidem ſuperſtitiones tùm creberrimæ aliæ, tùm illa præſertim ſomniorum. Pro vero habent quidquid per ſomnum occurrerit: ac ſi quid præſcriptum ſibi, aut imperatum putant, illud deinde efficere nituntur pro viribus: vt ſi quem tollendum de medio vel mens turbidior, vel ipſe per ſe Cacodæmon obiecerit, is certiſſimo in diſcrimine verſetur: quóque peſtis pateat latiùs, ſi ſe ille vel admonitus ſubduxerit, vel aliò fortè contulerit, eius in locum alium ad cædem deſignant. Neque modò ſuis quiſque priuatim ſomnijs auſcultat, ſed etiam tota plerumque natio vnius alicuius ſomnio accommodat fidem, maximè ſi cuius eſt ſomniator auctoritatis. Itaque ſi vel ad ægrotum aliquem è morbo recreandum, vel ad rem gentis publicam faciendum quidpiam ex ſomnio pronunciauerint, inſtituendum putà conuiuium, aut ſaltationem concelebrandam hoc illo-ve modo, nullus eſt qui non perlubenter, & operâ, & re in opus ſedulò incumbat: ſic, vt quæ ineptus morio præſcripſerit, ea exactiſſimè obſeruentur.

Somniorum ſuperſtitio.

Alia circa ſortes ineptiæ.

CIRCA SORTES item nihilo tolerabiliùs ineptiunt, ac non niſi ægerrimè eas ſibi eripi ſinunt, Hurones præſertim: eáque res non minimam difficultatem Catechiſtis haud ſemel obiecit, dum pernegabant, pro eo ac officij ratio ferebat, non antè ad Baptiſmum admiſſum iri eos qui impiæ ſuperſtitioni ſeruirent, quàm ab eâ deſciuiſſent prorsùs; & id tradidiſſent vnde pendebat. Cauſa contumaciæ ea eſt, quòd ſi quid inſolens ipſis obijcitur, id pro OKKI arripiunt continuò, hoc eſt, pro re in quâ inſit vis aliqua ſuprà naturam: atque adeò ad talia vehementer adhæreſcunt, tanquam ad aliquid fortunans magnopere, ſeu venantur, ſeu ludunt, ſeu tale quidpiam aggrediuntur: quâ quidem fraude etiam è Chri-

ANNVS MDCXXIX.

ſtianis non neminem illectat identidem hoſtis humani generis. Ergò ſi inter venandum plus ſolito laboris ac difficultatis faceſſiuit inſectantibus, ceruus, vrſus-ve, cuius deinde in cerebro, aut in viſceribus nanciſcantur exoticum quidpiam, lapillum puta, aut anguem, id verò pro Okki arripiunt, inde profectò celeritatem illam tantam, aut firmitatem virium additam belluæ. Simillimè, ſi inter fodiendos ſulcos, aut arboris truncum diſſecandum, lapillus occurrit conformatione quadam extraordinariâ, diſci, V. C. aut cochlearis, aut fictilis ollulæ; enimuerò ſe beatos autumant: quippe qui ſibi perſuadeant, Genijs ſaltuum incolis excidere identidem per obliuionem, quiddam tale: eas verò res ad ſecunda quæque, vt rentur, valentes, *Aaſcɣandi* vocant. Hæc porrò Aaſcɣandi aiunt formam mutare identidem, ſic, vt ſi hodie lapillum, ſerpentem-ve occulueris, cras eorum loco fabam reperias V. C. aut frugis Indicæ granum, aut roſtrum corui, aut aquilæ vngues, quaſi iſtâ tàm frequenti metamorphoſi delectetur Genius: quæ quàm crebro à ſtolidis iterantur, tàm falſa ſunt: neque enim vllus eſt qui id ſe ſe vidiſſe affirmet: aiunt vulgò audiuiſſe ſe ſe de alijs. Non tamen deſunt impoſtores inſigniter impudentes, qui, quò futilibus quiſquilijs accerſant pretium, hæc à ſe viſa mentiantur. Porrò, ſua illa Aaſcɣandi, ſeu eorum Genios, atros vtique, nonnunquam proſequuntur ſacrificijs; quò venatio, piſcatio, alea cedant feliciter. Ad hæc enim ſimul omnia valere Aaſcɣandi quædam putant; aliorum vim intra anguſtiores limites eſſe concluſam. Et agnoſcunt præterea quiddam eodem in genere valentius: ſerpentem eſſe aiunt, *Onniont* vocabulo, haud abſimilem Piſci armato, de quo ſuprà. Hunc perforare quidquid occurrit obuium, arbores, vrſos, rupes adeò ipſas, ſic, vt de cœpto itinere deflectat nunquam: neque enim poſſe quidquam impedire, quò minùs porrò pergat. Hunc appellant Okki κατ' ἐξοχὴν; hunc qui necauerit, aut qui omninò ex eius corpore fruſtulum nactus ſit, fortunatum vtique fore. Ac negant quidem Hurones anguem eum conſpectum vnquam ſibi, ſed totum id ſe ab Algonquinijs accepiſſe profitentur, à quibus proinde coëmunt haud rarò, pretio non modico, particulas ex ligno, aut corio deciſas, aut omninò carnium fruſtula, ex terreſtri animante an

ANNVS M.DCXXIX.

expiſce, neſcias. Num verò re ipsâ Cacodæmon, ſinente Deo, eos præ ceteris augeat opibus, qui ſortibus iſtius generis abutantur, ſic, vt in venando, piſcando-ve, aut exercendis mercaturis, ſint ijs qui inania illa deliria negligant, ac pro nihilo, vt decet, faciant, fortunatiores; ſtatuere non audeam, inquit Scriptor idem: illud comperi (pergit) nonnunquam ſpes id genus non modò ad nihilum recidere, ſed etiam in contrarium relabi: adeò vt extremâ inopiâ conflictentur nonnunquam iſti ſortium prædicatores: & familiare etiam nunc apud eas Nationes Prouerbium eſt; *Induſtriâ, viribus, vigilantiâ, nullum eſſe Aaſcȣandi potius.*

Sacrificij ritus.

SACRIFICII veſtigium apud eos deprehendas aliquod, dum in conuiuijs aliquantulum aruinæ ex vrſo, cuius auidiſſimi ſunt, in flammas conijciunt, ſublatíſque in cœlum oculis; *En*, aiunt, *cœlum! hæc tibi offerro:* addunt nonnunquam, *quò hac, illa-ve in re opem feras.* Nicotiæ item nonnihil vel in ignes, vel in lacus, vel in dehiſcentium ſcopulorum labes, vel in vias publicas iaciunt, propitiandis Genijs ſcilicet. Ac de Iroquiis quidem narrabat nobis, dum hæc ſcriberemus, Iſaacus Iogueſius vir ad poſteritatis memoriam illuſtris, de quo multa poſteà, vidiſſe ſe, cùm ij vrſis duobus Cacodæmoni litarent: hæcque verba auribus excepiſſe: *Meritò nos vlciſceris, Dæmon Aireskȣi! meritò hoſtes nullos cepimus* (Algonquinios intelligebant) *ex quo captiuorum ſuperiorum corpora non ſumus depaſti, ſed intacta proiecimus. Quòd ſi qui poſthac te propitio in manus noſtras venerint, vt vrſos hoſce duos, ſic eos ſine dubio mandcmus.* Et fecerunt, ait: cùm enim haud ita diu pòſt, mulieres tres Algonquinias cum filiolis cepiſſent, ex ijs vnam toto corpore ſenſim vſtulatam, in rogum deinde proiecere: mox extractum cadauer in partes complures diſſecuerunt, per pagos diſtribuendas, queis ferinam rabiem vel exſatiarent, vel exacuerent. Quotiès autem tædas inter vrendum admouebant miſeræ, præiens vnus aliquis annoſior, hocce carmen vſurpabat. *Dæmon Aireskȣi! hanc tibi cremamus victimam, eius carnibus exſatiator, ac nouas ſubinde nobis de hoſtibus victorias impertitor.* Ceterùm aſſeuerant è Canadenſibus nonnulli, antequam eò Galli penetraſſent, crudeliſſimum in modum exagitatos paſſim omnes ab immaniſſimo carnifice fuiſſe, nunc

reſpirare vulgò cepiſſe. Terret forſan, coërcétque nequiſſima mancipia vexillum ſanctæ Crucis, locis erectum compluribus. Nec prætereundum quod ex Neophytis aliqui, Autmoini priùs, conteſtantur, viſum ſibi aliàs perſæpè Cacodæmonem, verùm ſe ab eo diſceſſiſſe, quòd nihil vnquam ab eo niſi ferum, noxiúmque præcipi animaduertiſſent. ANNVS MDCXXIX.

ANIMORVM immortalitatem perſuaſiſſimam quidem omnes habent, at circà eorum naturam, habitúmque, poſtquàm è corporibus exceſſerunt, plurima ſuo more peccant, ex eo autem fonte pēnè omnia, quòd eos ipſos corporeâ quadam concretione circumdatos eſſe putant. Quippe animales homines, vt loquitur Apoſtolus, non modò Deum, ſed ne ſe quidem ipſos norunt: nihílque mente & cogitatione efformare poſſunt, niſi craſſiore aliquo integumento velatum. Itaque animorum ſpeciem atque formam ſic adumbrant, vt furuum quoddam ſimulacrum eſſe autument, aut vmbram hominis ipſius, cum manibus, pedibus, & capite, totâ denique humani corporis ſtructurâ: eſitare proinde, vt priùs, & quas dapes ipſi affatim in flammam, pro demortuorum pabulo conijciunt, eas ab ipſis noctu delibari, quin, & arroſos ab eis cibos, viſos à ſe perſæpè, prædicant. Hæc cùm noſtris canerent, quærere ipſi viciſſim, primùm, quónam ſe ſe tot animi poſt exceſſum è corporibus recipiant? Aiebant pergere in frequentiſſimum pagum, quà Sol occidit. Atqui excipiebant ijdem, totam veſtram regionem, quanta quanta eſt, omni prorsùs ex parte ambit complectitúrque Oceanus: quem quî traijcere animi tandem poſſunt? num parata promptáque nauigia ſunt, in quæ imponantur? Minimè verò, inquiunt, pedites proficiſcuntur, vadúmque alicubi nanciſcuntur, quà tranſmittant. At vadoſus Oceanus, nuſquam, tàm alto gurgite eſſe queat. Imò verò pergunt, & quicquid afferatis Europæi, eſt illac, vbi continens nullo aquarum diuortio ab ſe ſeiungatur. At, quo tandem cibo tàm longo itinere animi veſcuntur! Corticibus victitant, ac ligno putri, quod in ſiluis facilè occurrit. Si ita res habet, ſuſcipiebant noſtri, minùs mirum quidem eſt vos ad mortis mentionem totis artubus cohorreſcere: eſt enim profectò miſerum eò pergere, vbi nihil ad victum niſi lignum putre, cortéxque ſuppetat. Quâ porrò in re, poſtquam eò perue-

Stultæ circa animorum immortalitatem perſuaſio.

ANNVS MDCXXIX.

nêre, otium ſuum occupant? Interdiu quidem ſedent, cubitis hinc inde in genua reclinatis: (eſt is Canadenſium habitus frequens) noctu, eunt redeúntque, operis aliquid factitant venantur. Atqui in tenebris cæcorum in morem caligant. Minimè verò, excipiunt cum cachinno: noſtra & animantium ratio diuerſiſſima eſt: nos interdiu, illi noctu vident: nos in tenebris, illi noſtra in luce cæcutiunt. Quas igitur bellua noctu venantur? Animos fibrorum, aiunt, & hiſtricum, & alcarum. Quid, poſtquam fibri, aut hiſtricis, aut alces animum iaculis confoderunt, interit prorsùs animus ille, an animum alium rursùs habet, qui ad pagum animorum itet? Hîc verò hæſit veterator, quicum potiſſimùm diſputatio inſtituebatur. Vidit ſiquidem, vtrumlibet diceret, nihil eſſe propius quàm vt ſe indueret. Etenim ſi animum illum fibri aſſereret emori prorsùs, quidni illud ipſum dici poſſe, dum animal primùm occiditur. Sin animi illius animus rursùm eſſet, qui ad celebrem illum pagum tenderet, infinitatem animorum ridiculè conſtitutum iri. Ne ſe igitur in eam captionem induceret; Conticeſce, inquit; quæ percontaris, ea ipſe ignoras: ego verò, ſi eò penetraſſem, afferrem exploratiora. Denique inculcatum à noſtris, meras eſſe fabulas quæ de eo pago iactarentur: Europæos cùm oram nullam orbis terrarum nauigando non perluſtrauerint, ad oráſque occiduas ſæpenumerò deflexerint, nihil tamen vnquam de eo comperiſſe. Et verò, hominum animos, qui vni immortales ſint (cùm brutorum anima vnà cum corpore intereat) ſi quidem caſtè, incorruptéque, dum corpore incluſi tenebantur, vitam ac mores inſtituerint, in cælum euolare, cumulatiſſimâ felicitate in ſempiternum tempus fruituros: ſinſe ad flagitia, libidinémque abiecerint, aut omninò criminoſi fuerint, in altiſſimum barathrum demergi, ſempiternis ignibus cruciandos. Atqui id, non ſecùs ac alia pleraque, egregiè mentimini, ſubijcit veterator: animi prorsùs omnes, noſtrates ſaltem, in vnum eundémque locum ſe ſe recipiunt: námque popularium noſtrorum animi duo indidem alias redière, eáque quæ memoraui cuncta prodiderunt. Hæc ille, & firmant Hurones idipſum fabulis aliquot tàm ineptis támque parùm inter ſe conſentientibus, vt mirum ſit ab hominibus acri ceterà ingenio, haberi pro veris poſſe:

posſe: hæc præcipua. Indigenarum, aiunt, aliquis, cùm ſororem morte ademptam defleret; & dolore ſcilicet vix ac ne vix quidem conſolabili, animum induxit eam prorsùs inueſtigare, vbi vbi locorum eſſet. Eo conſilio ſanè moleſtum ac longum iter ingreſſus, duodecim ipſos dies occiduum Solem versùs, quà animorum pagum poſitum eſſe acceperat, ire perrexit, ac ieiunus quidem ſic, vt nihil neque cibi neque potionis toto eo tempore deguſtauerit: túncque ſororem adfuiſſe, cum farinâ, aquâ coctâ, ex more gentis, quam cùm obtuliſſet, fratérque inijcere pararet manum, euanuiſſe continuò. Perſeueraſſe eum pertinaciùs, ac menſes tres ipſos porrò tetendiſſe, eadem illâ demenſum quotidiè ſubminiſtrante quidem, at nullo alloquio ægrum animi ſolante. Poſt trimeſtre ſpatium, amnem occurriſſe, torrentiſſimo alueo iuxtà, &, vt quidem videbatur, minimè vadoſo. Deciduarum quidem arborum ramos aliquot tranſuerſos pro ponte eſſe potuiſſe, at tàm infido, támque lubrico, vt tranſitum tentare minimè auſus ſit. Quid hîc ageret? trans fluuium nouale cùm videret, id quod erat ſuſpicatus, oram eam habitari, homines inclamat quantâ maximâ poteſt vocis contentione. Nec fruſtrà, os è caſulâ exerit vnus aliquis, tùm continuò intrò ſe proripit. Addit tamen animos furtiuus ille conſpectus: vadum tentat inueſtigator, tranſmittit feliciter. Ad caſulam rectà pergit: at occluſæ fores erant. Vociferatur, pulſat, increpitat morantes: at contrà, inhibet ille alter ferocem, ac ſi ſe admitti intrà velit, brachium immittere priùs iubet. Vbi corporeos artus vidit, enimuero mirari vehementer referato oſtiolo, percontari quò tenderet, quid ſequeretur; eos tractus vnis animis eſſe attributos. Et noui, inquit veſtigator, & per tanta diſcrimina, támque perplexum iter ſororis animam ſolicitus quæro. Ergò macte animo, ait caſæ cuſtos, haud procul hinc abeſt pagus animorum. Conuenere recens cuncti in tugurium, ſaltationémque exercent conſanandæ Ataëntſic: ea nunc quidem morbo implicita tenetur. En cucurbitam: in eam animam ſororis tuæ includito. Et munere lætus & monitis, poſtquam gratias officiosè egerat, de nomine tàm benefici hóſpitis ſciſcitatur. Tu modò perge, ait: ac me eſſe memento qui demortuorum cerebrum aſſeruem: vbi com-

Præcipua eâ de re fabula.

ANNVS MDCXXIX.

pos eris animæ quam tanto labore per auia terrarum noſtrarum ſequeris, hàc redito: ſororis cerebrum pro beneuolentiâ impertiar. Ergò abit viator feſtinus, cúmque demùm pagum attigiſſet: rectà ad deſignatum tugurium aduolat: nec ſe deluſum comperit: aderant Animi omninò omnes, ac leuandæ Ataëntſic, legitimam choream plaudebant. Sedenim ad inopinatum conſpectum viui hominis, corpúſque circunferentis exterriti, apum inſtar derepentè eius ſe ſe oculis ſubduxerunt. Ille nihilo ſecùs perſtat, diémque totum in tugurio ſolus cùm exegiſſet, ſub veſperum demùm, vti ad focum aſſederat, redire paulatim, & initio quidem eminùs conſiſtere: pòſt progreſſi paulatim, ſaltationem inſtaurare. Dum attentiſſimè ſingulos oculis perluſtrat, ſororem tandem medio in agmine dignoſcit: accedit propiùs: comprehendere fugacem nititur: at nequidquam: donec captato denique tempore, reluctantem capit. Nec tamen ſine moleſto diuturnóque certamine potiri prædâ licuit: totâ nocte, quàm longa fuit, cum eâ conflictatus, attenuatam ipsâ dimicationis contentione includit in cucurbitam, & os vaſculi ſcilicet perdiligenter obturat. Tùm relegens veſtigia, redit ad hoſpitem, ab eóque ſingularis muneris in loco, cerebrum ſororis alterâ clauſum cucurbitâ accipit, cum mandato, vt ſtatim atque ad ſuos redijſſet, daret epulum, effoſſo priùs ſororis cadauere, in tuguriúmque delato. Secundùm epulas, antequam è conuiuis quiſquam abiret, idem illud cadauer in humeros impoſitum per caſam ſemel circunferret, cucurbitam vtrámque manu tenens: vbi primùm ad partem illam caſæ redijſſet, è quâ inſtituere gyrum cepiſſet, ſororem ad vitam reuocatum iri, ità, ſi circunſtantium nullus curioſiùs quid ageretur inſpiceret, omnium oculis humi defixis: ſi ſecùs feciſſent, in irritum caſura omnia. Ac redux quidem ille quæ præſcripta erant ſingula quam-diligentiſſimè peragit: cadauer refodit: dat epulum: iámque corpus per tugurium ritè circunferens, motum aliquem ſentiebat, nec plures quàm tres quatuor-ve paſſus ad explendum orbem ſupererant, cùm (quæ fuit eius infelicitas) vno aliquo ex aſtantibus ſublatis furtim oculis quid ageretur ſpeculato, anima cucurbitâ incluſa euolauit: putrem autem ſarcinam tumulo recondere illicò oportuit. En tibi Orphëi Euridicen.

ANNVS MDCXXIX.

PORRO EX HAC certiſſimâ perſuaſione immortalitatis animorum in vtríſque, hoc eſt tùm in Montanis & Algonquinijs, tùm in Huronibus exiſtit cura ingens mortuorum; in Huronibus autem pietas aduersùs eoſdem planè ſingularis. Ac Montanis quidem eſt illud peculiare, quod cadauera nunquam per caſæ fores efferunt, ſed quâ tugurij parte moriens egit animam, ex eâ corticem reuellunt ſuperimpoſitum, tum ſublimè elatum illac emittunt. Animam putant per vaporarium caminum-ve euolare: ac ne quas egrediens moras trahat in casâ, neu puerulorum aliquem afflet, haud dubiè, ſi faxit, emoriturum; crebro fuſte tundunt hac illac tugurium, quò excedere ocyùs compellant ſcilicet. Cum demortuis veſtes, lebetes, ac ſi quid erat prætereà ſupellectilis, vt dictum eſt antè, infodiunt, tùm ſtudio in eos ſuo teſtando, tùm vt ea in alterâ vitâ præſto ſint. Ciborum item partem exquiſitiſſimam in ignem conijciunt, quâ animus veſcatur. Corpora non noſtro more reſupinant, ſed in formam talis inſidentium contrahunt, arctántque, & crines aliquot ſecant, cognatorum omnium proximo offerendos. Quanquam autem corpora vulgò terræ mandant noſtro modo, illuſtriorum tamen tumulis tanquam pyramidem ex perticis adijciunt; ac viris quidem appendunt inſignia, arcum, ſagittas, clypeum: feminis autem torques, monilia, & omninò nonnihil mundi muliebris. In luctu vultum nigrore inficiunt. Hurones verò vt rebus alijs pleriſque finitimos, ſic ſe ipſi hoc pietatis genere exuperant. In aſſiduis laboribus ſudoribúſque, & totâ commutandarum mercium ratione, id vnum ſequi eos credas, vt congerant vnde quandoque eos qui diem extremum obierint, cohoneſtent. Veſtes, aſcias, veneriæ teſtulæ vim, in funereâ illâ pompâ profundunt, ſic, vt res eas nihili ab eis fieri putes: & ijs tamen gaza tota, opulentiáque continetur. Rigent nonnunquam hyeme ſeminudi, dum arca exquiſitas, pro gentis quidem modulo, pretioſáſque veſtes claudit, mortuis, vbi res feret, impertiendas. Et verò in eo potiſſimùm eorum decus & exiſtimatio agitur, vt quam-maximâ facere poſſunt liberalitate, demortuos proſequantur. Et in conclamatis quidem illud permirum, eos minimè ad mortis horreſcere mentionem, quod contrà fit ſæpenumerò à Chriſtianis hominibus: eorum in ocu-

Cura mortuorum.

Singularis Hurenum aduersùs eoſdem mortuos pietas.

ANNVS MDCXXIX.

lis apparantur quæcunque funus poſtmodùm exornatura ſunt. Quinetiam viui ac ſpirantes ceu per proluſionem ad eum planè modum componi ſe ſe amiciríque patiuntur, quo deinde tumulandi ſunt: ac viciſſim dant ipſi charis extremum epulum, quod Vale dicentium nominant: in' eóque nonnunquam cantitant, nullo appropinquantis mortis metu, quippe quam interpretentur tranſitum ad vitam quandam alteram, ei quam hîc exegerint haud abſimilem. Sunt qui pro concione de ſuis ipſi laudibus magnificè prædicent, monita documentáque tradant ſuis; quos chariores in vitâ habuere, eos commendent alijs. Vbi cum extremo anhelitu exceſſit animus, corpus ſtatim in glomus conformant, vt quo habitu in matris aluo fuerat, eodem, vt dictum ſuprà, conquieſcat in tumulo. id antequàm peractum ſit, lacrimas quiſque quaſi ex compoſito continet: mox, erumpunt totâ casâ gemitus lamentáque; & patris, coniugis, filij-ve, vt ex ijs quiſque obit, nomen ingeminant in numerum, voce lugubri: vt niſi lacrimas videres manantes vbertim, non eos dolere ex animo crederes, ſed in ſpeciem modò iſtæc fieri. Vbi ploratum ſatis, lacrimationem inhibet quiſpiam maioris auctoritatis: &, quod non minùs mirere, ad eius arbitrium ſibi quiſque confeſtim temperat. Nec mora: ad circumpoſita tuguria pergit Præfectus, déque obitu ipſe ſignificat. Accurrunt amici eyùs, adhibendæ conſolationi: ad eorúmque, vt fit, aduentum dolore recrudeſcente, fletus iterùm, comploratióque increbreſcit. Eſt perſæpè ex ſpectatoribus, qui peroret tàm aptè quidem ad tempus, támque accommodatè, vt rationem nullam prætermittat earum quæ ad leniendam ægritudinem à dicendi magiſtris afferri ſolent: excurrit in laudes demortui: illius conſtantiam deprædicat, humanitatem, liberalitatem; ac ſi bellator quidem fuit, fortitudinem, magnitudinémque animi. Hominem eum natum fuiſſe, atque adeò moriendi neceſſitati obnoxium: quid acturum deinceps cum viuis fuiſſe, cuius corpus longâ tabe confectum pridem eſſet? ceterùm, qui caſus emendari nequeant, eos forti conſtantíque animo eſſe perferendos: eandémque in ſententiam alia. Certiores item fiunt finitimi: vtque eſt in vnaquáque familiâ vnus aliquis, qui ex officio in curam mortuorum incumbat, aduolant ij omnes confeſtim,

Exequiarum ritus.

operam ſuam collaturi, & quo potiſſimùm die terræ mandandus ſit mortuus, vnà omnes conſtituturi. Tertium ſæpè diem eligunt: quo die curat Præfectus à ſingulis toto pago epulum apparari. Et faciunt cuncti perlubenter, nec ſi quid exquiſitius habent, malignè reſeruant. Huius autem moris rationes tres afferunt: vt communem mœrorem miſſitandis mutuò ferculis leniant: vix enim quiſquam aliquid ex eis quæ coxit, deguſtat: vt qui amici peregrè veniunt, commodiùs habeantur: vt gratificentur demortui manibus, quos & eâ liberalitate delectari putant, & iſtiuſmodi epularum partem aliquam depaſci. Exhauſtis vbique lebetibus, denunciat Præfectus toto pago, tempus eſſe efferre mortuum. Et conueniunt ad caſam omnes, lamentáque integrant intereà, dum pollinctores geſtatorium adornant. In illud mortuus imponitur, veſte amictus è pellibus fibrinis: ſubter, ſternitur textum ex iunco aut vimine. Succollant deſignati quatuor, procedúntque ad tumulum, pago toto proſequente, miro ſilentio. Tumulus extat ab humo, pedes octo decem-ve, palis nixus quatuor: nec ſolidiſſima fulcra ſunt, cùm totus ſit è cortice. Dum ſepulcro mortuus componitur, aggeruntúrque ſupernè pro humo cortices, promulgat interim Præfectus, quæ cuius ſint dona: eſt enim gentis vel præcipuum in charorum mortibus ſolamen in muneribus poſitum, ac ſi illuſtriore apud ſuos loco erat qui obijt, non modò amici vicinique, ſed etiam ipſi per ſe pagorum Præfecti dona ferunt. Horum pars demortui propinquis conſanguineíſque tribuitur, ſiccandis lacrimis, pars in pollinctores erogatur, munerandæ operæ: nonnulla in ipſum tumulum conijciuntur: quædam denique iuuentuti reſeruantur, feralis ludicri præmia: nam & ludum quoque exercent in lacertorum firmitate poſitum. Lignum pedale circiter Præfectus valentiſſimorum alicui dat in manum: hoc qui renitenti eripuerit, victor pronunciatur: & certamen horam ipſam nonnunquam tenet, ipſo pro viribus renitente, illis totâ neruorum contentione excutere nitentibus. Quandiu iſta geruntur, tandiu tumulo aſſident mater coniux-ve demortui, eum, ſeu cantu, ſeu queſtu ſanè lugubri inclamantes.

ANNVS MDCXXIX.

CETERVM non in omni funere ſeruantur hi ritus. Etenim humantur qui in prælio ceciderunt: eorúmque Patronos, ſi qui

Alij funerum ritus.

ANNVS MDCXXIX.

erant, conſanguinei muneribus proſequuntur, quò ne inultos eos eſſe patiantur, bellúmque ei nationi, contracto milite, inferant. Humo quoque mandantur, qui aquis obruti perierunt, at longè maiori apparatu. Nam & duplicantur munera, & finitimi conuocantur omnes, certatímque de ſuo conferunt: iratum quippè cælum eſſe, atque adeò omni curâ & ſolicitudine placandum: placandi autem is ritus eſt. Allatum in medium cadauer, quàm longum eſt, in vimineo iunceo-ve ſtramine locant: hinc excauatum ſepulcrum, illinc rogus. Præſto ſunt illicò popæ, hoc eſt iuuenes aliquot ad id muneris delecti, ſuccincti quiſque cum cultro. Deſignat, atque adeò carbone circumſcribit is qui ferali carnificinæ præeſt, quæ carnium partes eximendæ ſint: tum ij, quaſi dato ſigno, miſeros artus fœdè lancinant, lacerántque: demùm exenterato corpore, exta quidem, vnà cum deciſis carnibus, in flammam porriciunt, compagem oſſium reliquam ſepeliunt. Hæc dum peraguntur, circunfunduntur nonnumquam mulieres in orbem, gyróſque obeunt multiplices, & iuuenes ad opus tanti ad publicam ſalutem momenti impigrè conficiendum oratione adhortantur: adiungunt perſæpè globulos è teſtâ veneriâ, in óſque induntaniis. Quinetiam matres ipſæ quandoque, filiorum qui ſic interierint, charitate, rei patriæ poſthabitâ, lacrimis licet ora perfuſæ, tamen ex quadam animi excelſitate hortatrices ſe ſe adhibent: nec ſeciùs miſerabili eiulatu orbitatem deplorant ſuam. Hæc ſi ritè atque ordine perfecta cuncta fuerint, enimuerò placatum cælum prorſùs rentur: ſin prætermiſſa, quidquid deinceps minùs ex voto, ſeu ex annuarum intemperie tempeſtatum, ſeu ex bellis malè geſtis, ſeu ex infelici venatu piſcatúque euenerit, totum iracundiæ cæli tribuunt, eo nimirum piaculo accerſitæ. Anno quidem huius ſeculi quinto & triceſimo, cùm menſe Nouembri in aquis perijſſet quidam, dum à piſcatione ſe ad ſuos recipit, & hac omiſſâ lanienâ, pompáque leſſus reliquâ, humatus eſſet ad xv. Cal. Decembres, niuem, quæ eadem ipsâ die, tantâ copiâ effundi cepit, vt totâ deinceps hyeme ſolum texerit, haud dubitanter cuncti, iſti neglectui tribuerunt. Eſt & ritus peculiaris exequiarum in infantulis, quos mors vel primo, vel altero ineuntis vitæ menſe carpſit. Nam & ipſos quoque mandant humo; at ſecundum viam,

quò, aiunt, in aluum clàm ſubeant prætergredientis mulieris cuiuſpiam, à quâ denuò per partum edantur in vitam. En deliram Pythagoræ παλιγγενεσίαν. ANNVS MDCXXIX.

AT NON QVI exequiarum, idem finis eſt luctûs. Ducitur is annum totum à coniugibus, ab vxore, ſi vir; à viro, ſi vxor obijt: maior quidem, dies omninò decem, minor dehinc. Maiorem totum exigunt in ſtoreâ: in eâ diu noctúque aſſiduè iacent, veſtitu inuoluti ſuo, proni ſemper, ac vultu in terram obuerſo. Neque ipſi colloquia vlla vltrò miſcent, nec ſi quid percontere, aliud quidquam reddunt præter ſolennem quandam voculam: nullum ignis calorem adhibent, ne rigenti quidem hyeme: eſculenta frigida: à conuiuijs planè abſtinent. Pedem è tugurio prorſùs non efferunt, niſi noctu, neque id quidem, niſi flagitet neceſſitas. Capillorum quantum pugno capere poſſis, præcidi ſibi ab occipitio iubent, ij dum præſecantur, dolorem ſe ſummum capere clamitant, maximè ſi vir vxorem, vxor virum deflet. Luctus minor hæc habet: in officiosâ amicorum aditione ab viſitatâ qualicunque verborum vrbanitate conſultò abſtinent: capillum neutiquam vngunt; & (quæ gentis eſt moderatio) cælibes agunt ad annum totum: ſi ſecùs faxint, in ſermonem hominum, atque in vituperationem veniant. Ceterùm ſeu terrâ condita, ſeu editiore loco corpora poſita ſint, non eſt is tumulus apud Hurones perpetuus: annos ſummùm duodecim ibi perſtant, magna ſiquidem celebritate ad commune ſepulcrum tunc efferuntur. Eſt id enim ei Nationi in more poſitum, vt incredibili frequentiâ duodecimo quoque anno feſtâ pompâ, quam Mortuorum vocant, eo quem mox dicemus ritu, ſuorum vel oſſa vel cadauera vnum eundémque in locum comportent omnes ita, vt quiſque diuerſo tempore extremum obit diem, ſic diutiùs, minus-ve diu eius corpus priore tumulo continetur. Nec eo tamen quod intercurrit interuallo, mortuorum memoriam prorſùs ponunt: nam & identidem eorum causâ dant epulum, & ſi quidem is qui obijt, illuſtriore loco apud ſuos fuit, quam celerrimè poſſunt, eius nomen exſuſcitant, hunc in modum. Donis ac muneribus Præfectum adducunt ad nomen demortui indendum ei, qui maxime idoneus videatur. Vbi delegit Præfectus, is cui demortui nomen imponendum, primùm omnium finitimos omnes

Luctus funebris.

Feſta mortuorum celebritas duodecimo quoque anno inſtaurari ſolita.

ANNVS MDCXXIX.

ad epulas vocat, magnificè, vt in illâ tenuitate, quò cunctis sub eâ nomenclaturâ innoteſcat: deinde habet delectum militum, coactáque quam-maximâ poteſt manu, bellatum pergit, quo inſigni quopiam ad laudem perpetrato facinore, non minùs virtutis quàm nominis eius quem exſuſcitat, hæres eſſe intelligatur.

IAM vt ad feſtam Mortuorum celebritatem veniamus, ſi officiorum diligentiâ in mortuos, Americenſes nationes ceteras longè infrà ſe Hurones relinquunt; ſemetipſi profectò hîc ſuperant. Euoluto propemodum anno duodecimo conueniunt Nationis Duces & Proceres, deliberaturi potiſſimùm & in quod maximè tempus imperanda ſit, & quo maximè loco commune cadauerum omnium ſepulcrum conſtituendum, quod commodo gentis fiat, & vocandorum vicinorum voluntate. Vbi hæc conſtituerunt, deſignato loco excauatur humus in foſſam ſanè prægrandem, quippe tot excipiendis corporibus, tanto locorum ac temporis interuallo hac illácque interim tumulatis: quanquam anno huius ſeculi ſexto & triceſimo, in quem eæ feriæ inciderunt, poſtremùm, pagi quinque ſeorſim & ferias peregere, & mortuos condidere ſuos, ex obortâ quadam ſimultate. Poſtquam de die, déque loco innotuit, familia vnaquæque continuò impigrè ſtudioſéque curam ſuſcipere de ſuis. Vbicunque corpora iaceant, eò approperant alacres; & quod delicatuli Chriſtiani horreant, efferunt ſine tædio, nauſeáque, fœtentia plerunque cadauera, & vermibus paſſim tetrum in modum ſcaturientia, nondum exeſis carnibus. Vt cui cuiuſque familiæ mortuorum curatio obtigit, is in cognatorum oculis conſpectúque, è tumulis corpora extrahit: hîcque redintegrantur lamenta, & tota illius diei nænia, quo die mors quémque eripuit. Horridam illam congeriem ſeu cadauerum ſeu oſſium, quanta eſt, aliquandiu ſub diò relinquunt, intectam prorsùs, luctuoſum ſanè ſpectaculum humanæ infirmitatis ex quo viuus ac ſpirans diſcere queas quid te demùm aliquando futurum ſit. Videas hîc quidem carnes abſumptas penitùs, tenui dumtaxat membranâ artuum compagem adhuc vtcunque continente: hîc fuſca corpora, & fuligine decolorata, tanquam ſi ſiccata ſint: hîc putridam & purulentam mephitim, & quod diximus, ebullientium vermium vim infinitam. Huius poſtremi generis cadauera nudant prorsùs pelle,

pelle, carnibúſque: tum has, vnà cum veſtibus queis amicti morientes fuerant, textíſque quibus inſederant, in flammas conijciunt. Sicca illa non attingunt: inijciunt modò nouos amictus: oſſa partim ſaccis, partim pellibus includunt. Vbi, quantum libuit, oculos eo ſpectaculo pauerunt, oſſa quidem imponunt in humeros, ſic, vt præter veſtem eam quâ concluduntur, alteram prætereà ſuperinijciant ad ornatum: hanc autem dependere deorſum ſinunt, quò onus totum decorè tegatur. Quæ nondum defluxerunt corpora, ea geſtantur in ferculo: vtraque in ſuum cuiuſque tugurium comportant: & ſcilicet dant continuò ferale epulum. Poſtmodum, biduo ferè ante quàm ad commune ſepulcrum inſtituatur profectio, ſeu oſſa, ſeu corpora in tugurium aliquod eiuſdem pagi amplius, cunctà efferuntur: illic denuò funebre epulum celebrant, Præfecto cunctos lautè liberalitérque excipiente. Cetera ad morem eundem pertinentia ne diſpersè afferre cogamur, viſum in hunc locum omnia congerere, ex Ioannis Brebeufij literis, qui interfuit. Ergò in eo conuiuio obſeruata à ſe quatuor quædam tradit. Primùm, propoſita hinc inde fuiſſe apta ex perticis munera, quæ mortuorum conſanguinei ad feralem celebritatem ornandam conferebant, veſtes, torques è conchâ veneriâ, lebetes. Deinde à Præfecto cantionem Ducis illius, cuius nomen exſuſcitauerat, pro eo ac ille moriens concupierat, modulatè vſurpatam. Tertiò conuiuarum vnicuique factam fuiſſe poteſtatem & ea quæ ſibi obtigiſſent, in alios partiendi, & nonnihil domum auferendi. Poſtremò conuiuas in diſceſſu, nullo alio officio verborum, clamorem, vt aiebant, animorum imitatos, in ijs voculis abſceſſiſſe; *Haëe, haë.*

ANNVS MDCXXIX.

Ordo feralis pompæ.

LECTVS ERAT, inquit, ad commune ſepulcrum pagus, ab Huronibus *Oſſoſſane*, ab noſtris *Rupella* dictus: eò confluebant omnes. In apertâ planitiè foſſam prægrandem excauauerant: pedes triginta diameter coiligebat: decem patebat in profundum. Circùm eam excitatum quaſi theatrum erat, haud inelegans, pedes altum circiter decem: diameter propè ad ſexaginta tendebatur. Supernè, perticæ multæ, cancellatim, vnde Animi (animos enim ea ipſa oſſa vocant) ſuſpenderentur: nam corpora quidem adhuc conſtantia ſubter theatrum collocata ſunt, in corticibus cratibus-ve è vimine aut iunco,

ANNVS MDCXXIX.

circùm foſſam, ab terrâ ad humanæ ſtaturæ altitudinem extantibus. Indictæ erant feriæ ad VI. Id. Maias, verùm in IV. deinde reiectæ, quod ſuda minùs ſuperior illa dies futura putabatur. Et octiduum quidem proximum, quo vel Animi deferebantur, vel vocati finitimi aduentabant, totum partim munerum largitio, quæ à ſuperſtitibus mortuorum causâ erogabantur, partim ludi tenuere. Hîc feminæ arcu certabant, propoſito præmio in victrices, aut torque, armilla-ve ex conchâ veneriâ, aut zonâ ex ſetâ hiſtricis. Illic adoleſcentes varijs locis inter ſe commiſſi, bacillum lignum-ve, de quo ſuprà, vel excutiebant, vel retinebant: præmium, dolabra, gladiolus, aut etiam veſtis è pelle fibrinâ. Intereà confluebant cum pagis totis Animorum baiuli, citiùs ſerius-ve, vt longiùs propius-ve diſtabant, maturè quiſque profecti. Etenim illud obſeruant vniuersè, vt lentiſſimè progrediantur; triduum ipſum in leucis quatuor conficiendis nonnulli conſumpſerunt. Ad pagos quoſcunque, quà fert iter, illud ſuum *Koüé Koüé* ingeminant: procedunt obuiàm pagani, magnâ charitatis ſignificatione: tum largitiones iterantur. Antequam adſint, ſuum cuique hoſpitium deſtinatur: ita nullo nec labore nec tumultu, ad tugurium ſe quiſque ſuum recipit. Animi ex perticis ſuſpenduntur interim, dum feſtæ celebritatis fiat initium. Ergò IV. Id. Maij cùm publicè denunciatum ſub meridiem eſſet, mox ceremoniam inchoatum iri, continuò è ſuo quiſque faſciculo oſſa extrahere: corpora diligenter curioſéque attrectare, nouiſſima verba dicere: hinc noua oborta paſſim comploratio. Demiratus ſum vehementer, inquit Brebeuſius, feminæ, cuiuſdam ducis filiæ olim inter ſuos clariſſimi, tùm in parentem, tùm in filios charitatem: nam parentis quidem cæſariem, quæ nondum defluxerat, diſcriminauit ſedulò, oſſa ſingula, quaſi ea pietatis ſignificatio inſpirare motum denuò, ac vitam poſſet, ita curiosè diligentérque pertractauit: *Atſatoukoüi* appoſuit, hoc eſt feſtucas aliquot inter ſe colligatas, quæ ex gentis more, pro publicis quibuſlibet monumentis ſunt. Filiolorum autem brachijs armillas circumpoſuit è conchâ veneriâ, teneráque oſſa rigauit fletibus: nec diuelli ab eorum complexu poterat. Sed procedendum tandem fuit. Antecedebat corpus illius ipſius ducis: ſequebantur viri, tum femi-

næ, decoro ordine, dum ad locum ventum eſt, ad horam circiter primam pomeridianam. Vt acceſſere, certam quiſque in partem ſecedere, ex præſcripto, onúſque ponere, ad eum ferè modum quo in nundinis fictilia vaſa ruſtici noſtrates. Mox euoluta explicatáque munera, ad mille ducenta: in perticis aliquantùm à theatro remotis, ſerie ſanè longâ: hæc horas duas proſtiterunt, quò aduenarum vnicuique, regionis opes contemplari per otium liceret. Horâ dein circiter tertiâ pomeridianâ, cùm ſua quiſque recepiſſet, ſignúmque dediſſet Magiſter rituum, continuò, pari impetu ac dum hoſtis obſeſſæ vrbis muris imminet, concurrere cuncti ad theatrum, ac per ſcalas vndique circumpoſitas adrepere ſuſpendendis oneribus. Deſcripta pago cuique, ſua pars erat: ita momento peracta res, nullâ turbâ rixâ-ve. Tum amotis ſcalis ſeceſſere alij: remanſere Præfecti aliquot, recenſendis contentâ voce, ceu in præconio, muneribus, quæ mortuorum nomine ſuperſtitibus impertiebantur: horas ipſas quatuor promulgatio tenuit. Interea ſub horam ſextam veſpertinam ima foſſa ſterni cœpta lapide: ei rei opera dum dabatur, illapſi aliqui, arenæ tantum, quantum vtraque manus capere potuit, extulerunt. Miranti Brebeufio, ac quorsùm id ſpectaret quærenti, ſignificatum, putari eam arenam ad luſionem valere, vt qui eâ prædíti ſint, illis addicat alea. Ventum deinde ad foſſæ margines: ijs vndique prætextæ veſtes amplæ atque magnificæ, è denis ſingulæ fibrinis pellibus, nitentibus ac nouis: octo & quadraginta adhibitæ, ſic vt peripetaſma pedem plus vnum vbique extaret. Aliquantò ante Solis occaſum, in foſſam deportata corpora ea, quorum artuum compages conſtabat adhuc: ex quo ſpectaculo ait Brebeufius, ſi vllâ vnquam ex re, informari profectò potuit, qualis quantáque ſit in Tartareo barathro rerum omnium permixtio, atque perturbatio. Vndique putrida cadauera, & vermibus ſcaturientia deponebantur: exaudiebantur inconditi clamores, confúſæque vociferationes perſtrepentium, & non modò quid alij, ſed ne quid ipſi quidem vellent, neſcientium, dum deni duodeni-ve, corpora corporibus, vt permixtè offerebantur, aggerebant, totáque foſſâ in gyrum humabant. Appoſuere ahena tria, haud ſanè optima: & ex conchâ veneriâ torques paucos: plures includebant ipſis

ANNVS MDCXXIX.

in corporibus. Hæc geſta interdiu. Noctem eodem ipſo in loco exegere, crebrís accenſis ignibus, & ſcilicet vel ſolando mœrori, vel exornandæ celebritati, inſtruxere conuiuium: in pagum haud remotiſſimum Brebeufius conceſſit, ſummo mane rediturus, quo tempore oſſa in foſſam coniecturi Barbari erant. Verùm quantamcunque diligentiam adhibuerit, vix aduenire tempore potuit: quippè ex inopinato accelerauerunt. Ex ijs oneribus quæ ex perticis pendebant, vnum aliquod ruptis retinaculis per ſe in foſſam ruit. Excitauit ſtrepitus ſopitos, & tanquam poſtremis defuturus locus eſſet, ita ad Animos quiſque ſuos concito gradu aduolare, in foſſamque certatim trudere, exemptis veſtibus. Tanta autem erat vociferatio, támque latè reſonans, vt ad pagum vſque, in quem ſe Brebeufius ſubduxerat, ferretur. Hîc verò accedens, viſus eſt ſibi videre tanquam in imagine, quid apud Tartarum agatur: namque & ingens illa planities crebris ignibus collucebat: & cuncta longè latéque barbaris clamoribus perſonabant: dum flexo tantiſper in cantum vlulatu, modulatum quiddam reddiderunt, at ſonis tàm lugubribus, vt extremum angorem deſperationémque perditorum in ſempiternum tempus reorum exprimeret. Tandem vbi illam oſſium congeriem quini ſeni-ve ſatis diu verſauerant, veſtes, quæ marginem cingebant, ſuper cadauera reiecere: tum cortices cratéſque vimineas aggeſſere plurimas: lacunam ceteram arenâ oppleuerunt, perticis paliſque indigeſtè adiectis. Acceſſere ad dies aliquot, mulieres cum ciſtellis frugis Indicæ, quam communi tumulo inſpergerent. Ceterùm, vbi primùm diluxit, donorum iterata largitio: quæque veſtes oſſa texerant, eæ maximam partem in fruſta diſcerptæ: ſegmenta mediam in turbam proiecta è theatro, quid cui obueniret. De Idiomate quod vnum hîc tractandum ſupererat, dicetur libro ſequenti.

HISTORIÆ CANADENSIS.

ANNVS MDCXXIX

LIBER SECVNDVS.

DIV multúmque diſceptatum eſt in Regio Maioris Britanniæ Conſilio, Kebeccenſis munitio retineretur, an reſtitueretur Gallis. Non deerant homines cupidiores, quàm iuris æquíque amantiores, qui afferrent, ſi minùs Kebeccum, proximos certè terrarum tractus ad Meridiem, intrà *Virginiæ* limites contineri, quæ à gradu triceſimo tertio, ad quadrageſimum vſque quintum ſextumve pertineret, id verò liquere ex diplomate Sereniſſimi Regis Iacobi, dato IV. Id. Aprilis, anno huius ſeculi ſeptimo, quo poteſtatem ſuis faciat, quidquid terrâ marique ijs finibus claudatur, occupandi, indidémque exteros quoſlibet vi & armis pellendi. Edictum autem Principis æquitate niti: Anglos enim iam inde ab anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto in *Mocoſam*, cui deinde Virginiæ nomen fecerint, ad gradum ſextum & triceſimum, tanquam in vacua prædia ingreſſos, quanquàm tunc eo loco conſiſtere nequierint, tamen iam tum

De Kebecco Gallis reſtituendo diſceptatur in Angliâ.

ANNVS MDCXXIX.

illius regionis poſſeſſionem legitimè adijſſe, nunc pacatam longè latéque ditionem obtinere. Proindè ne quid turbet inpoſterum, arcendum ſanè Gallum, vicinum vtique formidoloſum: id verò, ſi Kebeccum repoſcenti dedatur, ſperari neutiquàm poſſe. In contrarium Chriſtianiſſimi Regis Legatus vrgebat, non poſſe ſaluo iure Kebeccenſem Arcem Galliæ non reſtitui. Iis ipſis literis Sereniſſimi Iacobi quæ obtenderentur, nominatim exceptum fuiſſe de locis, qui tum à Chriſtianorum Principum quopiam obtinerentur. *Poteſtatem*, inquit, *facimus occupandi poſſidendíque tractus omnes ad gradum vſque quintum & quadrageſimum, ita, ſi à Chriſtianorum Principum nullo tenentur.* Compertiſſimum autem eſſe, longè ante à Chriſtianiſſimis Gallorum Regibus oras eas poſſeſſas fuiſſe, ſaltem ad gradum vſque nonum & triceſimum, ac eo ipſo tempore, quo eæ literæ dabantur, Portui Regali ad gradum quadrageſimum quintum, præfuiſſe conſtat Montanum Henrici Magni nomine, ex literis Principis eiuſdem, datis ad fontem Bellaqueum, VI. Id. Nouembris, anno milleſimo ſexcenteſimo tertio. Ac ſi Angli non ab anno huius ſeculi ſeptimo, ſed ab nonageſimo quarto ſuperioris, initam à ſe ritè Virginiæ poſſeſſionem contendere perrexerint, parum id quidem referre: fluuium enim eum, quem primum tenuerint, non tertio & triceſimo, ſed triceſimo ſexto gradui ſubiectum eſſe: ex quo ſi expatiari licuiſſe ſibi putent, fecerint ſanè hinc inde leucas ſeptem octo-ve ab vtraque ripâ: ad id enim ferè interuallum oculorum acies porrigi poteſt: infinitos autem longè latéque tractus occupare eo nomine, quod naui in amnem quempiam ſis inuectus, enimuerò infinitæ cuiuſdam, atque inexplebilis cupiditatis eſſe. Verùm, vt id quoque concedatur, Ribaldus Laudoneriúſque Galli, dum Caroli Noni auſpicijs anno quarto & ſexageſimo ſeculi ſuperioris, ac conſequentibus deinceps duobus reliquis, naues ad oram Floridæ appulerunt, iure potiori poſſeſſionem locorum adierint à gradu triceſimo, vbi *Carolinam Arcem* excitauere, ad triceſimum nonum: totidem enim, repugnante nemine, & tum vendicauerunt: & Gallia diu tenuit: ex quo illud ſit conſequens, non Kebeccum Anglorum, ſed Virginiam Gallorum eſſe. Quæ quamuis non ita eſſent, tamen ſi quod vnius cuiuſpiam loci

poſſeſſionem tibi aſſerueris, ad octo gradus aut nouem graſſari deinde longè latéque licet; cur Angli potiùs à triceſimo ſexto gradu, ad quadrageſimum quintum progrediantur, quàm Galli à quadrageſimo ſexto ad triceſimum ſeptimum curſum reflectant? Sedenim totius propè Europæ conſenſu controuerſiam diremptam pridem eſſe: quandoquidem tabulæ Geographicæ, quotquot editæ ſunt ab Hiſpanis, Italis, Batauis, atque adeò ab Anglis ipſis ſub ea tempora, Nouam Franciam à gradu triceſimo tertio ad triceſimum nonum porrigunt: Ioannes autem Verazzanus, iam inde ab anno tertio & viceſimo ſuprà milleſimum quingenteſimum, tractuum eorundem poſſeſſionem à gradu triceſimo tertio ad quadrageſimum ſeptimum Franciſci primi Regis Chriſtianiſſimi nomine ritè inierat: Rupenſis Marchio ſub Henrico quarto ad quadrageſimum tertium conſedit: quadriennio pòſt, Montanus ab eodem, totâ eâ regione à gradu quadrageſimo ad quadrageſimum ſextum donatus eſt. Sed omnium inſtar obtinere pactionem inter Regem vtrumque factam paulò antè, in Seguſijs: quam cùm eâ ademptione violatam eſſe ab Anglis conſtaret, & Arcem & merces, & ceterà prorsùs omnia reſtitui ex æquo bono debere. Valuit hæc poſtrema denunciatio, quæ niſi ſuperiorum argumentorum certiſſima momenta firmaſſet, nunquam fortè Kebeccum Galli ſine armis recepiſſent: quanquam nihil non egerat apud Sereniſſimum Angliæ Regem Eques Montacutius vt & Arx Kebeccenſis & tota regio Gallis, pro eo ac ius æquúmque poſtulabat, permitteretur. Atque hic ille eſt Montacutius qui ante annos aliquot Romæ Catholicam fidem profeſſus eſt, fractus ijs quæ Iulioduni antè permira viderat per celeberrimos Exorciſmos, quibus migrare ex obſeſſis Monialibus Dæmones pro Eccleſiæ imperio iuſſi, excedebant. Certè ſic ferè vſu-venit: quæ ad eum modum erepta ſunt, non niſi ægerrimè reponuntur, alias ex alijs moras nectentibus ijs, quorum aguntur vtilitates. Sed qui ſuo exitio experti recens erant ad Rupellam, quàm formidoloſum eſſet arma Ludouici decimitertij victricia laceſſere, maluerunt iuri & æquitati parere, quàm nouo ſe ſe bello ſuâ culpâ implicare. ANNVS MDCXXX.

ERCO' RE CONSTITVTA, cæptum in Galliâ deliberari ſub ineuntem annum milleſimum ſexcenteſimum tri- ANNVS MDCXXXII.

ANNVS MDCXXXII.

ceſimum ſecundum; Cuinam potiſſimùm ea prouincia demandaretur. Vnus omnium aptiſſimus Samuel Camplenius videbatur, vir experiens idem, & ad ſanctæ fidei propagationem mirum in modum incenſus, &, quod maximè ſpectandum erat, Gallis æquè ac Barbaris acceptiſſimus. Idipſúmque maxima in Galliam viri merita, & tot támque graues labores tandiu tàm fortiter tolerati, videbantur expoſcere. Sed non ſinebant tempora neque naues, neque pecunias affatim ſuppeditari. Ita in præſens viſus potior Guillelmus Cadomius, homo benè nummatus ſcilicet, ac quanquam Caluiniſta, moderatus tamen. Et anteponendus prætereà eo nomine erat, quòd cùm grauem ei iacturam ante triennium Angli, auerſis pellibus penè ad quater mille importaſſent, æquum videbatur eam vt nouâ curatione ſarciret. Quod ad hæreſim attinet, caueri ſatis poſſe ne quid turbaret, ſi iuberetur ex Orthodoxis omnes ad vnum legere, qui in Nouam Franciam tranſmitterent: Emericus Cadomius, Guillelmi ex fratre nepos, idem ille qui laborantibus Gallis ſuppetias laturus ante triennium venerat, Kebecci hyemaret: ſub eo Pleſſæus Bochartius, homo egregiè Catholicus, præeſſet. His ita conſtitutis, adſciti quoque Ieſuitæ, qui diuina, vt antè, curarent. Lecti in præſens, Paulus Iuuenæus Dieppenſis Reſidentiæ Superior, Annæus Noæus, locorum peritus idem, & genti aſſuetus, cum Laïco. Horflæo ſoluerunt quartodecimo Calendas Maias, tàm ſecundo ſub initium curſu, vt nauigationis prioribus diebus decem, leucas ſexcentas progreſſi ſint: verùm, reflante pòſt vento, intrà menſem ipſum, & quod excurrit, vix ducentas conficere potuere, & quidem inter aſſiduas tempeſtates. Triduum quatriduum-ve nonnunquam, inhibito gubernaculo, nauis fluctuum vndarúmque iactationi permiſſa, hac illac temerè ferebatur; ventis tàm pertinaciter furentibus, vt metuerent nautæ vehementer, ne mali diffringerentur, ne-ve fatiſcentibus tabulatis, commiſſuræ dehiſcerent. Et verò aquam hauſit denique, quam ſi paulò inferiùs accepiſſet, nautarum omnium conſenſu, haud dubitanter de cunctis actum erat. Acceſſere concretæ in glaciem aquarum moles, tàm immanes, vt toto ratis alueo longiores, altiores ipſo malo principe eſſent. Montes crederes cryſtallinos, dum à Sole collucent, certiſſimum

Guillelmus Cadomius rei Canadenſi præficitur.

Iuuenæus & Noæus in Nouam Franciam proficiſcuntur. Tempeſtate iactantur.

mum nauigantibus exitium, ſi fluitent crebræ: ità impeditas interceptáſque naues alliſione lacerant. Tandem IV. Non. Iulij, cùm ſe cunctis iam periculis defunctos arbitrarentur, quippe Tadoſſacum præteruecti, tantumnon naufragium in portu fecerunt. Inſula eſt haud Kebecco procul, Aurelianenſis à Gallis dicta, credo (vt nomina nouis ſedibus imponenda, ab illuſtriſſimis quibuſque veteris Galliæ locis & perſonis mutuati ſunt crebrò) à Duce Aurelianenſi, Ludouici XIV. Chriſtianiſſimi Regis Gallorum patruo, qui dum hæc ſcribimus, ſuperſtes, ſenectutem placidè piéque imprimis exigit. Leucas ferè ſeptem longa eſt: ora occidua leucas circiter duas ab Arce abeſt: ambitus leucas quatuordecim colligit. Eam Inſulam dum flectunt; ſimul turbo, ſimul æſtus maris accedens, tàm atrociter deſæuire, vt diffracto rudente anchora in ſalo hæſerit: nihilo ſeciùs retineri potuit iacta paulò pòſt altera: quin ſcapha quoque ipſa ventorum diſtracta impetu, momento euanuit, diſſultura vtique, ni in vliginem molliorem pulſa foret: tertia demùm anchora finem & periculi, & nauigationis attulit.

ANNVS MDCXXXII.

Inſula Aurelianenſis.

IAM PRÆMISSVS Kebeccum à Cadomio fuerat, qui literarum diplomatúmque apographa perferret ad Kerſium, iuberétque vtriuſque Regis nomine intrà octiduum Arce excedere. Nec refragatus magnoperè eſt: vbi autographa vidiſſet, obtemperaturum illicò renunciauit. Ergo ijs poſtridie à Cadomio prolatis, ceſſit, ac quanquam ægrè, conuaſare tamen cepit: Et ad III. Id. Quintiles, triennio fermè euoluto, ex quò ſe intruſerat, ſoluit, prædâ in naues duas impoſitâ, quas pridem habebat in anchoris. Miſerabilis rerum facies lacrimas Gallis vtrinque elicuit, & pauculis illis qui remanſerant, ex gaudio, & aduenientibus, ex mœrore. Illi tanto interuallo populares dum cernunt ſuos, reuiuiſcere ſibi demùm viſi: ad candidorum appulſum vexillorum, vix ſe ipſi continere: lætitijs verò inceſſere omnibus, vbi auguſtiſſimo Sacrificio, quo triennium ipſum hoſtis eos hæreticus, pulſis Sacerdotibus abſtinuerat, non modò intereſſe, verumetiam locum præbere, & vt in illâ tenuitate licuit, adornare conceſſum eſt. Sanè eam myſteriorum ademptionem, tàm ægrè támque grauatè tulerant, vt quanquam domeſtica fortuna conſtituta vtcunque illic erat, decernerent potiùs in veteri Galliâ

Kebecco Gallis reſtituto Anglus excedit.

ANNVS MDCXXXII.

quam cogitabant, Catholici egere, quàm in Nouâ, ſacrorum omnium extorres, abundare. Sed adfuit Deus in tempore, & optatum tandem ſolatium ſupplicibus, afflictíſque attulit. At qui aduentabant Ieſuitæ, quàm ſunt eâ pietate delectati, tàm alia triſtia oculis vbique, & auribus vſurparunt. Res Chriſtiana peſſundata prorsùs erat: quæ animorum ſeges antè efflorueraat, ea ſpinis & ſentibus obducta, vel inhorruerat, vel ſpem nullam fecerat reliquam. Montanos Anglicanæ vitæ licentia corruperat: Hurones Brebeufium inclamabant illi quidem, at fruſtrà, per tantas locorum intercapedines. Iam, quæ domuncula Kebecci aſſurrexerat, ſi non deturbata prorsùs, certè reuulſis ianuis, feneſtríſque, patebat vndique: ac ne quid ad hoſtilitatem deeſſet, agri modum qualemcunque ſibi attributum, cùm tritico, hordeóque, ac fruge Indicâ conſitum abeuntes Ieſuitæ reliquiſſent; piſa quæ ſeuerat, alteri vendere, Anglum non puduit: neque vllâ ratione adduci potuit, vt vilem illam annonam loco meſſis illius ſuperioris eſſe pateretur. Sed iniquiſſimo tempore magnum fuit infeſtiſſimum inquilinum abigere. Eam atrocitatem delinijt Naſſæ Canadenſis aduentus, illius ipſius, qui primus omnium Camplenio Anglicarum nauium aduentum indicauerat. Is cùm Gallis anteà ſemper ſtuduiſſet, iámque ad fidem capeſſendam propenſior, ſedem proximè Ieſuitarum domunculam fixiſſet, nonnihil donati agri exculturus; poſtquam Anglum rerum potiri Kebecci videbat, refugerat in Inſulas haud remotiſſimas, arationi aſſiduè dans operam, & de Gallorum intereà reditu frequenter ab Hebertianis ſciſcitabatur. Ergò ad reduces acceſſit confeſtim gratulabundus: certum ſibi eſſe vetus domicilium repetere; filiúmque tradere Ieſuitis in diſciplinam: neutiquam ſibi probari popularium ſuorum, vel leuitatem, vel perfidiam: arridere ſibi magnoperè inſtituta noſtra, ciuilíſque vitæ rationes; proinde rediturum ſe haud dubitanter. Et fidem deinde præſtitit; de menſe enim Nouembri ad Gallos ſe recepit, vnà cum totâ familiâ.

INTEREA Iuuenæo in fidei curam propagandæ noctes diéſque intento, nihil potius viſum, quàm vt gentis linguam quoquo modo diſceret: rem ſanè perneceſſariam (quî enim reconditiſſimorum myſteriorum cognitione imbuas eos, qui-

ANNVS MDCXXXII.

buſcum nulla ſermonis intercedat communio?) at laborioſam eandem, ſuprà quàm æſtimari queat: Nam & carent prorsùs Canadenſes innumeris vocibus, quibus res pleræque exprimuntur nobis perfamiliares; & in pleriſque prædiuites ſunt, atque adeò tàm copioſi, vt ipſa vbertas diſcentem implicet atque impediat. Vt Religionis in Deum propè expertes erant, neque quidquam de Ethicis, de Politicis, de Liberalibus diſciplinis vnquam audierant; ita nulla apud eos vocabula, queis deſignes res eas, quæ ad pietatem, ad virtutem, ad vitæ alterius vel felicitatem, vèl cruciatus pertineant. Ne vna quidèm vocula earum, quas Theologi, Philoſophi, Mathematici, Medici tàm frequenter quàm neceſſariò vſurpant. Deſunt nomina Iuſtitiæ remunerantis, punientíſque, artium infinitarum, florum, arborum, ſtirpium, fructuum, animantium, quibus abundamus Europæi. At viciſſim mirum quàm multa, quámque multiplicia verba ſuppeditent ad rerum ipſis familiarium notiones. Primùm verbis vtuntur abſolutis, ſic, vt ſi *te edere* V. C. ſignificare volueris, aliud; aliud, ſi *quid ederis*, *eſturus-ve ſis*, adiungas, vſurpandum ſit: quod quidem diſcrimen qui Latinè Græcéque norunt, tàm vtrique genti ignotum fuiſſe ſciunt, quàm de patrio quiſque ſermone affirmare nunc poteſt. Deinde, non vt Græcè, Latinéque, ac Gallicè, verbum *Intueor*, puta, aut quod in quoque horum idiomate eidem reſpondet, cuilibet accuſatiuo adiungi queat vt *intueri* te dicas hominem, ſaxum, arborem, ac quiduis aliud; apud Canadenſes, res aliter habet: verbum aliud adhibendum, ſi rem animâ præditam, aliud ſi vitæ expertem *intueri*, *tangere*, *ferre* te dixeris. Quinetiam variandum, ſi res huiuſcemodi plures, *intueri* te, aut *tangere*, aut *ferre* ſignifices, homines, ſaxa, aliáque: exceptis pauculis inanimis, quæ in animatorum numero, ac ſerie reponunt, nicotiam, poma, & ſi quid tale. Tertiò variant item verbum pro ratione perſonæ, vt hoc vſurpent, ſi vti ſe pileo, illud, ſi vti ſe pileo illius de quo agebatur, innuant, quas perſonas reciprocas appellamus: res autem ea quâ vtuntur, ſi animans eſt, mutandum adhuc: hæc verò verba omnia ſuis flectuntur certâ lege temporibus, modíſque, & perſonis: ac diſparem terminationem diſpar præterea coniugatio conſequitur. Quartò præter rerum vocabu-

Canadica lingua ſterilis iuxta ac fœcunda.

ANNVS MDCXXXII.

la ſingularum, complexis inſuper, vt ita dicam, vocibus quibuſdam abundant, quæ totas ſententias vnico verbo reddant: earúmque vſus tàm receptus, vt ſi ſecùs loquare, explodaris, tanquam in gentis linguâ hoſpes atque barbarus. *Ventum*, vt in exemplo rem ponamus, *Ʀȣtin* vocant: niuem, *Kȣn*: pellit, ſeu agit, *Rakhineȣ*: & tamen ſi Latinam locutionem *Ventus niuem agit*, illâ Canadenſi *Ʀȣtin rakhineȣ Kȣn*, reddideris; intelligent illi quidem, at riſu ſibilóque balbutientem excipient, qui totam eam orationem efferant vnico verbo *Piȣan*: ex quo de reliquâ copiâ coniecturam facere liqueat. Quintò ad vnam eandémque rem voces alias adhibent, ſi terrâ, aliàs ſi mari contigit, geſta-ve eſt: *heri adueni*, ſi terrâ, *nitagochinin ȣtagȣchi*, ſi flumine, *nimichagan ȣtagȣchi*. Sextò non vt adiectiua noſtra copulari ſubſtantiuis quibuſlibet poſſunt, *Aura frigida*, *frigidum Ferrum*, *Paries frigidus*, ita apud Canadenſes vſu venit: mutandum adiectiuum pro ſubſtantiui cuiuſque ratione: vt nihil dicam de vocibus propè infinitis, quæ non niſi per Periphraſim Gallicè reddi queant. Septimò quod mirere, etiam nomina apud eos coniugantur: *Aſſe, Subfrigidus eſt: Aſſe ehen, Subfrigidior erat. Gaon, ſenex: Agaon Senex eſt: Agaonk, Senex erat: Agaonha, Seneſcit.* Item in voce *Iatacan, Frater meus*: *Oniatacan, Fratres Sumus: Oniatacan ehen Fratres eramus.* At quod ſequitur valdè incommodum Catechiſtis ſanctæ fidei. Apud eos Relatiuum quodlibet vnam aliquam perſonam è tribus Poſſeſſiuorum inuoluit: atque adeò dicere propriè nequeunt; *Pater*, *Filius*, *Dominus*, *Seruus*: ſed neceſſariò vnum è tribus exprimunt, *Pater meus*, *Pater tuus*, *Pater illius*: hinc ſubdubitatum de formâ Baptiſmi verbis eorum reddenda, cuius rei vſus vtique perneceſſarius, vti liquet, dum, vt fit ſæpè, Sacerdotis nulla copia in impertiendis Baptiſmo infantulis animam agentibus, cùm primùm maternâ ex aluo procedunt: ſed difficultatis exolutio huius loci non eſt. Octauo in verbis præterquàm quod tempora habent eadem quæ Græci, numeros eoſdem, prima inſuper Perſona tùm Dualis tùm Pluralis duplex. V. C. *Kiaraſcȣa, Ego & tu proficiſcimur*: *Aiaraſcȣa, Ego & ille proficiſcimur.* In Plurali autem, *Aȣaraſcȣa, Proficiſcimur plures*, *Kȣaraſcȣa*, *Proficiſcimur vobiſcum* Prætereà, duplex coniugationum genus agnoſcunt (atque id Americanorum idio-

matis omnibus commune eſſe, exiſtimare ſe Raguenellus tradit) alterum abſolutum & ſimplex, reciprocum alterum. Prioris generis exemplum eſto, *Ahiaton*, hoc eſt *Scribere: gehiatonk, Scribo, Chiehiatonc, Scribis*; *Ahahiatonc, Scribit: Aʁahiatonk, Scribimus*; *Skʁahiatonc, Scribitis: Athatihiatonc Scribunt.* Poſterioris, in quo id quod exprimitur, ſpectat ſemper aut perſonam, aut aliud aliquid, *Iatenonhʁe, Diligo me: gonnonhʁe, Diligo te: ginonhʁe, Diligo vos ambos: ʁanonhʁe Diligo vos plures:* & ſic de reliquis. Et quod ſingulare, præter dicta, habent etiam coniugationem femininam, hoc eſt, quæ ad ſolas feminas pertineat, in tertiâ ſaltem perſonâ numeri tùm Singularis, tùm Pluralis. V. C. *Dicit* in viris *Ihatonk*; ſi agitur de feminâ *Iʁatonk, illa dicit: Dicunt* in viris, *Ihontonk*, ſi de feminis, *Iontonk, Illæ dicunt.* Porrò ſi quem iuuabit totam aliquam orationem gentis habere in proſpectu, reddemus hîc verbis & characteribus totidem, quæ Præfectus, Aſſiſtentéſque Marianæ Sodalitatis (de quâ ad annum MDCLIV.) miſere ad Sodales Marianos Pariſienſes, ad tantos tantuli, cum torque è conchâ veneriâ Auguſtiſſimæ Deiparæ dicandâ. ANNVS MDCXXXII.

TSENDAON de Aronhiae eſendagerati onnonhiaſχʁi d'eſannontenk agoatatoeti deʁendat, acharo nondéedàcharatogeti, onnonkʁarota daat onʁenſes onʁacharonniati Aronhiaeronnon aʁenda onʁàhiatonkʁi onde te ſannonronkʁannionti doki, Gaʁrier, aonhʁa andoron onacharonniati, aonhʁa andoron doki, aʁenda onʁahiatonkʁi, ʁarie te ſtakʁateri ſonʁeſkʁenſken d'eſachera enχʁindik. Ondeſken ataʁaatatirontak aronhiae de aʁenhei. Latinè ſic reddito.

ACCIPITO, Domina cæli, munus hoc, quod offert tibi flos famulorum tuorum Huronum. Torques eſt plena myſteriȳs: conſtat è gemmis noſtratibus maximè pretioſis: accedit ei tanquam animus & vox, ſalutatio quâ te aliàs Gabriel Angelus impertiuit. Nihil habemus in manibus, quod ſit maioris pretȳ: nihil in pectore ſanctius, quod tibi offeratur, ad cælum ope tuâ obtinendum. Ceterùm carent Montani & Algonquinij literis F, X, Z, Hurones præterea B, L, M, P, prorsùs ignorant: Algonquinij item & Montani, quod Europæis quoque quibuſdam populis familiare eſt, pro literâ B, P vſurpant, contráque P pro B. Algonquinij

ANNVS MDCXXXII.

item Superiores pro R, L pronunciant: Inferiores contrà, pro L, R: canem puta *Allim* vocant Algonquinij Superiores: Inferiores, *Arim*. Apud eoſdem vocalis V. perinde ſonat atque ϒ, Græcorum diphthongus, quâ proinde nos, Gallos Scriptores ſecuti, vtemur crebrò. Vnum ſe virum vidiſſe tradit Iuuenæus, qui Kiriu vocaretur, non Kirig: atque eam ſolam vocem Canadenſem obſeruaſſe ſe ait habere V, vocalem ſimplicem ſeu Latinorum, ſeu Gallorum. Literam demùm habent, cui nulla neque Gallorum, neque Latinorum reſpondet, affinis Græco elemento X. nos per Khi efferre cogimur: neque vnquam apud eos I. & V. ſunt conſonantes. Caſus noſtros Grammaticos vel habent omnes, vel ſi quibus carent, hos ſupplent particulis haud inuenuſtis.

HÆC EVM IPSVM initio latebant, à quo ſunt deinde prodita: qui ſi tum rei difficultatem peruidiſſet, non abieciſſet ille quidem conſilium, vir excelſiſſimi animi, & ad earum Nationum ſalutem diuinitùs excitatus, ſed cohorruiſſet fortè ad oneris grauitatem: verùm, penè antè in linguæ cognitionem venit, quàm eius tricas obſeruare potuiſſet: Ergo partes ſeſe in omnes verſanti, rei conficiendæ obiecta ſpes huiuſcemodi: Indigena erat Paſtedechwan quidam, in ipsâ penè pueritiâ à Recollectis Patribus deportatus in Galliam, ac ſacro lauacro tinctus Andegaui, ſuſceptore Principe Guimeneo: Petrus Chriſtianum nomen fuit. Vbi annos aliquot in Galliâ egerat, Gallicéque didicerat, reductus deinde ad ſuos eſt, fratribúſque traditus, quò penè obliteratas vernaculæ linguæ notiones reponeret. Sedenim, vt eſt hominum indoles in deteriora procliuior, vnà cum ſermone, proiectiſſimam quoque vitæ morúmque licentiam arripuit, Barbarus cum Barbaris. Cognito tamen Gallos, pulſis Anglis rediiſſe Tadoſſacum, ad Emericum Cadomium vltrò contendit. Hominem Cadomius excepit perhumaniter, & apud ſe eſſe iuſſit, pro interprete futurum, eâ honoris ſignificatione, vt etiam ad menſam adhiberet. Sed cùm ſe aliquandiu continuiſſet, poſtmodum ad ingenium redijt: ſuâ proteruiâ apud Cadomium ſemel iterúmque offendit: demùm, reconciliatâ gratiâ vſus parùm modeſtè, eiectus prorsùs eſt. Deſtitutione illâ perculſus, adit ad Pleſſæum: ſed virum alioqui humaniſſimum ſeueriorem expertus

Iuuenatus Canadica linguæ magiſtrum nactus indigenam breuiſſimo tempore eam diſcit.

eſt, qui præterquàm quod mores eius illiberales, petulantiámque perſpectiſſimam habebat, nihil tàm aueret, quàm vt is cum Iuuenæo eſſet, à quo id reſciret vehementer expoſci, nec inuito Cadomio. Quare cum eo ita agit, vt præcisè negarit eum qui à Cadomio pulſus eſſet, apud ſe eſſe poſſe: reputet atque recogitet, ideò ſe ab hominibus explodi, quòd iratum Deum tot ſceleribus, tantáque Chriſtiani officij neglectione haberet. Quandoquidem ſacris myſterijs initiatus fuerat, mores eſſe ex Chriſtianâ lege componendos: nunquam eò deuenturam rem fuiſſe, ſi quod ſpoponderat, præſtitiſſet, vt piè ſanctéque ſe gereret. Vnum proinde deploratæ fortunæ remedium eſſe, ſi ſe ad frugem reciperet: id verò tum demùm perfectum iri, & facilè, & iucundè, ſi cum Iuuenæo aliquandiu verſetur, vernaculam linguam ipſi tradat, ab eo viciſſim præter vitæ cultúſque ſubſidia, ſalutis monita adiumentáque accepturus. Hæſit aliquantiſper Petrus ad eam denunciationem, qui diſciplinam morum ſeueriorem horreret: cùm tamen nihil in præſens paratius occurreret (præſertim cùm ſub idem tempus derelictus ab vxore eſſet, Naſſæ filiâ, ſe ab eo indigniorem in modum haberi expoſtulante) tandem eò penè inuitus confugit, quò vltrò accurrere debuerat. Solicitum ægrúmque animi Iuuenæus omni humanitatis ſignificatione complectitur, nihil, vt in illâ tenuitate, ad victum negare, veſtem etiam curare Gallicam, ſi quo modo cum amictu corporis, barbariem mentis exueret: beatum videlicet ſe reputans, qui voti tandem compos, magiſtrum Canadenſi ſermonis nactus eſſet: ſi magiſtrum tamen, qui methodi prorſus expers, mille modis fatigandus erat, antequàm quidquam ad rem proloqueretur, quæſitis-ve aptè ſatisfaceret. Vſus tamen eo eſt menſes aliquot, hoc eſt ad Paſchales vſque ferias: neque enim diutiùs retineri potuit: eóque ipſo tempore, quaſi non ſatis ingens operæ pretium ferret, qui tàm commodè hoſpitaretur, puerilem in modum nicotiæ aliquantulum proponendum erat in vices ſingulas: ſi quid ab inſulſo præceptore expiſcari Iuuenæus vellet. Aſſiduâ tamen illâ curâ & improbo labore id aſſecutus eſt, vt antè Autummum proximum, balbutientem potiùs, quàm expeditè loquentem indigenæ vtcunque caperent, quanquam haud ſine

ANNVS MDCXXXII.

ANNVS MDCXXXII.

riſu nonnnuquam: &, quod mirere, libros de Canadicâ linguâ confecit, antequam Canadicè ſciret, hoc eſt digeſſit in certa capita linguæ diſcendæ rationem ac viam: non vni vtique ſibi profuturus, ſed ſanctiſſimi inſtituti conſiliíque ſocijs, quotquot ſecuturi pòſt erant, quibus quæ ad gentis ſermonem capeſſendum attinerent, planiora cuncta fecit. Ad eas curas acceſſit puerorum inſtitutio duorum, res in ſpeciem tenuis, at magni ad cetera momenti: vt apud Canadenſes quoque Eccleſia ſimillima grano ſinapis eſſet: quod quidem cùm initio olerum omnium minimum ſit, progrediente tamen deinceps die, excreſcat in arborem; ac ſi Romanos illos rerum orbíſque dominos non puduit Romulum Remúmque ab lupâ alitos auctores tanti Imperij agnoſcere, nunquam alienum Chriſtianâ modeſtiâ putabitur, Fidei Religioníſque apud Nouam Franciam propagationem ad tàm exigua primordia reuocare.

Libros de Canadicâ linguâ confecit.

ANNVS MDCXXXIII.

ERGO SVB IPSA anni proximi initia, cùm omnia longè latéque frigore horrerent, & quacunque oculos intenderes, aliud nihil tuenti, niſi nix occurreret, vbique paſſim quinque minimùm pedes extans, alicubi decem, circà Patrum domunculam penè in montem aggeſta; ſecundùm ſtata orandi tempora, ſacrificandíque, diſcipulis opera dabatur. Alterum Naſſa obtulerat, morti, per inſuetam Barbaris humanitatem, ereptum. Etenim cùm Tadoſſaci eſſet, ab omnibus poſt parentum mortem derelictus, fuit qui ſclopum obtruderet Petro, Naſſæ genero, adderétque, hunc confice quamprimum: quid enim deinceps in iſtâ orbitate moras trahat? Verùm & Petrus abnuit, & ſocer puerulum apud ſe in filij loco habuit, donec curam eam omiſit, poſtquàm eum Iuuenæo tradiderat. Alterum genitrix ipſa apud eundem depoſuit, ſponte, an diuino quodam inſtincta motu. Deſerta mulier à viro erat, nullâ ſuâ culpâ, ſed coniugis leuitate; qui de gentis more, diremptis prioribus nuptijs, vxorem aliam adſciuerat. In eâ deſtitutione tùm ſibi tùm filiolo conſultura haud inconſulta mulier, nihil ſe commodius facere poſſe putauit, quàm ſi Gallis charum pignus traderet: ita ad Naſſam perrexit, enixè rogatura vt ſe apud eos hanc in rem interponeret. Et tanquam ex compoſito res ageretur, vbi primùm puerulum Iuuenæus,

Noæúſque

ANNVS MDCXXXIII.

Noæúſque videre, haud ſanè illiberalem, ita inter ſe ſuſurrabant, nihil fieri poſſe aptius, quàm ſi is ad alterum adiungeretur, quo ne tædio ſolus langueret. Ergo neſcio quâ obtinendi fiduciâ, Iuuenæus matrem compellans: Trade, inquit, nobis filiolum: eum ſingulari curâ fouebimus, educabimúſque. Atqui eâ ipsâ de causâ veneram, ait mulier: ab Naſſáque precari conſtitueram, id vt à vobis flagitaret mecum. Ita res tranſacta continuò, cum vtriuſque partis gratulatione: quanquam turbatum poſteà nonnihil ab vno aliquo è pueri conſanguineis, vetitum à ſuo Præfecto dictitante, ne quem quis liberorum Gallis traderet: ſed repugnauit forti animo mulier, puerum, ſuum eſſe, non Præfecti vociferans: chariores vtique eius rationes matri eſſe debere, quàm externo homini; ſuum eſſe de eo ſtatuere: omninò perſtare ſe ſe in ſententiâ: nec prohibiturum vllum, quin puer apud Gallos Sacerdotes eſſet. Acceſſit pòſt paulò, patris quoque ſuffragium, cùm nondum omnem filioli aut charitatem exuiſſet aut curam. Iis auditoribus grandis natu magiſter operam ſuam impendebat: eos & vernaculè & Latinè precari docebat: & intrà paucos menſes vterque Latinè legere didicit. Ceterùm, in vtroque mira morum placiditas, in altero etiam aſſentatiuncula. Nunquam quidquam guſtabant, niſi ſolenni Catholicorum menſæ benedicentium oratiunculâ præmiſſâ: quo in genere illud facetum accidit, quòd cum catello quidpiam ad eſum porrigerent aliquando Patres, Nondum, inquit puerorum alter, ſtatum *Benedicite* recitauit: ego ei voce præiero. Hîc cùm obortus noſtrorum riſus eſſet, Atenim canes ingenio non valent, ſubiecit puerulus alter: hominum eſt, non quadrupedum cibis benedicere. Quid hoc candore feſtiuius? Et ſanè hæc erant Patribus rerum plerarumque aſperarum, ac vitæ planè difficilis leuamenta, qui ex tàm generoſis ſurculis quænam demùm arbores extituræ eſſent ad gentis totius ſalutem, iam tùm augurarentur. Ad duos illos ſubinde acceſſerunt plures: poſtquàm enim indefeſſâ contentione improbi laboris, & ope qualiſcunque doctoris id aſſecutus Iuuenæus eſt, vt à Barbaris vtcunque caperetur, periclitari cepit continuò, nùm quid tradere ſcriptis poſſet, ac nonnihil circà Catecheticæ doctrinæ capita præcipua elucubrauit: tum magni Xa-

Pueruli Iuuenæo & Noæ traduntur inſtituendi.

Iuuenæus Catechetica doctrinæ capita præcipua Canadicè reddit, & ſcriptis tradit.

ANNVS MDCXXXIII.

uerij imitator, non in Goanæ vrbis frequentiâ ille quidem, ſed circà Barbarorum mapalia ad nolæ tinnitum accerſere cepit puerulos ad viginti. Et cupidè confluebant, alij è vicinîâ, nonnulli è locis paulò remotioribus; vel rerum quæ tradebantur nouitate, vel quotidiano donatiuo illecti: piſorum enim aliquantum ſecundùm ſcholas largiebatur Iuuenæus, vel omnibus, dum pauci erant, vel, dum plures, ijs qui omnium optimè ſatisfeciſſent. Nec irritus ſanè labor: præcipua fidei myſteria intrà menſes paucos intelligentiâ comprehenderunt. Deum vnum eſſe, non plures: ab eo conditum eſſe quidquid extrà ipſum vſquam rerum vniuerſitate contineatur: eundem artus humanos, hominum causâ induiſſe: ipſi ante omnia parendum, obtemperandúmque: id qui faxint, cunctos in cælum euectos ſempiternâ quadam felicitate donatum iri: qui contumaciùs repugnauerint, contráque eius mandata fecerint, arſuros in perpetuum. Ipſæ feminæ foris è feneſtrâ auſcultabant, qúæque pueris explanabantur, arripiebant. Viri ſi quando aderant, ſubtiliora percontabãtur: haberetne Deus vxorem qui Filium ſuſcepiſſet? quæ forma eius eſſet, quæ-ve ſpecies? mas eſſet, an femina? Negante Iuuenæo vllâ Deum aut membrorum varietate, aut corporis mole conſtare; atque adeò nec marem eſſe, nec feminam affirmante, ſed animo noſtro perſimilem, qui carnis expers, oſſiúmque eſſet; demirabantur ſcilicet magnopere: fuit qui bellè rem attigiſſe ſibi viſus, illam Dei cum animo noſtro ſimilitudinem magnopere comprobaret, ita rem prorsùs habere dictitans; ſuam enim ipſius mentem nuper ſe vidiſſe, nullâ carne, nullis oſſibus: eum autem errorem tum quidem facilius Iuuenæo fuit riſu excipere, quàm rudi homini eripere, cùm verba prorsùs deeſſent, quibus res eas ab omni prorsùs materiæ contagione ſecretas imperitis exprimeret. Ceterùm, reſonare tum primùm immenſa illa nemora ſacris canticis ceperunt: quercus inter & fagos modulatis vocibus tùm pueri, tùm feminæ reddebant quæ à Myſtagogo accepiſſent, ringente nequidquam teterrimo Dei hominúmque hoſte, qui ſe de antiquâ paulatim poſſeſſione deturbari animaduerteret.

Reditus Camplenij.

HIS OCCVPATIONIBVS incredibili vel Gallorum, vel indigenarum gratulatione interuenit Camplenius, tandiu

cunctorum votis expetitus. Ad vndecimum Cal. Iunias, ſub Solis ortum auditus diſploſarum bombardarum fragor ſolicitudinem iniecit hoc magis, quòd triduo antè nunciatum erat, Anglicam nauem Tadoſſacum appulſam recèns eſſe, piraticámne an hoſtium, haud dum ſciri ſatis poſſe: quid enim ſi denuò Galliam inter & Angliam turbatum eſſet? Rei explorandæ continuò cum Naſſâ Kebeccum Noæus progreſſus, reuolat nullâ interpoſitâ morâ, Camplenium adeſſe nuncians, è ſocijs autem Brebeufium: quæ geſtienti Iuuenæo vix expoſuerat, cùm Brebeufium ipſum vident. Ità metu in gratulationem verſo, comperiunt Canadenſis rei adminiſtrationem Camplenio ſummâ cum poteſtate reſtitutam. Enemondum Maſſæum reducem Tadoſſaci præſtolari, dum nauigij ſe ſe det opportunitas: Antonium Danielem Ambroſium Danoſtium, ex Armorico Promontorio cum eo adueniſſe, operam ſuam propediem adiuncturos: miſſos item opifices duodecim. Hæc cùm omnia læta erant, tùm nihil in ſpem maiorem erigebat animos, quàm cognita perſpectáque Camplenij ſedulitas, & incenſum ſtudium diuinæ propagandæ gloriæ. Nihil ei potius fuit, quàm vt accerſendis è cælo ſubſidijs, ac Præſidiariorum fouendæ pietati, proximè Arcem, ædiculam ſacram ſtatueret, firmius vtique propugnaculum, quàm quæ moles aggeſto ceſpite iaciuntur, quippè Auguſtiſſimæ cælorum Reginæ dicatam. Hîc ſolennibus quidem diebus feſtis aduum omnes; ſub menſis præterea cuiuſque initium, plerique mente ritè per ſanctam homologeſim expiatâ, diuinam ſynaxim obire ceperunt, ſalutari vtique documento; Tales ferè ſolere eſſe qui parent, quales qui præſunt. Arcem, Academiam virtutis diceres: pro militari licentia, pudor; pro prætextatis verbis, eorum quæ ſuper menſam è Sanctorum vitis prælecta eſſent, commemoratio; pro pietatis religioníſque neglectu, quotidianum examen, & cuiuſque ſeuera ſuas in noxas inquiſitio: hæc enim à præſtantiſſimo viro cuncta in mores inducta, hac moderatione vt ad prandentes quidem, ex ciuili hiſtoriâ; cœnæ tempore, ſacer Author adhiberetur. Incarnati item Verbi myſterium mane meridiéque, ac ſub veſperum ex Europæo ritu æris campani tinnitu recolendi inuecta conſuetudo. Nec minor ciuilium rerum cura: tertio quàm aduenerat die, Cana-

ANNVS MDCXXXIII.

Rei Canadenſis adminiſtratio ei ſummâ cum poteſtate reſtituta.

Quantum in eo rerum diuinarum ſtudium & cura?

ANNVS MDCXXXIII.

denſes adfuerunt ad ſtatam mercaturam frequentes: Canoæ duodeuigenti erant, è quâ potiſſimum Natione, haud proditum reperio. Inceſſit tamen metus Camplenium, ne Tadoſſacum vſque deſcenderent ad Anglos Piratas, quos iſtiuſmodi compendium allexerat. Ergò anteuertendum ratus, ad eorum mapalia excurrit, memorátque per idoneum interpretem; *Dudum quidem eorum rationes ac ſalutem Gallis cordi eſſe cepiſſe; ſe verò præterea à laborantibus aliquoties opportuno ſubſidio fuiſſe in ancipiti præliorum aleâ, & interceſsiſſe ſibi olim arcti ſimam neceſsitudinem cum ipſius Præfecti parente* (ad quem potiſſimùm conuertebatur oratio) *non neſcire illum, quo in certamine eius pater fortiter dimicans obÿſſet, in eodem vulnus duplex Camplenio inflictum, nec ſine grauiſsimo incommodo. Nullam tamen ſuperiorum diſcriminum imaginem, nulla tædia nauigationis, nullas chariſsimæ patriæ illecebras prohibere potuiſſe, quò minùs ad eos rediret, tanquam ad germanos fratres. Nempè nihil ſibi fide eſſe antiquius: eam ſe non oratione magis, quàm re præſtare ſolitum. Cùm ante annos aliquot percupÿſſent ipſi, apud ſe Gallorum coloniam conſtitui, qui hoſtiles impetus excurſionéſque, vel inhiberent, vel arcerent, ſe iam tum pro incredibili ſuo in eos ſtudio in eam voluntatem incubuiſſe: nec verò diutiùs dilaturum fuiſſe, niſi piratica Anglorum impreſsio cuncta diſturbaſſet: nunc vbi primùm, quæ ipſi peſſundediſſent repoſuiſſet, quod omnium primum prouidendum vtique ſibi ſit, neutiquam ipſis defuturum, curaturúmque inſuper, vt apud eos domicilium Brebeufius figeret cum ſocÿs, à quibus, & parentibus & filÿs vera certáque ſempiternæ adipiſcendæ felicitatis ratio traderetur. Quæ cùm ità eſſent, non poſſe ſe ÿs non ſuccenſere, qui poſtpoſitis Gallorum neceſsitudinibus, eo conſilio veniſſent, vt Tadoſſacum, ad Piratas Anglos potiùs deſcenderent, quàm Kebecci cum amicis & fœderatis Gallis negotiarentur. Viderent proinde etiam atque etiam quid agerent, Anglos piratas abituros continuò, Gallos manſuros.*

Cum finitimis nationibus firmato fœdere Kebecci negotiationem inſtaurat.

IN EAM FERÈ SENTENTIAM prolocuto per Interpretem Camplenio, Præfectus, Kepitenat nomine, Gallorum perſtudioſus, poſtquàm attentiſſimè audierat, Gallis ad minimè barbaram eloquentiam ſtupentibus aptiſſimè reſpondit. Etenim demiſſo ad modeſtiam vultu, captatáque non ex Ariſtotelis Tullij-ve ſcitis, ſed ex ipſius naturæ inſtitutione, beneuolentiâ; *Ego*, inquit, *Galli, nihil exto, nihil emineo ſuper ea*

ANNVS MDCXXXIII.

animalcula quæ humi repunt: vos orbis terrarum Principes, qui metum, ac formidinem præ vobis agitis: Audacior ſim igitur, ſi apud vos proloqui quidquam, aut velim, aut enitar. Si ponè adeſſet qui dicenda ſuggereret, loquerer confidentiùs: nunc, quo me vertam neſcio, qui parente ab ipsâ pueritiâ orbatus, ſi quid temerè hac illac obſeruaui, teneo; præterea nihil: atque iſtiuſmodi inſcitiæ conſcientiâ mirum in modum percellor. Aïs, Campleni, iampridem cordi Gallis eſſe noſtras rationes: quis non videt? nouimus certè ac ſi quid ſecùs proloqueremur, ſermo cum mente pugnaret. Memoraſti, fide nihil tibi eſſe antiquius: ea de te concepta à nobis opinio effecit, vt morem tibi perpetuò gereremus. In prælÿs, atque in dimicationibus opem nobis ſæpenumerò tuliſti: eò nobis es charior. Quid vis à nobis, aut quid omninò expectas præterea? nihil attuliſti quod veriſimum non eſſet. Addidiſti, Gallos haſce in oras expeditionem ſuſcepiſſe tegendis nobis; téque ad nos vſque penetraturum, eo conſilio, vt hoſtium noſtrorum impetus vel inhibeas, vel retundas. Ego quidem de maioribus natu audire me memini, vos initio cùm Tadoſſaci eſſetis, inuitatos à Montanis aliquot, ad nos aſcendiſſe, veſtróque conſpectu oblectatos mirum in modum noſtros parentes, propenſiori iam tum quadam in vos voluntate precatos, vt ne vos pigeret ſecum eſſe. At res eſt etiamnum integra, ad nos ſi lubebit conſcendere, glebam opimiorem quàm hîc Kebecci eſſe, re ipsâ comperietis, & initio quidem domum excitabitis talem (manu ſpatium anguſtius deſignabat, quale Kebeccenſis munitionis) *tum deinde laxiorem aliam, huius amplitudinis;* (iterùm ambitum geſtu delineabat pagi totius, oppidi cuiuſdam in morem mœnibus cingendi:) *ac tum demùm foris, canum inſtar cubitare deſinemus; neque vllà deinceps ſuſpicione laborabimus commercÿ fœderis-ve cum iniquis veſtris. Tu ſcmentem prior facies: nos præeuntem ſequemur imitando, fixáque ac ſtabili ſede vagam hanc vitam ſiluaticámque mutabimus. Exiſtimauit præterea Cadomius. ſat ſcio, fibrinas pelles à me miſſas ad exteros. Equidem non inficier, quin numerum aliquem pellium miſerim, non fibrinarum, ſed ex alcis; neque ad mercaturam, ſed ad brachia noſtris præcidenda hoſtibus. Noſti tute, Iroquÿ quàm immanibus ſint brachÿs: eò munuſcula miſi ad finitimas nationes, quò ne ſe ÿs adiungant: quod niſi ità eſſet, perÿſſemus iampridem omnes: ità non ad Gallorum iniuriam, ſed ad noſtram ipſorum conſeruationem ea largitiones pertinent. Atenim ad Anglos tendimus? minimè verò; mox*

ANNVS MDCXXXIII.

vetabo ſedulò, ne quis ad eos adeat: ac me quidem, & quotquot ingenio valent, præſtabo prorsùs non ituros; iuuenum inconſultiorum aliquis ſi eò clam excurrerit, quæſo precórque ne genti fraudi ſit: eam ætatem non te latet vix ac ne vix quidem cohiberi poſſe: tui tamen arbitrij res eſt, ſpeculatorios lembos, vbicunque opportunum viſum erit, colloca: ſi quis ire contumaciùs tentauerit, eius pelles tollito. Gallos Sacerdotes polliceris ad nos venturos, nobiſcum verſaturos, & ad ſempiternæ felicitatis adeptionem documenta tradituros. Vt metuo ne non ſat citò huic rei detur initium! nimirùm ea liberorum noſtrorum erit fortunatiſſima conditio: nos, quorum eſt iam ætas in ſenectutem deciiuior, ad tumulum vſque funeſta inſcitia comitabitur. Mones, nobis rationibúſque noſtris conſulamus, & quid demùm acturi ſumus, dum integrum eſt proſpiciamus. Brachium vellicas ſcilicet: & trepidamus: cor deinde petis: & totis artubus cohorreſcimus: ſic tamen habeto: Anglorum conditiones prorsùs repudiabimus. Allectauit me quidem qui ijs præerat vobis abſentibus, & in fratris numero & loco habere me velle dictitauit frequens: verùm ad eam mentionem obſurdui, illius potentiam, meam tenuitatem cauſatus. Nimirum illud ſemper altè in animo hæſerat, quod diſcedens denunciaueras, rediturum te aliquando: atque vt priùs illud re ipsâ comprobaſti, ſic te ad nos vſque penetraturum confidò Illa vna ſolicitudo animum meum angit, ne in mutuo hocce noſtro commercio vſúque, cædes aliqua fiat cum noſtrâ omnium pernicie: ſed vides ipſe non omnes ſapere: erunt certè ſemper in officio conſultiſſimi quique.

HÆC AD EVM prorsùs modum à Barbaro qui putabatur, perorata, Gallos perculerunt: præſertim cùm, vt relatum deinde eſt ab ijs qui adfuere, vocem tàm aptè moderaretur, vt pro eorum quæ exponebat, naturâ, eam nunc attolleret, nunc deprimeret perſcienter; geſtum item ſic ad omnem obſeruantiæ ſignificationem componeret, vt eorum ipſorum animos mirè caperet, qui licet ex linguæ ignoratione, quid diceret minùs aſſequerentur, ex actione tamen non obſcurè quò ſpectaret conijcerent. Ceterùm, haud abs re illud de glebâ opimiore inculcabat: cùm is exploratum haberet, à Gallis adamari locum qui Trium fluuiorum dicitur, leucas trans Kebeccum triginta, quò deinde vltrò citróque adiri ceptum, ipſam illam cupiditatem ſtudebat magis magíſque acuere. Diſceſſum porrò ſic eſt, vt Camplenius amicè ſubri-

dens diceret, vbi ſemel illa domus extitiſſet, Gallos iuuenes eorum filias ducturos in matrimonium: ità vnum ex ambobus populum coaliturum. Et Dux Barbarorum; facis, inquit, ex tuo more, Campleni, dum falſum quidpiam admiſces hilarandis nobis: id ſi erit quod dicis, næ, nos felices, ac fortunatos! ANNVS MDCXXXIII.

ALIQVANTO' POST Hurones quoque adfuere. Anteceſſerat Ludouicus Amantacha, is de quo ſuprà memorauimus: ac poſtquàm conſueta ſalutationis officia tùm Camplenio, tùm reliquis perſoluerat, biduo quàm venerat, ſacram exhomologeſim & ſynaxim apud Ieſuitas ritè obijt, monitus à Iuuenæo. Tum iuſſus à Camplenio obuiàm procedere popularibus ſuis, re benè geſtâ, redijt ad VI. Cal. Sextiles. Poſtridie ingenti ſanè & numeroſo, pro loci naturâ, agmine, Hurones videre licuit, vt nonnulli aſſeruêre, ad ſeptingentos; vt in confeſſo apud omnes fuit, ad quingentos, Canois inuectos, centum & quadraginta cum mercibus. Forma, & ſpecies, & ſtatura appoſita ad dignitatem: corpus firmum iuxtà, & agile, robur ingens, amictus, qualis vulgò ceterorum, ex pellibus haud venuſtiſſimè ſuccinctis: capillus hocillo-ve modo ſeu promiſſus, ſeu raſus, vt cuique collibuerat: vix enim quidquam hîc certum. Nomenclatura à Gallo quopiam orta dicitur: qui cùm erectâ fronte, nec ſine generoſæ cuiuſdam ſuperbiæ ſignificatione ingredientes videret, quæſiſſe fertur vernaculè quiddam, vnde ſignificaret videri ſe ſibi intueri aprorum os & ſpeciem. Nihil non egerant Inſulares qui dicuntur Algonquinij, ad quos neceſſariò in itinere diuerterant, vt ne ad Gallos deſcenderent Hurones: minimè tutum eſſe, ad infenſos iratóſque progredi: Bruſlæi Galli ante annos aliquot ab Huronibus necati ſanguinem Huronum ſanguine expiatum iri: Algonquinium vnum quendam cùm Gallum item aliquem nuper necaſſet, ab ijs haberi in vinculis ſic, vt nulla ſpes ſalutis ſupereſſe videretur: proinde ſibi, ac rebus ſuis, ſi quid amicis crederent, conſulerent, dum integrum erat. Hæc vtique partim vera afferebant, partim comminiſcebantur de ſuo. Nam Stephanus Bruſlæus interfectus quidem erat: verùm hominis conſcelerati & perfidioſi nex Gallorum neminem magnoperè commouit, vt infrà reddemus. Quod de

ANNVS MDCXXXIII.

Algonquinio addebant, recentius erat. Poſtridie Cal. Quintil. Gallus quidam dum haud ab Arce procul linteola ſua ſociorúmque, poſt adhibitam lixiuiam aquâ viuâ abluit, incautus excipitur à Sicario, ac fuſtuario necatur, nullo quidem priuato odio, vt faſſus deinde homicida eſt; ſed quòd cùm enixè flagitaſſet vnus aliquis è conſanguineis bellator, ipſo in procinctu, vt indigenam quendam quem deſignabat, de medio tolleret, ſique alter monitus ſtructas inſidias multoties declinaſſet, pro Canadenſi Gallum necare conſtituerat: ita totum immaniſſimi pectoris virus ac furorem in inſontem effuderat; paulóque pòſt popularium ſuorum indicio captus à Gallis fuerat, & in vincula coniectus. Ceterùm, eò potiſſimùm tota illa ſtropha ſpectabat, vt Huronum merces viliſſimo pretio auerſas, ipſi deinde per ſe ingenti compendio Gallis Anglisve diſtraherent. Ità vel in mediâ barbariâ viget amor nummi. Sed commodùm adfuit Ludouicus Amantacha, nebulámque illam totam vaniſſimarum ſuſpicionum diſcuſſit: Hurones à Gallis haud dubiè exceptum iri perhumaniter: ſi quid ſecùs accidiſſet, non recuſare ſe, quò minùs omni ſupplicio laceratus, ab ijs quos prodidiſſet, interimeretur. Bruſlæum, nullo loco pridem apud Gallos fuiſſe, ne pro Gallo quidem habitum, qui ad Anglos transfugiſſet: alterius autem crimen ad Hurones minimè pertinere, cùm Algonquinius eſſet: quanquam, nihildum de illo conſtitutum eſſe. Pergerent ergò intrepidi, quò iter intenderant, ne-ve Gallorum amicitiam reſpuerent, à quibus cur refugerent, nulla vnquam re vel leuiſſimè violati? præſertim cùm Galli antiquâ recuperatâ ditione, Anglos ſimul Kebecco, ſimul totâ regione pepuliſſent. Adiecit de Brebeufio, quem vniuerſæ Nationi percharum, Kebeccíque verſantem eſſe intelligebat, venturum ſecum vtique: eo enim conſilio patriam iterùm deſeruiſſe. Confirmauit nutantes ſapiens veráque oratio: ità ſabiectâ trepidatione Kebeccum porrò venerunt Hurones: & ſcilicet conſtare prorsùs omnia quæ à Ludouico allata eſſent, reipsâ comprobauerunt.

HIC DVM MERCATVRIS vltrò citróque datur opera, intereà cogunt concilium, Camplenio accerſito; Is & adfuit ipſe, & quoniam illud potiſſimùm agendum erat, vt Ieſuitæ cum

cùm Huronibus irent, eos quoque intereſſe voluit: ita Iuenæus, Brebeuſiúſque aduocati. Humi conſidebant omnes, nullâ loci ſuperioris dimicatione: proceres ſexaginta circunfuſa iuuentus ambibat vndique. Initium dedit vnus aliquis è Præfectis, lectus ab alijs, in eam ſententiam; Huronum Nationem in cœtum illum conueniſſe eo animo, vt conſilium de re communi cum Gallis inirent. Breuem orationem ſecuta ſolemnis approbantium acclamatio, in hos ſonos *Ho, Ho, Oh*, imis ex præcordijs grauiori cum aſpiratione ductos ab vnoquoque. Tum idem ille pergens addidit, ad Gallos tanquam ad amicos fratréſque deſcendiſſe Nationem: atque huic ſocietati fœderíque firmando, Camplenio Gallorum Duci à ſe offerri munera. Hícque fibrinarum pellium faſciculos tres obiecit: & eam quoque orationis partem excepit iterata cœtus acclamatio. Secundùm hanc addidit Orator; Populos eos omnes Camplenij reditu mirum in modum oblectatos, eius ad ignem accedere, æquum proinde eſſe vt ligna foco adderent. Et faſciculis totidem fibrinarum pellium illum denuò donauere: tum ſolitam vociferationem iterauerunt. Camplenius viciſſim per Interpretem referri iubet; Singulari ſe ſtudio ac voluntate gentem totam complexum eſſe, ex quo in eas primùm oras veniſſet: nunc, cum poſtliminiò eoſdem tractus repetijſſet, nihil magis in votis habuiſſe, quàm vt eos compellaret coràm, ceu fratres coniunctiſſimos: idcircò legatum ſe ab Rege potentiſſimo, eos vt tegeret tutaretúrque; huic officij ſui parti pro virili egregiè ſatisfacturum: idcircò miſſum à ſe ipſis obuiàm Actuarium cum lembo. Nec verò illum de ipſis benè merendi ardorem eorum ſcelere reſtingui potuiſſe, à quibus Galli tres eſſent per inſidias interfecti; atque adeò illos minimè audiendos eſſe, qui ſimultatum ſatores, diſſeminarent haud tutos illos apud Gallos fore; quibus nihil eſſet fide antiquius: dictorum ſe ſuorum, promiſſorúmque conſtantiæ teſtes ipſos appellare quam experti ipſi eſſent iàm ſæpiùs. De muneribus, gratiam & habere ſe in præſens, & quandoque relaturum. Tum dilapſus ad Euangelij præcones; *Eidem*, inquit, *conſeruandæ amicitiæ, pergent vobiſcum Sacerdotes iſti noſtrates, Hos in parentum loco habemus: hi nobis vitâ ipsâ chariores. Nolite putare ipſos premente egeſtate; deſertâ Galliâ,*

ANNVS MDCXXXIII.

De Ieſuitis cum Huronibus mittendis, in communi conſilio deliberatur.

ANNVS MDCXXXIII.

ad vos tanquam ad vltimum ſubſidium perfugiſſe: in ſolo patrio & magno in pretio erant, neque rebus carebant ad frugalem victum cultúmque neceſſarijs: ità non veſtrarum pellium opum-ve reliquarum cupiditate, ſed ſempiternæ vobis conciliandæ felicitatis ſtudio ad vos pergunt. Adeſt popularis veſter Ludouicus Amantacha: refellat ſanè ſi quid ſecùs à me affertur, ac ſuis ipſe oculis vidit in Galliâ. Veſtrum erit eos colere, ſi Gallos diligitis; morem eis gerere, ſi benè vobis filiíſque veſtris conſultum cupitis: vobis enim ipſíſque iter ad vitam beatam munient. Eam Camplenij orationem excepit Præfectorum duorum gratulatio minimè ſanè rudis. Aiebat enim alter, vbi primùm Galli Kebecco exceſſerant, terram, fluuium, atque adeò cælum ipſum deſiderari cepiſſe: neque enim terram, terram ex eo fuiſſe, nec ſolitam amœnitatem amni manſiſſe, nec cælum ſerenum, vt antè, extitiſſe: ex quo verò redijſſent, reſtituta cuncta derepentè; tellurem, amnes, cælum ad ſuam naturam, ingeniúmque redijſſe. Alter autem militari aſſentatione; *Ità eſt*, inquit, *tùm vbique timidiores ſumus, Campleni, tùm metum noſtrum conſpectus tuus auget vehementer. Emicat enim ex oculis tuis terribile neſcio quid, quod amici ferre vix queant; hoſtes autem ne vix quidem: adeo eorum mentes in prælijs pauore & formidine loco moues.* Tum oratione ad circunfuſam iuuentutem conuersâ; *Audite*, aiebat, *audite iuuenes, & quæ memorantur, altè infigite mentibus: neu poſthac obtendat quiſquam, quæ tractantur, de ijs non eſſe relatum in conſilio. Moneo iam nunc, atque denuncio: quò morem deinde quiſque gerat.* Tandem Brebeuſius ipſe per ſe pauca addidit in eam ſententiam: Se, cum ſocijs ad eos approperare ſic, vt certum ſibi conſtitutúmque eſſet apud ipſos exigere vitæ reliquum: cum ijs deinceps tanquam cum germanis fratribus, non tanquàm cum exteris acturos: ſi minùs ſub ea primordia domicilium in pagis omnibus figerent, non ſibi propterea Nationem totam chariſſimam non eſſe: tribuendum id operarum paucitati: fore aliquando, vt maiora amplioráque ſubſidia Gallia ſubmitteret; tum verò ſingulis pagis attributum iri qui ſtabiles, iter ſalutis monſtrarent. Quæ cùm Ludouicus omnia approbaſſet, confirmaſſétque, clamorem illum ſuum ingeminare continuò vniuerſi; tum circunſtare Brebeuſium, & incredibili ſtudio certatim contendere, à quo potiſſimùm deduceretur. Et cùm

quaſi pro ſuo iure ipſum repoſcerent pagi incolæ illius vbi primùm ſubſederat, eum ita compellant; *Age nobiſcum ſincerè, atque exaudire ne diſſimula. Vin' noſtris in tugurijs vt priùs habitare, an propriam caſam exoptas?* Propriam volo, infit Brebeufius. Benè habet, aiunt: ad necem Galli, apud nos cæſi, diuerſi ſoluto pago diſceſſimus: vbi primùm ſedem ipſe tibi delegeris, cingemus vndique medium, & circùm caſam tuam caſulas erigemus cuncti; tu circumpoſitos teges, atque tutaberis: quid enim ſine te facere omninò poſſumus? ANNVS MDCXXXIII.

HÆC FELICITER hactenùs progreſſa, diſturbata deinde ſunt: ac primùm quidem extitit diſſidij nonnihil inter Hurones ipſos, quis potiſſimùm pagus Brebeufium haberet. Triduo pòſt, quàm ita deciderat cum ijs apud quos antè fuerat, multis cum illo eodem egit Præfectus pagi præcipui (Rupellam nomen fecere) iret ſecum potiùs: tutius Rupellæ futurum, quàm alibi: periculum nullum fore à clandeſtinis graſſatoribus: regionem totam ſuis humeris incumbere: nihil ipſi defuturum ad victum: charum cunctis & eſſe, & fore. Ad hæc cùm hæreret & cunctaretur Brebeufius: Video, pergit Præfectus, ea te videlicet cura ſolicitat, ne apud illos offendas, apud quos collocâras ante domicilium. Sed tui iuris es: de te tuíſque rebus ſtatuere pro arbitratu potes; illud modò denuncia, te apud nos eſſe velle: moleſti porrò eſſe deſinent. Cùm deliberare ſe velle per otium Brebeufius reſpondiſſet, rem cum Iuuenæo ceteríſque ſocijs communicat. Iuuenæus momentis rationum in vtramque partem expenſis, optimum factu ſibi videri pronunciat vt præcipuo loco ſedes figatur: Sic enim quondam cùm de orbe terrarum vniuerſo ad Chriſti notitiam veneratiónémque traducendo actum eſt, beatos Collegas Petrum Paulúmque Romam mundi Metropolim adijſſe. Si parua liceret magnis componere, Rupellæ conſiſtendum eſſe: iſtius pagi incolæ vbi ſemel Chriſtiana ſacra capeſſiuiſſent, illius veſtigia preſſuros ceteros: præſertim cùm eo loco conſilia cœtúſque totius Nationis haberentur, ac tanquàm in ſupremo Conſiſtorio de rebus gerendis præcisè ſtatueretur. Acquieuit Brebeufius, ſed anxius animi, ne contemptos ſe pagi ceteri clamitarent. Ei ſuſpicioni amoliendæ, à Camplenio precari inſtituit, inuidiam in ſe transferre ne grauaretur: & quando è di-

Res ſatis felicitèr incœpta exitum habuit contrarium.

ANNVS MDCXXXIII.

uinâ gloriâ eſſe putaretur Rupellæ conſiſtere, cunctis præfectis ediceret, velle ſe prorsùs, Gallos quotquot ad Hurones abierint, Rupellæ congregatos degere, non diuerſa in loca diſtrahi. Et fecit vir diuinæ gloriæ ſtudioſior, quàm ſuæ amantior: quærentibúſque pagorum ceterorum Præfectis; Quánam ſuâ culpâ iſto bono carituri eſſent? ac quidni demùm, cùm Galli ſeni, pro pagorum numero, mitterentur, ſinguli in pagos ſingulos diſtribuerentur? Nulla quidem veſtra culpa, infit Camplenius; ſed duplex me ratio mouet: altera, quod cùm vnà cum Patribus pueri duo, adoleſcens vnus ituri ſint; periculum eſſe video, ne ſi ab eis ſeiungantur, nemine deinceps in eorum mores factáque inuigilante, rixentur cum veſtris: altera, quod ſi diſſipabuntur, vagabuntur ſcilicet, quocunque demùm collibitum fuerit: ita, dum vel Gallorum vel veſtra intererit cum ijs agere, vbi requiratis? ſin vna eadémque in ſede verſabuntur, qui domi remanſerint, alij quò diſceſſerint continuò ſignificabunt. Expectate, inquit, paululùm: erit breui cùm ſingulis in pagis Gallos habeatis incolas. Satisfecit hæc oratio alijs, Præfecto pagi (ſeu oppidum mauis: cenſet enim Iuuenæus pagos illos maiores Huronum, oppida vocari poſſe) vbi Brebeufius, Noæúſque commorati fuerant, non ſatisfecit, cui ſpes omnis adimeretur pagi reſtituendi. Sed moleſtius quiddam paulò pòſt interuenit. Pridie Non. Auguſti, Hurones muneribus donandos haud minoris pretij quàm accepiſſet, Camplenius in conſilium aduocat, poſtridiè profecturos. Secundùm largitionem, inter cetera de quibus deliberatum, flagitata ab ijs enixè homicidæ liberatio. Pernegauit Camplenius fieri id poſſe: hominem conſceleratum, qui inſontem, immerentémque Gallum nefariè oppreſſiſſet, indignum eſſe qui lucem intueretur: vnius ſupplicio ceterorum petulantiam graſſatorum coërcitum iri: & in eam ſententiam plura addidit, quibus viſi Hurones acquieſcere. Iámque Brebeufius cum *Antonio Daniele*, *Ambroſio Dauoſtio*, certâ profectione & reculas ſuas Huronibus tradiderant, & pretium operæ ijs à quibus vehendi eſſent, perſoluerant, cùm nocte intempeſtâ *Cocles* quidam, cui cum homicidæ popularibus arcta intercedebat neceſſitudo, vociferans per circumpoſita fluuio tuguria denunciat; Ne quem quis Gallorum in Canoas accipiat:

captiui propinquos ad amnis ripas in insidijs esse, Gallis intercipiendis, necandísque. Aderat cum Brebeufio sociísque Iuenæus, qui quò commodiùs postridie abituros salutaret, ad amnem, Gallorum in domicilio pernoctabat. Is cùm ex Brebeufio sermonis gnaro quæsijsset, quò isthæc spectaret vociferatio? comperto vetari Hurones Gallorum quemquam excipere, extemplò noctis silentio excurrit ad Arcem, ad Camplenium, ac tametsi minimè opportuno tempore, admissus tamen, de re totâ certiorem fecit: tum repentè reuolat ad Brebeusium cum eiusdem Camplenij Interprete, qui Huronibus significaret, ne quis abscederet priùs, quàm cum ijs iterum actum esset. Et, commodùm, in itinere Præfectos offendunt vnum in locum congregatos ad consilium: ijs cùm mandata Interpres exposuisset, multo mane præco per tuguria indicit, nequaquàm eo die profectionem institutum iri: quiescerent proinde iuuenes: ac si quid cui fortè mercandum supereſſet, ei sanè rei daret operam. Post horas ferè quatuor Camplenius ipse adfuit, coactóque consilio, quærit ex Coclite palàm, quid ità intempestiuo clamore Gallorum quemquam in Huronum Canoas accipi vetuisset? Ad hæc Cocles negare id se vetuisse: denunciasse modò obstinatissimum propositum propinquorum captiui: Gallorum alicuius in cædem, siquidem cum Huronibus proficiscerentur, eorum sine dubio furorem erupturum: id si fieret, bellum cum Gallis fore: ex eo consecuturam vastitatem regionis totius: Hurones eo ipso turbine inuolutum iri. Hoc tantum incendium facili negotio restingui posse, si captiuus dimittatur: ita pacatam nauigationem fore, & apertam liberámque facultatem vltrò citróque commeandi. Hîc ex Huronibus percontatur Camplenius; num eadem mens perstaret, & Patres deducendi voluntas? Hurones, quibus propositum erat in Gallorum amicitiâ perstare, nec apud populares offendere, aptè respondent. Nihil quidem sibi esse optatius, quàm Patres deducere: verùm, non esse se fluuij dominos; prouideret Camplenius cum accolis: nauigari vt tutò posset. Compellánsque vnus aliquis Præfectorum, Coclitem, Audin' tu, inquit: vbi oram vestram tenuerimus, caue dicas non à nobis actum esse de dimittendo captiuo: vides ipse nihil nos prætermittere, vnde liberetur: sed quid

ANNVS MDCXXXIII.

ANNVS MDCXXXIII.

tandem vis Campleni rationibus opponi? Iam quippe Camplenius negauerat id se posse: agi de suo ipsius capite, si de homicidâ pœnas reposcere neglexisset; à potentissimo Gallorum Rege Gallum trucidatum suo periculo requisitum iri. Cùm nihilo magis de sententiâ Cocles dimoueretur, addidit Camplenius quicquid in rem afferri potuit, magnificis pollicitationibus iuxtà, & terroribus propositis: pacem, si acquiescerent spopondit; si repugnarent, bellum interminatus est. At vtrumque frustrà: semper sibi constans Cocles, affirmauit iuuentutem contineri nequaquam posse: facere se quod sui muneris esset, vt de atroci Nationis consilio Gallos faceret certiores: satius esse Patrum profectionem differri: intrà proximam æstatem, audaculos illos bellatores virus acerbitatis suæ in hostem effusuros: ita sedatum iri impotentem illam iracundiam. Ceterùm, si quid secùs quàm velimus, acciderit, nolite, inquit, in nos culpam conferre: ei rei prospicere non est sanè penès nos. Vbi perstare tàm obstinatè in sententiâ Barbarum Iuuenæus vidit, tùm demùm ex composito deprecator quoque ipse apud Camplenium accedit, deposcítque captiuum. Pernegat Camplenius id se posse, ob allatas rationes: neque verò æquum esse suo capite indignum vitâ caput repræsentari. Instat Iuuenæus, flagitátque, saltem sontis supplicium differat, dum Christianissimi Regis voluntas exploretur. Et annuente Camplenio, oratione ad Hurones æquè & ad Coclitem conuersâ: *Nobis*, inquit, *solenne est, de omnibus benè mereri: nobis nullius vnquam, quantumuis nocentis, supplicium fas est deposcere: pacem vbique, quoad eius fieri potest, vel constituimus, vel redintegramus: vobis autem studemus præcipue.* Neque hîc se continere Camplenius potuit, quin adiungeret, & hæc ipsa verissima esse, & præterea diligi Patres ab omnibus, quibus cognitum, compertúmque esset de eorum institutis: ipsos cum Deo agere: ipsos eo consilio ad Hurones per tantas ærumnas difficultatésque proficiscí; vt magna traderent. Subiecerunt vicissim Hurones, Quod de sontis supplicio eo vsque differendo allatum esset, dum de Christianissimi Regis edicto ac voluntate constaret, id verò sibi magnopere probari. An non ergò, inquit Iuuenæus, iterum Coclitem appellans, eâ conditione populares tui dabunt iter? an non sontis

ANNVS MDC XXXIII.

conſanguinei, vbi quid eius causâ fecerimus compererint, placati æquíque, tendere porrò ad Hurones nos ſinent? At Cocles, Quid vis, inquit, addam præterea? Lymphati ſunt; furore & amentiâ perciti in Gallos, ſi qui obuij fortè erunt, ſine dubio ſæuient: niſi captiuus reſtituatur, nihil non periculi pleniſſimum video. Certè finitimorum Barbarorum ſunt maximè ſuperbi Inſulares, gens intrà Algonquiniorum fines modica, eorúmque arrogantiâ offenſus Deus, Nationem totam videtur velle exſcindere, ità ad paucos nunc redacti. Horum quaſi moderator tunc erat Cocles is, ὑmaſatikyaié nomine, hoc eſt *Bufo*. Et quaſi Coclitibus delectaretur gens veſana, ita tres continenter oculorum altero captos Præfectos legit. Camplenio viſa ea contumacia indigniſſima: ergo aſperioribus verbis caſtigandam ratus, denunciat ſibi ipſis viciſſim cauerent. Si Inſularium Algonquiniorum vllus cum telo deprehenſus fuiſſet, facultatem ſe ſuis daturum, in eum ſclopum explodendi. Compertum ſibi eſſe, non dubitaſſe temerarios vel in ſeipſum minas iactare, quod nullo ſatellitio ſtipatus, hac illac ſolus inambularet. Deinceps non puerorum, ſed militarium virorum in morem progreſſurum. Bonos quidem chariſſimos ſibi eſſe, Hurones præſertim, quorum causâ in capitis, ac vitæ diſcrimen veniſſet aliquando: nec abnuere quin in eadem pericula iterùm ſi res ferat, eorúmque depoſcat ſalutis ratio, ſe ſe conijciat: ſed quo ſtudio probos tueatur, eodem ſe ardore improbos vlciſci conſueſſe. Ceterùm, quanquam & Rupellenſes nihil Inſularium minis territi, Brebeufium inuitare pergerent, nec deſperare ſe dicerent, quin ſaluum incolumémque per infeſtam oram perducerent; & ipſe, cum Daniele Dauoſtióque, nihil tàm aueret, quàm ſanguinem vitámque eâ in causâ profundere; ſuperſedendum tamen Camplenius Iuuenæúſque duxerunt, cùm è re Chriſtianâ, atque adeò è diuinâ gloriâ magis eſſe videretur, pacem quoquo modo cum Barbaris fouere, quàm quidquam per vim & arma tentare. Ergo abeuntes Hurones ſaucius ipſe animi, verbis hiſce paucis proſecutus Brebeufius eſt. *Vos in germanorum fratrum loco ac numero ducimus: ad vos ibamus eo conſilio, vt neque in vitâ deinceps, neque in morte à vobis diſtraheremur. Sed quandoquidem occluſo fluuio, iter obſtruitur, reÿcienda in annum proximum profectio,*

ANNVS MDCXXXIII.

quo tempore quieta pacatáque cuncta erunt. Veſtram intereà ſortem deploro: poſtquam enim agere vobiſcum ſine interprete ceperam, & vitam ad cœlum monſtraſſem errantibus, & ſempiternæ vitæ opes infinitas explicuiſſem: ſed motus hi tantas vtilitates vobis in præſens eripiunt. Vultu & fronte, atque adeò oratione caſum eum acerbiſſimum ſibi accidere teſtati Hurones omnes, eam ſibi demùm conſolationem relinqui dixerunt, quòd anni vnius curriculum fluxurum breuî eſſet. Rupellenſes autem addidere præterea, quæcunque tandem formidines intentarentur, ſe perlubenter Brebeufium cum ſocijs accepturos, ducturóſque: ſed nihil vltrà moliendum Camplenius, noſtríque rati. Ità exigua Patrum ſupellex à mœrentibus repetita. Sub veſperum autem eius diei, Ludouicus Amantacha rationibus priuatim ſuis conſulturus, ad Ieſuitas adijt, poſtridie ante lucem (quando ſub auroram proficiſcendum erat) mente denuò per homologeſim repurgatâ, ſacrum Chriſti Corpus ſumpturus. Atque is exitus Huronicæ expeditionis eum in annum fuit: poſtridie Nonas Auguſti caſulis momento refixis, conuaſarunt omnes, ablatíſque reculis, repentè ſe ſe intuentium Gallorum oculis ſubduxerunt. Nec ita diu pòſt, naues Gallicæ; cùm nihil eſſet quod reditum moraretur, ad decimum ſeptimum Calendas Septembris vela fecere.

AT IVVENÆVS diſſeminandi Euangelij cupiditate vnicè incenſus, cùm & præſidium ingens in Camplenio conſtitutum haberet, & plures è Societate adeſſent, qui abſentis vices Kebecci ſuſtinere commodè poſſent, hyemem proximam cum Barbaris exigere omninò ſtatuit. Iamdiu eum Paſtechuanus, infidus, ac leuis interpres deſtituerat: ipsâ ſextâ feriâ Sanctioris hebdomadæ nihil non egerat vt dimitteretur, venatúmque cum Naſsâ ſocero ire ſineretur. Negauit Iuuenæus, fas eſſe homini, qui per Baptiſmum nomen IESV-CHRISTO dediſſet, prætermittere ijs diebus Chriſtiani officij partem vtramque, homologeſim, inquam, ſynaxímque. Et illam quidem vſurpauerat per hyemem aliquoties; ad hanc nullomodo adduci potuerat: quod diceret nunquam ſe, ex quo è Galliâ redijſſet, ad eam acceſſiſſe; obijſſe quidem aliquoties in Galliâ, at animo integriori. Vrſit tamen opportunè importunè Iuuenæus, hominémque tandem perpulit ad vtramque,

vtramque, poſtquam ab Naſſâ euicerat, biduum vt ipſe quoque præſtolaretur. Vix ſacri dies fluxerant, cùm abſceſſit illicò, nec tàm venationi operam daturus, quàm ad fratres perrecturus ſuos, Tadoſſacum vſque per nemora, & ſaltus iter molitus impeditiſſimum, vt reſcitum deinde ab Naſſâ eſt. Et ea fuit miſero extrema denique pernicies: cùm iampridem langueret inerti in pectore ſancta fides, & barbaræ Canadenſium licentiæ aſſuetus, Chriſti iugum, ſuaue quamuis, detrectaſſet identidem, tandem amplexus deteriora, maluit cum ſuis ærumnoſiſſimam egentiſſimámque vitam trahere, quàm cum Gallis in honeſto otio ac qualicunque copiâ facta, conſiliáque ad felicitatem dirigere. Sub eos tamen dies, cùm & eum, & germanos Kebeccum fames reduxiſſet, veniebat eorum ad caſulam Iuuenæus, eò frequentiùs, quò Paſtechuanum norat Gallis ſe infenſiorem iniquiorémque Tadoſſaci præbuiſſe. Non deſperabat, quin infelicem denuò ad frugem reduceret: quod ſi deeſſet, illud tamen alterum ſupererat, quod ſequebatur, vt nonnihil per eam aſſiduitatem ab eo ad linguæ peritiam expiſcaretur. Ergo ad eius caſam crebrò itare: cum eo benignè & familiariter colloqui: inuitare ad hyemem alteram traducendam ſecum: cúmque ad ſuas hominem adducere ſe poſſe non videret, conſtituit ad illius conditiones deſcendere, vt quò pergeret, ipſe in hyemem ſequeretur. Fratres Paſtechuanus habebat tres, *Cariguanum* natu maximum, ſagum inſignem, ſi quis ſagus ijs locis eſt, *Meſtigoitium*, venatorem eximium, *Saſouſmatium*. Cum ijs quid Iuuenæus animo volueret, communicat: id quia in omnes partes conducibile futurum cernebatur, auidiſſimis exceptum auribus. Cariguanus præſertim, improbiſſimus veterator, & Dei hominúmque contemptor perfidioſiſſimus, id ſpectans vnum, vt nonnihil emungeret, caſulam prolixè offert ſuam: bonum ſe, inde à primâ pueritiâ, bonis delectatum aſſiduè, cum tali hoſpite coniunctiſſimè victurum. Iuuenæus cui perſpecta iam hominis fraus atque improbitas eſſet, conditionem benignè placidéque reiecit: cum Paſtechuano, qui Noæo ſubindicauerat cupere ſe Domino Deo reconciliari, tranſigit, ſe cum eo, cúmque Meſtigoitio fratre hyematurum, eâ lege vt neque trans S. Laurentij flumen excurrerent, & Cariguanus

ANNVS MDCXXXIII.

Iuuenæus hyemem cum Barbaris exigit.

ANNVS MDCXXXIII

prorsùs abeſſet: ita quietiùs pacatiúſque ſe linguæ vernaculæ, eo vt priùs doctore daturum operam; verùm, Barbarus fidem quàm facilè dedit, tàm impudenter violauit, abiítque in alia omnia. Incredibile dictu, quàm multa, quámque indigna, tùm ab ſago, tùm ab deſertore fidei pertulerit Iuuenæus quinque ipſos menſes, & quod excurrit: nos ſummatim eas ærumnas perſtringemus, vt vel hinc os oppiletur calumniæ, dum hæc ſcribimus, recuſæ inſulſiſſimâ malitiâ in Apoſtolicos viros eos, qui oblectamentis vitæ, iucunditatibúſque omnibus valere iuſſis, in horridas illas ſolitudines penetrant, eos non tàm animarum, quàm pellium causâ, tàm duram prouinciam vel depoſcere, vel ſubire. Irent modò qui hæc tàm inepta per otij deſidiæque abundantiam comminiſcuntur: ſuis illic oculis intuerentur, quàm temerè indignos rumores vel acceperint de triuio, vel ex hæreticorum ſentinâ hauſerint? quámque procul non modò à vero, ſed etiam à veri ſimilitudine abſit impudens maledictum. Quòd ab itinere tàm arduo, tam longinquo, tàm formidoloſo ſi eorum mollities refugit, recognoſcere certè hîc legendo ne pigeat grauiſſimos Ieſuitarum in Americâ labores cum aſſiduis coniunctos capitis diſcriminibus.

Indigna ab ijs perfert.

AD XV. Calendas Nouembris lembum Iuuenæus conſcendit cum Paſtechuano Meſtigoitíoque, quod pepigerat; &, quod ferendum inuito fuit, paulò pòſt cum ipſo Cariguan. Annonæ abundè hoſpiti ſuppeditauerat in totam hyemem: vini vt quidquam caperet, adduci vix potuit, id quod euênit, ſuſpicatus, Barbarorum intemperantiæ irritamentum id fore: ceſſit tamen precibus hortationibus-ve inculcantium, tàm longi itineris támque incertæ rationis victus barbarici, ſubſidium id quandoque fore; ita cirneam addi paſſus eſt haud prægrandem. Vix leucas aliquot flumine emenſi, trans Aurelianenſem inſulam exſcenſionem fecerant ſanè amœnam, cum Meſtigoitio ad venationem in cœnam profecto, mulieribus excitandæ tegendæque caſulæ intentis, Apoſtata, (hoc nomine deinceps Iuuenæus Paſtechuanum deſignat) alium ad lembum ſe proripit, ſtantem ad anchoras: ex œnophoro tantum vini haurit, vt cùm mox præceps in fluuium cecidiſſet, tantumnon vndis merſus ſit: ægrè tandem emerſus, accurrit

amens ac furioſus ad caſulam, perticas diſijcit, cortices crebro fuſte diffringit, lymphaticis vlulatibus, ac mali metu, mulieres fugat, tùm ad Meſtigoitium conuerſus, paucas in cœnam auiculas elixantem, in fauillam cuncta diſijcit, mutiente nemine: poſtmodùm vbi idem tentat, occupat Meſtigoitius, ac feruenti iuſculo inſanientis vultum, pectúſque perfundit, hinc cutis abſtracta ceſſit derepente, non ſine acerbiſſimo dolore: cuius morſu efferatior apoſtata, quidquid è cœptâ caſâ ſupererat, peſſundare. Quinetiam, cùm infrendens quiddam ſubmurmuraret, expoſuit Meſtigoitius (verè, an ex aſſentatione) ſecurim conficiendo Iuuenæo popoſciſſe; quod tamen ſine vllâ probabili veriſimilitudine dictum, ex eo videri poſſit, quòd idem ille furioſus Iuuenæum Gallico ſermone compellans, recedere iuſſerit de medio: non enim cum eo certamen ſibi eſſe; tùm togâ eundem prehendens; Canoam, inquit, Iuuenæe, conſcendamus ambo, ac domunculam veſtram repetamus: quo iſti ſint ingenio neſcis; abdomini ſeruiunt ſuo, nec te, ſed cibos à te quærunt. Non potuit tamen à propoſito Iuuenæus dimoueri: ſed vt ſe prorsùs ab homine ijs intemperijs agitato liberaret, clàm vicinam in ſiluam ſeceſſit, incœnatúſque ſub arbore noctem egit, ſic, vt pro culcitrâ, aggeſtæ pauculæ frondes, pro ſtragulo, cortex fuerit. Tam exercitis initijs cetera deinceps præclarè reſponderunt. Dies decem, plures-ve deſertis inſulis intercluſos grauiſſima aliunde ſolitudo excepit: nocte intempeſtâ lembum malè religatum atrociſſima procella procul in cautes egit, fluitantem canoam aliò abripuit: quo vtroque perfugio deſtituti ſi forent; enimuerò ingens fuiſſet ad res difficiles facta acceſſio. Sed inſigni benigniſſimi Dei prouidentiâ, poſtridie mane cùm ad oram fluminis trepidi concurriſſent, vident lembum quidem inter rupes: at rem miram! vbi ne æratæ quidem naues tàm crebræ, támque vehementi alliſioni ad ſaxa ferendæ pares futuræ fuiſſe viderentur, nihil labefactatum; canoam autem ad continentem, quà nemus aſſurgit.

ANNVS MDCXXXIII.

INTEREA CHRISTIANARVM precum formulam conſcripſerat, ope Paſtechsani Iuuenæus, vernaculâ linguâ: has quotidiè, tùm ſub auroram, tùm ſub ſtata tempora capeſſendi cibi, recitabat ex codice, non modò non inuitis, ſed etiam vltrò hortantibus

ANNVS MDCXXXIII.

Barbaris. Hoſpes præcipuè identidem ex Iuuenæo perconta batur, cur moriendi neceſſitati obnoxij homines omnes eſſemus? quónam animus à corpore auulſus pergeret? num noctis tenebræ ſimul ac ſemel orbi toti offunderentur? & illius generis complura. Ipſe apoſtata aliquandò infelicitatem faſſus ſuam, ſpem nonnullam frugis melioris fecit. Videlicet illum concubiâ nocte, alto ſopore depreſſis reliquis, hunc in modum Iuuenæus compellauerat: Miſeret me tui, Petre, miſeret me tui; peſſimè tibi, tuíſque rationibus conſulis: qui cùm domi noſtræ commodè tranquilléque degere in aliquâ rerum ad victum neceſſariarum copiâ poſſis, aptè congruentérque ad ſempiternam felicitatem, cuius ſpe ipſi ducimur; præoptes vitam hanc vagam & ſilueſtrem, & ex incertiſſimâ venationis ratione pendentem. Ac tametſi miſerum eſt in diem viuere: nullius tamen momenti eſt deploratiſſima iſta egeſtas, præ illâ æternitate in alteram partem planè horribili. Quid enim te fiet, ſi ſempiternis ignibus arſurus es? Atqui iſta, niſi te reſpicis, certiſſima pernicies. Deum deſeris, à Deo viciſſim deſerêre: deſertus autem, quò te conuertes? quem reſpicies? quem adibis? Hîc Paſtechuanus non ſine gemitu, miſeram planè eſſe faſſus vitæ quam duceret conditionem; video, inquit, quæ eſt mea infelicitas, infirmitate conſilij laboro, & quò impellor, eò ſequor & leuiter, & temerè. Quandiu cum Anglis verſatus ſum, aurem eorum ſermonibus præbui: cum popularibus Barbaris ago barbarè: dum vobis auſculto, veriſſima mihi eſſe perſuadeo quæ affertis. Atque vtinam ægrotanti aliàs in veſtrâ Galliâ mors interueniſſet! nunc beatus in beatorum concilio cœtúque verſarer. Quandiu propinqui ſupererunt, quibuſcum degam, nihil vnquam à me recti, conſultive expectaueris. Si quando inceſſit voluntas vobiſcum permanendi, obſtrepunt germani mei continuò, ac me, ſi vni eidémque loco affixus remanſero, ſitu confectum iri occinunt. Iis ergo abductus præſtigiis, trahentes ſequor, quocumque demùm impulerint. En tibi Balaami & orationem, & inſtitutum: videbat infelix meliora, probabátque: animus, conſiliúmque deerat ad declinandos laqueos. Fortè tamen hominem Iuuenæus ad frugem officiúmque reflexiſſet, niſi ſuo aduentu pios, ſalutaréſque conatus diſturbaſſet Cariguan. Ad-

Paſtechuanus ſpem frugis melioris facit.

ANNVS MDCXXIII.

fuit ſceleſtus ad Calendas Nouembris, & contrà quàm Meſtigoitius ſpoponderat, admiſſus eſt in contubernium. Per eos dies aſſiduè conuiuia agitata: ac tametſi cibaria perpauca ſuperabant, ex illâ videlicet annonâ Iuuenæi; atque loco iniquiore haud maxima ſpes ex venatione affulgebat; tamen illa ipſa paucula tantâ ſecuritate profundebant, vt in mediâ copiâ verſari viderentur. Vna illa conſolatio Iuuenæum ſuſtentabat, quòd per illam frequentiam plures erant, quibus verba facere de Chriſtianâ Religione poſſet: nam ad viros feminâſque prope viginti, qui eodem ſub tecto degebant, acceſſerat inſuper *Ekhennabamataeus* cum ſuis, canois quatuor. Itaque ab ijs per ludibrium inuitatus, balbutire nonnihil eorum linguâ cepit: ac tametſi eius infantiam riſu, ſanniſque excipiebant, pergere tamen porrò inſtituit, ſi quo modo contumeliæ patientiâ, & orationis grauitate frangere laſciuientem contumaciam poſſet. *Ego*, inquit, *ſum infans puer, vos parentes: vtque pueri ineptâ & impeditâ vocalarum corruptione parentibus, ſic vobis ego ſermonis veſtri difficultate riſum moueo. Erit cùm adoleſcam: atque vbi progrediente die, linguæ veſtræ peritiam adeptus nonnullam ero, tum versâ vice maturiorem me, vos pueros ipſi fatebimini; qui in ſummâ rerum pulcherrimarum ignoratione verſemini, & ad ſempiternam felicitatem planè neceſſariarum. Agite dum, quid cenſetis, Luna tàm ſublimi loco poſita eſt, ac ſtellæ? Sol dum à nobis recedit, quò migrat? terra quâ figurâ eſt?* Cùm negaſſet vnus aliquis è conuiuis, iſta ſibi nota eſſe, quærerétque, num is ipſe, à quo in medium afferebantur, ſatis noſſet; Iuuenæus depromptâ Aſtronomicâ pyxidiculâ. *En*, inquit, *nocturnis in tenebris verſamur; & ante horas aliquot, Sol, vt tute vides, noſtris ſe obtutibus ſubduxit: indica, ſodes, in hac tabellâ quo demùm in receſſu ille orbis oculus nunc delitescat: cras mane, è quo potiſſimum loco exiturus eſt? vbi meridie futurus, vbi in occaſu? deſigna cæli partes eas, ad quas nunquam penetrat.* Hîc cùm hæreret percontator attonitus, oculis in Iuuenæo defixis, is quæ propoſuiſſet omnia vt haberent, momento explicauit, demonſtrauítque: tum eorum accendendæ cupiditati, & rerum fidei cognoſcendarum inijciendo deſiderio; *Quàm multa præterea reſeruo*, inquit, *hiſce pauculis longè reconditiora, ſublimioráque! Vbi primum linguæ veſtræ vſum aliquem*

Iuuenæus de Chriſtianâ Religione verba facit Barbaris.

ANNVS MDCXXXIII.

nactus ero, enimuerò cuncta volentibus appetentibúſque expromam. Sub eoſdem dies cùm Carigvani vxor, morbo diu conflictata haud procul ab interitu abeſſe videretur, ne quid intentatum relinqueret, vnde ſempiternis eius rationibus proſpiceretur; ad eos iterum verba facere inſtituit, quò ab delinitis copia fieret inſtituendæ ægrotæ, póſtque mediocrem aliquam cognitionem myſteriorum, ſacro Baptiſmo purificandæ. Ergo exorſus ab ſingulari ſuo in eos ſtudio, cuius ardore incenſus, non modò patrium ſolum deſeruiſſet, tantò & iucundius & opulentius; ſed etiam domunculâ exceſſiſſet eâ, quam ad Kebeccum vtcunque extructam ipſe & ſocij haberent, quò eos perſequi per niues, per ſaltus, per nemora liceret, nullo emolumento ſuo, vnâ diſcendæ linguæ cupiditate, quam totam ad eorum poſtmodum vtilitates tranſlaturus eſſet: eò deinde deuenit vt diceret, eam mentem iniectam eſſe à communi hominum omnium auctore ac parente: mortales enim omnes, quotquot vſpiam eſſent, tàm arcto inter ſe neceſſitudinis vinculo colligatos eſſe, vt germani fratres eſſent, ab vno eodémque patre profecti, ſummo ac ſempiterno rerum omnium procreatore. Hîc verò dicentem interpellare ſagus, & elatâ voce, quò à cunctis exaudiretur. Dum illum, inquit, quem dicis communem parentem, hiſce oculis intuebor, in eum credam, ipſi obtemperabo; ni videro, nunquam mihi perſuaderi ſinam quæ de eo narras. Atqui, ſuſcipit Iuuenæus, dum vel patrem tuum, vel aliquem ex tuis familiaribus, quem nuſquam viderim, hæc illa-ve aſſeruiſſe mihi prædicas, facilè adducor vt credam vera eſſe quæ dixerint, quòd alienum viro bono iudico, mentiri: & Manitv quendam eſſe ac Genios tute tibi perſuades, quos profectò nuſpiam vidiſti. At viderunt alij (excepit nequam) minimè verò, inquit Iuuenæus: neque quiſquam eſt qui exponere queat, vbi tandem viſi genij ſint, eorum quæ ſit figura, quis habitus, quæ corporis conformatio, quæ vultus lineamenta. Ego verò proferam qui Dei filium Deum in terris verſantem viderint, quo loco, quo tempore: quales illi ipſi fuerint, quid egerint, quas regiones peragrauerint. At nunquam, ait, ad nos Deus ille tuus penetrauit: idcircò in eum non credimus: eum vt intuear perfice; tum demùm credam. Auſculta, inquit Iu-

uenæus, atque ad intuendum te compara. Acies oculorum hominum vnicuique duplex eſt, mentis altera, altera corporis: ac quæ prior illa percipit, tàm certò percipit, quàm hæc poſterior. Apage, ait ſagus: nihil planè niſi corporis oculis intueor: niſi fortè inter dormiendum: verùm ſomnia quoque noſtra explodis. Et Iuuenæus: *Perge*, inquit *facere audientiam. Si quando in itinere in deſertum tugurium incidis, perticis etiamnum in orbem ſtantibus, ſolo multâ fronde conſtrato, foco fumante; an non certò tecum ipſe ſtatuis, inquilinos aliquos eo loco paulò antè eſſe verſatos? num perticas illas, & ſi quid præterea aliud in diſceſſu ſoletis relinquere, temerè ac fortuitò conueniſſe autumas?* Cùm abnuiſſet, *Atqui*, pergit *Iuuenæus, ad eundem prorsùs modum res hîc habet. Dum mundi pulchritudinem, magnitudinémque intueris, & contemplaris, dum conſtantiſſimos Solis curſus, dum ſtatas tempeſtatum viciſſitudines, dum motus ſiderum ad ſtuporem æquabiles; illud tibi profectò ſtatim ſuccurrit, res tantas támque miras, neque ab hominibus excogitatas eſſe primùm, neque deinceps hominum conſilio regi: ex quo illud conſequatur neceſſe eſt, ſapientiorem quandam mentem, potentiorémque reſpiciendam eſſe, quæ immenſum hocce ædificium, & conſtituerit, & conſtitutum adminiſtret. Is autem Deus eſt ille ſempiternus, qui quanquam à mortalibus non cernitur, cuncta cernit tamen. Prohibet nunc quidem compages corporis, quo incluſus animus caligat, ne illius formam ac ſpeciem oculis deprehendamus: erit verò, cùm ſolutæ mentis acies in eo defigatur: atque hic ille demùm eſt vitæ beatæ fons, hæc origo; quâ quidem certiſſimè perfruemur olim, ſi modò eidem Principi Deo morem hîc geſſerimus, & dicto audientes tantiſper fuerimus.* Hic nequam, cùm ſe omni iam ex parte teneri animaduerteret, ſermonem ferociter abrumpit. Nec te ipſe capis, inquit, linguam diſce: tum te audiemus. At Iuuenæus eo acriùs Petri fidem, opémque implorare: per ſacra quæque obteſtari, Dei cauſam ne proderet: cùm videret populares ſuos, auidiſſimis & auribus & animis excipere quæ dicerentur: &, quod cunctationem minimè patiebatur, fratris vxorem extremo in morbo verſari, ageret interpretem, quæque ipſe Gallicè addere parabat, Canadicè redderet. Sed quaſi ex compoſito res ageretur: ita perduellis obmutuit: & verò tùm deinceps ità ſe apoſtata ad ſagi nutus omnes finxit, vt ne latum quidem vnguem ab eius præſcripto

ANNVS MDCXXXIII. discederet; tùm hîc tam præfractè recusauit linguam suam Iuuenæo commodare, vt neque pollicitationes, neque affinis feminæ miseratio, neque celestis iræ denunciationes, si eius culpâ, eâ Baptismi expers è vitâ discederet, ferreum pectus frangere potuerint. Non destitit tamen Iuuenæus, quoad ægra superfuit, & ab viro flagitare, sibi vt per eum liceret vxorem ad fidem instituere; & ab illâ, vt se sacris aquis ablui pateretur; donec sago impias illas voces identidem iterante, in Deum quem non oculis intueretur, feminam neutiquam creditura; muliere ad salutaria consilia, monitáque obsurdescente; tandem sub extremum Nouembrem, cùm mutatis statiuis, abesse miseram Iuuenæus obseruasset, quæsissétque Gallicè ex apostatâ, quid fratris vxore factum esset? incredibili suo dolore illud extorsit, vel à Mestigoitio, vel ab ipso viro, dum iam cum morte luctaretur, esse confectam: cuius immanitatis exempla quotidiana sunt apud Barbaros. Sic *Inimici hominis domestici eius.* *Matt. x.*

INTEREA fames in contubernio ingrauescere: absumptis per inconsultissimam ingluuiem cibarijs ferè omnibus, quæ Iuuenæus contulerat, eò res redacta erat, vt anguillarum ad fumum siccatarum exuuiæ pro suauissimis epulis essent. Et ijs se, & segmentis pellium ad reticulos concinnatarum totum penè Decembrem victitasse, Iuuenæus profitetur: quo ipso tempore in siluis ac nemoribus summos arborum stolones non rarò decerpere suprema penuria coëgit. Et euênit, acerbo sanè spectaculo, vt cùm particulam spinæ ex anguillâ cani adstanti obiecisset, anteuerterit puerulus, officulúmque manderit. Tandem mutatis subinde sedibus, spe rerum lætiorum, & contrà quàm Mestigoitius spoponderat, traiecto ad meridiem S. Laurentij flumine, quod venationi plagam eam aptiorem esse nonnulli asseruerant; extractum tempus ad Natalitias vsque Christi Seruatoris ferias: Nulli iam fibri, nullæ histrices erant: niues haud satis ex superioribus imbribus ad alcem capiendam exaggeratæ: ita omnia luctus plena, & desperationis. Quò se verterent infelices, nesciebant: macie deformati, ore lurido, taciturni, mœstíque adspectare alij alios, vultúque ac nutibus potiùs, quàm sermone, intimum animi angorem prodere. In iuuenes duos cùm incidisset Iuuenæus, eo ipso die qui anniuersarius

ANNVS MDCXXXIII.

uersarius Christo nascenti recurrit, consternatos prorsùs, quòd nihil venando cepissent, consolationem aliquam adhibuit, ac bono animo esse iussit. Nondum rem eo loco esse, vt non Dominus Deus, si luberet, conuertere cuncta possit in melius. Cúmque in tugurium se reciperet, precum causâ, sciscitatus apostata, ecquísnam tum dies à Christianis ageretur? comperto natalem esse Christi Seruatoris, hac ipsâ die, inquit, sagum appellans, Dei Filius, quem IESVM isti vocant, olim natus est. Quæ cùm attonitum ac stupenti similem dixisse Iuuenæus obseruasset, occasione vtendum ratus: istiusmodi ferè lucibus, infit, solet Deus ille præpotens potiorem quandam munificentiam in hominum genus exercere: ad eum si adierimus, aderit sine dubio. Ad hæc vterque cùm conticuisset, instituit ab apostatâ petere, precatiunculas duas breues Canadicè redderet, alteram à se, alteram ab ijs qui casâ tùm suâ, tùm vicinâ continerentur omnibus, piè, ac religiosè recitandam. Quid non impendentis exitij metus extorqueat? quod tàm precisè tàm multoties antè negauerat, ad id desertor descendit; neque modò id se facturum recepit quod Iuuenæus exposcebat, verùm etiam vltrò addidit, interpretem se futurum, si verba facere ad contubernium vtrumque vellet. Collaudatâ eius facilitate, continuò ad Deum Iuuenæus conuertitur, incensáque prece apud Patrem misericordiarum agere pergit, operi suo adesse vt dignaretur. Postridiè, vbi diluxit, Oratoriolum confestim, vt in illâ vastitate licuit, concinnat ex thecâ Reliquiariâ, haud ineleganti, & pictis imagunculis aliquot: medium tenebat Icon Christi è cruce pendentis. Dein aduocatâ concione, per interpretem exponit, penès eos esse vel miserè miserâ fame interire, vel leuamentum impendentis exitij nanciscì. Deum quidem naturâ suâ ipsissimam bonitatem esse, illius eiusdem vim tantam esse, támque infinitam, vt quidquid collibuisset, efficeret momento: quanquàm spretus neglectúsque ab ipsis erat, si tamen eius & dictis crederent, & bonitati confiderent ex animo, adfuturum vtique, & deploratissimis rebus remedia comparaturum. Hæc cùm auidissimè Barbari excepissent, gratiásque certatim agerent Iuuenæo, qui eorum calamitate afficeretur, pollicentur quidquid iussisset, se haud dubitanter facturos. Ergò sumptâ char-

In fame Iuuenaus à Barbaris extorquet, vt Dei opem precibus implorent.

ANNVS MDCXXXIII.

tulâ percontatus ex ſingulis, paratíne eſſent ſincerè atque ex animo Deum quem ipſe veneraretur, ijs vocibus appellare, quas prior nuncupaſſet; poſtquàm affirmauerant, ac ſe ſe in genua demiſerant (vno ſago excepto, qui & ipſe demùm rogatus acquieuit) omnes iunctis palmis, erectis in cælum luminibus, præeunte Iuuenæo, precationem ex formulâ concepere. Hac primùm quidem profitebantur, Ipſum, ſummum cæli, terræque opificem, infinitæ ſapientiæ eſſe, infitæ potentiæ: tum ſpondebant, ſi quidem tàm difficili tempore adfuiſſet, alimentáque ſubminiſtraſſet, ſe haud cunctanter facturos quidquid eius causâ faciendum præſcriberetur; ingeminatâ multoties eâ affirmatione, nequaquàm mentiri ſe: nequaquàm ſimulatè iſta proloqui. Precatio autem Iuuenæi propria, iſtius erat ſententiæ vt poſtquàm IESVM eâ ipſâ luce mortalium cauſâ ex intemeratâ Virgine prognatum ſupplex ac venerabundus appellauerat, myſteriáque tùm ſanctiſſimæ vitæ illius, tùm acerbiſſimæ necis perſtrinxerat; commemorans ſanctè ab eo promiſſum, ſi quid eius interpoſito nomine poſceremus, nos vtique aſſecuturos; rogaret, opem ferre ne dedignaretur ſupplicibus in illâ deſtitutione: cúmque ad extremum adieciſſet, offerre ſe ſuum caput ac vitam, eorum gratiâ qui aderant, ac perlubenter viuere deſtiturum, dum viuere ipſi pergerent, ſanctiſſimúmque eius Numen agnoſcerent; loquentem hoſpes interpellauit, &, Extremum, inquit, illud omitte: percharus es nobis: emori te nullus noſtrum æquo animo ſinat. Atqui eâ re teſtatum vobis cupio, ſuſcepit Iuuenæus, quo ſitis apud me loco, qui mortem ſalutis veſtræ cauſâ non modò non defugiam, ſed etiam appetam. Tanti eſt cælo frui. His læti erectíque, venatum è-veſtigio abeunt alij aliò. Ac Meſtigoitius quidem cum ſocijs aliquot ad cubile quoddam fibrorum reuerſus, à quo paulò antè rei gerendæ deſperatione receſſerat; tres ipſe eodem illo die, aliquot ſocij ceperunt, ſagus hiſtricem: neque vllus fuit, præter apoſtatam, qui non aliquâ prædâ auctus redierit. Quin ſagus ipſe alces veſtigia deprehendit, quæ tertio pòſt die, contrà omnium expectationem confixa ſagittis à Meſtigoitio eſt, in niue pertenui. Tum quidem reduces cum grâtulatione Iuuenæus excipiens, ac Meſtigoitio potiſſimùm fibris tribus onuſto dextram porrigens; Eia, inquit,

Precationem fauſta venatio excipit.

Nicanis, (vox blandientis eſt, quæ charum ſeu dilectum ſonat) agendæ gratiæ ei, qui nobis opem tulit, adfuítque laborantibus. At apoſtata pudendâ, blaſphemáque impudentiâ, Enimuerò, ſuſcipit, quaſi non hæc ſine Deo nacturi fuiſſemus. Lancinauit ea vox Iuuenæi præcordia: neque enim euenire quidquam potuit intempeſtiuius, aut ad præclarè cœpta diſturbanda pernicioſius. Continuit ſe tamen, dum apparato conuiuio adeſſent cuncti; ita ſecum reputans, libentiùs vtique de Deo verba facientem audituros, eo ipſo tempore quo Dei donis ac muneribus ex diuturnâ illâ inediâ reficerentur. Sed eum fefellit vel ſpes, vel opinio. Apoſtata dedecoris infamiæque impatiens, qui vnus venando cepiſſet nihil, Iuuenæo non modò adeſſe noluit, ſed etiam paranti quoquo modo ſenſa mentis efferre, ſilentium indixit, inſolenti prorsùs arrogantiâ. Nihilo tamen ſeciùs Iuuenæus pergebat, poſtquam acri obiurgatione caſtigarat impium, ſi ingratus ipſe eſſe conſtituiſſet, non continuò alios accepti beneficij immemores eſſe velle conteſtans: verùm, quæ malè deſertor ceperat, peiùs ſagus perfecit. Homo ad inſaniam exiſtimationis ac gloriæ cupidus, veritus ne ſi Iuuenæum loqui ſineret, tantùm ſibi de partâ auctoritate decederet, quantum illi gratiæ conciliaretur; conuiuio interceſſit: Tace, infrendens; ineptus es: non loquendi nunc tempus, ſed edendi. Inſtat tamen Iuuenæus, ex eóque percontatur cæcúſne ſit, qui tàm illuſtrem Dei opem tàm iniquo tempore non cerneret? ſedenim truci ſupercilio reiecit cuncta: nec quidquam prætereà mœrentem proloqui paſſus eſt. Ceteri, quanquam alto ſilentio ſignificabant ſe perlubenter audientiam fuiſſe facturos; quia tamen contrà tendere videbant ſagum, ne mutire quidem. Ita ſoluto animo ac libero cibis ſe quiſque ingurgitare; Iuuenæus dolens, atque anxius, hinc deſertoris, ſagíque ſcelus deteſtari, iſtinc miſerari aliorum ſortem, qui tanquam ſues ad paſtum prorsùs abiecti, ad eum qui tàm liberaliter immerentes alebat, neque oculos neque mentem attollerent. ANNVS MDCXXXIII.

TENVIT IDEM mœror tempus ferè peregrinationis reliquum: ac tum ex animi ægritudine, tùm ex ciborum penuriâ, in morbum tandem Iuuenæus incidit. Et (dæmoníſne verſutiâ, an aliunde?) ſub vertentem annum Meſtigoitius, ANNVS MDCXXXIV. *Iuuenai conſtantia.*

ANNVS MDCXXXIV.

coniector ſcilicet locuples denunciauerat, per ſomnium viſos ſibi extremâ fame conflictari prorsùs omnes; eum autem præterea qui cuncta feciſſe perhiberetur, aſſeueraſſe, Iuuenæum macie inſuper ac languore confectum, poſtquàm ingredi nequiret, medijs in ſiluis deſertum iri: id verò magnoperè ſe metuere ne eueniret. Hæc cùm ipſi Iuuenæo coràm caneret, ſuſpicatus is, fortè non ſomnium iſtud eſſe, ſed meditatam deſignatámque fraudem hoſpitis, ſomnium ſomnio opponit, ac viſas ſibi narrauit alcas duas, interfectam alteram, alteram viuam, ac ſpirantem: commodùm illud ipſum obiectum ſomnium dormienti fuerat: verùm, neutiquam eius mentionem feciſſet, niſi res & tempus, alterum illud refellere monuiſſet. Certè ex nocturno ſimulacro, quantumlibet inani, fructum tulit duplicem, qui & prauum deſerendi ſui conſilium, ſi quod Meſtigoitius mente verſaret, diſturbarit, & vanitatem ſomniorum aptiſſimè coarguerit. Etenim ariolum compellans: Eho, inſit, tu ex ſomnio nos fame emorituros nuntias, ego euaſuros aſſeuero: vtri potiùs fides habenda? Cùm ſubriſiſſet, perrexit Iuuenæus exponere de naturâ ſomniorum: *nocturna eſſe ludibria quaſi delirantium: animo enim, cùm nec membris, nec ſenſibus vti poſſit, obijci viſa quædam tàm incerta, quàm multiplicia, ex reliquijs videlicet inhærentibus earum rerum, quas vigilans, aut geſſerit, aut cogitarit: ijs porrò, cùm non ratione prouiſa ſint, ſed imaginum perturbatione coalita, non plus eſſe tribuendum, quàm puerorum nugis, atque ineptijs, quas quotidie ridemus viri. Se quidem non in ſomnijs ſpes ſuas, vel metus habere locatos: confidere ei qui omnia procrearit, & condiderit: vereri tamen, ne idem ille ſupremus rerum omnium arbiter vltor adeſſet, toties tùm ab ipſis violatus, per fœdiſſimam ingluuiem, tùm ab apoſtatà potiſſimùm laceſſitus per blaſphemam ſacrilegæ linguæ licentiam.* Hæc idcircò dicebantur, quòd præter ea quæ attigimus, non ſemel profligatiſſimus deſertor multa impiè, atque indignè de Deo fuerat prolocutus. Quo die alcem illam ceperant, Pamphagiam inflituerunt inſani: & quaſi affatim in poſterum ſuppeditata cibaria forent, ità nihil fecere reliqui. Hinc Iuuenæus, cùm longè plus carnium obtruſum eſſet, quàm abſumere ſimul ac ſemel poſſet, quærere ab apoſtatâ, quid rei eſſet? cúmque id quod erat aperuiſſet, Pamphagiam eſſe, nihil planè reliqui faciendum; negat tantum

Somniorum vanitas.

ANNVS MDCXXXIV.

cibi poſſe ab ſe in ſtomachum ingeri. Perſtante illo, & omninò faciendum eſſe clamitante; aliorum enim vnicuique appoſitum eſſe tantum, vt ſubſidio venire poſſet nemo (in eo verti rem Canadenſem diceres, vt ſe quiſque ſtrenuè quantâ maximâ fieri poſſet, inferciret ciborum copiâ) pernegat item Iuuenæus plus ſe ſumpturum, quàm ferret temperantiæ ratio; neque commiſſurum, ne ſi de vitâ quidem ageretur, vt contra ſummi Legiſlatoris præſcriptum vnquam iret. Quò non demùm prorumpit impietas? Vt omnes in Iuuenæum concitaret, iactare apoſtata; Iraſci Deum, quod ſuperaret vnde ederent. Minimè verò, ait Iuuenæus Canadicè, quò ab conuiuis omnibus non exaudiretur modò, verùm etiam caperetur; non dico iraſci Deum quòd ſuperet vnde edatis, qui vnde ederetis largitus ſit: dico ab eo vetari intemperantiam, ingluuiémque. Ceterùm cùm neque vellet, neque poſſet ſolus vorare tantum carnium, tùm inſtitit ab eo qui vicinior accumbebat, partem vt aliquam ſui demenſi ederet, nicotiæque pauxillum eâ gratiâ donauit; tùm clàm canibus obiecit item aliquantum; ſed res Barbaros minimè latuit: cùm ad prædam certatim canes, vt fit, accurriſſent, quis quid præriperet, ſubodorati conuiuæ, id quod erat, Iuuenæum aliquid profectò porrexiſſe; execrari hominem, conuitióque exagitare, qui conuiuium contaminaſſet: poſt tale tantúmque piaculum, nihil ſe vtique venando capturos: imminere certiſſimum cunctis ex fame exitium. Hinc vel feminarum puerorúmque in immerentem atrox ſanè inuidia, & moleſtiſſimæ expoſtulationes, querentium, ſe per eum inediâ ac fame confectum iri: ac ſi diu fruſtrata eos eſſet ſua venatio, vix efferatam gentis veſanæ rabiem vitaſſet vir fortiſſimi animi, &, vbi diuina gloria ageretur, ad omnia intrepidus. Sed ad imbellis turbæ fremitum minùs mirum eum non expauiſſe, qui ſagi furias atque furores aſſiduè eluderet. Aliquandiu antè, ſub cœnam lymphatus, lymphato-ve ſimilis cùm proximè ſilens ac quietus iaceret, nec verbum vllum ad conuenientes conuiuas feciſſet, aſſurrexit derepentè, ac perticâ vnâ earum quibus caſa incumbebat, auulſâ, duáſque in partes diffractâ, dein oculos horribilem in modum rotans, ac denique hac illac circumferens, & in conuiuis defixus, O viri, inquit, impos mei ſum: vbi verſer; quid agam

Lymphati hominis furor.

ANNVS MDCXXXIV.

neſcio: amouete procul gladios, & ſecures; amens enim ſum. Ad haſce voces conſceleratiſſimi nebulonis, ceteri humum tueri, Iuuenæus oculos mentémque in cælum erigere, vnde ſibi auxilium adfuturum in iſtâ deſtitutione ſperabat. Videlicet reputabat ſecum, nec inaniter, ſtropham eam totam ſuum in caput adornari, nec tàm furere ſagum, quàm videri velle furere, quò vel impunè ſibi vitam eripere poſſet, fuſte in ceruices impacto, vel certè terrorem inijceret, cauillaturus deinde, & per blaſphemam petulantiam exprobraturus, Deum ſuum Iuuenæo defuiſſe; & qui Manitŷ, cuius vim ipſi reformidarent, ſe neutiquam metuere profeſſus eſſet toties, cum ad homuli vnius minas, & fictos furores expalluiſſe. Ergo intentis oculis, inſanum deſpicere, non minùs ſecuro animo, ac fidenti, quàm ſi armatis cohortibus vallatus, & circunſeptus eſſet: eâ ſe ſcilicet cogitatione ſuſtentans, qui dæmonum efferatos inhibere poſſet, & ſoleret impetus, illius vim non minùs ad hominum inſanorum & furioſorum conatus retardandos valere. Quod ſi tamen Domino Deo ſecùs videretur, vellétque omninò ſinere vitam ſibi eripi ab perfidioſo impoſtore, perlibenter ſe ſe acquieſcere prouidentiſſimis eius conſilijs, & amantiſſimæ charitati. Intereà increſcebat in ſpeciem amentia: nunc clamores tollebat immenſos fanaticus, tum vocem premebat derepente, attonitus, ac ſtupens: nunc eiulari velle diceres: tum illicò in riſus & cachinnos erumpebat: nunc ſine lege cantitabat: tum ſibilabat continuò, vt anguis, vlulabat vt lupus, gemebat vt bubo, ſemper oculos torquens terrificum in modum, ſemper quid iacularetur quæritans: Iuuenæo in momenta ſingula expectante veriùs, quàm metuente, ne in ſe inuolàret. Nihilo tamen ſeciùs conſuetis exercitationibus, ſuo cuique tempore dedit operam; legit, ſcripſit, precatus eſt; atque vbi hora admonuit, ſomno ſe dedit immotâ conſtantiâ. Poſtridiè item ſub veſperum, ludum eundem occipére Carigganus, & heſternos tumultus ciere. Et Iuuenæo cùm veniſſet in mentem, has intemperias ab ardentiori quadam fortè febri proficiſci, explorat ſtudioſè arteriam, frontem attrectat, oculos in eo figente improbo, & ſtuporem quendam præ ſe ferente: verùm febris, aut omninò immoderatioris caloris veſtigium nullum: ex quo altiùs inſe-

ANNVS MDCXXXIV.

dit concepta iam antè opinio, hæc ab ſago cuncta ad terrorem, aut etiam ad iniuriam compoſita fuiſſe. Certè Iuuenæo, cùm proſtratis viribus longam tandem inediam morbus excepiſſet, inſultare non deſinebat impius; nunc demùm Manitȣ adeſſe vltorem: nunc demùm fractam domitámque ſuperbiam confidentis: quæ cùm frequens iteraret, moleſtúſque eſſe pergeret, præſertim in adſtantium contubernalium conuentu, pertæſus aliquando impium nebulonem, vt per virium imbecillitatem licuit, aſſurrexit, & quantâ maximâ potuit vocis & làterum contentione, vernaculè quo tùm à ſago, tum ab circunſtantibus alijs caperetur: Ades, inquit, Manitȣ, ſi quid potes, polles-ve: adeſdum dæmonum teterrime, ac ſi per ſummum rerum omnium procreatorem, gubernatorémque licet, me eneca: te prouoco, te laceſſo, & ſcilicet rideo, téque tuámque imbecillitatem. Nihili te facio, nihil furias tuas reformido: neque enim nocere quidquam ijs potes, qui Deum caſtè timent. Quin, illud aſſero, te à me plus tibi timere, quàm à te ipſe mihi timeam. Terruit ea tanta conſtantia impium: & ad Iuuenæum, Quando, inquit, Manitȣ minimè reformidas, cur eum accerſis? vtique vt vitam mihi eripiat. Minimè verò, infit Iuuenæus; verùm, illum laceſſo, quò deprehendere ipſe poſſis luce meridianâ clariùs, nihili ipſum eſſe, vim nullam exerere poſſe in Dei famulos, quantumuis eos execretur: nec plus ad immittendos morbos, quàm ad abigendos valere, niſi ſi ſecùs aliquandò viſum Domino Deo ſinere. Tenuere quotidiana illa certamina, menſes ipſos quatuor, tantâ támque improbâ nequitiâ ſacrilegi cauillatoris, vt nullâ aliâ de cauſâ, niſi angendi, fatigandíque Iuuenæi, cui id acerbiſſimum eſſe cernebat, identidem dicta in Deum diceret. Quinetiam fuit, cùm eo audiente apud contubernales gloriaretur, ſe eo die egregiè riſiſſe eum, à quo togatus ille niger condita cuncta prædicaret: quæ cùm ferre nequiret Dei famulus, non impunè, inquit, iſtæc in Galliâ effutires: certa profectò nex eſſet: quòd ſi te tanta, impie, inceſſit maledicendi prurigo, age ſanè, in me exprome quidquid lubet: Domino Deo meo caue in poſterum connitiere: non feram, non patiar, vel ſi emori obſiſtendo contingat. Ceterùm, ſi mortalium nullus vltor adeſt, noli idcircò putare nullum impiæ tuæ temeritatis vindicem

Ægrotantis Iuuenci zelus in arguendo impiorum errore.

ANNVS MDCXXXIV.

futurum: erit cùm præpotens ille Deus, cuius tu Numen violas ac laceſſis, te vſtulet, & in imum Tartari barathrum præcipitem agat. Hæc à Iuuenæo vehementiùs, concitatiúſque dicta, pro ſceleris grauitate, eo valuerunt, vt deinceps ſibi temperauerit miſer, ita dumtaxat vt coràm nihil ſit iſtiuſmodi prætereà prolocutus: clàm autem, nihilo ſeciùs pergebat, os ferreum in cælum tollere dum pridiè Non. Martias abſceſſit tandem ab eo contubernio, quod ita venationis ratio poſceret. Hinc leuamentum aliquod Iuuenæo aſſiduæ ægritudinis, & in reliquis aliquanto plus affabilitatis, comitatiſque: verùm, cùm morbus nihil remitteret, conſtituit tandem Meſtigoitius, renitente quantumuis ſago; qui paulò antè redierat, flagitantem Kebeccum reducere. Ergò Non. April. conſalutatis ijs qui manebant, ſoluerunt Iuuenæus, Meſtigoitius, apoſtata in canoâ, ad certum vtique naufragium, niſi Deus adfuiſſet: ac ſi vel tenuiſſima ſuſpicio eorum diſcriminum, in quæ ſe induerunt, menti ante profectionem obiecta fuiſſet, neque id vnquam ab Meſtigoitio popoſciſſet Iuuenæus, neque poſcenti Meſtigoitius aſſenſiſſet. Vix nauigare ceperant, cùm tenui quadam cruſtâ ex glacie, quæ ſuperiori nocte concreuerat, obductum longè latéque amnem vident. Vadunt tamen intrepidi, & per apertum conto, diffracto gelu, tramitem progrodiuntur, quoad perforatâ ad latus canoâ, atque adeò vndam plurimam accipiente, ingens inceſſit pauor attonitos. Nec ſibi tamen tàm præſenti in periculo defuere: Meſtigoitius cum fratre, quantâ maximâ potuerunt lacertorum contentione, ad Inſulam haud remotiſſimam properare: Iuuenæus, æger quamuis, aquam tamen, vt ſe ſe inſinuabat, exhaurire. Nec mora: vbi applicuerant, continuò igne é ſilice excitato, malè fiſſum corticem, & coagmentant, & liquenti gummi perliniunt (id ſecum tales in vſus nunquam non portant) repetitóque curſu ſtatim prouehuntur: nec Iuuenæum audiendum putarunt, admonentem redirent potiùs eò, vnde ſoluerant, ſi periculum eſſe putarent ne rigentes huiuſmodi cruſtæ occurrerent ſæpiùs. Sedenim vix paucas horas ire perrexerant, cùm incurrunt in immenſam glaciei molem, quæ iter omni ex parte occludebat, per tranſuerſum amnem fuſa quatuor ipſas leucas. Hîc remigum confidentia repreſſa illa quidem

dem nonnihil, non tamen fracta prorsùs: per medium gelu, quà tenuis quasi rima patebat, canoam insinuant: insinuatam nunc à prorâ, nunc à puppi versant, agitántque tàm industriè vt aliquantulum spatij conficerent sensim: donec solidâ vndique glacie vallatis, circunseptísque, non progrediendi minùs, quàm regrediendi adempta facultas est. Nec dubium erat, quin si aura paulò vehementior aspirasset, & canoâ actum fuisset, & vectoribus. Quid agerent tàm iniquo loco deprehensi? exiliunt ambo è canoâ, in vagos illos cumulos: nunc hunc, nunc illum propellunt, submouéntque: pérque illas angustias canoam agunt, incredibili labore, iuxtà, & agilitate, ad extrema quæque interim comparante se se Iuuenæo: tandem mediâ in morte duas ipsas horas conflictati, ad ripam ante noctem euasere. Sed nondum ærumnarum aut discriminum finis: post biduum quàm desertâ in Insulâ consistere exorta procella coëgerat, cùm ad Insulam Aurelianensem peruenissent, leucas duas ab Iesuitarum sede dissitam, penè in portu fecere naufragium. Ex amne S. Laurentj, quo inuehebantur, flectendum ad fluuiolum erat, cui imposita Patrum domuncula, S. Caroli nomine: ad illius ostia noctu cùm peruenissent, deprehendunt alueum longè latéque etiamnum glacie rigere: hoc aditu cùm prohiberentur, reflectendus denuò in altum cursus fuit, & scilicet cum æstu maris accedentis, cum turbinibus, & quod vnum per se extremam iam toties perniciem penè importauerat, cum glaciei scopulis hac illac temerè fluitantibus, vno eodémque tempore confligendum. Omninò enituit formidolosissimo tempore Mestigoitij vel animus, vel industria: in summâ fluctuum agitatione, per noctis caliginem, quæ horrorem intenderet, occurrentibus passim infestis illis molibus, reflante denique Cauro sanè atroci, cymbulam tamen ita rexit, vt tandem aliquando ad ripam Magni fluminis Borealem euaserit, quà solidius gelu deprehenderat. Et ipse quidem postquàm prior emicuerat, inclamat continuò fratrem, ac Iuuenæum, tutum locum esse confirmans. Neque ægrè apostata se proripuit, ad eam agilitatem, pro gentis more factus: Iuuenæus autem, quòd illa crepido læuis erat, & altior quàm vt superari commodè posset, & nihil habebat proiectum quod prehenderetur, postquàm omnia sedulò & curiosè circunspexerat, tan-

ANNVS MDCXXXIV.

Naufragio eripitur.

ANNVS MDCXXXIV.

dem per prominentiorem lingulam, porrigentis Meſtigoitij pede nixus, ægrè erepſit; ita præſentiſſimo leto erepti, inter ſe circunſpectare; Iuuenæus autem, opem tàm illuſtrem benigniſſimi Dei gratus, ac memor agnoſcere. Demùm ſubductâ canoâ, cùm proximè Ieſuitarum domuncula abeſſet, ſpatium aliquantum emenſi, fluuiolum non cymbâ, ſed pedibus per ſolidiſſimum gelu tranſmittunt, ac ſub horam tertiam matutinam, cui Dominica Palmarum illuxit, Iuuenæum reſtituunt ſuis, hoc maiori gratulatione, quòd ex niuium penuriâ iampridem coniecturâ aſſecuti fuerant id quod res erat, in ſummâ vtique ipſum cum contubernalibus egeſtate verſatum fuiſſe. Atque hæc eſt illa mercatura, quam non modò in dies, verumetiam in horas, atque adeò penè in momenta ſingula factitauit, propè ſex menſes vir experientiſſimus idem, & congerendarum opum ſtudioſiſſimus, non quibus ſe ſuóſque pellibus coëmendis, permutandis-ve hîc augeret, ſed quas cæleſtibus apothecis reconderet: fructum eximium ſempiterno tempore capturus. Vel ſunt illa potiùs fundamenta rerum deinceps ad ſummi Dei gloriam, deploratiſſimæque gentis ſalutem conſecutarum: niſi enim Iuuenæus operam linguæ Canadicæ, per infinitos illos labores atque diſcrimina datum iſſet, facémque alijs prætuliſſet ad eandem deinceps viâ & ratione diſcendam, quantum quidem intueri poſſumus, res Chriſtiana, conſecutis deinde temporibus, eundem ad modum iacuiſſet, quo annos ipſos viginti, & quod excurrit, ex quo primùm tentata ſeriò Nationis ad Chriſtum adiunctio fuerat, nullo penè operæ, impendiorúmque pretio languerat.

Carigvani Meſtigoitúque funeſtus exitus.

PORRO', QVASI vaticinans, vltrices iras Numinis Iuuenæus ſago denunciaſſet, ita breuî eius verbis euentus fidem conciliauit. Antę illius ipſius anni exitum tùm alij penè omnes, qui' in contubernio erant, ſublati de medio, tùm germanorum duorum Carigvani Meſtigoitíque funeſtus exitus fuit. Ac ſagus quidem, vel Barbaris ipſis diuinam animaduerſionem agnoſcentibus, cùm flamma neſcio quo caſu eius tugurium corripuiſſet, viuus ac ſpirans vſtulatus, toſtúſque, qui ſempiternos ignes ardoréſque minitantem tàm ſæpè cauillatus fuerat, poſtquam hic deflagrauerat, ad ea demùm incendia horribili ſanè leti genere abreptus eſt, quorum vim atque

ANNVS MDCXXXIV.

acerbitatem nulla vnquam vel aura, vel vnda mitigabit. Meſtigoitius cùm in delirationem ac phreneſim ex morbo incidiſſet, vagúſque hac illac diſcurreret, dum ad oram Magni fluminis æſtu recedente ſolus errat, poſtmodum intumeſcente ex ſolito vndarum acceſſu alueo, vndis inuolutus, obrutúſque eſt, incredibili Iuuenæi dolore, qui illius humanitatem expertus tandiu támque frequenter fuerat. Verùm, *Deus non irridetur impunè:* & ipſe iocando irriſerat in conuentu ſuorum palàm, ſolennes preces eas, quas difficillimo eorum tempore tam læto fortunatóque ſucceſſu ab Iuuenæo imperatas, peractáſque diximus, & quoad quidem aſſequi coniecturâ licet, ſacrilegâ petulantiâ diuinam in ſe indignationem commouit. *Adeò neque pium, neque tutum eſt; In Dei rebus, cultúque ſempiterni Numinis ſcurram ac mimum agere.* At apoſtata, vbi tam ſeuerè in germanos ſuos animaduerſum eſſe proſpexit, frugis melioris ſignificationem dedit aliquam, & à Patribus enixè contendit, ſe vt Eccleſiæ reconciliarent: verùm, cùm ſuſpecta hominis inconſtantis leuitas eſſet, iuſſus eſt documenta dare ſinceri illius ſtudij tùm alia, tùm illud potiſſimùm, vt non hyeme, dum extrema fames eſt, ſed æſtate, quo tempore nonnulla rerum ad victum neceſſariarum copia eſſe ſolet, idipſum profiteretur. Ceterùm, ne qua Iuuenæo occaſio deeſſet, de illo bene merendi, à quo tàm multa tàm indignum in modum pertuliſſet, Carigŋani filiolus oblatus ei eſt, quem in ſeminarium adlegeret. Ac feciſſet ille quidem perlubenter, ni ſtrumæ obſtitiſſent, quæ cùm fœdum in modum vicinas auriculæ partes exederent, metuendum erat, ne qui morbus ad alios certâ quadam contagione deriuari ſolet, æquales inficeret, ſi in conſortium admitteretur: repertus tamen Gallus vir eximiæ ſanè charitatis, qui dirúm vlcus per ſéque, pérque alios curandum ſuſceperit.

Sanctum Saſſſmatij propoſitum; eiúſque in petendo Baptiſmo Conſtantia.

FELICIOR Saſŋſmatius, eorum germanus frater. Is cùm Gallum interpretem audijſſet aliquando, de beatâ Cælitum mercede, déque ſontium apud Tartarum cruciatibus, nullâ vnquam ſeculorum diuturnitate minuendis, nedum terminandis; perculſus animo, & diuino quodam ſcilicet inſtinctu permotus, eundem illum Gallum appellans; Duc me, inquit, in Galliam, vberiori earum rerum quas memoras, cog-

ANNVS MDCXXXIV.

gnitione imbuendum: nî faxis, repoſcetur à te ratio iſtius animæ. Et paulò pòſt in morbum incidit tàm grauem eundem támque repentinum, vt cùm primùm Buteuxius, abſente Iuenæo (hæc enim ad Kebeccum per hyemem gerebantur) de hominis inualetudine certior factus, ad eum adijt, impotem ſui compererit, ex deliratione. Ergo mirum in modum de ſempiternâ illius ſalute anxio ſuccurrit; optimum factu futurum, ſi Sacerdotum quiſque poſtridie eam in rem ſacrificium perageret, interpoſito S. Ioſepho auxiliatore, Patrono ac Tutelari Nouæ Franciæ. Vix myſteria abſoluerant, cùm adeſt qui accerſat ſubitò Sacerdotem, ægrum tunc ſenſibus & mente conſtare. Nec mora: accurrunt plures, virúmque vident incredibili ſuo gaudio, egregiè compotem ſui, &, quod caput erat, in ſancto propoſito perſtantem, per Baptiſmum in IESV Chriſti familiam illicò tranſeundi. Procraſtinandum tamen cenſuere dies aliquot, dum pleniùs traderentur ea, quorum eſt neceſſaria ad tàm auguſtam profeſſionem comprehenſio; ſedenim moræ impatiens Saſoſmatius, aliquantò pòſt vltrò accerſit Brebeufium, Naſſam allegans, qui ſuo nomine exponeret, viſum ſibi ſe nocte ſuperiori à Brebeufio ſacro lauacro tingi, atque vbi is ad latus aſſediſſet, vim morbi omnem continuò abſcedere; proinde, ne quas vltrà moras necteret, nec ſe diutiùs extorrem à filiorum Dei conſortio eſſe ſineret. Hæc eadem cùm Brebeufio coràm ipſe confirmaret, perſtitit tamen is in explorandâ Catechumeni conſtantiâ, hoc rigidiùs, quòd cùm is ex adultis primus, Baptiſmi beneficium peteret, intererat ſanè plurimùm, ne pro gentis leuitate deficeret, vel remiſſiùs certè in Chriſtiano officio verſaretur, ſi reualeſceret, id quod in Membertoïo, olim, nec ſine offenſione obſeruatum erat. Aderat tum *Matchonon* quidam, ægroti familiaris: is cùm eam dilationem ferre nequiret, obiurgat Brebeufium; Et, Quin tu, inquit, tàm enixè roganti concedis quod poſtulat? tantine eſt hominem pauculis aquæ guttis reſpergere? Atqui me ipſe perderem, infit Brebeufius, ſi Chriſtianorum myſteriorum rudi, aut, quod deterius eſſet, malè perſuaſo, Baptiſmum impertirem. Quæ cùm attentè audiret Saſoſmatius, ad adſtantem Gallum conuerſus, Stolidus, inquit, eſt Matchonon: quæ à Patre dicuntur, vana putat, atque inania: ego

verò, quin veriſſima certiſſimáque ſint, neutiquam dubito. Tandem cùm ſub eos ipſos dies migrare contubernales in ſiluas prorsùs vellent, Patres rogat Naſſa vehementer, quando & ipſe per inualetudinem ſubſiſtere cogeretur, venaticæ illius, & vagæ vitæ laboribus, atque ærumnis impar; tùm ſe tùm Saſſſmatium excipere ne grauarentur. Illi poſt maturam deliberationem, quanquam id, & non exigui impendij fore, & operæ moleſtiæque plenum intelligebant, tamen pro eo ac Chriſtiana charitas ſolet, quò mentibus proſpicere liceret, corporum curam detrectandam minimè putauerunt. Ergò cùm annuiſſent, eorum ad domunculam Saſſſmatius in vehe lentè trahitur ad VIII. Cal. Februarij: poſtridie, cùm animo linqueretur, mórſque putaretur inſtare, Baptiſmo demùm pro voto, regeneratus eſt, & ad S. Franciſci Xauerij decus, & venerationem, Franciſci nomine inſignitus. Vbi ad ſe redijt, didicítque quid actum eſſet (neque enim aduertere per defectionem licuerat) geſtiente quadam lætitiâ perfuſus ex nouo munere, quo ſe in album filiorum Dei tranſcriptum intelligebat, quod reliquum vitæ fuit, biduum totum in profitendâ fide, ſpéque, & teſtando in Deum amore poſuit; Brebeufio verba præeunte: afficiebatur autem potiſſimùm pace ac veniâ demiſſè ſupplicitérque à Domino Deo petendâ: & perinde ac ſi apud Sacerdotem homologeſim faceret, ita publicè ac palàm culpas ſuperioris ætatis, ac maculas recognoſcebat. Tum vacillante, vt fit tali tempore, memoriâ; Mone, aiebat, quid me deinceps dicere, facere-ve conueniat: rudis ſum, atque hebes: tu erudi. Illud verò permirum viſum Brebeufio, quòd cùm nihil eiuſcemodi vnquam tradidiſſet, ipſe per ſe vltrò petiit aquam luſtralem injci ſibi, ad dolorem de peccatis faciliùs concipiendum. Et js erat oris habitus, ea vultus ſerenitas, vt lacrimas propè adſtantibus ex pio, & religioſo ſenſu eliceret: ita Pater miſericordiarum haud obſcuris indicijs aderat iamiámqûe animam efflaturo: & quidem placidiſſimè in Domino obdormiuit, V. Cal. Februarij. Aliquot pòſt horis quiddam accidit prodigio haud abſimile, ac ne inſimulari fortè vanitatis poſſet, teſtes habuit ſanè multos. Viſus altâ iam nocte fulgor ingens ad feneſtras domunculæ, in quâ exanimum corpus iacebat, ter attolli, ter deijci. Exiere properè ad id ſpectaculum

ANNVS MDCXXXIV.

Eiuſdem Baptiſmo demùm regenerati pia mors.

Eiuſdem obitus fulgore mirifico honeſtatus.

ANNVS MDCXXXIV.

domeſtici, alius ex alio exploraturi quid rei eſſet, num fortè flamma ædificium alicubi corripuiſſet, aut, numquid omninò lucernæ eſſet foris: ſed veſtigium flammæ nullum. Illud verò mirum magis, quòd cùm demortui germani leucas ipſas quadraginta à Kebecco tum abeſſent, eodem illo loco videlicet, vbi apud eos Iuuenæus verſabatur, ipſo illo momento (vt deindè ex temporis ratione diligentiſſimè à Brebeufio Iuuenæóque, poſt eius reditum putatâ conſtitit) fulgor idem ad eorum tugurium reluxit, ſic, vt ad eum primò conſpectum attonitus Meſtigoitius foràs progreſſus cùm eſſet, vbi de integro coruſcantem vidit, eruperit trepidus in tàm horrificum clamorem, vt tùm ceteri qui intùs erant ad vnum omnes accurrerint, tùm Iuuenæus ipſe: cúmque is abigendo terrori, fulgetrum eſſe diſſimulanter diceret; minimè verò, inquit: nam fulgetra quidem momento euaneſcunt; fulgor autem iſte aliquandiu oculis meis quaſi volitando obuerſatus eſt: tum, tàm frigidâ tempeſtate, fulgetra quis vnquàm vidit? Et verò ingentem eo tempore fuiſſe frigoris aſperitatem, Iuuenæus ipſe profitetur. Itaque poſtquàm inter ſe quid vtrobique euenìſſet, Brebeufius Iuuenæúſque contulerant, nemini dubium fuit, quin illâ flammulâ honeſtare Deus voluiſſet famuli ſui è vitâ mortali diſceſſum, eáque ſignificatione teſtari; Quàm gratæ ſibi, quámque acceptæ huius agri primitiæ eſſent, ex quo nihil vnquam priùs, præter vepres & paliuros extitiſſet. Iuſta pijs manibus piè & religiosè, Gallis funus proſequentibus perſoluta. Hunc ſubſecutus, nec ita diu poſt Naſſa idem, qui ſe apud Patres eius cauſâ interpoſuerat, homo miti & placidâ naturâ, & Gallorum vt ex dictis conſtat, iampridem peramans. Et Chriſtiana quidem inſtituta longè antè probabat magnoperè, verùm in auitâ ſuperſtitione hærentem retinebat prauus mos hominibus inolitus, vt quibus à tenerâ ætate aſſueuerint, ea non niſi ægerrimè deſerant ſenes. Ac tametſi finem faciebat nullum, charitatis Patrum in Saſsſmatium collaudandæ, quem magno ſuo ipſorum incommodo excepiſſent, aluiſſéntque perhumaniter, honorificè mortuum tumulaſſent; illúdque præcipuè demiraretur, & in conuentu paſſim celebraret, tantâ eos fuiſſe abſtinentiâ, vt nihil planè attingere voluiſſent è demortui veſtibus, ſupellecti-

Naſſæ pia mors atque elogium.

li-ve ceterâ, eo ipſo qui narrabat, quamlibet vrgente; tamen poſt Saſsſmatij obitum ad vxorem liberóſque ſe receperat, quòd cùm Ieſuitarum nullus vernaculam eius linguam ſatis adhuc calleret, tædio & ægritudine apud eos tabeſcebat; verùm, recrudeſcente morbo, ab ſuis efflagitauit iterùm, ſe vt ad Patres reducerent. Voti compos, ac ſingularis Patrum in ſe ſtudij charitatíſque ſignificatione mirum in modum erectus animo; nunc demùm, inquit, lætus moriar, qui apud vos ſim. Nondum tamen ſatisfaciebat ſempiternæ ipſius ſalutis cupidis: videbant eum de vitâ mortali, quàm de ſempiternâ ſollicitum magis, id agere, non tàm vt Chriſto nomen daret, quàm vt viueret: quippè inſtantibus vnum illud iterabat, certum ſibi eſſe Baptiſmum differre tantiſper, dum Iuuenæus redijſſet. Ingraueſcebat intereà vis morbi, & grauiori ſcilicet ſolicitudine exedebantur Patres. Ergò re cum ceteris communicatâ, conſtituit Brebeufius, nouemdiali ſacrificatione exorare ſi quo pacto liceret, optimum Deum interpoſito patrocinio S. Ioſephi. Nec irritum votum fuit: vix peracta ſacra erant, cùm ingens in Naſſa mutatio cœpta deprehendi. Ex eo non modò audire auidiùs Chriſtianæ Inſtitutionis capita, verumetiam ſibi vt exponerentur, vltrò depoſcere: negligere priſtinas ſuperſtitiones: nunquam ſomno ſe dare, quin preces antè ad Deum fudiſſet: nunquam cibum capere, quin ſtata ex Chriſtiano ritu benè precandi formula anteceſſiſſet. Quæ cùm aliquandiu tenuiſſent, ac debilitatis magnopere viribus, haud ſanè procul à morte abeſſe videretur, monet Brebeufius, inſtare ſupremum vitæ diem: ſi quidem Chriſtianus obire cuperet, ac vitâ beatâ perfrui, maturato opus eſſe. At non modò non hominem terruit tàm præciſa denuntiatio, verumetiam mirum in modum exhilarauit, ſic vt cùm in exornando ſacello, Patres paulò diutiùs quàm vellet, morarentur, ipſe per ſe præreptarit in ædiculam, neque expectauerit dum ægrum deducturi redirent. Ita III. Non. Aprilis ſacro è fonte regeneratus Ioſephi nomen adeptus eſt. Cùm antequàm ſalutari vndâ reſpergeretur, quæſijſſet ex eo Brebeufius nominatim, de ſingulis Symboli Articulis, déque Præceptis Decalogi, fidenter generoſéque reſpondit, illis quidem ſe prorsùs aſſentiri; hæc omni curâ ſtudióque culturum, ſi vita ſuppeteret, in-

ANNVS MDCXXXIV.

ANNVS MDCXXXIV.

ſignem quandam præ ſe ferens deteſtationem flagitiorum ſuperioris ætatis. Adſtabat vxor cum vnâ filiarum: illa lacrimas tenere nullo modo poterat: hæc in auguſtam cerimoniarum maieſtatem intenta, finem nullum mirandi faciebat. Ipſe quæ ſpoponderat egregiè repræſentauit: etenim cùm ſecundùm Baptiſma tentaretur multoties eius conſtantia à popularibus, reualiturum aſſerentibus, ſi modò cantus & tympanorum murmura patrio more adhiberi pateretur, illúdque ipſum canerent vxor, liberi, generi, aſſentiretur modò: paratam iam vehem eſſe, in quâ abduceretur, an non melius tutiúſque futurum apud ſuos, quàm apud alienos? an verò cuiquam antiquiorem curam ſalutis eius videri debere, quàm propinquis? Eriperet ſe ſe iſti ſeruituti: deſereret peregrinos: nondum de eius vitâ conclamatum: ſi ſanitas rediret, gentilitio ritu, vt antè, nullo quoquam reclamante victurum; ſin occumbendum eſſet, & tumulum nacturum cum ſuis, & rebus ad vitam illam alteram neceſſarijs affatim inſtructum iri. Hæc aliáque quanquam identidem afferebantur, perſtitit tamen in ſancto propoſito Neophytus; pernegauítque ſe è Patrum domunculâ exiturum, niſi ab ijs ipſis expelleretur, à quibus tàm benignè adhuc, támque humaniter eſſet habitus. Proinde deſinerent priores nugas, ſuperſtitionéſque iactare. Si ſaperent, impias maiorum deliberationes ſuo exemplo Chriſtianis ſacris mutaturos, quæ vna via ad ſempiternam felicitatem foret: ſin, faceſſerent porrò: certum ſibi eſſe ſuſceptam religionem ad extremum vſque ſpiritum excolere; neque vnquam commiſſurum, vt qui propè in limine beatæ vitæ verſaretur, ab eâ vnquam infando ſacrilegio abſcederet. Hæc meditantem memorantémque Iuenæus per eos, vt diximus, dies, commodùm redux haud mediocriter confirmauit. In primo occurſu, tanquàm germanum fratrem peramanter complexus, gratulatúſque ſingulare Dei munus, ac beneficium, in eo deinceps cùm Brebeufio ceteríſque Sacerdotibus totus fuit, vt tempus vitæ reliquum (dierum omninò duodecim fuit) aptè & fructuosè ad beatam æternitatem promerendam collocaret æger, neque momentum, ſi fieri poſſet, vllum præterflueret, quin actum virtutis aliquem exerceret, hoc, illo-ve præeunte. Tandem poſtquàm de extremo morientium ſacramento traditum erat quod ſcitu neceſſarium

neceſſarium fuit, ad vltimum certamen ritè inunctus, placidè tranquilléque egit animam, ipſo Paſchatis peruigilio. Funus ductum quâ pompâ tali loco, ac tempore potuit: & à Sacerdotibus quidem quam-accuratiſſimè obſeruata quæ Romanum Rituale præſcribit. Camplenius autem operas dimiſit, tantiſper feriari iuſſas, dum peracta iuſta forent, incredibili ſpectantium Barbarorum vel approbatione, vel ſilentio. ANNVS MDCXXXIV.

SVB EOSDEM ipſos dies Tchimiuirinius quidam cùm filiolum octo dumtaxat menſes natum morbus premeret, Oliuerio Gallo, Proregis interpreti, viro eximiæ pietatis, ſignificauit gratum ſibi fore, ſi quo ritu Gallorum infantuli, eodem ſuus iſte procuraretur. Is ad Iuuenæum rem defert continuò: nec cunctantiùs Iuuenæus ad caſam adit: verùm, cùm nihil dum periculi ex morbo ſubeſſe comperiſſet, Baptiſmum dies aliquot diſtulit. Tum Oliuerio confirmante, haud procul ab obitu abeſſe infantulum, percontatus ipſe per ſe à patre Iuuenæus eſt, num filium ſuum ſacrâ vndâ tingi vellet? Enimuerò, ait Tchimiuirinius, quinetiam ſi emorietur, eius corpus ad te deferam veſtro ritu tumulandum: ſin è morbo emerſerit, eum deinceps habebis pro filio, ac tuo more modóque inſtitues. Verùm, poſterius hocce minime neceſſarium fuit: in Chriſti familiam è-veſtigio cooptatus, proximâ deinde nocte in cælum euolauit. Felix ſanè ſorte ſuâ qui non precariò, vt qui anteceſſerant pueri plerique ferè omnes, ſed egregiâ patris voluntate Deo Chriſtóque oblatus, tum continuò formidoloſis ereptus caſibus mortalitatis, primus infantium Chriſtiano ritu ſepultus eſt. Stetit ſiquidem pollicitis genitor, & popularibus ad viginti partim viris, partim mulieribus comitatus, demortui filioli corpuſculum ad Patres detulit, fibrinis inuolutum pellibus, iniectóque deſuper peramplo linteo, coëmpto à Gallis: faſciculum prætereà totum tegebat ambiebátque duplicatus cortex. Et hunc quidem ipſis adſpectantibus, Iuuenæus euoluit, num intùs conditum infantuli corpus eſſet, veſtigaturus: tum beatos artus ligneo feretro incluſit, Patrum ſumptibus dedolato, quæ res Barbarorum animos mirificè cepit. Illa reliqua tametſi nulli vſui fore in alterâ vitâ, contrà quàm ij ſuperſtitioſè autumant, monuerat; tamen minime amouenda putauit, vel ne fortè alij deinceps ab ægro-

Infantes duo Chriſtiano ritu ſepeliuntur.

ANNVS MDCXXXIV.

tantibus filiolis Patres arcerent, neque ſalutari fonte ablui paterentur; vel ne, ſi reſpergi quidem ſacrâ aquâ ſinerent, eorum deinde qui obiiſſent corpora ſubducerent, neque vllo modo in poſterùm ad eos Chriſtiano ritu tumulanda deferrent. Vbi ventum ad ſacram cerimoniam, defixis animis hærere Barbari, percellíque ad ſingula. Suſpiciebant Sacerdotes linteatos quinque, feretrum ſerico amiculo decorè coopertum, oris fluentibus, floribúſque reſperſum: cantu autem vel præcipuè capiebantur. Peractis demùm omnibus, cùm iam humo infantulus mandaretur, mater præter dicta, lectulum quoque puelluli è ligno, & crepundiorum præterea nonnihil in foſſam iniecit, ad extremúmque, lactis aliquantum ex vberibus expreſſum ſuis vſſit coràm. Quærenti Iuuenæo quorsùm id ſpectaret? ſubiecit mulier altera, matrem filiolo lac propinaſſe, quod eius animula ſorberet. Adeò Canadenſium mentibus hæc altè inſedit opinio: Mortuos rebus ijſdem vti, delectaríque poſt obitum, quibus hîc vel egebant, vel tenebantur. Secundùm funus, datum à Patribus epulum cunctis, ex farinâ frugis Indicæ, prunis admixtis, quò ſe lubentius deinde accerſerent, quoties ægrotarent filioli. Et adepta eſt quod ſequebatur pia liberalitas: poſt biduum quàm Adriano iuſta perſoluerant (puellulo id inditum nomen erat) rediens è præſidio, ſacro peracto Brebeufius, dum circumpoſita tuguria luſtrat, incidit in funus alterum, hoc eſt in feminam inuoluentem, gentis more demortui filioli corpus, qui paulò ante Baptiſmo item regeneratus, ex communi illius virique conſenſu, terras cælo mutauerat; Ioannem Baptiſtam appellari Iuuenæo placuerat. Hæc Brebeufium vltrò affata in eam ſententiam eſt, vt diceret: perlatum iam eſſe ad ſe de honore funeris, déque ceterâ munificentiâ Gallorum Sacerdotum in filiolos ſuos: & conſilium quidem ſibi fuiſſe, ſuum quoque ad eos deferre, eadem cerimoniâ ſepeliendum: ſed vnum eſſe quod concoquere nequiret, euolui faſciculum. Commodùm aderat Adriani pater: íſque partium ſuarum eſſe ratus Patres tueri, tàm benè de ſe, déque ſuâ prole meritos: Quid id te, inquit, remoratur? nihil quidquam ex eâ diligentia puellulo mali, incommodi ve creatur: diſpiciunt modò iſti, num intùs repoſitum ſit infantuli corpus, cautione vtique minimè abſurdâ: quid

enim si falleremus? an non graue ipsis & molestum esset, pro humando corpusculo obtendi quisquilias? Sapienti orationi acquieuit mulier minimè pertinax, corpúsque dimisit, superiori illi adiungendum. Funus ductum nihilo minùs honorificè, crepundia pariter à parentibus attributa filiolo: funebre epulum à Patribus instauratum, hoc lætiùs, quod feras barbarásque mentes vel sacrarum cerimoniarum dignitate, vel Christianorum officiorum sedulitate, capi paulatim videbant. ANNVS MDCXXXIV.

Noua subsidia è Galliâ submissa.

INTER HÆC noua subsidia è Galliâ submissa, nauibus quatuor. Præerat Plessæus Bochartius, idem qui cum Emerico Cadomio ante biennium Kebecci hyemauerat. Et secundissimus cursus fuit: ineunte Maio cùm soluissent, post mensem Magni fluminis ostia tenuerunt. Præter turbam nauticam, operásque, veterem Franciam Nouâ mutauit Giffardus, homo pius, vnà cum totâ familiâ. Eius vxor, honestissima matrona, prægnans licèt, viæ & discriminum per ignota maria adiungere se viro sociam minimè dubitauit, & femineæ imbecillitatis oblita, suo exemplo planum fecit, non vnas Lusitanas mulieres Oceano audere se credere. E Iesuitis profecti tres Carolus Lalemantius, nouarum ærumnarum appetens, Iacobus Buteuxius, item Sacerdos, Ioannes Leodiensis, Laïcus. Vbi hi primùm portum attigere, nihil potius fuit neque ipsis, neque ijs qui resederant, quàm vt post seriam consultationem, Prouincias inter se partirentur. Quippè cùm noua spes è locis pluribus proseminandæ fidei affulgeret, nihil non complecti statuerunt, quod modò curâ & labore excolere possent. Ergò eâ ipsâ æstate Residentias, quas vocant, quatuor constituêre: ad Kebeccum vnam, sub Augustissimæ Deiparæ patrocinio, *Recuperantiæ* dictam: alteram, dimidiâ istinc leucâ Gallicâ, eadem Patronâ & Tutelari; cognomento Angelorum: tertiam Conceptionis, ad Trifluuium, leucas trans Kebeccum triginta: quartam Ihonatiriæ, apud Hurones, S. Iosephi titulo: vt alias omittam duas, Gallis potiùs iuuandis quàm Barbaris ad fidem adducendis, ad tempus institutas, S. Annæ, ad Promontorium Armoricum, S. Caroli, Miskoi.

Residentiæ quatuor à Iesuitis constitutæ.

IN PRIMA præter consueta munia Societatis, functiones quoque ceteræ Parochorum, procurandis Gallis etiamnum obeuntur, nonnullâ maiestate sacrorum. Nam & cantus adhi-

ANNVS MDCXXXIV.

betur, quo vel Gallorum tenetur pietas, vel Barbarorum feritas mulcetur: & ſacra ſupellex nitet, & vt in illâ vaſtitate, Ædes ſacra non inelegans. Secundùm diuina, præcipua cura morum: atque huic in Gallorum pleriſque reſpondit ingens pietatis ſignificatio, & æmula priſcæ virtutis exempla. Opifices, militéſque (neque enim ferè vlli non tales) celebrioribus quidem diebus iis, quibus auguſtiora myſteria ritu ſolenniore recoluntur, ſacramenta omnes, complures menſibus ſingulis adiere. Vnius ardor tàm incenſus fuit, vt exoluendo voto, damnandæque peſſimæ laſciuiæ, quæ in Europâ paſſim graſſatur, lucibus noctibúſque iis, quæ ſacram Quadrageſimam proximè antecedunt, pridie Cineraliorum ad Ædiculam vſque Patrum Kebecco, hoc eſt leucam dimidiam Gallicam, nudo pede per glaciem, niuéſque continuas adierit: ac ne quid ad acerbitatem deeſſet, eo ipſo die ieiunium ex Eccleſiæ præſcripto exercuerit, vno Deo ſpectante, Patribus dumtaxat conſcijs. Et illius quidem auſterioris abſtinentiæ legibus tùm quiſque ſtato illo dierum quadraginta curriculo paruit, tùm vnus repertus, qui inſuper plus triceſies in ſe ipſe, flagello ex funiculis eo ipſo interuallo ſæuierit, tàm raro exemplo, quàm inſigni molliculorum noſtratium notâ. Fuit item ex opificibus, qui non minùs ſingularis virtutis ſignificatione ſpoponderit, ſe decimam quamque partem lucri, quod ex ſuâ arte eſſet toto deinceps ætatis tempore collecturus, in pia opera impenſurum. Sed hæc quidem, quanquam ſanè mira, miranda tamen minùs, reputanti; quàm demùm efficax, quámque rapax ſit in vtramque partem, eorum qui præſunt vel actio, vel approbatio. Camplenius haudquaquam ſui diſſimilis, non ipſe modò Præſidiarijs ad omnem virtutem exemplo ſuo prælucebat, ſed etiam ita cuncta continebat, vt non Arcem Kebecci, ſed Cœnobium eſſe diceres. Ter in die ſtatis horis ſignum ex ritu Eccleſiæ dabatur ad Angelicam ſalutationem: ad menſam, ſuper prandium quidem, Hiſtoricus, ſuper cœnam Sanctorum vita perlegebatur: ante ſomnum, diurna facta dictáque excipiebat examen: preces dein ab vnoquoque ceteræ genu flexo perſoluebantur: & eius ſcilicet in cubiculo, ne quis lateret. In alijs Reſidentijs res eodem propè modo tranſactæ.

Gallorum pietas, atque æmula priſcæ virtutis exempla.

ANNVS MDCXXXIV.

HAC EADEM ÆSTATE ad Hurones denique peruentum. Præcipua laus rei tamdiu támque ardentibus votis ad diuinam gloriam expetitæ, penès Pleſſæum Bochartium. Is vbi primùm accepit conuenturos Hurones ad Trifluuium, Brebeufium Antoniúmque Danielem, triduo pòſt quàm in lembo profecti erant, cum Ambroſio Dauoſtio ſubſecutus, ſubſtitit aliquandiu, dum Hurones adeſſent. Nec verò frequentiſſimi aduenere, periculoſo bello impliciti. Etenim Iroquij cùm accepiſſent, Hurones quingentos, ſuos in fines infeſtis animis tendere, quidquid obuium foret hoſtiliter populaturos, ipſi anteuertendum rati, ad mille & quingentos obuiàm proceſſere, commiſſóque prælio, fuſis fugatíſque alijs, interemere ducentos, facilè centum ceperunt, in ijs Ludouicum Amantacham: atque illius ipſius pater interfectus fuiſſe dicebatur primùm, poſtmodùm euaſit: Hinc Huronum paucitas. Canoæ ſeptem, nec plures, initio cùm eſſent appulſæ, aduolat Brebeufius continuò, ab iiſque appoſitâ oratione contendit, ſéque ſociósque ſuos auehere in diſceſſu ne grauentur. Iámque volentes lubentes annuerant: cùm Præfectus ex inſularibus Algonquinijs quidam, cognomento *Perdix*, conuocatis ſuadet, ne quem quis Gallorum in canoam accipiat. Ergo reſtincto ſuperiori illo ardore, hærere ac nutare Hurones Algonquiniorum offenſionem reueriti, quorum pēr fines in reditu tranſeundum ſibi prorsùs eſſet: Sed adfuit tempore Pleſſæus, coactóque confeſtim concilio, rationem facti ſui exponere in conuentu palàm Perdicem iubet. Et attulit ille quidem complures: verùm haud tales, vt non perfacilè diſſoluerentur: in eo plus roboris ac momenti eſſe videri potuit, neſi quid Gallis vel in itinere, vel apud Hurones humanitùs accidiſſet, pax inter Gallos Algonquiniósque inita corrumperetur: verùm, vt hunc ſcrupulum eximeret, confirmauit Pleſſæus, quandoquidem Galli apud Algonquinios ſubſtituti minimè erant, etiamſi, quod Deus omen auerteret, eorum aliquis morte vel naturali, vel per vim illatâ apud Hurones defungeretur, non propterea non fœdus conſtiturum: ita Algonquinij quieuere. At Hurones, quorum è re magis eſſe videretur armatos traducere, quàm togatos, excuſare viciſſim exiguum numerum ſuum, canoarum paucitatem, graſſatio-

Gallos ſecum auehere in diſceſſu, Hurones recuſant.

ANNVS MDCXXXIV.

nem morborum. Quæ tergiuerſatio cùm Pleſſæi ſtudium acuiſſet potiùs, quàm retardaſſet, quà prece, quà pollicitatione euicit, vt exciperentur tamen aliquot: tum, quoniam ex Huronibus vnus aliquis profitebatur, ſe vnum præterea traiecturum, ita, ſi quam nicotiam ferebat, conchâ veneriâ mutare liceret, Pleſſæus idem, vnà cum Spinæo, honeſto item Gallo, non conchamveneriam ſuppeditaruntilli quidem, quâ carerent, ſed nicotiæ quantum erat, commodo pretio coëmerunt: ita ſex Galli conſcenſuri illicò putabantur; in ijs Ieſuitæ tres. Sed ecce tibi denuò turbæ: negant Hurones plures tribus vehi à ſe poſſe: vires enim ſuas ex morbo ità debilitatas, vt remum tractare vix poſſent. Ac de morbo quidem quod afferebant, res ipſa ità eſſe loquebatur: at minimè ſatisfaciebant, quòd cùm Galli tùm ſocij, tùm alij, remigaturos ſe ſe ſponderent, nihilo tamen ſeciùs perſtabant ij in ſententiâ, neque adduci vllo modo poterant, plures vt ſecum inuehi paterentur. Ergo cùm nihil expediretur aliud, intereà dum ſe noua opportunitas daret, Brebeuſius Danielque impoſiti, vnà cum Gallo iuuene: Dauoſtius excluſus quantum animo dolorem hauſerit, facilè intelliget, quiſquis in re ardentiſſimè expetitâ & exploratâ, ſpe iam præceptâ repulſus vnquam eſt. Aliquantò pòſt tamen & ipſe nauigauit, admiſſus in canoam vnam ex tribus, quæ deinde ſuperuenerunt, at eâdem conditione quâ ceteri, vt ſupellectilem omitteret: quippè tantus ardor eundi Apoſtolicas mentes inuaſerat, vt in illâ prouiſione certiſſimæ penuriæ rerum omnium, vni Dei prouidentiæ confiſi, nihil admodùm ſecum tulerint, præter rei diuinæ inſtrumentum. Quanquàm deindè Pleſſæus (quæ fuit eius cura & vigilantia) & Gallos reliquos, & Patrum reculas impoſuit. Ita Galli Sacerdotes è Societate tres; externi ſex, ad Hurones tandem eo anno penetrauere, & per ærumnas ſanè graues. Remigandum totos dies erat: tum veſperè, recreandis ex tanto támque aſſiduo labore viribus, vnde veſcerentur ſuppetebat nihil, præter farinæ aquâ dilutæ demenſum ſanè modicum, & incertum quidem illud: etenim cùm ſoleant Hurones, quoties Kebeccum petunt, oram-ve finitimam, certis quibuſdam locis abditioribus, bidui ferè interuallo farinam occulere in reditum, ſi vel latebra deinde

Brebeuſius demùm cum ſocijs ad Hurones per grauiſſimas ærumnas penetrat.

quærentes fefellerit, vel fures occupauerint, id quod nec ra- ANNVS
rò contingit, enimuerò toleranda inedia, donec ſepoſitum MDCXXXIV.
aliud occurrat. Cubile humus, rupes-ve; neque enim tàm aſperis locis figi caſulæ queant: iter, leucarum plus trecentarum, tàm impeditum támque difficile, vt quot ſaltus, torrentes-ve occurrerunt (occurrerunt autem quinque & triginta) factâ exſcenſione, vnà cum onere canoæ conuectandæ humeris fuerint per denſa nemora, pérque aſperrimos ſcopulos, ad duas nonnunquam tres-ve leucas: locis autem vadoſis præ aquæ inopiâ, fluenti-ve rapiditate, per breuia & vortices, quinquageſies (hunc numerum à ſe initum Brebeufius narrat) canoæ tractæ, non funè, vt fit nonnunquam ab noſtris nauicularijs, ex fluuiorum margine, ſed manibus, intrà alueum ipſum: vt collo tenùs immerſi aliquando, nauigiolis rapientium vndarum violentiæ permiſſis, ipſi ægrè enatarint: atque eo ipſo in itinere Gallus vnus proximè ab extremo exitio abfuit: deſertus à Barbaris in canoâ, quam nullâ deinceps vi extrahere poſſent, dum ceterorum quiſque ſuæ ſaluti conſulit, nihil propius fuerat, quàm vt vndis abſorberetur. Brebeufij autem nauigiolum iamiam in ſubiectum baratrum præcipitabat, niſi periculi animaduerſâ magnitudine, ocyùs Hurones in alueum fluuij deſiluiſſent, auertendæ canoæ, quam incredibili celeritate raptabat vortex. Quanquam nec ſibi ipſe defuit; ſed ſingulari quadam firmitate mentis, & artuum, præſentiſſimum diſcrimen eluctatus, ſéque canoámque cum mercimonijs in tutum tandem ſubduxit. Ceterùm, cùm is aliquando de omnibus bene merendi ſtudioſiſſimus, ſuâ vice trahendæ canoæ in alueum ſe ſe demiſiſſet, præacuti lapides tàm acerbum dolorem plantarum offenſione fecerunt, vt abſiſtere ſit coactus. Accedebat fœtor olidorum corporum, & muſcarum infeſtiſſima exagitatio, quæ, tenuiſſimæ licet, elicere tamen ſanguinem infixo aculeo ſolent, vultúmque non modò turpiter, ſed etiam periculosè deformare. Poſtremò ne quid ad angorem deeſſet, perpetua erat ſi non formido, certè ſolicitudo ab Algonquijs; quorum per fines iter habebatur: quippè, non ex odio illi quidem, ſed ex incenſo potiùs ſtudio Patrum apud ſe retinendorum, illud canebant aſſiduè, haud tutò Gallos apud Hurones fore: Stephani Bruſlæi meminiſſent, qui ab ijs cæſus

ANNVS MDCXXXIV.

ante biennium fuiſſet: nec defuere, poſtquàm peruentum ad Hurones erat, qui iactarint, de Brebeufio deſerendo in ignotâ plagâ quapiam, eum cuius nauigiolo vehebatur, verba feciſſe: verùm, quò minùs id ſibi ipſi vnquam perſuadere potuerit, obſtitit comitas tùm illius, tùm ceterorum, totâ nauigatione: quinetiam quotiès populares occurrerunt, tàm magnificè de eo, ſociiſque ceteris prædicauerant, vt impetum quendam inijcerent ex ijs aliquot ſecum accipiendi. Nam quod de Bruſlæo afferebatur, futile erat: etenim quanquam nec de cauſâ, nec de auctore cædis illius cognitum adhuc ſatis erat, illud conſtat, nequiſſimum illum fuiſſe, & vitijs omnibus ſceleribúſque coopertum. Interpretis munere apud Hurones cùm fungeretur pro Gallis, ſceleſtum non puduerat, per turpiſſimam proditionem ad Anglos tranſire, iam inde ab eo tempore quo Kebeccenſem Arcem inuaſerant: quam tantam perfidiam cùm Camplenius obieciſſet, addidiſſétque indigniſſimum eſſe, Gallo quidem, Regem Galliæ ac patriam prodere, Orthodoxo autem, cum hæreticis per turpiſſimam crapulam carnibus paſſim veſci, diebus ijs, quibus earum eſu Catholicis interdictum probè noſſet, videre quidem ſe ea reſpondit impius: ſed cùm tutò deinceps in Galliâ verſari non eſſet integrum, aleam iactam eſſe, nihilo ſeciùs victurum cum Anglis. Ad Hurones deinde cùm redijſſet, cælum ille quidem mutauit, non animum: qui humana, diuináque iura pridem violaſſet, per impuriſſimam intemperantiam exegit miſerrimæ vitæ reliquum, Chriſtianus apud Ethnicos; donec inſidijs appetitus, eâ ipſâ fortè de cauſâ, vt per quæ peccaſſet, per ea & interiret; expers ſubſidiorum omnium, quibus ad felicem è vitâ mortali exitum comparari Eccleſiæ alumni ſolent, ad diuinum tribunal raptus eſt, reus tùm aliorum flagitiorum criminúmque, tùm prauitatis illius, quâ perpetuam offenſionem Huronibus præbuit, qui tanquam lucerna in caliginoſo loco, præferre facem ad fidem Ethnicæ genti debuerat. Sed ad inſtitutum reuertamur.

EXPETITAM TANDEM ORAM tenuit Brebeufius poſtridie Non. Auguſti, nec ſine nouâ ſegete ſolicitudinis. Infimis precibus cùm petijſſet ab ijs quibuſcum nauigauerat, vt aut ſe ad Ihonatiriam pagum deducerent; vbi priùs verſa-

tu

tus fuerat, aut ad ripam ſubſiſterent tandiu, dum eò ipſe excurreret, & ſedem antiquam recogniturus, & adducturus ſecum, qui ſarcinulas veheret; neutrum impetrare potuit. Acceptorum beneficiorum, datæque fidei immemores, hominem peregrinum in ripâ deſtituunt, ſolum planè: ipſi ad ſuos quiſque pagos certatim leucas circiter adhuc ſeptem progrediuntur. Quò ſe hîc Brebeuſius verteret? Remanere præterquàm quod periculoſum erat, non licebat prætereà, per cibi penuriam: neque enim quidquam vnde veſceretur, abeuntes reliquerant: progredi ſi pararet, quò tenderet locorum ignarus? præſertim cùm accepiſſet, id quod res erat, ſedem mutaſſe Ihonatirienſes, & de gentis more, pagum aliò tranſtuliſſe. In eo angore genua demittit in preces, actíſque gratijs, ſumno rerum omnium procreatori atque arbitro, ſe capútque ſuum offert ad gentis ſalutem, nec ſine diuinæ opis fiduciâ, & firmâ quadam perſuaſione fore, is vt ſe tegeret, à quo per tanta diſcrimina ſaluus, incolumíſque eò eſſet perductus. Tum ſarcinis vicinâ in ſiluâ occultatis, præter ea quæ nullo modo amiſſa vellet, dat ſe in viam: nec ità multò pòſt, vicum nanciſcitur. Et vix in proſpectum venerat, cùm certatim ſe ſe obuiàm pagus totus effudit: incredibili ſignificatione lætitiæ: *Echom* ingeminare omnes (hoc enim nomine priùs ab eis Brebeuſius appellabatur) & ardentiſſimo ſtudio reditum gratulari. At is, cui nota pridem Huronum facilitas eſſet, quoniam nox imminebat, cunctis compendiò reſalutatis, ad eum adit confeſtim, quem certâ iam animi deſtinatione hoſpitem delegerat (*Asandoien* vocitabant) hominem locupletem inter ſuos; & cum iuuenum manipulo operam ſuam perlubenter commodantium è-veſtigio ad amnis ripam regreſſus intacta cuncta reperit, adſportátque: tum multâ iam nocte ad pagum ſe recipit. Eódem tandem conuenere Galli reliqui, tardius alij alijs, omnes ab hoſpite benigniſſimè habiti menſem ipſum cum dimidio, tàm inſigni notâ eorum qui Chriſtiano nomine cùm glorientur, ad miſericordiam egentium ſaxei ſunt, quàm illuſtri humanitatis laude in Ethnico homine. Sanè cùm Huronum omnium domus hoſpitibus patent, tùm eo ipſo nomine hoſpitalitatis percharus ſuis erat Asandoien: quæ munificentia ne ſuâ mercede careret, diuinitùs factum

ANNVS MDCXXXIV.

Hominis Barbari ſingularis humanitas.

ANNVS MDCXXXIV.

videri posſit, vt in vnâ atque alterâ pagi totius deflagratione, illius vnius domus ab flammis intacta permanserit: quæ res ipsa cùm priore incendio, popularium in eum inuidiam concitasset tàm atrocem, vt cui ædificio ignis peperciſſet, in illud ipsi faces, malleósque apparare dicerentur; vir sapiens idem, & largus, epulum contrà parare continuò: conuocatísque pagi incolis, quotquot erant; *Acerbiſsimo*, inquit, *dolore pupugit animum meum casus tàm inopinatus quàm funestus, mihi idcircò vobiscum communis, quòd non potest publica calamitas non in me quoque redundare: verùm, quid hîc deinceps agamus? Equidem quid sit quòd euasit domus mea, nescio: vt intelligatis tamen me in publici infortunij communionem venire velle, en capsas duas Indicâ segete plenas* (erant singulæ medimnorum propè sexaginta) *vtramlibet lubebit, ad penuriam pagi totius leuandam assumite.* Hoc læti munere, æqui demùm placatíque abscessere omnes: hæc autem post Brebeusium memoraui, non tàm vt planum fiat, liberalitatem valere ad omnia, quàm vt quisque intelligat, verissimum esse quod initio posui, minimè hebetes Canadenses esse: quid enim aut Græcus Phocion, aut Menenius Agrippa Romanus, tali loco ac tempore commodius facere potuisset? Ceterùm quòd ad Hurones demùm aditum sit, quòd omnes, nemine desiderato, Ihonatiriam peruenerint, quòd communis lues, quæ Hurones penè omnes strauerat, è Gallis nullum prorsùs afflauerit, ea verò tribuit Brebeusius idem, voto religiosè ab se ipsâ in ripâ concepto, ad Trifluvium, sacrificium se oblaturum Deo vicesies ad S. Iosephi decus & venerationem: momento enim discussas deinde turbas illas omnes, & repentinâ prorsùs voluntatum inclinatione, quos paulò antè Hurones reiecissent, eos statim cupidè vehendos suscepisse.

Primam Soc. Iesv domum apud Hurones Brebeusius extruit.

DVM ET PATRES, & Gallos ceteros benignè Agandoïen fouet, intereà omni studio Brebeusius incumbebat in extruendam domunculam. Canadensium tuguria antè vidimus vniuersim pergularum nostrarum esse persimilia, hoc tamen discrimine, quod illa fixorum, paulò solidiora, cedrinóque ferè tecta cortice. Longitudo maior minor-ve, pro inquilinorum numero: latitudo pedum circiter quatuor & viginti, altitudo suppar. Pro feneſtris, próque vaporario foramen su-

pernè relinquunt: ornatum Gallicorum ædificiorum ceterum fruſtrà requiras. Hoc tàm egregio opere, caſula veriùs quàm domus, mirum quanto tamen labore, quantóque temporis interuallo exurrexerit. Moræ cauſa duplex: altera indigenarum morbus ille frequens: altera duorum inter ſe pagorum contentio, vter potiùs Gallos haberet, *Ihonatiria*, vbi iam Patres verſabantur, an *Oënria*, vnde operas aliquot precariò accerſierant, ne in ſolos Ihonatirienſes onus incumberet. Dum alteri alteros reſpiciunt, neutri ſatis opus promouebant. Et vtriſque quidem ſatisfactum cupiebant Patres: verùm ità, vt quando è diuinâ gloriâ réque fidei id maximè eſſe intelligebant; è duobus pagus vnus conflaretur, atque eo nomine munuſculis vtroſque delinierant. Tandem ſub Septembris exitum tecto vtcunque ſuper iniecto conſtitit Ihonatiriæ apud Hurones prima Societatis IESV ſedes, & naſcentis ibidem Eccleſiæ incunabula, Bethlemitico tugurio propior, quàm Ieroſolymitani Templi ſplendori. Quippè ædificium totum in longum quidem pedes omninò ſex & triginta; in latum, vnum & viginti colligebat: atque illæ ipſæ anguſtiæ tres in partes diuiſæ: prima ad ianuam, pro propylæo, pro cellâ, pro atrio: altera interior, culina eadem, & piſtrinum, & cœnaculum, & aula, & cubiculum. Ad huius latera hinc inde adiectæ appendices, contignatione duplici: ſuperior veſtiarium fuit: in inferiore, non, vt Hurones, ligna in focum, ſed lectulos locauerunt, eodémque reculas ſuas indigenarum furacitati ſubduxerunt. Tertia, Domus Dei, hoc eſt, Sacellum, vt in illâ tenuitate non inelegans, ex ligno affabrè dedolato. Certè nullum mirandi finem faciebant Hurones: & ſub primos dies incredibilis concurſus fuit, non Ihonatirienſium modò Oenrienſiúmque, ſed etiam ex pagis circumpoſitis, vnde ad gratulandum conuenere complures eò libentiùs, quò indonatum neminem Brebeufius dimittebat. Horologium ſuſpiciebant imprimis, prorsúſque ſibi perſuadebant ſenſus ac vitæ particeps eſſe. Dum horas, horarum-ve partes numerabat, circunſpicere ſtudioſiſſimè, num adeſſent tùm Patres, tùm Galli ceteri ad vnum omnes, ne quis fortè ſibi illuderet, motum clàm ciens. Quin auditione quoque percipere autumabant horologium idem, quæ præciperentur, inde videlicet, quod è Gallis ali-

ANNVS MDCXXXIV.

ANNVS MDCXXXIV.

terræ à vobis, ſingulis item annis mandantur, putreſcunt primùm; tum ex eâ ipſâ putredine & culmos mirum in modum elegantes, & ſpicas dein tàm longè præſtabiliores fundunt: nec ea cogitatio mentes veſtras ſubit, Omninò præcellentem aliquem, & ſummum Okki eſſe, neceſſe eſſe, & eum qui quotannis res tàm præſtantes oculis cernendas exhibeat; infinitè ſapientem eundem, qui hæc mente excogitauerit, & potentem qui effecerit, efficiátque aſſiduè; & humanum, beneficúmque, qui tàm multa quotannis affatim ad victum, cultúmque ijs ipſis à quibus non modò non colitur, ſed ne agnoſcitur quidem, conſtantiſſimè ſubminiſtret. Nec verò hæc ſuo fructu caruere: eo ipſo anno relati manipuli, nauis agricolis ſpem fecere meſſis in poſterum vberioris. Præter infantulos aliquot in IESV Chriſti familiam per Baptiſmum cooptatos, nec ita multò pòſt in cælum vitali morte tranſlatos, adulti item aliquot ſacris vndis regenerati, felices naſcentis ibi loci Eccleſiæ primitiæ. Illud memorandum de Ioſepho *Iστaiâ*, tentatam eius conſtantiam ab hoſte humani generis hoc periculoſiùs, quòd fratris iam vitâ functi perſonam vultúmque induerat. Cùm ægram vitam traheret diutiùs, quàm Antonius Daniel putauerat, à quo, abſente Brebeufio, tanquam morti vicinus, pro voto, Baptiſmi particeps factus erat; ad focum ſedenti adſtitit aliquando improuiſus veterator, ac ne verbulo quidem facto, contrà aſſedit, tacitúſque permanſit benè diu. Dein Ioſephum compellans, Ergóne, inquit, frater, fratrem deſeris? Minimè verò, ait Ioſephus, in hoc adhuc certaminum genere tyro miles; non committam vt te deſeram: atque hic falſus frater, hoſtis veriſſimus, imprudentem blanditijs mulcere cepiſſe dicitur. Detectis tamen inſidijs, cognitóque periculo, conteſtatus eſt deinde Ioſephus pluries, velle ſe òmnino in cælum pergere: & verò eò demùm receptum credibile fuit, quando in veri Dei confeſſione, & flagitiorum criminúmque ætatis totius deteſtatione egit animam: Chriſtiano proinde ritu, prout expetierat, ſubindè tumulatus. Sed Kebeccum regrediamur.

AD III. NON. SEPTEMB. Iuuenæus cum Buteuxio initium daturus Reſidentiæ, quæ Conceptionis ſortita pòſt nomen, perrexit ad Trifluuium. Id nominis loco Galli indidere, non quòd tres fluuij eò confluant, ſed quòd vnus

Iuuenæus cum Buteuxio Reſidentiam Conceptionis ad Trifluuium ſtatuunt.

ANNVS MDCXXXIV.

idémque amnis *Metaberǔtinus* indigenis dictus, per tria potiſſimùm oſtia, Inſularum aliquot diuortio ſeiuncta, erumpat in Regem fluuiorum, hoc eſt in flumen S. Laurentij. Tractus totus peramœnus, & quà Kebeccum deſcenditur, per certa interualla fluuijs, riuíſque diſtinctus compluribus. Piſcatio tàm felix, vt ſit qui intrà paucas horas nonnunquam acipenſeres capiat ad duodecim, plures-ve, tantæ molis, vt humani corpotis exæquent perſæpè magnitudinem. Miſſi Patres à Deo videri potuerunt, ad tuendos fouendóſque miſeros, quibus niſi ab ijs ſubuentum eſſet, certa mors erat: fame, quæ iam atrociter anno ſuperiore toto eo tractu ſæuierat, ingraueſcente eò vſque, vt ad Gaſpeïum quidem interfectus, voratúſque à Barbaris fuiſſe dicatur adoleſcens Cantaber, ab ſuis apud eos diſcendæ linguæ relictus; ad Tadoſſacum autem indigenæ ceu lupi alij in alios inuaſerint, cæſorúmque manderint cadauera. Accurrebant turmatim exſucci, luridíque, & longâ macie deformati: perinde eſſe flebiliter dictitantes ſeu in ſiluis, ſeu circà Gallorum domicilia emori. Et eorum neminem ſua fefellit opinio: tametſi Patribus in arcto res erat, quod Kebecco ſuprà neceſſariam annonam vix quidquam tulerant; tamen tùm ipſi, tùm Galli ceteri, de ſuâ illâ tenuitate ſupplices ita fouerunt, vt ne vnus quidem fame interierit. Excipiebantur penè omnes, vt primùm aduentabant, conuiuio, tali loco, ac tempore ſanè lauto, pulmento ex farinâ, vel cicere: dúmque cibus recreando corpori apparabatur, intereà curabantur animi. Toti erant Patres in commonſtrando, quàm miſera, quámque ærumnoſa eſſet ſiluatica illa vita; quàm felices contrà forent, ſi fide ſuſceptâ, ciuilem & ſecum ipſi, & cum Gallis ſocietatem inirent, ſummóque rerum omnium Procreatori caſtè & religioſè famularentur. Quo in ſermone interpellans aliquando vnus ex eis aliquis Iuuenæum, quærere inſtitit, num ſi fidem capeſſerent, futura nix eſſet? Illo futuram aſſeuerante, Altáne, inquit, erit, & ſolida? Erit, inquit Sacerdos. Quid? alcæ occurrent, quas venemur? Cùm occurſuras affirmaret; Eáſne, adiungit, conficiemus? ſanè, ait: etenim cùm ſempiternus ille hominum parens cuncta peruideat, ſítque infinitæ potentiæ, bonus autem ſuprà quàm mente, & cogitatione hominum quiſquam aſſequi poſſit, nequibit ſe ipſe con-

Patres in extremâ fame miſeros indigenas ſubſtentant.

tinere, quin vobis opituletur, ſi in eum credetis ex animo, ſi paternam illius benignitatem implorabitis, & quod vnicè ab mortalium vnoquoque exigit, ſi ſanctiſſimæ illius voluntati, mandatíſque morem conſtanter geretis. Commoda oratio, excepit Barbarus, reputabimus nobiſcum ipſi, quæ propoſuiſti, ac quid potiſſimùm ſit opus facto, diſquiremus. ANNVS MDCXXXIV.

IN EAS CVRAS, STVDIAQVE intentis annus vertit: ſterilis ille quidem, ſed quem, contra quàm in Ægypto quondam, conſecuta ſit meſſis vberior: quanquam ne ille quidem ſuo operæpretio caruerit. XII. Cal. Martias ibidem ad Trifluuium in ſacrâ Ædiculâ ſolenni ritu in beatam regenerata eſt infantiam, femina ex Berſiamitarum gente (quantum quidem ex ijs quæ ipſa narrabat, aſſequi coniectura Iuuenæus potuit) quibus nulladum cum Europeis communio fuiſſet, prohibentibus ijs qui ad Tadoſſacum incolunt, à quibus paulò antè per ſummam inhumanitatem, æquè ac perfidiam, ex ijs aliquot trucidati erant, poſtquam fictâ benignitate capti, ſe, ſuáque ipſis nullâ fraudis hoſtilitatis-ve ſuſpicione crediderant. Hanc porrò ab indigenis, quorum in comitatu aliquandiu fuerat, modò his modò illis humi derelictam, nec iam feſſos ſenectâ morbóque artus præ virium imbecillitate trahere valentem, cùm nec deſtituere vellent Patres, nec per decorum in domunculam accipere poſſent, à poſtremis inſtitere, corticum vt aliquantulum in diſceſſu relinquerent, quò ne ſub dio per eam frigorum inclementiam miſera continuò fatiſceret: verùm, cùm nil preces valerent, id per vim à Gallis extortum. Intereà, cùm iniectam Baptiſmi mentionem haud grauatè ab ijs accepiſſet, à quibus tàm benignè alebatur, curabatúrque; poſtquàm myſteriorum fidei cognitione ſat idoneè imbuta viſa, eluta eſt aquis vitalibus, noxas ſuperioris vitæ egregiè deteſtata priùs omnes; & nominatim quidem, licet nihil eſſet cur peccata ſingillatim memoraret, prædicante Sacerdote; ſatis eſſe ſi de ijs ante Baptiſmum, verum, ſincerúmque dolorem animo conciperet. Illud tamen aliquanto pòſt myſtagogum mirum in modum perculit, quòd cùm ad exitum è vitâ Annam comparaturus (id enim nomen inditum) de morte verba faceret, territa mulier abſiſtere iuſſerit, & rei tàm horribilis mentionem porrò omittere. Ac tum quidem mœ- ANNVS MDCXXXV.

Femina ex Berſiamitarum gente ſolenni ritu in ſacrâ Ædiculâ Baptiſmo regeneratur.

ANNVS MDCXXXV.

ſtus, & celeritatem ſuam propè incuſans cùm receſſiſſet, precéſque pro infelicis ſalute tùm ipſe, tùm alij ad Patrem miſericordiarum fudiſſent, aliquanto pòſt ad ægram cùm redijſſet, ipſa vltrò de futuræ vitæ ſtatu, & conditione plurima ſciſcitari. Animúſne iſte meus, aiebat, poſtquàm è corpore exceſſerit, luce perfruetur? Cùm aſſeueraſſet Sacerdos & videndi facultatem, & functiones ſenſuum reliquas apprimè in alterâ vitâ vſurpatum iri, ab ijs modò qui piè & religiosè hîc Deo paruiſſent, fidémque minimè fucatè coluiſſent, quinimò infinitis partibus præſtantiora ea cuncta fore; cum ſuauiſſimæ cuiuſdam iucunditatis & oblectationis copiâ; illud ex te accepi, ait, mihi vſuram vitæ olim reſtitutum iri: num igitur tunc mihi, qualis nunc ſum, an alteri cuipiam ſum futura ſimilis? Ipſiſſima tu, inquit, ad vitam excitabere; ipſum illud tuum corpus emerget è tumulo, & mirabili quidem ſplendore ac pulchritudine, ſi fidelis eſſe perrexeris: ſin, horribili deformitate, ſempiternorum ignium eſca & pabulum. Quo verò ciborum genere animus meus poſt mortem veſcetur? Nullo quidem, inquit, iſtorum quibus nunc corpus eget: eorum autem loco, incredibili quadam voluptate perfruetur, quæ nullâ mortalis cuiuſquam oratione explicari ſatis queat. In cælum ſi euaſero, quid intuebor? Nimirum tùm quæ in terris geruntur alia, tùm præcipuè gentilium tuorum amentiam, qui ſanctam fidem contumaces reijciunt: ſingularem autem in modum te in perpetuum oblectabit infinita illius pulchritudo qui cuncta condidit: hunc tu mihi tuis precibus propitiabis. Quid ei potiſſimùm dicam? Clementem ac miſericordem ſe mihi exhibeat, méque quamprimùm hinc in cælum euocet. Eſt igitur, pergit, quantùm conſequor, magnopere optabile in cælo verſari, quando eâ cauſâ mortem appetis. Verùm, me fortè capiet obliuio eorum quæ mihi commendata eſſe cupis. Minimè verò, inquit Sacerdos, ſi quidem credis ex animo, non eſt quòd te hæc ſolicitudo cruciet. Quid porrò meo corpore fiet? Eleganti feretro componetur: tum à Gallis omnibus preces tuâ cauſâ fundentibus in communi cœmeterio ritè tumulabitur. Agedum, inquit, verum narra; animus iſte meus vbi diuulſus erit à corpore, ingenio valebit? Et valebit ingenio, infit Sacerdos; & intuebitur, & audiet, & loquetur, modo quodam

Eadem mortis metum ſancta fiducia ac ſpe futuræ vitæ deinde mutauit.

quodam longè nobiliore, quàm hæc tua labra voces vnquam vllas efformauerint. In eâ interim collocutione languentis vultus ſerenari ſenſim: ac tandem erectior lætiórque in hæc verba prorupit: Credo, Credo: atque vt me ex animo credere intelligas, mortem deinceps minimè reformidabo. Contremiſcebam adhuc totis artubus, quoties eius mentionem faciebas: nunc contrà, hæc mihi in votis erit, quo ad eum approperem, qui cuncta condidit. Et ad hanc quidem lucem vſque, ita ad eum preces concipiebam vt dicerem; Sana me: conſanare me potes; in poſterum ita dicam: Iam nullo modo opto vitæ vſuram mihi prorogari: tui videndi cauſâ lubenter emoriar. Hæc anus vti memorabat, ita egregiè præſtitit: ne veſtigium quidem ſuperioris illius formidinis remanſit: quinetiam inſtante morte, audita ſæpiùs eſt eas voces ingeminare; Credo, Credo; Illum amo, Illum amo: Aueo in cælum ſcandere. Et aliquanto antè abeunti Iuuenæo (eius enim in manibus egit animam) Hucuſque, inquit, parentis mihi loco fuiſti: perge, obſecro, ad extremum: nec verò à morte procul abſum. Redi, quæſo, quamprimùm, ac ſi me tunc vox fortè defecerit, ſic apud te ſtatue, recogitaturam me aſſiduè quæ tradidiſti, & ex animo ad vltimum vſque ſpiritum crediturum. Quid prætereà à pijs noſtratibus hoc temporis articulo expectes? Nimirùm *Spiritus vbi vult ſpirat*: nec minùs Neophytorum præcordia afflat, quàm eorum qui fidem diutiùs quidem illi, at forſan remiſſiùs coluerunt. Vt promiſerat, ita honeſtas exequias demortuæ noſtro ritu Iuuenæus curauit. Tum, exeunte Aprili, Kebeccum ex reuocantium Patrum deſiderio repetijt, quò adeſſet ad aduentum nauium, quæ propediem ex Galliâ adfuturæ credebantur. Sed ſolicitorum ſpem diu fruſtratæ ſunt: cùm intrà menſem Maium expectarentur, nulla ante VII. Cal. Iul. comparuit: quâ die reſcitum ad Biccum Inſulam, appulſam vnam eſſe, poſt graues procellas, tempeſtatéſque ſuperatas, breui quinque, ſex-ve alias affore. Et aliquanto pòſt, læta nuncia confirmauit Pleſſæus Bochartius è Galliâ redux, quò Autumno ſuperiori tranſmiſerat, literis cum lembo Kebeccum præmiſſis, queis adeſſe ſe cum eo quem dixi nauium numero ſignificabat. Mox *Petrus Pÿartius* Sacerdos in lembo præcurrens, & literas è Galliâ reddidit, & ſignifica-

ANNVS MDCXXXV.

Piè moritur, ac ritu Chriſtiano ſepelitur.

Pleſſæi Bocharti è Gallia reditus.

ANNVS MDCXXXV.

uit coràm, aduentare tres alios è Societate Sacerdotes, *Claudium Quentinium*, *Franciſcum Mercerium*, *Ioannem Quenium*; *cùm Petro Fealtæo*, *Petro Tellerio* Laicis. Nec verò diu Pijartius, Merceriúſque reſedere: ſub idem tempus Hurones cùm conueniſſent, pòſt res ciuiles in conſilio pertractatas, incenſiſſimo ſtudio tùm Patres tùm Gallos ceteros Camplenius per Interpretem commendauit. Quanti Gallicum fœdus & amicitiam Hurones ducerent, tàm ipſis prouidendum eſſe, ne quidquam in Religione diſcreparent, & quem Deum venerentur, adoréntque Galli, hunc eundem ſanctè, caſtéque colere Hurones inſtituerent. Nihil ab ijs fieri ſalutarius poſſe: quippè præpotentem illum rerum omnium adminiſtratorem, adfuturum profectò: donis & muneribus è cælo auƈturum Huronum gentem: victoriam de hoſtibus largiturum. Quod ad ciuilem autem vitam attineret, Gallos magno numero eorum in patriam confluxuros, eorum filias duƈturos in matrimonium, dum fidem capeſſiuiſſent: tum innumera tradituros ad artes, reliquóſque vitæ communis vſus, gladiolos potiſſimùm, & ſecures. Proinde maturarent ipſi, proximáque æſtate è ſuis liberis puerulos ſecum adducerent complures: cunƈtos humanè & liberaliter à Gallis habitum iri, ac præter neceſſaria victus ſubſidia, haud ſecùs noſtros in eorum inſtitutionem incubituros, quàm ſi germani fratres eſſent. Et quoniam ſatis intelligeret fieri minimè poſſe, vt Kebeccum Præfecti omnes venirent, ipſi apud ſe per otium publico in conuentu de rebus tanti momenti deliberarent, accerſito Echom, hoc eſt Brebeufio, quem proinde per literas de omnibus certiorem faceret. Secundùm hæc, epiſtolam tradidit, adiecítque eo in conſilio donaturum nonnihil muneris loco, quod eam ipſam in rem ad eum Patres mitterent: atque hîc demùm ſe ſe in laudes Societatis IESV effudit. Subſecutus Pleſſæus Bochartius in eo totus fuit, vt Huronibus perſuaderet maximi paſſim Patres fieri in Gallià à Principibus ipſis: porrò ab illis non alio conſilio patriam deſeri, tantóſque labores appeti, niſi vt in cognitione ſummi Dei, Gallorum æquè ac omnium omninò mortalium conditoris & parentis, ipſis tradendâ pro viribus elaborent. Ad hæc vnus è Præfectis ita reſpondit: Epiſtolam quidem cum fide redditum iri: nec defuturos ſe, quò minùs in conuentu

Huronum conuentus.

de propoſitis capitibus deliberarent. Ceterùm cùm gens Huronum tota Gallos deamaret, non videri à Gallis viciſſim præſtari paria, qui neglectis Huronum pagis omnibus, in vno vnico conſediſſent. Cui amicæ expoſtulationi ita ſatisfactum, vt dicerent Camplenius Bochartiúſque; Tàm paucos adhuc è Gallis ad Hurones itaſſe, vt non mirum deberet videri, ſi diſperſi hac illac, degere nondum potuiſſent: vbi gens tota Chriſtianorum fidem amplexa fuiſſet, tàm multos ſubmiſſum iri, vt in pago vnoquoque figere domicilium poſſent. Ita ſoluto placidiſſimè conſilio, nihil Noſtris potius fuit, quàm vt cum Huronibus ſtatueretur, qui potiſſimùm ituros Patres deducerent. Et quoſdam quidem per literas Iuuenæo Brebeufius deſignauerat, at longè plures operam ſuam deferebant. Videres eos in Pijartio Mercerióque obtutum figere, luſtrare oculis, & quaſi metiri vtrumque: ſciſcitari num difficiles moribus eſſent, num egregiè remum tractaturi, manus denique peramanter attrectare, & indicare nutibus, lacertos iam tum ad inſtantem laborem comparandos eſſe. Tandem in ſingulas canoas ſinguli diſtributi X. Cal. Auguſti læti alacréſque ſoluerunt, Pijartius, Mercerius, & adoleſcens quidam Gallus, qui annum iam vnum apud Hurones exegerat. In diſceſſu, cùm Pijartius ad nauem quâ vectus erat, Rupeiaquelini Equitis tetendiſſet, de ſe optimè totius nauigationis tempore meriti, extremùm ſalutaturus: is humaniſſimè hominem complexus, deuinciendis ipſi Huronibus, prunorum numerum aliquem eorum in canoam effundi iuſſit, bombardáſque tres maiores honoris cauſâ explodi, geſtientibus ad reboatum Barbaris, & præ admiratione manum ad os applicantibus. Secutus proximè Mercerius ad Pleſſæum Bochartium ſuâ in naui verſantem, cuius eximiam humanitatem, beneficentiámque toto itinere eſſet expertus: atque is ſimillimè quò chariſſimum vectorem Barbaris vberiùs commendaret, & prunorum item largitione, & tormentorum exploſione, tùm ex naui, tùm ex lembo, ſignificauit nihil ſibi gratius fore, quàm ſi Mercerium quam-humaniſſimè haberent. Valuit præclara commendatio. Longè benigniùs toto itinere ambo Patres habiti, quàm anno ſuperiore Brebeufius cum ſocijs: quidquid in diſceſſu Hurones inſinuaſſent, non modò non eos ad remum adegere; verum-

ANNVS MDCXXXV.

Pijartius & Mercerius cum Huronibus proficiſcuntur.

ANNVS MDCXXXV.

etiam, quoad licuit, ſubleuauere in omnibus: illud potiſſimùm ſolatium gratum accidit, quod difficilioribus locis ijs quos dicebamus, reperti ſunt qui vtrumque veherent. Supellex item tota cum fide reddita. Finem nullum faciebant qui redibant, prædicandæ Kebeccenſium Gallorum humanitatis; eorum qui ſubſtiterant ſaniores, opis rebus ſuis à Brebeufio opportunè allatæ. Etenim cùm ne guttula quidem imbrium ab Aprilis initio ad exeuntem Maium agros irroraſſet, vt eſt Huronum ſolum arenoſum imprimis, támque tenue, vt niſi tertio quoque die humectetur, areſcant continuò omnia, regionem totam ingens famis metus inceſſerat: cùm præſertim aliquanto antè pagi tres arſiſſent, vnà cùm ingenti Indicæ ſegetis numero, quæ alere viciniam facilè potuiſſet: Quid hîc agerent miſeri? Ad impoſtores, hoc eſt ad ſagos ſuos maximam partem adeunt. Cùm fruſtrà tentata adhibitáque ſuperſtitionum omnium genera eſſent, ſomnia, conuiuia, choreæ, *Tehorenhaegnonus* quidam ceteris illuſtrior idem, & verſutior, in inſignem inuidiam Patres vocauit; prohibere illos quò minùs imbres eliceret, Crucem quandam pro eorum Ædiculæ veſtibulo erectam: domum autem totam domicilium dæmonum eſſe, vel hominum certè infeſtiſſimorum, qui eo animo, eóque conſilio ad Hurones penetraſſent, vt gentem totam miſerè inhumanitérque necarent. Erant qui adderent, id à Gallis fortè excogitatum, expiandæ Bruſlæi neci, próque vno homulo Hurones omninò omnes ab ijs ad necem depoſci. Addebant alij, confirmatum ab Algonquinijs ſibi fuiſſe, nihil aliud totâ eâ molitione Gallis eſſe propoſitum, niſi vt exitium indigenis cunctis afferrent, ab iiſque anno ſuperiore inductam luem popularem. Quantam ſuſpicionum flammam tàm incommodi rumores excitauerint, procliue cuique eſt conijcere, apud eos præſertim qui Noſtros nomine dumtaxat, non vllâ conſuetudine, aut familiaritate noſſent: quorúmque in animis hoc faciliùs inſidebat calumnia, quò malum vrgebat grauiùs. Ergo ad Patres ex circumpoſitis pagis conuenire: inſtare vt Crucem illam deijcerent: ſi ſeges per ſiccitatem interijſſet, periculum eſſe ne tanquam in ſagos ac veneficos iuſtis furijs concitata plebs inuolaret, & obuium quemque fuſte elideret. Porrò ſi recuſarent Patres, ſe ipſos deturbaturos Crucem; & iuuenum ali-

Siccitatem cruci pro Ædis veſtibulo erecta Barbarus Impoſtor tribuit.

quot eò proceſſit amentia, vt ab teterrimo Satana, quantum quidem coniecturâ aſſequi licet, inſtincti, Crucem ipſi alteram cùm dedolaſſent, ínque tugurij faſtigio collocaſſent, in eam deinde tanquam in ſcopum impij ſagittarij iacula contorſerint, tàm irrito tamen conatu, quod profectò miraculo proximum meritò eſſe videatur, vt ne vnus quidem ſignum ſalutis vllo ictu violare potuerit. Alij denique, quibus de Deo, infinitáque illius hominum charitate memoratum iam nonnihil erat, grauiori ſcelere ſupremam illam Prouidentiam blaſphemis vocibus incuſabant, hinc tabeſcentibus Patribus, ad iniuriam quæ tàm indignum in modum auguſtiſſimo Numini imponebatur, illinc cæcæ gentis ſtoliditatem miſerantibus: mors, quanquam imminere videri iure poſſet, nemini tamen tàm iuſtâ in cauſâ terrori fuit. Illud ſupererat ſolatij, quod Ihonatirienſium nemo neque virorum neque feminarum tantæ impietatis particeps erat: quin, vaniſſimâ ſceleſtiſſimáque ſuperſtitione valere iuſſâ, flagitabant aſſiduè à Patribus, imbrem vt accerſerent. Quibus ita Brebeufius ſatisfaciebat; Neque ſuum, neque verò cuiuſquam mortalium eſſe, imbrem ſudumve præſtare: vni ſummo terrarum cælorúmque architectatori cuncta parere: ad eum proinde confugiendum. Sanè aquas pluuias minimè idcircò prohiberi, quòd erecta pro veſtibulo ſuæ Ædiculæ Crux eſſet, vel inde planiſſimum fieri, quòd ex quo conſtituta ea eſſet, pluiſſet multoties: conferendam potiùs cauſam mali, vel in blaſphemos ſermones, quibus ſumma illius ſanctitas per ſummam indignitatem violabatur, vel in eorum ſcelus, qui ad ſagos adirent, conſceleratos vtique impoſtores qui aut nihil efficerent prorsùs, aut, quod formidandum magis eſſet, per dæmones, quorum operam execrandâ pactione interponerent, noxiam aritudinem fouerent. Neque verò quidquam penſi habere, dum ſuppeterent munera, & largitiones: porrò ſi quid poſſent, exererent ſanè conatus omnes tàm iniquo tempore. Se quidem auctorem eſſe, illius vt opem implorarent, à quo cuncta perfecta ſint, quíque ſit perennis bonorum omnium fons, & origo, quemadmodum expoſitum iam ſæpiùs ipſis eſſet. Et mirâ facilitate conteſtati ſunt, omnes, ſe nequaquàm tàm leues eſſe, aut amentes, vt fidei quidquam iſtiuſmodi ineptijs adderent. Deum ſe alium

ANNVS MDCXXXV.

ANNVS MDCXXXV.

nolle, niſi eum, de quo ab ipſomet inaudiſſent: quidquid præſcriberet, facturos. Ergo inſtat Brebeufius ſuperioris ætatis peccata, flagitiáque adſtantium quiſque ex animo deteſtetur: tum ſummum illum Deum, quem noſſe vtcunque cepiſſent, ſanctè, religioſéque colere in poſterum omnes inſtituerent: ad eius propitiandum Numen, publicam quotidie ſupplicationem ex Chriſtiano ritu toto penè terrarum orbe recepto, vulgatóque, ductum iri deinceps: ſi fortè non tàm citò ille mundi Rector quod poſceretur tribueret, animum ne propterea deſponderent, ſed in petendo perſtarent. His ita conſtitutis, addidere Patres priuatim, votum nouendialis ſacrificij, S. Ioſephi, Huronum Tutelaris patrocinio adiungendo: additum, vt quoniam, in id tempus feſta pompa illa recurrebat, proponeretur in Ædiculâ pro ſacro pegmate auguſtiſſimum corpus Chriſti, ex Europæ more adorandum. Veriſſimè dictum ab Apoſtolo Paulo; *Non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit* (Deus) *benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda noſtra.* Dum poſt expletum votiuorum ſacrificiorum numerum, ſupplicatio peragerctur, Idibus Iunijs lætus ſe primùm imber effudit, & copioſè quidem: tum per interualla menſem ipſum tenuit, incredibili Barbarorum gratulatione: cùm præſertim arentibus iterùm agris (etenim vt iam diximus, niſi leue iſtud ſolum, fabuloſúmque terrio quoque die irrigetur, marceſcunt ſtatim fruges) ad Idus Iulij Patrono interpoſito à Patribus S. Iguatio, cuius anniuerſaria veneratio inſtabat, nouenâ item ſacrificatione Deo offerendâ, quo die ſecundum ſacrum factum eſt, pluere cepit affatim: tùm rigatâ ſubinde ad ſatietatem ſegete, tanta demùm vbertas conſecuta eſt, quanta non ab annis benè multis extiterat. Adierunt igitur turmatim ad Patres, tùm Huronum alij, tùm Ihonatirienſes potiſſimùm, illud ſine fine deprædicantes, Deum vtique bonum eſſe; qui tàm benignè, támque opportunè deploratis rebus remedium attuliſſet: hunc ſe in poſterum veneraturos. Ita incredibili Patrum gaudio procella concidit, euulſæque ſtirpitùs è Barbarorum mentibus indigniſſimæ illæ de auguſtiſſimo Numine, déque Cruce ſuſpiciones: & miris quas in Patres congerebant, laudibus, probra infinita in illos ſeu ſagos, ſeu nebulones eorum merito admiſcebant.

Pluuia precibus à Deo impetratur.

Actor. XIV.

ANNVS MDCXXXV.

Lubet hîc adiungere quod à ſe ſuo loco prætermiſſum, huic anno Brebeufius attexuit, ſanè perſimile. Cùm is ante ſeptennium ad Hurones primùm adijſſet, Crucémque iam tum ad Ædiculæ veſtibulum fixiſſet; per æſtum vehementiorem, qui agros item torrebat, occaſionem nactum ſe ſe ratus Tehorenhaëgnonus idem, ſalutiferi ſigni euertendi, flagitantibus cunctis ab eo pluuiam, negauit ſe hîc quidquam poſſe, rubentî illâ Cruce prohibitum: quippe tanquam ignem flammantem, ardentémque nubes eam diuidere, dum præteruolarent: fulmen prætereà vtpote alatum (auem enim id eſſe autumant) ab illâ eadem Cruce præ metu refugere. Ita nihil eſſe quod à ſe quidquam expectarent. Sanè ſeu quâ naturali de cauſâ ſeu dæmonum arte fiebat, permirum erat, haud ita procul & nubilum cælum cernere, & reboans audire tonitru; Ihonatiriæ ſerena cuncta, atque adeò ſicca perſtare, ſic, vt dum appropinquabant nubes, diſcedere continuò, atque euaneſcere viderentur. Hoc tàm deplorato rerum ſtatu Brebeufium pagi Præfecti accerſitum hunc omninò in modum compellant. *Vides ipſe tuis oculis, ariditas quanta ſit: aiunt communis calamitatis cauſam non aliam eſſe, niſi veſtram hanc Crucem. Porrò ſi pluere diutiùs deſierit, planiſſimè perÿmus; quippè culmus in ſpicas fundi per hos Solis ardores nequeat. Ac ſi hoſtium quidem manu caderemus* (ad hoſtiles Iroquiorum impreſſiones alludebant) *qui in horas imminent, ſaltem id haberemus in morte ſolatÿ, quod abeſſet languor: nunc ſi eorum declinatis tantiſper furÿs atque furoribus, fame conficiemur, peiore profectò loco noſtræ res erunt. Quis hic eſt ſenſus animi tui? Nobis, vt quidem credimus, exitÿ cauſa eſſe nolis. Proinde ſi qua te noſtri, atque adeò ſi qua tui tangit miſeratio, Crucem ipſe euerte, ac ſubduc ad tempus, vel in tugurium tuum, vel in vicinum lacum, quò ne nubes deinceps terreat: poſt meſſem, pro tuo deinde arbitratu reſtitues.* Hanc ſtropham cùm ab ſceleſtiſſimo nebulone adornari Brebeufius ſatis intelligeret, comiter ac pacatè pernegat ſe vel è ſuo loco dimouere, vel occulere poſſe ſanctam Crucem, imaginem viuificæ arboris illius, in quâ mortem mortalium cauſâ, bonorum omnium fons & origo Chriſtus ſeruator obijſſet. *Vos*, inquit, *ſi deturbare Filÿ Dei trophæum animum induxeritis, impedire quidem minime poſſum: at videte iterùm iterúmque, ne magno veſtro malo deturbetis: ne-ve*

Alia eiuſdem Impoſtoris ſtropha, priori perſimilis.

ANNVS MDCXXXV.

accenſâ in veſtrum omnium caput ardentiùs diuinâ iracundiâ, tantæ temeritatis pœnas luatis opinione grauiores. Vt intelligatis autem inaniſſima eſſe quæ veſter iſte munerum captator ad terrorem iactat, recogitate ipſi quoties imbres ſe effuderint, ex quo ſacroſancta Crux hoc loco defixa eſt. Tum, quàm inſcitè, quámque ridiculè impoſtor comminiſcitur, tonitru metu percelli? Nimirum, in eo ſenſus aut vitæ ne vmbra quidem? halitus eſt ſiccus, candénſque, qui nubis tanquam aluo concluſus, & coërcitus hac illac vagè fertur, ſicubi nanciſcatur exitum. Porrò vt timore aliquo tonitru tangi poſſe demus, quid hîc reformidet? Rubeum videlicet hunc colorem? at eodem paſſim caſæ veſtræ infectæ ſunt. Quin amouetis igitur ipſi formas haſce miniatas? Fregit ea oratio Præfectorum animos: videlicet cùm nihil quod opponerent, ſuccurreret, circunſpectare alij alios, ac monere inter ſe, Crux ne attingeretur. Et Brebeufius victor; *Agitedum*, inquit, *quando inſignis augur nunciat rubro Crucis colore terreri tonitru, album, ſi lubet, nigrum-ve inducemus: tum ſi pluerit ſtatim, non recuſo quin is pro veridico à vobis habeatur: ſin perſtabit aridi-tas, ecquid cauſæ erit cur non fucum ab eo fieri credatis?* Arriſit magnopere conditio: dictum, factum: albo confeſtim colore Crux ſuperinducitur, ſuſpenſis expectatione animis, quatriduum ipſum perſtante nihilo ſeciùs ariditate exactum cùm eſſet, fremere denique vulgò omnes, & ſago indignari, cuius ineptis clamoribus factum eſſet, vt Crux per tantam indignitatem deformaretur. Ergo tempore vtendum ratus, ad Præfectos vltrò Brebeufius adit: quærit fidens, num pluerit, num æſtus reſederit, rubro Crucis colore ſublato? Cúmque ſe tum demùm agnoſcere faterentur, Tehorenhaëgnonum merum eſſe veteratorem, rogarétque quid potius facto opus eſſet, primùm omnium de ſalutari Crucis myſterio ad eos diſſerit: tum monet, ſi quid ſibi crederent, conuenirent viri ſimul ac feminæ, & eluendo abrogandóque priori ſacrilegio, Crucem eandem ritè adorando venerarentur. Et quoniam de ſegetum incremento agebatur, frugis Indicæ modulum quendam afferrent ſinguli, in tenues inopéſque pòſt diſtribuendæ. Abnuente nemine, dies ſequens ſanctæ cerimoniæ dicitur: adfuere plerique omnes; lucem anteuertêre plurimi. Ad Crucem, rubricatam vt priùs, IESV Chriſti pendentis iconem Brebeufius addiderat: hanc vnà cum Cruce piè & religioſè in genua accidens, veneratus

ANNVS MDCXXXV.

ratus primus cũm eſſet, idem ab aſtantium vnoquoque fieri præcepit. Gratiſſimum ſpectaculum fuit, Barbaros homines, & auitæ ſuperſtitioni innutritos, ad præpotentem hominum omnium parentem procreatorémque extremo tempore confugere, & ringente Satanâ, venerari Crucem habitu toto corporis, mente autem & ore eas addere preces, quas periculi magnitudo ſuggerebat. Sanè ſincerâ illâ ſimplicitate Dominum delectatum, ſubſecutus eâdem illâ die imber comprobauit: atque illius anni feracitas ſuperiorum annorum vbertatem ſi non ſuperauit, æquauit certè, incredibili Barbarorum ſtupore, & Diuinæ omnipotentiæ admiratione. Vt ad temporis rationem redeamus, duo prætereà ad Huronum animos arctiùs deuinciendos valuere: alterum, egregia Gallorum voluntas in eos tùm alias, tùm maximè vbi rumor ſemel iterúmque de hoſtis aduentu diſſipatus terrore, & tumultu cuncta compleuerat: ac quanquam vtraque vice res intrà metum ſtetit, tamen cùm in illâ trepidatione nuſquam ipſis defuturos Gallos Brebeufius ſpopondiſſet, milites quidem, hoſtiles impetus quà excepturos, quà vi & armis propulſaturos; ſe, præliantibus affore, quibuſcunque daretur præſidijs animos procuraturum; finem deinde nullum faciebant agendarum gratiarum. Monuere inter cetera Galli, ſua deinceps præſidia in quadrum dirigerent, ſinguláſque ad angulorum vnumquemque turriculas excitarent: ſic enim à paucis Gallis pagos totos defendi poſſe, ſclopos quaquauersùm in obuios diſploſuris. Et morem geſſerunt ſalutaria monentibus: iam Rupella pagus ab ijs ad eum modum cœptus extrui. Alterum, Catecheſis fuit, & paruulorum iugis & aſſidua inſtitutio. Ac profeſtis quidem diebus Antonius Daniel, Sacerdotéſque ceteri diuerſi caſas obibant, tradebántque puerulis elementa Chriſtianæ doctrinæ linguâ vernaculâ, neque enim aliud idioma vllum capeſſere Hurones tunc quibant. Feſtis autem lucibus bis in die agmen totum ſacram in Ædiculam cogebant: & horis quidem autemeridianis, Miſſæ intereſſe iubebantur, ad Offertorium vſque: tum poſtquàm ſolenni ritu luſtralis aqua confecta erat, ex more Eccleſiæ, atque præeunte verba Brebeufio, elatâ voce eaſdem illas preces reddiderant publicè, quas didicerant priuatim, dimittebantur: pomeridianis autem explicabatur nonnihil ad

Crucis veneratione exoratus Deus imbrem frugibus, terraque feracitatem largitur.

Fructus Catecheticæ inſtitutionis.

ANNVS MDCXXXV.

eaſdem inſtitutiones pertinens, exigebatúrque ratio eorum, quæ per hebdomadam didiciſſent, nec ſine præmiolo. Dici vix queat, hæc quantopere ſtudia accenderint iſtius ætatulæ: Nemo erat, qui balbutire modò poſſet, qui non à ſe repoſci quidpiam flagitaret, & vt ingenio vulgò valent, non mediocri progreſſu ferè. Etenim à puerulis manabat fructus in adultos: tùm quod non modò puellulas, ſed etiam adoleſcentulas virgines laudis amor, & munuſculorum qualiuncumque cupido exſtimulabat: tùm quòd, id quod in Europâ quoque videmus, in ſalutaris certaminis communionem, parentes veniebant crebrò: atque adeò dum liberis velificabantur ſuis, arripiebant ipſi quoque perſtudioſè quæ ijs poſtmodùm inculcarent. Certè quaſi iam tum aut auerent, aut præſagirent quæ conſecuta ſunt deinceps, quærebant ex Patribus, num regionem totam inuertere ſe poſſe confiderent, hoc eſt, Chriſtiana ſacra Religionémque inducere? Quibus ita reſpondebant, vt dicerent; Nequaquam ſe tantum ſuis in viribus induſtria-ve reponere, vt rem tantam à ſe perficere ſe poſſe autumarent: quæ verò in hominum facultate non eſſent, ea à Domino Deo non modò poſſe fieri, ſed etiam nullo negotio poſſe. Quoniam verò ſuis iſtiuſmodi conſilijs mortalium ferè operam vult interponi ſapientiſſimus ille idem, ſuauiſſimúſque rerum noſtrarum moderator, Aprili menſe cùm vocati Patres eſſent ad Comitia gentis totius, de ſolenni Mortuorum celebritate deliberaturæ; conuenerunt perlubenter tùm ipſi per ſe, tùm moniti per literas à Kebeccenſibus. Perorauit ſuo loco in conuentu Brebeufius, intérque cetera propoſuit; *Animos noſtros; cùm immortales ſint, poſt hanc vitam aut in cælum euolare, aut in baratrum detrudi ſempiternis ignibus æſtuans: eâ in fornace ſontes toſtum iri in perpetuum, ſic, vt cruciatus finem nullum vnquam viſuri ſint: neque enim ignem illum quamlibet acrem, abſumpturum tamen corpora. Viderent proinde, dum eſſet integrum, vtrum locorum duorum deamarent, hoc eſt quandiu ſuperſtites eſſent: qui enim ex ijs extremum diem obijſſent, omnes ad vnum perijſſe, vel eos quorum causâ aliàs egiſſent ferales ferias, vel eos quorum causà parem celebritatem conuocaſſent: quippè cùm tùm hi, tùm illi, cognitionis veri ſummíque Dei expertes exceſſiſſent hinc, vtroſque ad Tartara vtique peruenisſe, vbi nunc eam experiantur dolorum, cruciatuúm-*

ANNVS MDCXXXV.

que atrocitatem, quam ne animo quidem & cogitatione adumbrare mortalium vllus queat: ita quod ad eos attineret, planè deploratam rem esse. Quod si ipsi seriò animum inducerent in cælum pergere, se verò vnà cum Patribus reliquis, viam monstraturum. Atque ex more secundùm eam orationem obtulit Brebeusius torquem ex conchâ veneriâ (quæ ijs in locis argenti, auríque instar obtinet) sanè ingentem, addidítque; hanc à se complanando cælorum itineri donari. Tum verò cùm sententiam quisque dixisset, omnes, vno excepto, consensu definierunt, certum sibi esse istiusmodi ignes effugere; placere iter in cælum. Ille vnus quem dixi, seu seriò, seu ioco, dixit, Benè habere quod omnibus alijs propositum esset in cælum ascendere; ipse si ijs ignibus cremaretur, parùm referre. Et susceptit Brebeusius, nobis quidem à Deo conditionis vtriusque hîc fieri optionem: verùm, nescire infelicem quid tandem sit ignis ille Tartareus: in eâ spe se esse, fore vt mentem mutaret aliquando, vbi de fidei mysterijs traditum ipsi esset vberiùs.

ITA PAVLATIM alliciebantur Hurones opportunitatum qualiumcunque quas à Gallis captabant, quàm fidei Religionísque, sub ea quidem initia cupidiores. Quanquam illud iam tum Brebeusio canebant; Videret quanti porrò ipsum, quanti quæ afferebat facerent, quandoquidem & audirent haud grauatè, quibuscunque de rebus vellet, disputantem, & filios sinerent baptizari, quibuscum vtique in vnius & eiusdem fortunæ communionem venire vellent, non modò in hac vitâ, verumetiam in illâ alterâ, quæ supereſſe sempiterna ab ipso memoraretur. Subit hîc, cum nauis illis operarijs, mirari diuinæ Prouidentiæ in his conuertendis Nationibus vias sanè mirabiles. Si quis Thaumaturgus adfuisset, Orientis puta Xauerius, aut Occiduarum Indiarum Iosephus Anchieta, qui cæcis oculorum aciem restitueret, paralysi dissolutos artus firmaret, morborum omne genus reliquum abigeret, excitaret ad vitam mortuos, absentia futuráque vaticinando referaret; enimuero quantum quidem assequi licet coniecturâ, turmatim fidei nomen dedissent Hurones: sed Domino Deo institutum aliud placuit: rationum momentis, & nudâ Euangelij promulgatione Canadenses populos aggregatos voluit ad Ecclesiam, incredibili quidem excolentium labore,

ANNVS MDCXXXV.

Votum de immaculatâ Genitricis Dei Conceptione venerandâ, rem Christianam admodùm promouet.

at ſolatio certè pari. Quanquam miracula ſuppleſſe videtur auguſtiſſimæ Deiparæ patrocinium. Stephanus Binetus, vir diuinæ gloriæ perſtudioſus, & ſalutis animarum peramans, qui tum Prouincialis erat Franciæ, atque adeò tractibus ijs præerat, auctor fuit ijs qui ex Societate illîc verſabantur, vt conuerſioni gentium harumce maturandæ, è cælo auxilia, Genitricis Dei ope operáque accerſerent, atque adeò VI. Idus Decembris, quo die immaculatam ipſi Conceptionem Eccleſia tota anniuerſariâ celebritate gratularetur, vouerent ſinguli, Sacerdotes quidem ſe in annum ſemel menſibus ſingulis, eiuſdem immaculatæ Conceptionis piâ, & religioſâ veneratione proſequendæ memoriæ, ſacrificaturos: expertes ſacerdotij, eiuſdem Virginis Coronam duodecies decurſuros. Addidere ipſi de ſuo, ieiunium in eius diei feſti peruigilio: ac, ſi quam Ædem ſacram ſacellum-ve ijs locis conſtituere liceret, eiuſdem immaculatæ Conceptionis titulo inſignituros. Et auſpicatum votum fuit: ex eo, tùm Kebecci, vbi vſurpatum idem, tùm apud Hurones, longè inſigniores rei Chriſtianæ progreſſus obſeruati. Apud hos eo ipſo die omnium prima extrà morbi aleam ſacro lauacro regenerata, & ceu Templum Dei viui dedicata eſt Maria à Conceptione (*Aneſcua* paternum cognomen eſt) infantula planè felix. Hæc iam tunc tanquam lucerna in caliginoſo loco, miris viſa coruſcare ſplendoribus. Studium nullum, niſi de precatione: vix in parentum domunculâ pedem poſuerant Patres, cùm accurrebat ocyùs, ad ſignum Crucis efformandum, recitandáſque preculas. Quinquageſies in die cum Angelicâ ſalutatione, Orationem Dominicam vltrò iterare ſolita, ad id ipſúmque incitare æquales alias. Quoties eam ætatulam Patres, ſeu ad reddendas preces, ſeu ad Catecheticam inſtitutionem conuocarent, adeſſe prima hilariùs, quàm aliæ ad puellares luſus accurrant: ac ſi quando in publico hi Officij diurni partem aliquam deambulando recitarent, illa viam obſidere, & quotieſcunque ſe obuerterent, tùm Crucis ſignum ducere, tùm Chriſtianas preces elatâ voce reddere. Quinetiam cùm recens eò Gallus quidam aduenisſet, continuò, quaſi ad vrbanitatis officium, prehenſam eius dextram in Crucis figuram circumegit. Adiunctæ eâdem luce, aliæ duæ: ante exeuntem autem menſem om-

nino ad duodetriginta aquis regenerati ſalutaribus. ANNVS MDCXXXV.

KEBECCI AVTEM (iam enim eò regrediendum) incredibilis xe eo ipſo tempore facta in melius rerum conuerſio. Nam& quod renuerant adhuc, illicò parentes non modò permiſere, vt ægrotantes liberi Baptiſmo conſignarentur, verumetiam eam in rem Sacerdotes noſtros accerſere vltrò ceperunt: & adulti quoque, vbi ſe propiùs à morte abeſſe putarent, Chriſtianos ſe emori velle dictitare ceperunt, quò ne formidoloſis illis ignibus addicerentur, quorum terrores Chriſtiani præcones intentarent: & puellulas aliquot tradidere, Chriſtianis, Gallíſque ritibus inſtituendas, cuius rei quamlibet ad ſtabiliendam iis locis Eccleſiam expetitæ, nullam-dum Patres inijcere mentionem auſi erant, adeò ab eo conſilio indigenas vulgò abhorrere intelligebant. Vt paucis multa, cùm totius antè anni interuallo animas tantùm duas & viginti ad Eccleſiam aggregaſſent, intrà menſes deinde octo, plures centum baptizati. Matres videres ipſas, inquit Iuuenæus, filiolos ad Baptiſmum deferre, ſi quando mortis periculum ex morbo immineret; atque adeò nonnullas vbertim flere, dum acciperent à Catechiſtis, liberorum eos quidem qui ætate adultiori obierint, ardere, quòd fidem amplecti recuſaſſent: eos autem quos teneriori ætate mors rapuerit, ſempiternis cæleſtis vitæ gaudijs voluptatibúſque carere, quòd vndâ ſalutari reſperſi non fuiſſent. Acceſſit, quòd iam tum metum illum ponere ceperunt, ſanè funeſtum, quem perfidioſus Satanas per ſéque, pérque emiſſarios ſuos iniecerat, exitiales Baptiſmi vndas eſſe, quippe quæ certiſſimè eos quos contingerent, necarent: contrà, animum denique induxerunt vt ſibi perſuaderent, ſacro illo lauacro mentes, animóſque purgari; & verò Chriſtiano ritu funus ſibi vt poſt exitum è vitâ fieret, vehementer flagitare inſtituerunt. Poſtridie illius diei quo nuncupatum votum fuit, hoc eſt V. Id. Decemb. adoleſcens quidam natione Algonquinius, de patris conſenſu, ac voluntate per extremum morbum inſtitutus à Buteuxio, baptizatus eſt, & Chriſtiano ritu poſtmodùm elatus, funus comitantibus tùm Gallis, tùm Barbaris, modeſtiâ minimè barbarâ. Sub exeuntem verò menſem inſigne extitit documentum exoratæ Virginis in decenni puero. Is cùm nullam priùs Baptiſmi mentionem admi-

ANNVS MDCXXXV.

siſſet, eo errore, quòd eſſet vnda illa fatalis, quaſi perinde eſſet eâ tingi & emori; poſt ardentiſſimas preces eius cauſâ apud Matrem miſericordiæ conceptas à Patribus, placidiſſimam illam indolem miſerantibus, mutatus derepente ſic eſt voluntate, atque animo, vt quod adhuc refugerat, ardenter expetierit, inſtiterítque vt ad Patrum domicilium (iam tum enim æger erat) deferretur. Nec mora: ab vno ex ijs continuò non tam effertur quàm rapitur: ac paulò poſt regeneratus, mortalem vitam immortali mutauit. Corpus inſcijs Patribus, communi ſepulchro conditum cum infideli quodam ex conſanguineis; id vbi reſciere, expoſtularunt ſcilicet apud Andreæ auiam (Andreas Chriſtianum Neophyti nomen fuit) de factâ ſibi injuriâ: corpus illud cùm ad Chriſtianos pertineret, reſtituendum vtique ſibi, quò & Iuſta ei Chriſtiano ritu perſoluerentur, & daretur tumulus. Exceperunt Barbari, actam rem eſſe: cùm eodem Andreas ſepulchro clauderetur, quo *Kepitanali* filius: (fuerat is apud eos ſummâ auctoritate Præfectus, vt inter Barbaros, haud vulgari laude prudentiæ) matrem, quæ ſuperſtes erat, nunquam permiſſuram, vt filij ſui tumulus referaretur, excuteretúrque, exportando alteri. Adit tamen ad eam Sacerdos is, qui Andream ad fidem inſtituerat, precatúrque, bonâ vt cum eius veniâ Andreæ corpus ex eo tumulo extrahere liceret. Cùm ſileret, adſtans quidam è Barbaris Præfectus; En, inquit, corpus vtrumque tibi permittitur; vtrumque ſanè transfer ad Gallos: at, ab altero alterum ſeiungas caue: etenim inter ſe diligunt. Atqui, longè diſpar eſt vtriuſque conditio, infit Sacerdos; alter cœleſti felicitate perfruitur, alter ardet. Cares ingenio, ait Barbarus: ſi per aquam illam ſtat, quò minùs vterque loco iungatur, ſítque felix; illum alterum euoluto funereo amictu, perfunde lymphâ tuâ quantum voles: tum vtrumque aſporta. Cùm ſubriſiſſet Sacerdos, docuiſſétque, id quàm futurum eſſet inutile, acquieuit denique Barbarus: ita extractum corpuſculum Andreæ Chriſtiano ſepulchro donatum eſt. Poſt funus, adfuit reiectitij illius mater, flens, & eiulans quòd filij ſui corpus, ceu animæ exuuias ſempiternis addictæ ignibus, indignum Patres habuiſſent, quod pari ritu, locóque tumularetur. Et Sacerdos qui viderat ex gentili ſuperſtitione impo-

ANNVS MDCXXXV.

ſtorem turgentibus buccis eum de quo deplorabatur, dum extremo morbo conflictaretur, perflaſſe; Hunc in modum, inquit, filium tuum nequiſſimi nebulones conſanarunt: ægrotat etiamnum filiola tua: caue illos vllo modo adhibeas. Cui infelix mater; Cauebo, ait, perſtudiosè: quin, ſi morbus ingraueſcet, vos accerſam: nec fefellit: aliquandiu pòſt, puella cum haud procul à morte abeſſe cenſeretur, baptizata eſt ſingulari matris voluptate.

Camplenij obitus.

LÆTIS SVCCESSIBVS interuenit Camplenij obitus, ſi rem fidei publicam ſpectes, ſanè luctuoſus; ſi viri integritatem, felix. Quo die Dei filius ærumnas noſtras miſeratus, tanquam Sol iuſtitiæ affulgere terris naſcendo cepit, eodem ille, cœlo, vt de tantâ virtute augurari licet, natus eſt. Summa ſemper illius eluxerat æquitas, pietas, fides in Deum, Regémque, & ſocietatem Nouæ Franciæ: at in morte tàm illuſtria virtutis documenta dedit, vt ſtupori cunctis fuerint. In lacrimas colliqueſcebat, ſeu ex delictorum recordatione, ſeu ex Dei amore manantes: cúmque diu ea quæ ad ſummi Numinis obſequium pertinere intelligebat, conſtanter & amplexus eſſet, & promouiſſet, tùm ſub extremos vitæ dies incenſiſſimum diuinæ gloriæ ſtudium præ ſe tulit, & paternam prorsùs charitatem in Gallos eos, qui Kebeccum migrauerant: in id omni curâ & ſolicitudine incumbendum prædicans, eorum vt tenuitas ſubleuaretur: ſe quidem ſi reualeſceret, illud omninò perfecturum. Generalem vitæ totius confeſſionem, quam pridem paratam habebat, apud Carolum Lalemantium depoſuit, quem præcipuè diligebat: is viciſſim & morbi tempore, qui menſium duorum & dimidij fuit, ſingularem præbuit aſſiduitatem, & funeri poſtmodùm præfuit, quod quâ licuit pompâ, luctu ſanè minimè ſimulato, populus, milites, Præfecti, Clerus certatim cohoneſtarunt: Iuuenæo, hominem meritiſſimum pro concione laudandi partes impoſitæ. Annos propè quinque & triginta ijs in tractibus verſatus, mirum quàm multa & perpeſſus ſit, & geſſerit ad dignitatem Gallici nominis. Vnus rerum molem penè humeris ſuſtinere, Barbaris, qui Gallicam amicitiam expetere vtcunque videbantur, vel oblatam ſanè non reſpuere, adeſſe in prælijs: nouas oras luſtrare: quæ commodiſſima ſtatio eſſet, prudenter deligere: intendere

Eiuſdem virtutes.

ANNVS MDCXXXV.

in compendia publica, priuatáque vel Barbarorum, vel Gallorum: ipse singulari continentiâ modico semper contentus, id vnum assiduè spectare & sequi, ijs vt locis Francica Lilia quidem, Crucem verò potissimè figeret, & ad Ecclesiam immensas illas plagas tandem aliquando adiungeret. Equidem illud mihi videor posse dicere, tanto viro, secundùm Deum præcipuè acceptum referri debere, quantumcunque illud est, quòd illîc vel ad summi Dei gloriam geritur, vel ad splendorem, dignitatémque Gallici nominis: Campleníque solertiam, assiduitatem, constantiam, pro occultâ quadam machinâ fuisse, quæ quidquid ad rem Canadensem pertinebat in Galliâ, in Angliâ, in illis ipsis plagis, terrâ, marique felicissimè agitaret. Certè ante quadriennium quàm terris ereptus est, destinato consilio, extremos annos ætatis, ingraueſcentis licèt, glorioso instituto consecrauerat. Sic enim Epistolâ Dedicatoriâ, quæ eius extremo Commentario præfixa est, scribebat ad Eminentissimum Cardinalem Richelæum, qui tum præter cetera rem quoque Regni Francici maritimam summâ cum potestate administrabat. *Huic voto illud adiungo præterea, me perlubenter annos vitæ reliquos optimè collocatos putaturum, si tàm glorioso támque necessar o in opere ponentur.* Et voti compos, vti vidimus, factus est: pòst paulò, cum imperio in Nouam Franciam traiecit: quam si veteri antetulit vir ad Barbararum gentium salutem à Deo donatus; non est, inquit Iuuenæus, quod eius propinqui ægrè ferant: nunquam tanta eius famæ vel celebritas, vel diuturnitas fuisset, si in Galliâ obijsset.

SECVNDVM funus Castri-fortius, is qui deinde ad Trifluuium præfuit, ex literis Societatis, quæ pridem apud Iuuenæum depositæ, referatæ sunt, lectæque in conuentu palàm, eius in locum suffectus, dum aliud è Galliâ afferretur.

HISTORIÆ CANADENSIS

ANNVS MDCXXXV.

LIBER TERTIVS.

HAC PRIMVM æstate, spes affulgere cœpta certior rei Canadensis ad insigne aliquod culmen prouehendæ; atque vt Iuuenæi verbis vtar, ex densæ cuiusdam noctis caligine existere aurora lucidior, hoc iucundiori Kebeccensium Neophytorum sensu, quòd eorum mentes metum inter expectationémque suspensæ, constituere secum nequibant satis, num quem locum inter veteris Galliæ curas Nouæ Franciæ rationes obtinerent. Auditione accipiebant, in Galliâ ingentes vbique delectus haberi, plures comparari exercitus, in tot támque multiplicia bella pecunias vndique conquiri: hinc sollicitudo, ne pro eo ac procliue est, dum tantopere vrgerent propiora, remota minùs accurarentur. Nec non illud angebat animos, in demortui Camplenij locum qui succeſſurus esset, num pari ardore vel diuini obsequij, vel charitate Gallorum, vel indigenarum studio benè cœpta esset prosecuturus: euenire enim sæpenumerò ex ho-

ANNVS MDCXXXV. minum libidine, & præpoſtero amore ſui, vt quæ hic probauit, ille reijciat, quaſi turpe ſit aliorum veſtigijs inſiſtere. Has omnes formidines abſterſit claſſis appulſus, & cumulato gaudio mentes perfudit. Nam & in præſens, idonea miſſa ſubſidia: & in poſterum benè iuſſi ſperare de veteris Galliæ liberalitate, atque munificentiâ. Nunciabatur ardere permultos incenſâ cupiditate vel inclyti laboris in partem veniendi, vel opibus facultatibúſque iuuandi naſcentem Eccleſiam: nec viros modò ad præclaram expeditionem ſe ſe accingere, ſed etiam feminas, ſanctimoniales præſertim: è quibus, cùm maximè neceſſaria earum opera videretur, quæ quòd ægris, morbidíſque curam impendant, Hoſpitalariæ vulgò vocantur, ſcripſit ad Iuuenæum Duciſſa Eſguillionæa, Cardinalis Richelæi ex ſorore neptis certum ſibi eſſe vnà cum Monaſterio piarum Virginum, Xenodochium quoque exædificare, extructum annuis prouentibus inſtruere.

ANNVS MDCXXXVI. QVÆ DVM in veteri Franciâ prouidentur, in Nouâ, eâdem auguſtâ cæli terrarúmque Reginâ Præſide atque auſpice, inſignes deinceps ad fidem progreſſus fieri perrexere. Ac anno quidem proximè ſecuto ineunte, poſt longum hinc inde certamen, tandem Chriſto parta Maria, filia virgo Oumatagan cuiuſdam, cui Magni Oliuerij cognomentum inditum à Gallis, ob corporis proceritatem, hominis ſuis ſuperſtitionibus addictiſſimi, quippe ex eorum numero circulatorum, qui perflando canendóque, abigere ſe morbos poſſe mentiuntur. Sed nihil ars, ne in domeſticâ quidem calamitate valuit: cùm vnicè filiam pater, vnicè mater diligeret, nihil intentatum reliquere, ſi quo modo conſanari ægra poſſet. Primùm omnium, cùm ex propinquis aliquis retuliſſet indicatum ſibi per ſomnium, reualituram ægram, ità, ſi arietis pelli incubaret variegatæ, multiplicibúſque diſtinctæ coloribus; pellem nacti, remos depingunt, canoas, animantes, & ſi quid tale opinioſis hominibus in mentem venerat: tum egregiam culcitram ægræ ſubſternunt, nullo planè leuamento. Vbi id parùm proceſſerat, cenſuit alius, pro puluillo ſupponendum laborantis capiti candidum linteum cum figuris canentium hominum, ſaltantiúmque, penicillo expreſſis: ſed neque hæc medicina profuit. Conſulunt deinde parentes ſagam quandam percelebrem: illa

Dei genitricis auſpicijs multi baptiſmo initiantur.

denunciat cædendum canem eſſe, qui à viris poſtmodum in conuiuio manderetur: tum ex ceruinâ pelle conſarcinandam veſtem ægræ, additis, intertextíſque Phrygio videlicet opere, ſetis hiſtricum, rubricatis, quo nullum in illâ barbarie ornamentum maius (*Matachias* vulgò Galli vocant, *Pimikin* Algonquinij) eâ ſi ægrota vteretur, certè ex morbo recreatum iri. At vbi caninum conuiuium apparabatur, fuit qui ſomniarit pro certiſſimo alexipharmaco, inſtituendum conuiuium ex vigenti alcarum capitibus: haud inſulsè ille quidem ad gulam, ſed vt nix erat tenuior, vix ac ne vix quidem tot alcæ inueſtigari poterant, nedum capi; verùm, adfuit commodùm coniector, qui diceret capita illa viginti mutari ritè poſſe panibus totidem maioribus, quales à Gallis coëmunt: hos ſalutares æquè fore: nec poſtremum hoc abs re: dum ſe tamen illi coràm ingurgitant, nihilo ſeciùs ægra fatiſcere. Intereà ſempiternæ illius ſaluti imminebant Patres, & opportunè, importunè ad eam itabant, ſi quo modo fidem liceret inſtillare, ac ſecundùm neceſſariam inſtitutionem aquas adhibere ſalutares: verùm, non ſinebant parentes, ex gentili errore fatalem corpori Baptiſmum eſſe, quidquid tandem animi rationibus conferret. Ergo opperiri iubebant, dum alia omnia tentaſſent priùs; ſi nihil procederet, tum demùm filiam illis permiſſuros. Sunt hæc videlicet inſtituta non Ethnicorum modò, verumetiam eorum nonnunquam qui ſe Fideles dici volunt: peruerſiſſimo ordine, alia omnia ſeu morborum tempore, ſeu ærumnarum ceterarum, experiuntur priùs: tùm, ſi nihil expediunt, inclamant Deum: digni qui planè reijcerentur ſi non ſempiterna illa benignitas miſereretur omnium. Certè non eſt paſſus parentum ſtoliditatem fraudi eſſe filiæ, nihil tàm expetenti, quàm vt in familiam Chriſti concederet. Ergo poſt tot, támque indignas repulſas, admittuntur tandem Patres, vel rogantur potiùs: etenim pòſtquam nihil promouebant, cenſuerant è re magis fore, cum præpotenti Deo tantiſper per aſſiduas preces de ſempiternâ virginis ſalute ſeorſim agere quàm moleſti eſſe parentibus. Et ferrea pectora ſummus animorum moderator emollijt: Patribus parentes ſignificandum curant, redirent porrò: tum demùm filiam auſcultaturam. Cùm aduolaſſent, íſque qui ceperat exponere fidei myſteria, nondum vſum haberet linguæ tantùm, vt expeditè, planéque

ANNVS MDCXXXVI.

ANNVS MDCXXXVI.

quæ in rem erant eloqueretur; interpretum vicem parentes ipsi obibant, reddebántque verbis dilucidioribus quæ ipse vtcunque expressérat, tantâ ægrotæ voluptate; vt tanquam imbrem humus ex diuturnâ siccitate aridior, sic quæ proponebantur exciperet. Sanè vt dies aliquot institutio tenuit, nonnunquam per noctem exquirebat ex matre, númnam breui lux foret? tum ad Deum conuersa; Qui cuncta, aiebat, formasti, miserere mei. Qui meâ causâ mortem adijsti, credo in te, te diligo, fer opem. Tandem postridie illius diei quo terram cælo mutauit, cùm parentis alterius frater ad Patres adijsset, cum ijsque inuitatus coenaret, admonuit, Catechumenam proximè à morte abesse: Baptismum proinde maturarent. Atqui pleniùs instituenda est, aiunt, si tamen eius vires magnopere debilitari perspexeris, nos accersito, aderimus confestim. Nec mora: post paucas horas quàm abcesserat, intempestâ nocte reuertitur, inclamátque Patres, ægrotam animam agere: properato opus esse. Ad eos clamores expergefacti, accurrunt illicò, cum Gallis duobus, per medias niues: támque opportunè aduenere, vt statim atque etiam tunc compotem sui, & ad cæleste beneficium lætitiâ gestientem, sacra vnda perfuderat, luctari cum morte continuò ceperit, paulóque pòst euolarit in cælum. Funus honestarunt quà parentes addito mundo muliebri, insupérque remis duobus; quà Galli, curato loculo, quæ res Barbaros mirificè cepit; nec se continere potuit pater, quin secundùm exequias, in Buteuxij collum rueret, ac tum demùm agnoscere se profiteretur: & se & gentem totam à Gallis diligi. Porrò tùm ipse, tùm vxor, Christiana deinde sacra amplexi, vxor prior, vt suo loco reddemus.

Hic cvm Neophytæ parentibus: in eâ quæ sequitur conuersione, luctandum cum Neophyto ipso diu fuit, multúmque, antequàm manus daret. *Amiskuarui* quidam erat adolescens, à longâ tabe languidus, tùm ipse per se à fide alienior, tùm periculoso coniugio implicitus, quippe qui haberet in matrimonio filiam circulatoris cuiusdam, ex maximè insignibus. Cùm ad eum Buteuxius adijsset, præque turbâ circunstanti ea promere quæ mente voluebat, haud satis tempestiuè se posse intelligeret, hominem inuitat in domunculam Societatis. Cùm veniisset, post aliquam sermocinationem ad mysteria fi-

dei Sacerdos deſcendit, in eóque multus fuit, vt poſt prolixam diſputationem de futuræ vitæ felicitate, quæreret ex eo, númnam ad ea fruenda bona accingere ſe ſe æquum duceret? Minimè verò, inquit: neque enim perſuadere mihi poſſum, ita rem habere, vt dicitis. Quidni enim? inſit Pater. Quoniam, ait, carebit animus meus ingenio, atque adeò minimè idoneus erit, qui iſta fruendo perſentiſcat. At vndénam habes, inquit Buteuxius, animos poſt hanc vitam ſtupidos fore, ac rerum quæ geruntur, notitiâ carituros? Nimirum ſic affirmarunt alìàs, ait, gentiles duo, reuerſi poſt obitum, totíque noſtræ Nationi denunciarunt. Perrexit Buteuxius: illi ipſi qui poſt obitum ſunt reuerſi, ingenij participes erant, nec ne? Expertes, inquit, erant ingenij. Hallucinaris, inſit Buteuxius: ipſum enim illud, noſſe ſe carere ingenio, valere ingenio eſt: verùm, pingui Mineruâ agamus: an non valere ingenio eſt, ſcienter venari? Ad hominem argumentabatur: neque enim inficientur vnquam homines quorum ferè victus ratio ex venatione pendeat, ingenio carere, qui aptè felicitérque venetur: itaque cùm annuiſſet; Atqui, ait Catechiſtes, è veſtratibus permulti ſunt, quorum animi poſt obitum, fibrorum, alcarúmque animos aptè venentur. Idipſum cùm ſit in confeſſo apud Barbaros, non habebat quò ſe verteret contumax. Quare de more eorum, qui rationum quidem vim, ac momenta peruident, noluut tamen acquieſcere; Gentem, inquit, quiſque ſuam deamat: vos, quandoquidem, vt ais, veſtri populares in cælum euolant, eò ſanè pergite: ego ad meos me adiungam. Hîc Buteuxius cum prouideret ſi in vrgendo ipſe perſtaret, pertinaciùs quoque hominem repugnaturum, mutato ſermone, quærere inſtitit, quæ eius morbi origo eſſet? Algonquinius quidam, ait, homo nefarius illum mihi conciliauit: etenim cùm inter nos rixa interceſſiſſet, ne à me necaretur veritus, de meâ morte tranſegit cum *Matchi Manitŏ*. Vnde verò id habes? rogat Buteuxius. Ego, ait, ipſum illum Matchi Manitŏ conſului: atque is admouit, munera in *Manitŏſiŏckhios* proponerem: ſe inimico meo præuerſurum, adimendâ vitâ: ita me reualiturum. Id me verò angit intimè, quod in largitionem illam nihil ſuppetit: & conchæ veneriæ quidquid habebam, & pellium, profudi: nunc, cùm

ANNVS MDCXXXVI.

nihil ſuperſit, emoriendum planè. Dialogiſmum inſignem penè ad verbum reddendum cenſui: tùm vt intelligatur gentem nullam eſſe, quamuis barbaram, quæ non aliquem ſenſum habeat animorum immortalitatis: tùm vt quiſque perſpiciat, vbique terrarum teterrimum dæmonem ſibi conſtare, morbis ſeu immitendis, ſeu non niſi nouo maleficio abigendis: tùm vt innoteſcat piam illam credulitatem, quâ ijs quæ Deus credenda propoſuit, aſſentimur, illius eiuſdem benigniſſimi parentis donum ac munus eſſe planè ſingulare. Videlicet vt in hæreticis experimur quotidie, qui refragari nequeant propoſitæ myſteriorum veritati, eſſe quamplurimos; perpaucos, qui animum inducant id amplecti quod probant, ſic res habet planè in Ethnicis: niſi Deus ipſe per ſe voluntatem intùs inflammauerit, fruſtrà circà intelligentiam laboraueris. Id adeò in eo quem memoramus, vel illuſtriſſimè enituit: cùm illius ad fidem adducendi ſpem propè omnem abieciſſent Patres, itaréntque nihilo ſeciùs ad miſerum identidem; aduentantibus carnium nonnihil dono acceptum aliquando obtulit. Negauit Buteuxius ſe eò veniſſe quidquam accipiendi cauſa: ac non modò ſe opum nihil harumce, quæ oculis vſurpantur, quęque manu tanguntur, ab eo expectare profeſſus eſt, ſed ſempiternas, ac cæleſtes vltrò indigenti offerre: felicem planè futurum, ſi fidem amplecti animum induceret. Atqui certum mihi, conſtitutúmque eſt credere, inquit, & ad Deum aſpirare. Hæc autem efferebat iunctis palmis, ſublatis oculis in cælum, ac reliquo corporis habitu ſic ad modeſtiam, pietatémque compoſito, vt attoniti, & admirationem inter lætitiámque ſuſpenſi hærerent Patres, ſuſpicientes opus Dei. Ergo opportunitate vtendum rati, quæ aliàs ſæpè propoſuerant, inculcare, addere quæ tempus poſcebat, tantâ audientis auiditate, vt totus ex Catechiſtæ ore penderet, ſatíſque demirari non poſſet vel ſuperiorem contumaciam ſuam, vel infinitam in ſe clementiam Dei. Ita poſtquàm apprimè inſtitutus erat, de ſacro fonte regeneratus eſt: paulóque pòſt ex vitâ mortali ad immortalem tranſlatus. Ceterùm, cùm in ijs quæ diximus, ſingularem quandam prouidentiam agnoſcere licuit, tùm in eo vel maximè, quod moleſti vtique, atque adeò formidoloſi interpellatores aberant dum hæc gerebantur, contubernales Nicolai (id enim Chriſtianum nomen

fuit) hominem fortè, ſi adfuiſſent, à ſancto propoſito ſannis dicteriiſque auocaturi, &, quod magis mirere, vix horæ duæ à Neophiti obitu fluxerant, cùm à venatu rediere. Adeò paruis in ſpeciem momentis ſempiternæ fortunæ noſtræ vertuntur.

SPECTACVLVM deinceps lætitiâ & dolore mixtum præbuere germanæ duæ ſorores, bima altera, altera annorum ſexdecim. Ambæ de matris conſenſu, Eccleſiæ aggregatæ, paulò pòſt ad nuptias Filij Dei tranſlatæ ſunt: atque hæc quidem volens lubénſque Baptiſmum extremi morbi tempore ſi non ipſa flagitauit, excepit certè, ſingulari quadam ſignificatione pietatis. Vel antequàm cùm eâ de re tanti momenti Patres egiſſent, fide prædita fuiſſe credi potuit. Germanum fratrem habebat apud Patres aſſiduum, quos ad linguam vernaculam erudiebat: cúmque pars maxima inſtitutionis in ſacrorum myſteriorum explicatione verſaretur, ad quam maximè vulgares voces requirebant; frater, vt fit, ſorori deinde illa ipſa memorabat, & ſcilicet auditis virgo mirum in modum afficiebatur. Ita vbi ſe ingenti teneri Baptiſmi deſiderio ſignificaſſet, poſtquam ad Catecheticam doctrinam ventum erat, comperta eſt eorum quæ ſcitu neceſſaria erant, ignorare nihil. Ergo nihil procraſtinandum rati, virginem caſtam Chriſto deſpondent: tum, quando aliud non licebat, regeneratam dimittunt, in ſiluas ac nemora illicò in matris, Barbarorúmque aliorum aliquot comitatu abituram. Dum in vehe ambæ colligarentur (neque enim inſiſtere pedibus valebant, hæc per morbum, illa per morbum æquè & ætatulæ infirmitatem) pectus Patrum effodiebatur. Cúmque ſuprema monita adijcerent, monerénque, vbicunque tandem locorum foret, Chriſtianam ſe eſſe meminiſſet, ac ſi morte fortè defungi contingeret, peruenturam in cælum, apud Deum omni bonorum ſolatiorúmque genere abundaturam. Vale, inquit, Ioanna (nomen id fuit regeneratæ) vale mi Pater, alterum duorum appellans: nunquam deinceps tuo conſpectu fruar: ſed nihil tanti mori intereſt, quando tam fortunato loco futura ſum. Tum exquirentibus, num quâ re egeret, in iſtâ deſtitutione? Si quid, ait, vuæ paſſæ in promptu eſt, pauxillum date: extremum hoc leuamentum morbo meo à vobis erit: etenim in ſiluas ad mortem pergo: verùm, me ſpes ſuſtentat, fore vt in cælum euolem. Et con-

ANNVS MDCXXXVI.

firmantibus Patribus, euolaturam vtique, si in fide perstitisset; sic habete, inquit, me in Deum & credere, & crediturum. Colloquium abrupit profectio, abiere miseri, nullo penu, nisi panis mensurâ, quanta in prandium, cœnulámque illius diei satis esset, eáque submini strată à Patribus. Flabat Caurus sanè glacialis, impetúque in ora progredientium rectà ferebatur: ibant tamen securi, perinde ac si non eos nemorum vastitas, sed opimæ telluris copia exceptura esset. Eæ ærumnæ ad morbum additæ germanas ambas mortalitati eripuerunt: anteces sit infantula: soror paulò diutiùs cum morbo, cum frigore, cum inediâ, cum itineris fatigatione luctata, præuiam denique secuta est.

Vnda Baptismi ipsi etiam corpori salutaris.

IAM, funestam illam formidinem de vndâ Baptismi, quasi letalis corporibus foret, plerisque eripuit fructus beati lauacri ad corporis ipsius salutem infanti puero propè ad miraculum salutaris. Indigenarum quidam *Atikamegs*, à Gallis *Princeps* cognominatus casulam per hyemem haud procul Residentiâ S. Mariæ Angelorum fixerat. V. Id. Febr. è Patribus aliquem trepidè accersit, baptizando infanti filiolo, animam propè agenti. Aduolat vnus continuò, & aquæ pauxillùm defert, veritus ne, cùm riui, anméque conglaciassent, ea nullo loco ventorum flatibus peruio foret. Vbi adfuit, vrget pater, filiolum quamprimùm Christianorum ritu initiet: iam illum animulam efflare: at mater contrà obnititur: aquas eas letales esse: quemcunque attingerent, eum certissimè emori. Quid hîc Sacerdos faceret? rationum momentis mulierem de funestâ illâ pertinaciâ deducere conatur. Gallos omnes aquis ijs peremptricibus scilicet respersos esse, & viuere: nonnullos è popularibus, quorum edebat nomina, ijsdem ablutos, & valere. Quod si secundùm Baptismum indigenarum complures emorerentur, non id Baptismo tribuendum, sed morbo quo antè tenerentur: & verò non minùs occumbere morbidos eos qui baptizari nollent, quàm eos qui tantum Dei munus non aspernarentur. Vir autem vel dolore, vel indignatione æstuans; Age fis, inquit, stolida, hoc mihi dic, sobolem hanc tuam Baptismus necat, an morbus? non oculis tuis vides, mulierum importunissima, paruulum extrema suspiria ducere, ac seu Baptismi compos excesserit, seu expers, te eo, intrà momentum

carituram.

carituram. Addidit Sacerdos, Baptiſmum non modò non necare, ſed etiam præterquàm quòd animos ſemper vitâ donat, corpora quoque nonnunquàm conſanare: ſi animum induceret credere poſſe id à Deo effici, eius filiolum fortè conualiturum. Eam ad orationem erecta animo mulier; Si ſoſpitare eum potes, inquit, age ſanè, aquam tuam adhibe; ſin, attrectes caue. Ego verò, inquit maritus, facilè mihi perſuadeo, eum qui cuncta condidit, poſſe filiolum meum conſanare. Et Sacerdos, ſi idem ſibi coniux tua perſuaderet, breui ſoſpitem filium haberes. Tum ad vxorem conuerſus Attikamegy; Cares prorsùs ingenio, ait, metuis videlicet ne Baptiſmus filium tuum opprimat, nec vides ipſum in oculis tuis emori Baptiſmi expertem? Qui cuncta condidit, quíque efficere quidlibet poteſt, virtutis ſatis habet ad vitam ei reſtituendam: ac ſi fortè reſtituere non libuerit, ſaltem illius animæ miſerebitur. Hîc verò commota mulier, annuit tandem. Inſtare tamen coniux etiamnum; Age, inquit, animum erige, ac vide etiam atque etiam num credas: etenim ſi diſſimulas, neutiquam conſanabit Deus filium tuum. Et illa; Credo, inquit, baptizetur. Enimuerò hæſit aliquantulùm Sacerdos hoc articulo rei lubricæ, perplexæque: videbat hinc infantulum luctari cum morte, illinc peruicacem feminam, eâ vnâ de cauſâ filium ſuum regenerandum permittere, quòd reualiturum ſperaret: ita, ſi emoreretur, diuino vtique ſacramento obtrectaturam: quoniam tamen ſempiternæ paruuli ſaluti proſpiciendum prorsùs erat, audendum ſanè putauit, cum eo tamen vt flagitaret à parentibus ſi reualeſceret infantulus, traderetur ſibi poſt annos aliquot in diſciplinam. Et ecce tibi nouæ turbæ: redit ad ingenium mulier pertinax; Videò, inquit, id vnum agit, vt ereptum mihi filium ſibi habeat: non feram, non aſſentiar. Attikamegy autem; Filium meum depoſcis, in totam ætatem, an in annos tantùm aliquot inſtitutionis? Cùm aſſeueraſſet Sacerdos, ſe eum in paucos tantùm annos depoſcere, neque antè, quàm annum ſeptimum octauum-ve ætatis attigiſſet, inſtare acriùs maritus apud vxorem, acquieſceret demùm, puerum, ſi reualeſceret, reſtitutum iri ſine dubio, poſtquàm Chriſtianis Gallicíſque inſtitutis apprimè imbutus eſſet. Inter eas autem moras cùm infans tantumnon afflaret animam, obſtupeſcebant

ANNVS MDCXXXVI.

ANNVS MDCXXXVI.

Barbari ipſi, qui non pauci circunſtabant, litigari tandiu de puellulo, cuius eſſet conclamata planè ſalus, niſi Baptiſmus opitularetur. Tandem cùm confirmatæ mulieri perſuaſum eſſet, prorsùs reſtitutum iri filium; ipſa teſtandæ fidei, ſpéique in Deum, filium ſuum baptizandum obtulit. Et (rem ſanè miram!) vix concepta verba formæ ſacramenti Sacerdos decurrerat, vnduláque infantuli caput reſperſerat, cùm animaduertit mater continuò, ipſum ocellos aperire, ſpirare, artus diſtendere. Ergo mammam extemplò porrigit: nec tergiuerſatur infantulus: lac fugit, recreatur: vno verbo, antequàm è caſâ pedem Sacerdos extuliſſet, planè conualuerat. Hæc ipſi credo, Iuuenæo acciderunt, ſed conſultò pro ſuâ modeſtiâ, nomen ſilentio occulere voluit ſuum, minimè vtique malignè nominaturus, ſi cuius alterius operâ vti Deus voluiſſet in re quæ ad miraculum proximè accedit, ſi non planè miraculum eſt: quid enim defuit, præſertim cùm non ſenſim, neque pedetentim, ſed derepentè infantuli confirmata valetudo fuerit? Hæc tamen hiſtoricè dicta ſunto, ne, vel latum quidem vnguem à Decreto ſanctiſſimi D. N. Vrbani VIII. diſceſſiſſe videamur. Acciuit quidem certè euentus inſolens, præter eos qui aderant, Barbaros aliquot, ad rei narrationem, quam Atikamegg incredibili, vel admiratione, vel voluptate memorabat, attonitos, ac ſilentes. Aliquandiu pòſt, quoniam raptim, vt in re lubricâ, adhibita ea tantùm erant, ſine quibus conſtare ſacramentum nequiret, quæſiuit ex parentibus Sacerdos, an non gratum futurum eſſet, ſi Kebecci in ſacrâ Ædiculâ palàm ſupplerentur ſtatæ, ſolennéſque Baptiſmi cerimoniæ? Cùm annuiſſent, addidiſſéntque cupere filium ſuum ad eum planè modum procurari, quo Galli ſolerent, monuit is de ſuſceptoribus, ediſſeruítque quorsùm adhibeantur: addubitantíque patri num è Gallis reperturus eſſet, qui id pij muneris obire vellent, confirmauit Sacerdos neminem non id honoris loco habiturum. Ita die Dominicâ quæ viſa deinceps commodiſſima eſt, congregatis ad Miſſarum ſolennia Gallis, expoſuit Sacerdos idem, ſeriem rei geſtæ: infantem illum puerum quaſi à morte excitatum Baptiſmi vi præſentiſſimâ fuiſſe: idcircò accepti beneficij memores parentes vltrò eum ſiſtere, quò conſuetæ cerimoniæ, quas omittere mors

inſtans coëgerat, ritè adhiberentur; ac ſpondere, ſe eum, vbi maturum foret, Patribus in diſciplinam tradituros: idipſúmque interrogati ipſi denuò facturos receperunt. Ergo ſingulari tùm omnium, tùm parentum præſertim geſtientium lætitiâ, res peracta, infantíque Franciſci Oliuerij nomen inditum, ex nomine, atque agnomine ſuſceptoris. Vt verò vigilantem Domini Dei prouidentiam perpetuò agnoſceres, cùm aliquot pòſt annis vrgeretur mater à Patribus, vti promiſſi memor, puerum ſibi in diſciplinam traderet, obſurdeſcente ingratâ, puer penè derepentè mortuus eſt, ſummo Deo vel meritæ parentis vlciſcente ſcelus, vel filij ſempiternæ ſaluti conſulente, quem idcircò fortè rapuit, ne malitia mutaret intellectum, ne-ve candorem baptiſmalis innocentiæ inficeret deinde æqualium licentia. ANNVS MDCXXXVI.

HVRONICA quoque meſſis minimè malignè, vt in incultis noualibus, colentium labori reſpondit. Huius anni curriculo ſex & octoginta quà infantes, quà adulti aggregati ad Eccleſiam, & adulti ferè contrà quàm apud Montanos, Algonquiniósque, eâ ſpe ducti, fore vt è morbis ſalutaris vndæ beneficio emergerent. Sanè ea perſuaſio longè latéque peruaſit, quos, ſemel ſacra lympha reſperſerit, eos à morbis intactos ſeruari, infantulos præſertim, vt è totâ circà viciniâ, atque adeò è locis ſex ſeptem-ve leucas diſſitis, ad Patres baptizandi deferrentur: quæ mens parentum tametſi minimè mala erat, conabantur tamen Catechiſtæ id efficere, vt adulti, ſeu ipſi ſibi Baptiſmum flagitarent, ſeu liberos offerrent ſuos; aſſurgerent altiùs, illúdque planè intelligerent, non ſolùm ad corporis, ſed multò magis ad animorum vitam, diuinum ſacramentum comparatum eſſe. Ceterùm, infantulos eos penè omnes diuina benignitas incolumes præſtitit, ac ſi qui pauculi obierunt, eorum mors morbis inſanabilibus quibus iam inde ante Baptiſmum conflictabantur, vulgò tributa, alios ſi qua inualetudinis tentatiuncula perſtrinxit, eius rei cauſam parentes, nondum Chriſtiani licèt, contulerunt tamen in neglectum diuini obſequij, qui cadere ſæpè in eam ætatulam ſolet. Agmen totum in veſte, quantum accurari potuit, concinnâ, IV. Non. Februarij, quo die lætam celebritatem Eccleſia recolit, Chriſti IESV in Templo præſentati, ſecundùm ſolen-

ANNVS MDCXXXVI.

nem benedictionem cereorum, à conuocatis parentibus ritè offerendum Deo curauit Brebeufius, precatione eam in rem Huronico idiomate conceptâ, quam omnes è genibus, ipso verba præeunte, dextráque IESV Christi Crucifixi imaginem præferente, iterabant, in hanc sententiam, vt Deo Patri, Filio, Sancto Spiritui offerrent, dedicaréntque vltrò liberos illos suos, testarentúrque præpotentem illum Deum, Dominum peculiari quodam modo filiorum suorum esse. Idcircò rogabant, vti tanquam suos respicere dignaretur, morbos arceret, in peccatum ne labi pateretur, pestem, famem, bella, procul auerteret: ne-ve sineret maleficos quidquam nocere, sed dæmonum impetus, furoréque inhiberet. Ea formula quoniam auerruncandarum rerum earum quas maximè reformidant, mentionem faciebat, probata magnopere: addi tamen duo prætereà voluerunt, vt præpotens ille rerum omnium conditor arbitérque naufragia insuper, incendiáque defenderet: quæ cùm adiuncta essent, enimuerò absolutissima precatio iudicata. Ex eo porrò die templorum horumce Dei viuentium, spirantiúmque possessio ritè adita: ita deinceps Dominicis diebus in sacram Ædiculam conuenire perrexit ea ætatula. Ex adultis quatuor cælum recepit; in ijs Præfectum ipsum pagi Ihonatirienſis, Franciscum Sangvati. Is cùm placidis esset imprimis moribus, haud ægrè extremi morbi tempore adduci se passus est ad Baptismum, quem in alijs sæpè se magnopere probare significauerat. Enituit verò singularis quædam Domini Dei prouidentia in Baptismo feminæ, quæ paulò pòst ipsa quoque mortalitate exuta est: quippè cùm grauissimè audiret à surditate, neque aliunde satis caperet quæ à Catechistâ dicebantur, quod ex aliâ quadam natione esset, is quò se verteret nesciebat. Sed adfuit sanè peropportunè adolescens, qui fortè audierat coràm quæ Patres superiori Autummo instituendis Ludouici à sanctâ Fide parentibus expoſuerant. Ita cùm ex ijs quædam iam tum animo altè imbibisset, alia perfacilè ex Brebeufij ore caperet, nullo negotio reddebat quæ tradi mulieri omninò debebant, eo exitu, vt ante discessum, eam Brebeufius aquâ salutari regenerauerit in beatam filiorum Dei infantiam, Mariæ nuncupatione. Hæc cùm supremis morbi diebus identidem animo linqueretur, fertur tamen prædixisse,

ANNVS MDCXXXVI.

ſe non niſi octauo pòſt die emorituram, & ita contigit.

OSTIVM verò ingens reſerari cœptum Euangelio, adulto iam vere, paulò antè, quàm gentis Concilium de more cogeretur, tùm alijs de cauſis, tùm vt quo potiſſimum loco feſta Mortuorum celebritas perageretur, definirent. Ænonſius quidam erat Præfectus apud eos ex primarijs, Reſidentiæ Patrum Societatis IESV ſuo in pago ſtabiliendæ percupidus, quæ Ihonatiriæ conſiſtebat adhuc. Is conſultò antequam natio conueniſſet, accerſito per certum nuncium Brebeufio orationem habuit ſanè ad perſuadendum appoſitam: cuius de efficacitate ne nonnihil ab ſe detractum fuerit, cùm vereri ſe Brebeufius idem profiteatur, nihil mihi addendum, nihil detrahendum viſum eſt, ſed ex fide reddenda Latinè, quæ habet Gallica Relatio. Hunc igitur prorsùs in modum Ænonſius perorauit. *Accerſiui te, Echom* (Brebeufium eo nomine ab Huronibus inſignitum, tradidimus ſuprà :) *eo conſilio, vt ex te reſcirem quid demùm conſtitutum habeatis de re toties, vt tutè noſti, à me tibi propoſitâ. Nec verò commiſiſſem vt accerſerem te huc potiùs, quàm ad te venirem, niſi ea me cogitatio impuliſſet, futurum fuiſſe, vt vix ac ne vix quidem veſtrâ in caſa locum, tempúſque idoneum nanciſcerer, ea quæ meditatus ſum, clàm arbitris exponendi: tanta eſt ſemper apud vos frequentia, tantus concurſus adeuntium. Accedebat quod cùm propediem deliberaturi ſimus de nouo Pago conſtituendo, ſuſpectum vtique futurum colloquium erat ijs, qui nihil non agunt, vt vos quoquo modo apud ſe diſtineant. Ex quo Gallos noſſe cepimus, ij me ſemper dilexerunt, ego viciſſim, quacunque in re licuit, ſemper ipſis præſto fui, ſic, vt nullum totâ hac regione amiciorem experti fuerint: quæ quidem neceſſitudo tantam mihi popularium inuidiam parauit, vt iniquiori animo in me vulgò ex eo tempore eſſe ceperint: hincque calumnia ſanè atrox ad noſtram dirimendam Societatem excogitata, ad me necem Stephani Bruſlei pertinere: atque vbi primùm oppreſſus eſt, iactabatur vulgò, me, ſi Kebeccum deſcenderem, quæ profectio inſtabat, certiſſimè extremo ſupplicio affectum iri. Quæ cùm non neſcirem, non eo quidem anno (me enim aliò negotiationis ratio tulit) ſed proximo, egregiæ fidei, atque innocentiæ fretus conſcientiâ ad Gallos adire non dubitaui. Ac ſi quid de meo capite deliberatum ab ijs durius eſſet, ea me etiamnum tenet perſuaſio, futurum fuiſſe vt vel imminente ceruicibus meis ſecuri, ſi lo-*

Ænonſij de ſtabiliendâ ſuo in pago Patrum Societatis IESV Reſidentiâ ad Brebeufium oratio.

ANNVS MDCXXXVI.

qui licuiſſet, cuius rei copiam ſtagitanti, credo, feciſſent, cauſam meam ſic agerem, vt aut me incolumem eſſe paterentur, aut contra ius fáſque vitam mihi adimere putarentur. Sed non eò veniendum fuit: ac qui me haud dubitanter oppreſſum iri iactauerant, ijdem obſtupuere vehementer ad multiplicem ſignificationem bonoris, qui mihi eo loco habitus eſt, vt dixiſſe non nemo feratur, quandò ſicarium Galli viuere ſinerent, nullam certiorem viam eſſe eorum aucupandæ amicitiæ, quàm cædem facere alicuius ex eorum numero. Itaque quidquid moliti ſint iniqui mei, omni ſemper inuidiâ ſuperior innocentia mea fuit: nec verò prohibebit maledica obtrectatio, quò minùs, quoad hæc vita ſupercrit, quibuſcunque tandem officijs licuerit, Gallos demereri conſtantiſſimè pergam. Credideramus, Echom, fore vt vos nobis adiungeretis: nunc neſcio quâ de causâ, deplorata res propè videtur: nuper cùm ad te adijſſem eius ipſius rei causâ, tàm frigidus extitiſti, vt orationem parùm tibi iucundam in perpetuum omittere, penè tunc mecum conſtituerim. Nec verò idipſum vnquam commemoraſſem, niſi ſummopere veſtra, noſtráque intereſſet: ſed cùm ipſa propè cogeret occaſio, viſum mihi denique de re totâ quid ſentiam exponere denuò: ſi præcisè in præſentiâ quid conſtitutum tibi ſit declaraueris, verbum nullum vnquam à me in eam cauſam expectato. Cras pagi quinque conueniemus in conſilium de coniungendis viribus, opibúſque, & ex exilibus viculis vno vico conflando illuſtriori eodem, atque firmiori. Id omnino tempora iſta depoſcunt: ſi pax aliqua quieſcere conſtabit. Nemini noſtrûm dubium eſt, quin proximo vere hoſtis adfuturus ſit: eius de conſilijs certiſſimis auctoribus comperimus. Quòd ſi nos hoc rerum noſtrarum ſtatu deprehenderet, angeremur vtique, neque quid expedire ſatis poſſemus, occurreret: ſi omninò militare nos oporteret, quò vxores, liberóſque, hoſtili petulantiæ, furoríque ſubduceremus? At ſi Pagum conſtituerimus vallo munitum, tum demùm, & noſtra iuuentus habebit vbi fortitudinem ſuam, mentíſque excelſitatem probet; & vxores, liberóſque loco bellicis impreſſionibus imperuio continebimus. Hæc vt perfici aptè, idoneéque poſſint, vniuerſa vos regio reſpicit: nobiſcum ſi eritis, enimuerò timor omnis procul abſcedet: vobis arma ſuppetunt igniuoma: horum vel fragor territum hoſtem arcebit. Nec minùs veſtra res agitur: ſi quid increpuit, videtis ipſi quæ vos pericula circunſtent: ac ſi quid fortè alicunde perpeti contigerit, quò confugiatis, aut quem omninò inclametis, ſi quidem conſiſtetis in miſero illo mapali? Nimirum

ANNVS MDCXXXVII.

Præfectorum nullus aderit, qui vos ſuam in fidem recipiat: nullus qui iuuentutem contineat: nullus qui annonam ſuppleat, ſi hæc vos fortè ante tempus defecerit: aliunde porro accerſere, quàm laborioſum. Domicilium autem ſi nobiſcum figetis eo quem dico loco, enimuerò vt id dabitis rogantibus, flagitantibúſque, ſic æquum erit vobis alimenta de publico præberi: ac ſi id fortè remiſſius à quoquam curaretur (quod cur timeatur, non video, tanta eſt vulgò veſtri charitas) ego illud polliceor, confirmóque, tunc me quidquid auctoritatis collegi, ſtudioſè interpoſiturum apud vnumquemque, ne egeatis: verùm, id quidem nullo vnquam tempore fore neceſſarium puto, quod, vt dixi, perchari eſtis vulgò omnibus. De casâ item veſtrâ erigendâ vbi agetur, iuuentutem ipſe adhibebo ocyùs: nec dubito quin breuiſſimo interuallo conſtitutum ſit ædificium, quàm elegans his locis expectari à vobis poſſit. Hîc interquieuit pauliſper Ænonſius, illud tamen admonens, ſe nondum abſoluiſſe: verùm, antequàm pergeret, cupere ſe, vt quæ dixiſſet hactenus, cum ſocio item Sacerdote adſtante, Brebeufius communicaret. Cùm is morem geſſiſſet, ad ea quæ obiici poſſe intelligebat, diſſoluenda, hunc in modum deinde Orator deſcendit. *Intelligo*, inquit, *te oppoſiturum, vos, ſi id fiet, à lacu longiùs abfuturos, quàm in præſens abſitis: ego verò aſſeuero non longiſſimum interuallum locorum fore: quod ſi tamen paulò remotiores eſſe oportuerit, quid tandem vos ſolicitat? piſcari ipſi non poteritis? at Pagus totus vobis piſcabitur: ſi quid recularum tranſmittendum Kebeccum erit, vbi eæ imponantur minùs ſuppeditabit: at certatim omnes eam ipſam in rem præſto erimus. Equidem quæ ad vos illinc mittentur, non licebit ipſo quaſi in portu excipere: verùm, quid tanti eſt? ea ipſa ad veſtrum vſque domicilium conuectabuntur: ac ſi fortè Rupellenſium operâ vtendum cenſebitis, ÿ ſi vos diligunt, vt ſunt neceſſariò præter extruendi pagi locum tranſituri, cauebunt perſtudioſè ne vos ad vicum vſque ſuum excurrere eâ de causâ patiantur. Hæc ſunt, Echom, quæ tibi coràm exponenda putaui: quid ipſe ſentias, aperias iam nunc, etiam atque etiam rogo: quò quid ſit vobis conſtitutum, craſtinâ die referre ad Conſilium queam.*

MOVIT SANÈ hæc oratio Brebeufium: & quoniam longiori deliberationi nihil loci dabatur, re cum ſocio item communicatâ, primùm prolixè egit gratias pro ſummâ illâ beneuolentiâ, quam Ænonſius ſæpenumerò quidem aliàs, hîc verò inſigniter teſtaretur. Tum ad rem veniens, aſſeruit ſe minimè

ANNVS MDCXXXVI.

grauatè ſedem mutaturos: id ſe iamdudum agitaſſe: ſi Ihonatiriæ in præſens conſtitiſſent, non continuò propoſitum ſibi fuiſſe domicilium ibidem perpetuum figere; ſed in certum modò tempus: nec non illud reſpexiſſe, vicum eundem ab Ænonſio ipſo pendere, neque verò ab alijs diſiunctum eſſe, niſi ad breue temporis interuallum. Quæ cùm ità eſſent, non ſe tamen poſſe quidquam polliceri, niſi quinque Pagorum Præfecti eorum, qui de vno conflando deliberaturi eſſent, reciperent priùs, tùm ſuo, tùm clientelarium nomine, Chriſtiana ſacra amplexuros, ijſdémque inſtitutis vſuros, & legibus: atque hîc ex occaſione excurrit in præcipua quædam capita fidei, quæ homini potiſſimùm inculcanda exiſtimabat: illud vrgens præcipuè, acquieſcere planè ipſos debere, hoc nomine, quod quæcunque à Deo præcipiuntur, cum rectâ ratione maximè congruerent, eſſéntque talia, vt ex eorum obſeruatione ſingulares quaſdam vtilitates toti nationi importari poſſe, ipſi iudicaturi poſtmodùm eſſent.

HÆC VTI perattentè audierat Ænonſius, ità ſtudiosè ad conuentum relaturum promiſit: addidítque, ſibi quidem certum eſſe Chriſtianum fieri: nec alia ſentire ſuos. Sed his tàm lætis initijs teterrimus animorum hoſtis, ita Deo ſinente, interuenit, excitauítque procellas ſanè graues: eo exitu qui ſolet, vt poſtquam rem Chriſtianam ijs locis in extremum diſcrimen adduxerat, ceſſerit tandem victus, eiectúſque: ſed hæc ſuo loco. Kebecci autem (deinceps enim eò curſus orationis reflectendus) extiterunt documenta quædam diuinæ ſeueritatis, vel in eos qui à fide defecerant, vel in eos qui ſingulari beneficio oblatam, pertinaciùs repudiauerant. Perijt in vaſtis illis nemoribus impius deſertor, is qui ante biennium, Iuuenæum cùm Barbaris peregrinæ illi linguæ dantem operam, vnà cùm fratre æquè ad omne ſcelus proiecto, tàm inclementer exercuerat, & perijt ex fame. Rem miram! ait Iuuenæus: etenim tantam vim alcarum hoc anno Barbari confecerunt, quantam vix ante decennium. Sed nimirum iuſtiſſimo Dei iudicio, qui diuinam in ſe ſuóſque munificentiam extremis temporibus expertus, nihilo ſeciùs os ferreum in cælum blaſphemis vocibus extulerat, eóque impietatis proceſſerat, vt ex Iuuenæo quærere eſſet auſus, audientibus palàm quotquot caſâ eadem

Nonnulla diuinæ ſeueritatis in impios exempla.

eadem continebantur, viris, & mulieribus, quorſum tandem per preces opem inclamaret, illius, qui nihil, nec intueretur, nec audiret: per quæ peccauit ſceleſtus, per ea & punitus eſt. Cecidit infelix, apertis oculis: ſuam ipſe leuitatem, ac mobilitatem animi & norat, & deplorabat nonnunquam. Adiuncta exitus calamitoſi cetera ignota: illud conſtat, cadauer fame enectum repertum in ſiluis: animo quid factum, nouit qui condidit: ſi coniectura reſpicienda, quando vocantem Deum tàm turpiter támque contumaciter deſeruerat, periculum eſt ne ab eodem deſertus fuerit. ANNVS MD CXXXVI.

EXITVM haud diſparem habuit infelix frater feliciſſimæ ſororis, quæ bima poſt Baptiſmum paulò antè è tertiis exceſſerat. Is, cùm tàm flagitio eſſet deditus, vt à turpitudine vix ac ne vix quidem aliquando niſi publico conuicio auocari potuerit, & in oculis quidem Sacerdotum duorum Societatis IESV, qui funebri conuiuio intererant, quod ad tumulum parentis ipſius demortui agebatur; anno ætatis circiter duodeuiceſimo letalem in morbum incidit. Cum ægro, de matris voluntate egit Buteuxius: at nequidquam, quod ſpem impoſtores fecerant ſanitatis. Poſt familiares tympanorum ſtrepitus, inſanáſque vociferationes, quaſi morbi cauſam tum demùm certiſſimè deprehendiſſent, iubent ſycophantæ, languidum oculos comprimere: tum quaſi latus reſecuiſſent, cultellum oſtentant ſanguine madentem, & ad adſtantes conuerſi; En, aiunt, mali fontem: hunc Manity imo in corpore collocauerat: poſtquam extractus eſt, laboranti erit vtique melius. Sanè ſiue vis morbi ſtato interuallo remiſiſſet, ſiue ſpes recuperandæ valetudinis infelicem exhilararet, ſiue perfidioſiſſimus Satanas quidpiam de ſuo admiſcuiſſet, viſus æger vtcunque releuatus, ídque ipſe percontantibus glorioſiùs ſycophantis aſſeuerauit: atque tegendæ impoſturæ quaſi vulnus re ipsâ feciſſent, ita ex cinere aquâ macerato, egregium cataplaſma adhibent, vetántque prorsùs neu mater, neu æger ipſe quidquam moueant, aut omninò cataplaſma attingant. Stupentibus cunctis ad adſpectum, vnus aliquis Patres de re totâ certiores facit: aduolat Buteuxius confeſtim, ac de matre quærit ſolicitè, quid eius filio factum eſſet? Illa aliquandiu tergiuerſata fatetur tandem Manity ſiue κακιος adhibitos (nefa-

ANNVS MDCXXXVI.

rios circulatores ſic appellant) eòs, quod omnem admirationem ſuperet, ſanguinolentum cultellum ex filij latere extraxiſſe. Accedit ipſe propiùs; & technam ſubolens, malagma cõfeſtim amouet, nullâ cuiuſquam cicatricis notâ in latere. Tum ad mulierem conuerſus: Nec vides, inquit, ſceleſtiſſimos præſtigiatores ſimul tibi, ſimul filio tuo periculoſiſſimo tempore illudere? cultellum ex eius corpore quemadmodum abſque vulnere educere potuerunt? Atqui ea ipſa admirabilitas eſt, excipit inſana, quod illæſo intemeratóque corpore, tàm feliciter noxium ferrum exemerunt, vt neque cicatrix extet, & meliùs habeat filius meus. Inſtat Buteuxius, ac rationum momentis perſuadere conatur, non propterea ægrum emerſurum è morbo: præſtigias meras eſſe, quibus ſi ſe duci ſineret, enimuerò actum eſſe de filij ſalute ſempiternâ, qui propediem Baptiſmi expers emoriturus eſſet: verùm, cùm nihil efficeret, tum quidem receſſit, ne mulieris animum prorsùs abalienaret. Sed ecce tibi poſtridie ſtolida femina ad Patres Præfectum vnum aliquem è Montanis allegat qui renunciaret filium ſuum noctu animam efflaſſe, aduertente nemine: intelligere ſe nunc demùm, quàm inconſultè fecerit, quæ recta ac ſalutaria minùs auſcultauerit: miſerarentur luctu, ac mœrore perditam, & quem viuum concupiſſent, haberent ſanè mortuum. Sed nimirum negauit Buteuxius, qui Chriſtiana ſacra viuus non coluiſſet, eum Chriſtiano ritu tumulari poſſe.

NEC MINVS deploranda ſors infelicis fœminæ, quæ cùm ipſa ſuis oculis intuita fuiſſet mirabilem vim Baptiſmi, in infantulo Attikamegy filio, ægra poſtmodùm Baptiſmum flagitauit, non vt Deo obſequeretur, ſed, vti deprehenſum certiſſimis indicijs eſt, vt valetudinem recuperaret. Et Catechiſtæ quidem de fidei myſterijs diſſerenti, auſcultabat in ſpeciem ſedulò, re, fictè, ſimulatéque illud vnum agebat, vt Patres ſuam in ſententiam pelliceret, extorquerétque quamprimùm remedium illud, quod ad conſanandum corpus valiturum putabat. Id adeò ambigi deſitum, poſtquam ſub ineuntem hyemem Barbaros per ſiluas ſecutura, trahi cum abſentibus in vehe maluit, quàm ad Kebeccum conſiſtere, plenioris inſtitutionis causâ, quam quidem ita deferebant Patres, vt pollicerentur præterea, nihil neque ad alimenta corporis,

ANNVS MDCXXXVI.

neque ad morbi remedia defore: verùm, adduci nullo modo potuit mulier in ſuam perniciem pertinax, vt ſubſideret. Eam obſtinationem propoſiti deteſtatus Catechiſtes, monuit tamen ſeuerè eum à quo trahenda mox erat, caueret ſedulò, ne quid in miſeram committeret, ne-ve (quod eſt illis perfamiliare) in vaſtis illis nemoribus deploratam enecans, inutili ſe pondere liberaret. Nec verò quiſquam violentas ei manus attulit: ipſa, vltrò, an caſu, ſui carnifex, nocte concubiâ, ceteris omnibus altiſſimo ſopore depreſſis, in ſuum exitium vigil, dum aſſurgere è grabato conatur, in ignem, vt erat ſanè luculentus, cùm corruiſſet, nullo quoquam opem ferente, momento flammarum vi præfocata eſt.

Monte magnij Noua Francie Prafecti aduentus.

VT AD LÆTIORA ţedeamus, ad III. Id. Iunias aduenit Kebeccum Monte-magnius, Eques Melitenſis, rem Nouæ Franciæ ſummo cum imperio adminiſtraturus. Cùm horas aliquot in naui ſubſtitiſſet, iactis noctu anchoris, vbi primùm diluxit, vulgatâ famâ Gubernatorem adueniſſe, qui ante dies iam aliquot ex præmiſſis Tadoſſaco literis expectabatur; ad eum continuò officij causâ Patres adiere; & ſecundùm mutuæ ſalutationis officia, rectà ad ſacram Ædiculam, gratijs de more ſoſpitatori Deo agendis deduxere. Inter eundum, vt defixam Crucem fortè conſpexit; Hæc mihi, inquit, omnium prima his in tractibus occurrit; Crucifixum ſuâ in imagine veneremur. Nec mora: in genua procumbit, cum eóque tùm cohors tota, tùm quotquot ſalutaturi conuenerant. Ad Ædem dein adfuit Caſtri-fortius, is qui vicariâ operâ rem Gallicam interim procurauerat, cum Arcis clauibus. In eam vix pedem Monte-magnius intulerat, feſto fragore ſcloporum bombardarúmque, vicina circà vel fluenta, vel nemora perſonante, cùm gratâ interpellatione aditur, de indigenâ, qui Baptiſmum æger votis omnibus expetebat, ſacro fonte ſuſcipiendo. Ego verò, inquit, perlubenter: nec mihi quidquam accidere queat optatius, quàm ſi in ipſo demandatæ Præfecturæ ingreſſu aditum erranti in caulas Chriſti IESV ſubminiſtrem. Tum lætos lætior ipſe ſubſecutus, frequenti Francicæ nobilitatis agmine, ad iacentis tuguriolum rectà pergit, ſtupentibus Barbaris, proſelyto autem vel maximè, magnum Ducem, qui proximè è Galliâ adueniebat, tanto nec opinantem honore dignari,

ANNVS MDCXXXVI.

vt ſuſceptoris partes, eius in Baptiſmo obire planè vellet. Ac ne quid ad honeſtandam cerimoniam deeſſet, Petrum Caſtellanium, vnum è Gallis Sacerdotibus Societatis IESV quos claſſis aduexerat (cum eo enim Sacerdotes alij duo aduenerant, Carolus Garnerius, Iſaacus Iogueſius: Nicolaus Adamus, item Sacerdos, Ambroſius Cauuetus Laicus, paulò poſt aliâ in naue ſubſecuti) rogat ex eadem Societate Catechiſtes, arrideret-ne eidem illi Neophyto ſuâ manu ſacram aquam infundere? Cùm annuiſſet, ventúmque ad ægri caſulam eſſet, incredibili omnium gaudio, illius autem vel maximè; cuius hîc potiſſimùm partes agebantur, cooptatur in Chriſti familiam Ioſephus (id enim nomen inditum) ritè priùs conteſtatus dolere ſe vel quod ſanctiſſimum illius Numen peccando violaſſet, qui noſtra cauſâ humanos induiſſet artus, vel quod tàm ſerò is cognitus ſibi eſſet. Monte-magnius autem ſuper prandium (etenim horis matutinis hæc perfecta) in diſcumbentium coronâ profeſſus eſt palàm, iam tum tantum ſibi honoris in Nouâ Franciâ obtigiſſe, maiorem vt ſperare; voluptatis oblectationiſque tantum, liquidiorem vt nequiret optare. Dein, à ſacris conuerſus ad ciuilia, illud primùm animo deſtinauit, quæ ritè Camplenius in muniendâ Kebeccenſi Arce inchoaſſet, ea promouere pro viribus. Quoniam autem eſt hæc adhuc primaria Gallorum in Nouâ Franciâ vel ſedes, vel munitio, haud abs re fuerit eius hoc loco ſitum, delineationémque tradere.

Arcis Kebeccenſis ſitus & forma.

MAGNI FLVVII fontes versùs progredientibus ab Oceano, haud procul ab eo loco, vbi Galli conſtitere, occurrit Inſula Aurelianenſis. Prætergreſſis, ad læuam fluit amnis S. Laurentij; ad dextram S. Caroli fluuiolus. Ad confluentem, Promontorium aſſurgit, *Saltum Nautæ*, vulgò vocant, ab Cane huius nominis, qui ſe aliàs ex eo loco præcipitem dedit. Huius in Promontorij crepidine Arx ædificata. Et initio quidem, vt tenuia ſunt rerum vel magnarum primordia, vallum potiùs, quàm Arx fuit, ſtipitibus vtcunque inter ſe commiſſis, exiguáque glebâ coalitis, operâ, curáque Camplenij: quæ moles rudis, indigeſtáque cùm ad hunc annum perſtitiſſet, à Montemagnio re, viríſque paulò auctiore paulatim diſiecta, ceſſit ei munitioni quæ nunc eſt, longè firmior eadem, & ad artis re-

gulam, normámque exactior. Propugnacula intùs, fabrili opere aptè compacta, ex quercu, cedróque; exteriùs ambit murus craſſior: lacunas admixta virgultis humus omni implet ex parte: in ſummo, per tectum peribolum inambulare miles tutò poteſt: hoſtem arcent impoſita tormenta complura. Subterraneorum cuniculorum, qui nunc per bella tàm funeſtas tàm ſæpè ſtrages edunt, inſidioſas foſſiones perpetua rupes ſubmouet: eadémque ſimul lapides in ædificium ſubminiſtrat, ſimul Arcem foſſâ cingit, quà deſpicit continentem: nam quà amnes confluunt, inacceſſum præcipitium locum per ſe tutatur. Infrà Arcem, ab *Saltu Nautæ* versùs *Promontorium Adamantum*, (loco nomen Adamantum fecit copia haud aſpernabilium, queis ea pars ripæ Magni fluuij ſcatet) planities eſt, excipiendis, nauium oneribus, mercibúſque, ſanè opportuna, &, ſi quadro lapide munias, ad portum habilis planè futura: quippe ſtatio commodiſſima nauibus, Aurelianenſi Inſulâ fluctuum impetum ſui obiectu frangente. Eadem in planitie conſtitutæ apothecæ Gallorum mercatorum: ſeorſúmque, promptuarium Gallorum item aliquot nobilium; acceſſere ſubinde domicilia Gallorum aliorum veterem Franciam nouâ mutantium, nunc huius, nunc illius, vt cuique maximè locus arriſit: neque enim in vnam eandémque ſedem conuenere omnes, ſed alij aliam adamauere, prout agrorum paſcuorúmque allexit opportunitas: hoc quidem anno cum ſuâ vterque familiâ appulſi Galli duo haud ignobiles, Repentignius, Poteriúſque, coloniæ haud mediocre ornamentum addiderunt: vt iam tum Gallicanæ Parœciæ formam aliquam Kebecci agnouiſſe ſe Iuuenæus profiteatur. His proſpectum, artibus ijſdem, quibus in Europâ, ſic, vt, ne puerilis fortaſſe deeſſet inſtitutio, Gallorum liberis erudiendis ludum aperuerit Ioannes Quenius, è Societate Sacerdos: barbaræ puerorum ætatulæ curam ſibi Iuuenæus reſeruauit. Sed quoniam non minor puellarum erat habenda ratio, quòd hinc vel maximè penderet fidei per Chriſtiana matrimonia propagandæ amplificatio, iis quoque, quæ paucæ traditæ à parentibus erant, ſingularis cura impenſa: intereà dum Ædes accurarentur ſanctæ Vrſulæ Monialibus, quibus in diſciplinam darentur; creditæ interim ſunt, certâ penſitatione in victum, cul-

ANNVS MDCXXXVI.

túmque Gallicum, honeſtis coniugibus, eo exitu, vt perinde ac ſi Barbaros parentes non haberent, ita ſuæ gentis ſtudium illud ardentius depoſuiſſe viderentur. Sanè Magdalena à S. Ioſepho, ex iis vna, annos nata nondum quatuordecim, cùm Gallis coniugibus tradita eſſet ad biennium, eâ lege vt ſi deinde videretur, recipere ſe ipſi liceret ad ſuos; & ſub extremos conſtituti interualli dies vrgeret maximopere filiam pater ad reditum; ad eam mentionem planè obſurduit. Inſtat genitor, quódque per ſe efficere ſe poſſe deſperaret, per adoleſcentem popularem tentat, qui virgunculam interpellet de matrimonio. Ergo is ad officia verborum, ſignificationémque honeſti amoris adiunctis muneribus, armillas, inaures, torquem ex conchâ (mundus is eſt muliebris gentium earum) inuitæ, ac reluctanti obtrudit: verùm, cùm neque moleſtum amatorem abigere, neque oblata dona aliter poſſet reijcere; fugâ Chriſtiana Atalanta ſe proripit. Catechumenæ conſtantia (nondum enim initiata erat) Patres facilé perpulit dilati Baptiſmi tempus vt accelerarent. Sed non ſibi defuit hoſtis humani generis: quippè tàm atrociter vexare inſontem cepit, vt horribili deformitate ceu lymphata momento caput rotaret circumagerétque; ſtomacho ſupra modum intumeſcente: ipſa autem totis artubus contremiſcens, in hæc modò verba paucula linguam ſoluebat. *Timeo, expaueſco.* Tertiùm id cùm contigiſſet, & abſentibus quidem Patribus, atque adeò eo tempore quo adeſſe nullus eorum poſſet, agi cœptum de medicâ potione laboranti propinandâ, ad expurgandum cerebrum: ſed nimirum ſemper rem diſtulit eorum qui curam illam in ſe ſuſceperant, obliuio. Videlicet medicina potior facienda fuit: ex quo ſalutaribus Baptiſmi aquis tincta eſt, vnà cum dæmone exceſſit Tartarea vexatio, ſic, vt ne leuiſſima quidem priſtini morbi vnquam deinceps tentatio acceſſerit.

Sacræ Imagines turbarum occaſio.

DE HVRONVM ad Kebeccenſe emporium aditu, nihil huius anni literæ: credo quod conſecutæ deinceps turbæ iam tum exiſtebant. Initium dedit id quod in contrarium valere prorsùs debuerat, religioſus cultus Imaginum. Vix impoſitum tectum erat ei domunculæ, quam Ihonatiriæ extruxerant Patres, cùm incredibilis concurſus ad viſendum fieri cepit vndique. Alliciebat potiſſimùm altare, ínque altari collocatæ

imagines aliquot, myſterijs fidei ceu ob oculos ponendis: earum ad primum aſpectum, mirantium vocibus Ædes tota inſonuit: capiebantur autem vel maximè ſacris tabellis duabus, Chriſti Seruatoris alterâ, alterâ ſanctæ Deiparæ, ad naturalem corporis molem pertingentibus, tantâ artis abſolutione, vix vt ipſis perſuaderi poſſet, nudas eas eſſe picturas. Cùm, quâ primùm propoſitæ ſunt luce, diem totum proſtitiſſent, quotquot deinceps accolæ ex pagis alijs Ihonatiriam ventitabant, eadem cupiditate incenſi, ad Patrum Ædiculam pergere, ſingula curioſiùs perſcrutari; ſuſpicere primùm artem: mox, pro innatâ cuique maledicendi libidine (an Satanæ, illiúſque adminiſtrorum arte & fraudibus) aduerſos ſpargere rumores, peſtilentem luem, quæ graſſari circà ea tempora cepit, ex ijs procul dubio imaginibus exoriri. Hæc tàm vana ſuſpicio cùm ſibilo explodi debuiſſet, tàm atrociter paucorum dierum interuallo increbuit, vt totâ longè latéque regione breuî iactatum ſit, penès Gallos Sacerdotes cauſam mali reſidere, ac tametſi, quantum coniectura tulit, ij à quibus ridiculum commentum emanauit, tàm hebetes non erant, id vt ſibi perſuaderent ipſi, quod alijs perſuaſum omninò vellent; tamen calumniam tàm vafrè exornabant, eorum vt plerique quibus hæc occinebantur, nihil ambigerent, quin ita res haberet. Ergo penè cuncti à Patrum conſortio ſenſim refugere, feminæ, pueríque gens imbellis æquè, & ad omnem credulitatem procliuior, eoſdem execrari, ceu publica catharmata: omnes in circulis conuentibúſque iactare, homines iſtos malis ominibus ad Nationis totius exitium ad ſe penetraſſe. Vni Ihonatirienſes ſub initia Patrum cauſam ſtudiosè defenſabant: ijdem tamen deinde, poſtquam inuidiæ, ſermonúmque flamma vehementiùs exarſerat, ſeu metu, ſeu tædio, innocentum patrocinio deſerto, excuſare apud finitimos factum ſuum inſtituerunt, quaſi graue ſcelus eſſet. Ædiculam vero Deo excitaſſe, & ſedem, domiciliúmque legis ad ſempiternam felicitatem neceſſariæ præconibus attribuiſſe: ſed de his infrà pleniùs. ANNVS MDCXXXVI.

COGIT annos hos duos coniungere Annalium Nouæ Franciæ Gallicè ſcriptorum haud ſatis dilucida ſeries: quorum de rebus, hunc in modum Iuuenæus ipſe. Cùm hîc regnent, triumphéntque ſuperſtitio, barbaries, & peccatum, nos con- ANNVS MDCXXXVII. ET MDCXXXVIII.

ANNVS MDCXXXVIII.

trà, ad ea euertenda machinas quatuor ſanè validas adhibemus. Primò, excurrimus in hoſticum, hoſtem armis ſuis oppugnaturi, hoc eſt notitiâ linguarum idiomatúmque Montani, Algonquinij, Huronici. Deinde medicinæ faciendæ morbis creberrimis, grauiſſimíſque, qui hîc vulgò ſæuiunt, Xenodochium impensè curamus: & iam nunc queat Duciſſa Eſguillonæa, quæ magni operis fundamenta iecit, liberalitatis ſuæ prælibare primitias: etenim qui in ædificationem incumbunt, ijdem hyeme opitulantur ſingulari charitate Barbaris aliquot, omni humano præſidio carentibus: hos autem Barbaros Deus è cælo ſic afficit, afflátque, vt mihi ipſe ex animi mei ſententiâ peroptem exitum ex hac vitâ talem, qualem pro ſuâ benignitate conceſſit vni & alteri ex eorum numero, qui Chriſti cruore per Baptiſmum abluti, in eiuſdem ſummi Dei filiorum album tranſcripti ſunt. Tertiò ſeminaria enitimur inchoare, Huronum, Algonquiniorum, Montanorum: & iam ſingulorum primordia Kebecci videre eſt. Quartò ſiſtere contendimus Barbaros vagos, qui cùm teneri niſi catenis ex auro nequeant (piorum liberalitatem intelligit, eam ad rem planè neceſſariam) vir repertus eſt ſingularis virtutis, qui hos laqueos fugitantibus tendere ceperit. Has machinas, ait, mouent, agúntque aut manus, aut mentes piorum quorundam, & ſummo Deo charorum: atque ij vel hinc conijcere poſſunt, ſuis votis iſtiuſmodi Numen delectari, quod eorum poſtulatis annuit. Tum ſubdit; Ingenuè de puſillâ meâ fiduciâ confiteor: neutiquam in eam ſpem veneram, fore vt meis temporibus tanta in tàm barbaris pectoribus vis, ac virtus diuinæ gratiæ ſe ſe explicaret. Nimirùm hucuſque erant nonnulli, qui Baptiſmum probarent in infantulis dumtaxat, ínque ægrotis ſuis; nunc eundem illi ipſi, qui vegeti, ſaníque, anni partem haud exiguam proximè domicilia noſtra fixi, ac ſtabiles exigunt, & venerantur, & ſibi ipſis adſciſcere ſtudent. Atque hæc tàm repentina, támque illuſtris extitit mutatio, vt illi ipſi qui nullâ penè in ſpe erant frugis Vagorum horumce populorum, fateri compulſi ſint, Deum Gallorum, eundem Deum Barbarorum eſſe. Vt nihil de ijs dicam, qui apud Hurones fidem ſuſceperunt, ſuprà centum & quinquaginta intrà huius anni curriculum baptizati.

PLANÈ

PLANÈ DIGNA RELATV Franciſci Xauerij conſtantia. Is cùm iamdiu vt reſcitum ex ipſo poſteà, fidei cupiditate arderet, verùm, prauo noxióque pudore deterritus, conſilium premeret ſuum, neque ad Patres adire, ſed à Patribus accerſiri ſe vellet, tandem cùm de Negabamato populari, & familiari ſuo cognouiſſet, Patres in id magnopere incumbere, vt aliquid expediretur, vnde vaga eorum licentia certæ ſedi affigeretur, adit ad Iuuenæum, exponítque, ſe inde vſque ab adoleſcentiâ, aliquâ notitiâ; verùm obſcuriore, præditum fuiſſe eorum quæ ab ipſis traderentur. Sic enim ſecum ratiocinatum; *Aliquem procul dubio eſſe, qui hanc rerum vniuerſitatem ſit molitus, à quo pendeamus mortales, qui vitam & tribuat primùm, & tributam deinde neceſſarijs ſubminiſtrandis alimentis conſeruet, cundémque prauos auerſari: illum ſe magnopere noſſe concupiſſe; atque adeo exultaſſe lætitiâ, vbi primùm Patrum de eo oratio ad aures acciderat: idcircò ſe totâ hyeme apud Patres confeſſurum, quò de ſummo illo procreatore & vberiùs inaudiret, & planiùs.* Sed ecce tibi, ſemper vt conſtent diuina oracula; Qui piè viuere inſtituat, eum rebus aſperis fatigatum iri, vix Catechumenum erat profeſſus, cùm morbus popularis eius florentem familiam repentè ſtratam depopulatus eſt. Intrà dies paucos femina anus, quæ rem domeſticam procurabat, extinguitur, aquâ tamen ſalutari expurgata priùs, ringente Satanâ, qui, quantum conijci potuit, eâ nocte quæ eius Baptiſmum anteceſſit, vrſi formâ caſam ſubeuntis, territare vigilem aggreſſus, vbi hæc Dei opem per preces inclamauerat, apparere imbellis tenebrio deſiit. Paulò pòſt, vxorum alteram, atque ex liberis duos mors importuna rapuit: ſubſecuti aliquot ex conſanguineis, affinibúſque, item domeſticis: horum in funeribus pugil ſtrenuus eâ ſe conſolatione ſubſtentabat, eorum neminem è viuis antè exceſſiſſe, quàm in Chriſti familiam per regenerationis lauacrum cooptatus eſſet. Sed nondum ærumnarum finis: ipſe eadem lue correptus, in diſcrimen vitæ venit: cúmque minimè putaretur euaſurus, filius primogenitus, inſigni barbaræ feritatis documento, eum laboranti dolorem importauit, vt quam prorsùs nollet pater, vxorem duceret. Quid hîc faceret homo ab omnibus deſertus? nihil remittit de ſuâ in Deum fide, nihil de Dei in res ſuas fiduciâ: obtunderetur

• ANNVS MDCXXXVIII.

Neophytorum aliquot in aduerſis conſtantia, & Fides in Deum.

ANNVS. MDCXXXVIII.

licèt impijs popularium vocibus, illud aſſiduè occinentium; Tandem ipſum experiri, perinde eſſe ruere ad mortem, perniciémque voluntariam, & aquam illam exoticam expetere, tamen totum ſe Patribus tradit, permittítque, quidquid tandem Deo de ſe videretur ſtatuere, optimum fore interpretatus. Nec defuit merenti Chriſtiana charitas: excepto peramanter à Patribus, Monte-magnius omnia morbi fomenta benignè, liberalitérque adhibuit: ſi remedia ſpectes, quidquid artis in ſe fuit, Medicus, Chirurgúſque exprompſerunt; ſi cibos, præter condita bellaria, perdices inſuper, auiculáſque exquiſitiores, ipſe ſibi detractas in dies ſingulos languenti miſſitabat. Vincebat tamen morbi pertinacia, ſic vt ſub ineuntem Decembrem tùm alij, tùm ipſe potiſſimùm proximè ſe ab obitu abeſſe crederet. Ergo conuocatos filios, quos relíquos lues fecerat, hunc in modum compellat vir celſi animi. *In Deum creditote, filÿ mei, paterníſque veſtigÿs hîc quidem inſiſtite: ego ſic in eum credo, vt ſi his oculis præſentem intuerer. En, a tum de vitâ meâ: vbi humo mandatum corpus meum fuerit, ad Patres applicate vos, eíſque morem gerite. Illud prouidete ſingularem in modum, ne quâ in re Dei offenſionem ſuſcipiatis: id ſi ſeruaueritis, nolite dubitare quin fidiſſimum illum ſitis experturi adiutorem. Hæc oratio lacrimas audientibus elicuit:* ipſe, ſedere iuſſis filijs, enixiſſimè Baptiſmi gratiam à Patribus inſtitit flagitare. Approperate, aiebat: ecce, morior, geſtit animus in cælum euolare. Et voti compos aliquando factus, ipſo feſto die S. Franciſci Xauerij, quod felix fauſtúmque eſſet, ab Iſlæo Equite de ſacro fonte ſuſceptus eſt, & tàm decoro nomine inſignitus; tanto ſenſu accepti beneficij, vt neque ipſius deprædicandi, neque ijs à quibus collatum erat, gratias agendi finem vllum faceret. Poſt octiduum, cùm ad eum Monte-magnius Iſlæúſque cum Iuuenæo adijſſent, quid ſibi pridie eius diei ſub veſperum accidiſſet, hunc in modum Iuuenæo expoſuit. *Cùm de Deo cogitarem*, inquit, *repentè me lux quædam clariſſima circunfulſit, obuerſatúſque eſt oculis meis ſingularis ille decor, de quo mihi ſæpenumerò prædicaſti, celeſtis regiæ, domúſque ſummi illius Imperatoris, à quo cuncta creata: eáque imago incredibili me voluptate perfudit aliquandiu: mox euaneſcente & fulgore, & gratiſſimo rerum obiectarum ſpectaculo, cùm terram versùs oculos deieciſſem,*

ſucceſsit tuenti vorago altiſsima eadem, & planè horribilis, quæ me metu concuſsit tàm vehementi, vt tanquam flante vento, arborum frondes, ſic totis artubus contremiſcerem. Et inaudire mihi videbar qui admoneret; Caue eò pergas: ſed nimirùm vel abſque monitore nihil mihi antiquius erat, quàm vt ne accederem. Et abſceſsit quidem poſtmodum, perinde ac lux illa ſuperior, ſimulacrum atrox; manſit tamen metus tàm inſolens, vt vix me mei compotem eſſe ſineret: nunc illud eſt mihi prorsùs certum, conſtitutúmque, totâ deinceps ætate & credere, & obtemperare Deo: tu noſtro huic Gubernatori confirma me intimè credere. In re nouâ & mirabili ſuborta nonnulla fraudis ſuſpicio: vafro ſiquidem ſunt ingenio Barbari ac perſæpè obiecta ſibi plurima mentiuntur: eò, viſum hominem partes in omnes verſare: num conſtaret ipſe ſatis ſibi: num nunc hoc, nunc illo modo rem exponeret, addendo, detrahendo-ve: num metum ſimularet, an re ipſâ perculſæ, attonitæque mentis indicia in vultu, ínque oratione extarent. Addita interminatio diuinæ ſeueritatis, ſi quid tali in re per impoſturam fingeret: ſed in dicto ſemper conſtantiſſimè tùm ſermone, tùm habitu perſtitit. Quinetiam cùm minæ eædem animam iam iámque, vt putabatur efflaturo, intentatæ denuò eſſent, territus aſſurrexit vt potuit, & vultu graui; Omni, inquit, aſſeueratione confirmo rem ita planè habere, vt eſt à me expoſita: in vitâ minimè vobis fucum feci: in morte non committam vt mentiar. Tres ipſos menſes morbus tenuit, quo interuallo & liberis identidem adſtantibus monita ſalutis impertiebatur ſanè mira: & ſolus eas crebro voces auditus vſurpare, Deum appellans; *Dominus meus es: de vitâ meâ, déque morte, tuo arbitratu ſtatue: videndi tui ſtudio mortem expeto: vitam prorogari mihi ad liberorum ſalutem cuperem: quidquid erit, vel à meis omnibus deſertus, nunquam te deſeram.*

ANNVS MDCXXXVIII.

DVM SE eum in modum ad exitum è vitâ comparat plenus Deo Neophytus, contrà ſpem omnium, quo maximè tempore conclamatum Medicus pronuntiabat, & tanquam deplorato nihil negabatur eorum quæ expoſcebat, leuando faſtidio; releuari ſenſim, mox reualeſcere, incredibili gratulatione Gallorum, Barbarorum ſtupore, confiteri denique coactorum, vaniſſimam fuiſſe ſuperiorem perſuaſionem, quem vnda illa Gallorum contigiſſet, illius vitâ continuò actum eſſe.

ANNVS MDCXXXVIII.

Ipſe iam ſoſpes, & propè è tumulo erutus, gratijs piè & religiosè benigniſſimo liberatori actis, quanquam ſeriùs, venatum tamen pergit, de more in annonam, cùm diu antè populares ad vnum omnes præceſſiſſent: &, quod admiratione non caruit, intrà breuiſſimum interuallum plus prædæ cepit, quàm ſex ipſi ceterorum venatorum vel præſtantiſſimorum. Vt intelligeret tamen, Deum eundem quem venerabatur, cunctis rebus pro nutu moderari, redeuntem cum familiâ, procella atrox intercepit mediâ in fluminis quo iuuehebatur, glacie, tàm præſenti diſcrimine, vt è canois vna cæſæ alces carnibus onuſta, ante oculos pauitantium depreſſa perierit. Ergo ad preces ſimul ipſe, ſimul familia tota conuertitur, tàm ſecundo euentu, vt ſalui incoluméſque ad vnum omnes denique emerſerint. Cùm à Gallorum ſtatione proximè abeſſet, quod è familiâ nonnullos languidiùs in orando ſe adhibuiſſe, obſeruarat, En, inquit, haud procul abeſt Gallorum domicilium, cuius domicilij me particulâ aliquâ exceptum iri polliciti ſunt: ſi cui veſtrum deeſt ad credendum animus, abeat ſanè cum annonæ parte aliquâ, ſéque aliò recipiat: etenim planè mihi certum eſt neminem retinere, qui non ex animo fidem in Deum amplectatur. Ex vxoribus quas ante Baptiſmum duas habuerat, altera vt diximus, cùm Chriſtiana obijſſet; cum alterâ, cúmque ſorore de complectendâ verâ religione agebat frequens: cum hac haud diu certandum fuit: quippè & ſe iam tum credere profeſſa eſt, & paulò pòſt Baptiſmum ſuſcepit: cum illâ moleſtior, diuturniórque dimicatio fuit, hebetiore eadem, & obſtinatiore: quoniam tamen nonnihil flecti viſa, repudiare miſellam noluit. Inter hæc ſuccendi Neophytus ſacræ Euchariſtiæ deſiderio, quò ſe arctius IESV Chriſto manciparet. Nec viſum Patribus abnuere, quando incenſa viri pietas, in dictis, factíſque, & omni vitæ conſuetudine conſtanter elucebat. Et quoniam appetebat feſtus dies Corporis Chriſti, optimum factu viſum, ſi quâ luce ſolennes honores tanto myſterio inſtaurat Eccleſia, eadem primùm Franciſcus Angelorum cibo reficeretur: atque vt id ipſum dignitatem haberet apud Barbaros, auctor Monte-magnius Patribus fuit Neophytum eo honore dignandi, vt ad vmbellam ſecum geſtandam adhiberetur: quo ſpectaculo nihil admodùm

aptius fuit vel ad popularium animos capiendos, vel ad Chriſtianam animi demiſſionem in Monte-magnio teſtificandam. Acceſſit feſta tùm ſcloporum, tùm bombardarum maiorum exploſio, & certis interuallis arulæ diſpoſitæ, vbi Sacerdos identidem vel ad pompam, vel ad leuamen interquieſceret, Barbaris cunctis demirantibus, Franciſco cæleſtis voluptatis copiâ colliqueſcente. Id adeò eius ad Patrum vnum oratio confirmauit, ad quem cùm ſecundùm ſacra myſteria adiiſſet. *Iam*, inquit, *nulla me ſollicitudo fatigat rerum harumce, quas oculis in terrâ vſurpamus: egens deinceps, an opulentus ſim; valens, an æger parùm refert, quandò & cælum patet. & ad me venire dignatus eſt ſummus meus Imperator. Si à vobis pellerer, ſi à veſtro Præfecto reijcerer, ſi cuncti noſtris hiſce regionibus excederetis; non tamen Deum deſererem.* His artibus perfectum, vt patrisfamilias exemplum ſobolis pars maxima ſecuta ſit. Illud in Annâ, filiarum vnâ, ſpecimen Chriſtiani candoris, Europeis noſtratibus probro quandoque futurum; cùm ad Sacramentum Pœnitentiæ aliquando acceſſura, inſtitueretur denuò à Confeſſario, illud inter cetera verbis grauiſſimis inculcante; Caueret etiam, atque etiam, ne quid celaret; Quid, ait admirabunda, ac ſtupens virguncula, an non mihi compluries denunciaſti, quæ peccata in Confeſſione exponantur, ea Deo declarari, audiente Sacerdote? Deo autem mentiri quî poſſim: aut, qui omnia norit & contueatur, hunc aliquid omninò celare?

ANNVS MDCXXXVIII.

NEC MINVS eluxit vis gratiæ, in adoleſcente, qui cùm in graui & periculoſo morbo Baptiſmum flagitaret, iuberetúrque in dies præſtolari, quòd cùm à naturâ ferox eſſet, & ſuperbiſſimus, metuebatur ne ſi è morbo emergeret, fidem per apoſtaſiam deinde abijceret; Nec vos, inquit, mei miſeret? an non ipſi me ad certum exitium propediem abducendum cernitis? En, ſemianimum ſecum parentes in ſiluas trahent: tum, quod tali loco ac tempore vſurpari vulgò ſolitum: aut iniectâ collo reſti necabunt, aut in illâ nemorum vaſtitate deſtituent ſolum. At illud ex te viciſſim percontamur, ſuſcepere Patres: ſi reualueris, perſtabis in fide? Ne mihi verò, ſubiecit, mentionem vllam valetudinis recuperandæ feceritis: actum vitâ meâ: tanquam proximè animam efflaturus, ſic à vobis Baptiſmum expoſco. Quis tàm ferreus hîc fuiſſet, qui

ANNVS MDCXXXVIII.

non ardentibus ſupplicis votis acquieſceret? Baptizatur ergo: cúmque artus illicò reclinare iuberetur, quod id planè exigere videretur proſtratarum virium ratio; *Sinite*, inquit, tantiſper, dum Domino Deo meo gratias egerim pro ſingulari munere, quo me in præſentiâ dignatus eſt. Mox raptatus in ſiluas, non eſt enectus ille quidem, verùm, omni omninò ærumnarum genere exercitus. Vix hærebat oſſibus, & cute extimâ, ínque rerum omnium, præter vulgarium cibariorum demenſum quoddam, deſtitutione: ad arboris truncum à ſuis applicitus, ſolus aliquando dies, noctéſque egit in cortice, qui pro culcitrâ idem, próque veſte & domo erat; tantâ interim Chriſtianæ patientiæ ſignificatione, vt interdum, diuinâ quadam conſolatione perfuſus, in has voces erumperet: Ego mortem minimè reformido: tum cutem vellicans horrentem iam, furuámque, Non hoc, aiebat cadauer diligo, ſed cælum: eò cogitationes omnes, conſiliáque refero; quò animus meus euolaturus eſt. Interim aduerſum rumorem ſpargere de eo Barbari, miſerum, lemurum inſtar, homines vorare, ac ſi quis accedere tentaret propiùs, in eum inuolare conari. Quæ vbi comperta Patribus, ad Iobum adeunt, in fimeto ſcilicet, tantámque conſtantiam demirati, afferri ad ſe vix ſpirantem curant, & omni humanitatis genere complectuntur. Ita paulatim cepit reuiuiſcere deploratus ægrotus, & ex eâ res aduerſas ferendi palæſtrâ fortior, ex eremo Eccleſiaſtes ad ſuos, inſigni fidentiâ populares vrgere ad fidem inſtituit, eorúmque corruptos ſanè mores carpere, & immemorem beneficiorum à Deo acceptorum animum: atque vt illud repræſentaret quod monuit pridem Sapiens; *Iuſtus prior eſt accuſator ſui*; crimina flagitiáque à ſe ſuperiori ætate concepta commemorabat, damnabátque, ijs affinia quæ carpebat in alijs.

Prou. 18.

ILLVSTRIOR DEI beneficentia in Paulum, adoleſcentem rudem primùm ac contumacem, pòſt eximiæ ſanctitatis. Gandæus quidam fuit, Gallus, homo inſigniter pius, támque ſtudioſus Barbarorum Canadenſium; vt ijs ad fidem aggregandis fortunarum ſuarum maximam partem impenderit. Is antè biennium ſortem aſperam infelicis miſeratus, fame, frigore, morbo penè confectum recreat: nam tametſi honeſto, vt inter ſuos, loco, eius parentes erant, tamen ex innatâ vel

leuitate, vel atrocitate, ab ijs derelictus, pro deplorato haberi poterat. Sed non tulit Gandæi charitas extremum perditi infortunium: nec opinantem hoſpitio excipit, veſte donat, alimenta hinc inde conquirit, tum Patribus tradit, inſtituendum in fide: verùm, ſurdo fabulam: cùm cibum adhuc quæreret qui perit, non qui permanet in vitam æternam, tradebat ille quidem memoriæ, atque adeò intelligentiâ comprehendebat quæ de ſacris myſterijs inſtillabantur: Fidem vt ſeriò amplecteretur, adduci nullo modo poterat. Has moras poſtquàm in hyemem, æſtatémque extraxerat, per autumnum ſubinde, cùm de gentis more eliciendo ſudori vaporarium ſubijſſet, impegit incautus in candentes ſilices, vnde locus æſtuabat: & in illâ ſcilicet omnis omninò adminiculi deſtitutione, quacunque ſe verteret, nihil niſi fauillas prehendens, contingens-ve, ſemiuſtulatus, poſt diuturnam conflictationem erepſit denique, vultu, atque adeò toto corpore tàm fœdè deformato, eius vt ad intuitum quiſque cohorreſceret. Ergo in tàm calamitoſæ ſortis cogitatione defixus, ſolicitúſque de inſtanti hyeme, cuius ad exitum nequaquam peruenturum ſe nôrat, niſi Gallorum miſericordia opem ferret, implorare crebro oculorum coniectu Patrum benignitatem, & quod voce minùs audebat, ſignificare nutibus, ſe demùm dicto audientem fore, ſi ab ijs admitteretur, tum ad infimas preces deſcendere: quæ cùm ficta omnia Patres putarent, & ad tàm graues ærumnas declinandas pro tempore compoſita; exorari ſe minimè ſinebant. Sub idem tempus tamen, cùm Patres qui ad Trifluuium verſabantur, per literas à Kebeccenſibus petijſſent, ſi quem indigenam adoleſcentem ad manum haberent, ad ſe mittere ne grauarentur, hyemem ſecum exacturum, ſic vt erudiretur viciſſim, & erudiret, dúmque imbueretur ſacrorum notitiâ myſteriorum, vernaculæ linguæ vſu confirmaret præceptores ipſe ſuos. *Quis cognouit ſenſum Domini?* alij atque alij ſubinde ituros polliciti, cùm fefelliſſent, ventum denique ad reiectitium illum: ità, quod magis idoneus nullus repertus, viſum mittere qualis erat. Et ingenti quidem beneuolentiæ, & charitatis ſignificatione exceptus ab ijs eſt: neque ſumptibus pepercerunt, neque operæ, ad ſemi-viuum cadauer inſtaurandum: donec & vires rediere, & abſceſſit magnam partem deformitas. Sed ingratus

ANNVS MDCXXXVI.

ANNVS MDCXXXVIII.

animus, tótque ac tantorum beneficiorum immemor, ad omnem fidei mentionem obſurdeſcebat, graui Patrum tædio, quos noxius tepor incredibilem in modum angebat. Itaque cùm humanarum artium nulla ſatis procederet, vertuntur ad Deum, deprecatore potiſſimùm. S. Paulo, vt Conuerſionis eius dies agebatur: ac ſuper vota quædam alia, ſacrificium eo nomine peragunt. Atque hîc demùm eluxit in miſero, mutatio dexteræ Excelſi: momento flexus eſt ad pœnitentiam, deteſtationémque flagitiorum, ac ſcelerum, tàm ſeriam, vt rigente hyeme, horas quotidie complures exigeret in ſacello, vi quadam occultâ trahente; & vltrò ſeueriora ſibi ieiunia præſcriberet, reiectâ clàm parte non modicâ eorum quæ ad victum quotidianum traderentur: Baptiſmi autem tàm incenſum deſiderium præ ſe ferret, vt in horas flagitaret ſacrum ac cæleſte remedium, vndè laboranti animo medicina fieret: onus interim Ætnâ grauius ſe circunferre dictitans. Nec minùs mirum illud, quod cùm anteà tardiſſimi ingenij fuiſſet, ac penè plumbei, viſus derepentè lynceam quandam perſpicacitatem adipiſci, circà fidei potiſſimùm myſteria: quæ vt primùm propoſita erant, intelligentiâ facilè comprehendebat, ſtupentibúſque Patribus; Nolite, ait, mirari: eſt id beneficium Angeli Cuſtodis mei, cuius opem imploro, quoties me ad ſacram Doctrinam accerſitis. Vt primùm item ab ſuo Catechiſtâ inaudijt, IESVM Chriſtum in Euchariſtiâ reapſe adeſſe, exultantis cuiuſdam lætitiæ ſignificatione; Nunc, inquit, mirari deſino, vnde ſuauiſſimus ille ſenſus exiſteret in animo meo, quoties fundendis precibus ad ſacram Ædiculam itabam: quò accedebam propiùs, hoc maior fiebat intùs in animo meo acceſſio liquidæ voluptatis, nec vnde ea oriretur, deprehendere ſatis poteram. Necdum tamen ſatis ſibi factum putabant Patres: quare, quò penitiùs eius conſtantiam pertentarent, illud interminando denunciarunt identidem; Caueret ne quem Baptiſmum tàm auidè concupiſcere ſe prædicaret, is cauſa eſſet interitus: Deum enim mortis ſupplicio ſimulationem eius vlturum. Ad quæ, hæc totidem verbis Catechumenus; *Si non niſi ſimulanti mortem allaturus Baptiſmus eſt, nihil eſt cur mortem metuam: quanquam ſi corpus hocce necaturus prorsùs eſſet, nihilo tamen ſeciùs eum expeterem, quò infelix*

anima

ANNVS MDCXXXVIII.

anima viueret. Atque vt factis orationi adstrueret fidem, cùm ex venatione ferinæ copiam haud exiguam consanguinei per Quadragesimam attulissent, significaretúrque à Patribus, ijs carnibus vesci ipsum posse, quippe nondum initiatum; Vos, dum ab ijs abstinetis, facitis, inquit, ex alicuius boni prosecutione: ego illud, quidquid est boni, quidni mihi conciliem? Sed accessit grauior, asperiórque à Deo tentatio: quo tempore cuncta parata ad Baptismum erant, ecce tibi oculorum aciem noxius humor illabens ità corrumpit, ac debilitat, vt penè pro cæco haberi posset: vix enim gressus ipse regere suos per illam caliginem quibat. Neutiquam tamen de suâ constantiâ dimotus est: nec, quod metui meritò poterat, diabolo locum dedit: quin cùm ex eo percontarentur Catechistæ identidem, eâ-ne oculorum orbitate angeretur? Minimè verò, inquit, sic enim mecum reputo, neutiquam me mei arbitrum esse, sed Deum: ei proinde cuncta permittenda: cùm parens noster, ac procreator sit, è re nostrâ cuncta administraturum: atque vt nisi superiore autumno vstulatum corpus hoc esset, anima per subsequentem hyemem in ignes ruisset sempiternos (neque enim mortem in illâ rerum omnium destitutione debilis, ac languens effugere potuissem) sic nisi aspectu rerum earum quæ in terrâ sunt, frui desijssem, mens cæli fortè conspectu careret. Quæ cùm intrepidus iteraret, aggregatus denique est sacro Baptismate ad cœtum Fidelium: Paulúsque ex Patrum voto nuncupatus. Paucis pòst diebus quàm regeneratus erat, quod ingraueſcente annonâ, Patribus qui ad Trifluuium versabantur, vix supererat vnde indigentioribus alijs adesſent, remissus ab ijs Kebeccum Neophytus est cum literis, quibus & id ipsum de caritate, seu potiùs penuriâ cibariorum significabatur, & multa addebantur ad mœrentis commendationem: illud potissimùm, facerent, si quo modo possent, medicinam laborantibus oculis. Sed nondum ærumnarum finis; quo ipso die aduênit, obiitque piè ac religiosè Sacramentum vtrumque, Pœnitentiæ, & diuinæ Synaxeos, Dei seruulum morbus inuasit tam atrox, vt eâ ipsâ luce animam efflaturus crederetur: accersitúsque trepidè Iuuenæus, qui morienti adforet. Hic in popularium complurium oculis rogatus inter cetera; Num instantis mortis metu aliquo teneretur: quamuis virium

ANNVS MDCXXXVIII.

penè nihil ſupereſſet, ſubridens tamen ore placidiſſimo, in hæc omninò verba reſpondit; *Baptizatus nec mortem metuo, nec cacodæmonem. In Deum niſi crederem, extimeſcerem vtique: nunc vna illa formido ſupereſt, ne quam illius offenſionem ſuſcipiam.* Vrgent, quærúntque, nullo-ne ſaltem vitæ diuturnioris deſiderio teneretur? *Illud*, inquit, *exquirite potiùs, quantâ exultem lætitiâ, qui adcælum pergam. Illos angat appropinquantis mortis metus, qui nullâ Dei fiduciâ nituntur: ego eius & ſermonibus credo, & bonitati confido: idcircò nullus me mœror deÿcit.* Quæ cùm conſtantiſſimè ab eo dicerentur, demirari videlicet circunſtantes Barbari, animum in populari ſuo tàm exaggeratum: incredibilis autem tum demum ſtupor fuit, cùm quem conclamarant prorsùs, eum poſt paucos dies ſanum, vegetúmque ſuis ipſi oculis conſpexere.

PERSIMILIA complura prætermittere, cogit tædij in legentium mentibus metus: quanquam quis tàm faſtidioſo ſtomacho eſſe debeat, vt quæ præpotentem Deum iuuat tàm multoties faciendo iterare, eorum commemoratione non delectetur? ſed ea eſt naturæ noſtræ moroſitas: paſcitur varietate. Nefas tamen præterire quod ſequitur: ſceleríſque meritò argueremur, ſi tàm illuſtre diuinæ benignitatis documentum ſilentio inuolueremus. Iuuenis quidam natione Algonquinius, antequam quidquam vnquam de Deo inaudiſſet (nam ab Gallorum ſede longiùs eius patria aberat) Deo tamen ipſo intimis in præcordijs commonefaciente, quæque ab hominibus poſtmodum ſuggeſta ſunt, per ſe tradente, ſic identidem ipſe ſecum ratiocinabatur, cùm è morbo emerſiſſet, qui populariúm pleroſque ſtrauerat; *Eſt profectò in hac rerum vniuerſitate præpotens aliquis, à quo mihi præſtita ſit incolumitas: neque enim aut medicamenti quidquam adhibui, quod alij prætermiſerint, aut corpus hocce aliam temperationem habet. Hunc ego benefactorem meum vt noſſe velim!* Idem manum aliquando altè contemplans ſuam, hæc omninò proloquebatur; *Non ego hanc manum conformaui, non hos diſtendi digitos: ſed ne parentes quidem mei; Ecquem enim indere motum queant ſuis ipſorum opificÿs? an remum, an canoam, aut quidquam omninò aliud efficiant, quod per ſe arcanâ quadam motione, ad eum modum quo hi mei digiti, aut concludatur, aut pateſcat? Eſt, eſt eximius opifex aliquis, qui tàm præclara moliatur,*

ANNVS MDCXXXVIII.

támque mirabilia : vtinam adſit qui me pleniori illius cognitione imbuat. Animo hunc in modum comparato, ad ſtationem Patrum Trifluuianam fortè deſcendit fortunatus adoleſcens: ac vbi primùm diſputãtes inaudijt de ſummo vniuerſitatis conditore, exarſit nimirum intimè, vtque pleniùs tàm ſanctam cupiditatem expleret, ad eos adit priuatim: quò plura audit, eò accenditur vehementiùs: binis in dies ſingulos quaſi ſcholis inſtituitur: ſecundùm inſtitutionem, in ſacram Ædiculam, cum bonâ moderatorum veniâ, pergere mos fuit, luci è cælo infimis precibus accerſendæ, ad ea quæ tradita proximè erant, cognoſcenda penitiùs: illinc, in ſiluas, ac nemora abdebat ſe ferè, commentandis ijſdem: mox ad tugurium reuerſus, pari ardore, & modeſtiâ quæ de Patribus acceperat communicabat cum ſuis. Exin, in fide iam vegetior, epulum dare conſtituit popularium ijs, quorum erant circumpoſitæ hac, illac caſulæ: congregatóſque, hunc omninò in modum compellat; *Vos ego, Populares, accerſendos idcirco putaui, vt hoc in conuentu palàm conſilij mei aperiam rationem. Certum, fixúmque mihi eſt, nuncium iam nunc remittere inanibus, veſaníſque gentis noſtræ ſuperſtitionibus. Itaque nec canam deinceps, nec inconditos clamores ciebo, qualibus conuiuia vulgò noſtra perſonant: ſed quem Deum agnoſco rerum omnium procreatorem, eum per preces venerabor, eorum ipſorum, quæ vobis pro beneuolentiâ, veſcenda prolixè offero, largitorem. Veſtrum eſt ſtatuere, num præeuntem ſequi, animum inducatis.* Hæc totidem ferè verbis concepta, alia ſcilicet omnia cogitantes opinione vehementiùs perculerunt. Ergo attoniti, deiectis oculis precationis verba ritè concipientem ſubſecuti, nec in contrarium muſſare quidquam auſi, quiſque pro ſe quæ voce præibat reddidere. Nec minùs mirandum in Barbaro, quòd munuſcula ex charitate non modò oblata, ſed etiam ingeſta à Patribus, ſempiternæ illius ſalutis perſtudioſis, planè repudiauit, abſtinentiâ, (ſi gentis naturam ſpectes, non auidiſſimam modò, ſed etiam furacem) ſanè mirabili. Ego, inquit, ſummi Dei cognitionem à Gallis exquiro, non munera: ſi quid accipiam prætereà, dictitent illicò mei populares, non in Deum me, ſed in vos credere. Ceterùm, nec hæc, neque quidquid facultatum habetis, vitam mihi conciliare ſempiternam queat. Vnum eſt, quod quidem ſi concedetur, in

ANNVS MDCXXXVIII.

ſingularis beneficij loco ponam: vt ſedem penès vos fixam & ſtabilem collocare mihi liceat, quò de Deo diſſerentibus, aſſiduè auſcultare poſſim. Audio eos in vſus domum iam ad Kebeccum exædificatam: ſignificate quæſo, ei veſtrûm qui illîc preeſt, id mihi concedere ne grauetur, cuius copiam alijs facturus dicitur: verùm, ità ſignificate, vt intelligat, me, etiamſi minùs eum exorauero, nihilo tamen ſeciùs in Deum crediturum. Non is veſter, aut omninò vllus mortalium animam mihi donauit & vitam, non is peccata à me perpetrata ignoſcendo abolebit: etiamſi veſtrûm nemo hîc ſupereſſet, nunquam committerem tamen, vt deſererem Deum: illud addo: ſi Galli, quotquot his in tractibus verſantur, in me efferati ſæuirent, ſi tunderent, ſi dilacerarent, non tamen fidem abijcerem: neque enim in Gallos credo, ſed in Deum. Tanto porrò, támque incenſo ſtudio in popularium ſuorum ſalutem iam tum incumbebat, vt cùm aliquando peruicaciores nonnulli audire detrectarent Catechiſten Sacerdotem, de fidei myſterijs diſſerentem, in hæc omninò verba ad eos conuerſus proruperit; Abeamus, Pater; deſeramus contumaces: ad remotiores gentes pergamus, Deum annunciaturi: ſic enim mihi perſuadeo, ſi quæ apud hos diſputas, exaudirent, fore vt cupidiſſimè fidem amplecterentur: & hi ſtertunt. Fiduciam autem Dei qualem quantámque iam tum animo concepiſſet, vel hinc perſpici poteſt, quod cùm per ſolennem venationem procul in ſiluis in popularium cateruâ verſaretur, ſuis ad Deum precibus decumbentem ex morbo mulierem derepentè ſoſpitauit. Quippè cùm ægram quidem deſtituere non ſineret miſericordiæ ſenſus, intimis iam tum præcordijs inſidens, circumferre moleſtiſſimi laboris eſſet, quid faceret? adit ad eius virum, &; Non ignoras, inquit, quæ de ſummâ facilitate iuxtà, & potentiâ Dei tradantur à Gallis: ab eo vitam & hauſimus primùm, & conſeruatam tenemus: quinetiam ereptam reſtituere poteſt: ſi recta monentem audiendum putas, ad eum confugiamus, ex animóque comprecemur, vxorem vt tuam conſanet. Aſſentitur tum ille, tùm contubernales ceteri, quotquot erant: accidentéſque in genua, preces à Catechumeno ritè conceptas pro ſe quiſque totidem verbis perſequuntur: ipſe diu in multam noctem precationem protendit. Nec fruſtrà:

quæ mulier adhuc graui morbo conflictata fuerat, eadem poſtridiè ſana, vegetáque non impigrè minùs, quàm ex contubernio ceteræ, rei familiari operam dare inſtitit. Idem pius venator coràm Domino, præterquam quod ſuos omnes ad matutinam veſpertinámque precationem ſtatis temporibus cogebat quotidie, ſic Deum compellare ſolitus: *Tu me, Domine Deus, condidiſti; atque adeò tuus ſum: de me iure ſtatuere potes vtcunque tandem libuerit, perinde ac ego de reculis hiſce meis: reſpice me igitur vt tuum aliquid. Sicut remo quem dedolaui, vtendi ius mihi eſt, ſic æqui, iuríſque ratio poſtulat, vt vſus corporis mei, & animi, & virium, facultatúmque omnium tùm corporis, tùm animi, tuus ſit: quandoquidem ſunt hæc omnia à te, ceu ab auctore, atque molitore profecta. Hæc tibi prolixè, cuncta dico, offeróque: de venatione in te acquieſco, memor te parentem meum eſſe.* Et tàm feliciter cedebat religioſa fiducia, vt prædâ grauis ferè reuerteretur. Sedenim opitulatorem Deum vbique agnoſcens, nunquam à ſe quidquam aut captum, aut cæſum memorabat, ſed hæc, illáque à Deo tributa. Certè dum aliquandò in reditu ex venatione defixus animo, in retractandis precandi formulis, quas tradiderant Catechiſtæ, vrſum ex improuiſo præteruntem curſu attigiſſet, confeciſſétque; hæſit derepentè in veſtigio, exanimémque belluam contemplans; Nequaquam, inquit, meus vrſus hic eſt: neque enim vllo meo merito, ſed ob preces quas Galli fundunt, eum mihi Deus cædendum obiecit: ita, ipſorum, non meus eſt. Quæ cùm in animo repoſuiſſet, ad Patres belluam vehit, &, in eos diſtribuendam, qui preces optimè recitarent, offert vltrò. Nunquam dabat ſe in viam, quocunque tandem eundum eſſet, quin ad Ædiculam adiret, enixéque dein flagitaret à Patribus, Deum ſibi vt precando propitiarent, finem nullum faciens prædicandi diuini beneficij in eos collocati, qui ſupremum Dei Numen inde vſque à primâ ætatulâ & agnoſcere, & venerari cepiſſent. Vos verò felices, aiebat, qui Deum ab infantiâ & noueritis, & ritè exorare didiceritis: ego ex quo mihi innotuit, de illo perpetuò cogito. Et verò rem ita habere, confirmabat incredibilis in adoleſcente de diuinis myſterijs audiendis auiditas: poſtquam tres ipſas horas inſtitutio tenuerat, ſi quando vitandi tædij ergò dimittebatur; Nolite verò

ANNVS MDCXXXVIII.

ANNVS MDCXXXVIII.

metuere, aiebat, ne molesti sitis: nimis diu in Dei ignoratione versatus sum: nunc nullâ planè re sic afficior, vt sermone de eo. Sanè tanta fuit, támque inexplebilis de illo summo rerum omnium procreatore audiendi sitis, vt cùm cibariorum penè nihil superesset vnde aleretur, neque piscatum tamen, neque venatum abire vellet, quò ne discederet ab institutione; biduum penè totum interim inediam tolerans: donec re animaduersâ, obiurgatus à Patribus est, & pro ipsorum tenuitate refocillatus. De eius Baptismo, infrà tradetur.

Sillerij liberitas rem Christianam stabilit.

IAM, QVOD INDE' vsque ab initio tantopere referre ad Dei gloriam putatum erat, vt certas in sedes vagi cogerentur, procedere hoc eodem tempore cepit. Sillerius, inter Melitenses Equites Commendator, vt vocant, vir egregiè pius, ac diuinæ promouendæ gloriæ perstudiosus (quo demùm consilio, ne ipse quidem fortasse satis initio norat) cælesti tamen aliquo mentis instinctu, egerat iam per literas è Galliâ cum Gandæo, vt quem locum adamauerat in vacuis illis possessionibus, eo sibi cedere ne grauaretur: in animo sibi esse ibidem excitare domicilium: cetera, si quæ iam tum mente concepta habebat, presserat silentio. Et Gandæus, tametsi iam in possessionem venerat, peramœnam opportunitatem secutus: tamen pro suo proseminandæ fidei studio, cessit lubens. Silerius autem Iuuenæi literis interpellatus, monitúsque nihil tùm quidem fieri posse ad rem Christianam ijs in tractibus stabiliendam conducibilius, quàm si indigenis ea sedes attribueretur, vbi vagam illam vitam fixâ, quietáque mutarent; haud ægrè & ipse manus dedit, id demùm optimum fore ratus, quod Iuuenæus, locorum, rerúmque apprimè peritus, expedire censeret. Scribendi porrò causam Iuuenæo præbuit, consilium illud Sillerij, priùs suspensum, & incertum: cùm enim is eâ re vnam se diuinam gloriam spectare profiteretur, opificésque interim misisset ad ædificandum, quasi ex composito res ageretur, Domino Deo vtrobique corda permouente, sub illud ipsum tempus rogatus vagus quidam à Iuuenæo, liberos sibi in disciplinam vt traderet; Quin parentes quoque excipis? subiecit, locum assigna proximè domicilium vestrum, vbi cum totâ familiâ operam vobis dare possim, & quæ de eo à quo cuncta condita, traditis, excipere,

audiendo aſſiduè. Perculit hæc oratio Iuuenæum: neque enim adhuc quiſquam eâ ex gente fuerat non modò qui vltrò conſiſtere ſe velle ſponderet, ſed ne qui acquieſceret quidem opportunis, quæ ferebantur, conditionibus: quoniam tamen ſuſpecta meritò erat innata vafrities, vrget, inſtátque Iuuenæus, &, num ex animo loqueretur, perquirit. Enimuerò, inquit Negabamat (id enim viro nomen) vt intùs in animo conſtitui, ita loquor. Nec cunctandum in tàm præclarâ occaſione ratus Iuuenæus, offert illicò ædificium illud quod aſſurgebat: eâ tamen conditione, vt ſi res minùs probaretur, magno illi Duci, cuius ſumptibus ædificatio peragebatur, excederet Negabamat conceſſâ domo. Cùm deliberaturum ſe ſpopondiſſet, rémque totam cum amico ſuo quodam, & familiari communicaturum; aliquot antè interiectis diebus cum Franciſco Xauerio, de quo ſuprà (Nenaſkymat, antè nomen fuerat) adfuit ſub noctem: præfatúſque negotia magni momenti meliùs nocte geri, quod abſunt moleſti ſæpè interpellatores; proinde ne grauarentur Patres in eam noctem hoſpitium præbere; ſecundùm cœnam, ſingulari comitatis ſignificatione appoſitam, hunc prorsùs in modum exorſus Negabamat. *Ageſis, Iuuenæe: iam prouectioris ætatis es: atque adeò indecorum tibi ſit mentiri: verum eloquere: an non pollicitus es, te ad habitandum daturum domum, eam quæ extruitur, mihi alteríque cuipiam, & vtriuſque ſcilicet familiæ? En, Nenaskymat, cum quo conueni: vir mitis & placidi ingenij eſt, vt noſti. Venimus adeò eâ gratiâ, vt reſciamus num in propoſito perſtes. Ac populares quidem omnes quibus eſt id à me ſignificatum, conſilium illud veſtrum ſuſpiciunt, & mirantur: verum, vix ac ne vix quidem perſuadere ſibi poſſunt tantam vobis liberalitatem ineſſe, vt cum veſtrâ tàm magnificâ oratione res ipſa vnquam conſenſura ſit. Proinde, ſi propoſitum tibi eſt mentiri, mentire ſanè dum integrum eſt, hoc eſt, antequam tuis promiſſis irretiti, iactemus apud populares, domum nobis conceſſam, quam deinde tradas nunquam. Apud eos aliquo loco ſumus: ſi poſtquam prædicauerimus domum nobis attributum iri, fidem deinde fefelleris, næ, eorum ſannis & ludibrio obijciemur: id verò viris quàm graue ſit, tute noſti. Itaque illud iterum tibi denuncio: re integrâ mentiri ſi placet, mentire ſanè: neque enim quiſquam dum nos rideat.* Arriſit hîc Iuuenæus, ſerióque conteſtatus ſe neutiquam eſſe

ANNVS MDCXXXVIII.

ANNVS MDCXXXVIII.

mentitum, quæ promiſiſſet, ex animi ſui ſententiâ promiſiſſe aſſeuerauit: ceterùm, quid futurum eſſet, ſtatuere tum ſe quidem nequire, quando res ab alio penderet: dediſſe ſe literas ad illum Ducem, cuncta ſecunda ſperare, & qualia ipſi maximè concupiſcerent: cùm omnium primi, ipſi id expetiſſent, æquum quoque eſſe eorum potiſſimè rationem haberi: & verò ſe eò vſque de illius beneficâ naturâ confidere, cuius opibus domus extruebatur, vt conceſſurus planè eſſet quod tam enixè per literas ab ea flagitaretur. Mirum in modum vtrumque hæc exhilarauit oratio: ſuſpenſi tamen, atque ſolliciti; Illiuſ-ne bonitas, inſtiterunt, veſtram bonitatem exæquat? Cùm non modò exæquare, ſed etiam ſuperare Patres affirmarent; Benè habet, inquiunt: nam quando ipſi nobis ſtudetis, ac ſtudium illud veſtrum rebus comprobatis, vtique Dux ille melior maiora in nos beneficia conferet. Idem, addunt, num prouectæ ætatis eſt? Eſt ſanè, inquit Iuuenæus; Num breuî morte defungetur? Id verò clàm nobis eſt. Egregiè-ne dat operam precationi? Planè egregiè. Atque hîc exultantes animis; Certa res eſt, aiunt, etenim ſi is impigrè precatur, diligetur à Deo: ſi diligetur, ſuperſtes perdiu erit: ſi erit ſuperſtes, nobis haud dubitanter opem feret, quandoquidem bonus eſt. Eant nunc præpoſteri illi veteris Galliæ, ſui, rerúmque ſuarum vel amatores, vel æſtimatores: ac ſi nullum hîc ſocordiæ veſtigium agnoſcunt, deſinant inſultare infelicibus, quibus ſi diuina lux tot antè ſæculis affulſiſſet, quot veteris Galliæ incolas colluſtrauit; næ naui agricolæ vberiorem fortè meſſem in ſupremi patrisfamiliàs horrea intu'iſſent, quàm ij quorum nonnunquam, præclara ſcilicet induſtria tota in herbam luxuriat, quandoque in vepres, paliuróſque degenerat. Vt autem ad Canadenſes reuertamur; En, addidere, ſumus iam ambo deuexiori ætate: itaque illud nos anxios habet, num poſtquam è viuis exceſſerimus, penès poſteros noſtros manſura ſit domus attributæ poſſeſſio, an futurum ſit vt abigantur. Cùm eam ſolicitudinem Iuuenæus abſterſiſſet, confirmans id apud Gallos ratum, & fixum eſſe, vt quæ parentum fuiſſent, ea quam-optimo iure transferrentur ad liberos; in ſolenne ſuum *Ho, ho* erupere, &, Quàm bona, aiunt, nuncias, dum ne mentiare; Mentiri autem te quid attinet,

tinet, quando iamdiu puer eſſe deſiiſti. Secundùm hæc, adeunt poſtridie ad ædificium, luſtrant, contemplantúrque ſingula curioſiùs: vix eo aſpectu exſatiati conteſtantur, ſe, vbi primùm extrema impoſita manus ædificio eſſet, adfuturos ad habitandum: intereà, quoniam hyems imminebat, Negabamat quidem ſe ad venationem profecturum; Nenaskymat, cui cæli, quàm terræ potiores rationes erant, ne hyeme quidem abfuturum ſe Iuuenæo in aurem inſuſurrauit, quò Chriſtianæ doctrinæ audiendis Catecheſibus operam dare liceret. Ergo ille ſiluas de more petiit, hic cùm ſubſtitiſſet, in eum quem diximus morbum incidit, quo tanquàm aurum in fornace probatus, qualis quantúſque euaſerit quæ ſuprà expoſuimus demonſtrant. Hic eſt enim ille Franciſcus Xauerius, ſingulare Canadenſis Eccleſiæ decus, & ornamentum: cuius de virtute rurſùm infrà. Nunc vt ne ab inſtituto deflectamus, obſeruare cum Iuuenæo lubet; Eum ferè præpotentis Dei morem eſſe, vt quæ ad eius obſequium ſpectent magna, arduáque, non niſi difficillimè coaleſcant, & plerunque poſtquam ex hominum ſententiâ, conclamata res fuit. Id adeò hîc vſu-venit. Cathecumeni ambo vno eodémque tempore grauem in morbum incidunt, Negabamat procul in nemorum ſaltibus; iuxtà Patrum domicilium Nenaſkymat: illi opitulari neutiquam licebat, in tantâ locorum intercapedine: hic, quidquid opis conferretur, tamen vix, ac ne vix quidem euaſurus è morbo putabatur: ita ruebat vtrumque Chriſtiani, quod ſperabatur, ædificij columen. Sed qui ſuſcitat mortuos, ambos & in vitâ retinuit, & reddidit poſtmodum ſaluos, incoluméſque geſtientibus Patribus. Ergo læti in paratam domunculam immigrant, iaciúntque ſcilicet extituræ ijs locis Eccleſiæ fundamenta, *ſimplices*, quod in Barbaris mirere, *ſicut columbæ*. Familiæ duæ, hominum circiter viginti, intrà exigui ædificij ſepta conſiſtere inſtituerunt, ſic, vt ne leuiſſima quidem querela enata ſit, iurgium multo minùs: quod qui non Euangelij gratiæ tribuat, is aut cæcutit vltrò, aut quæ Barbarorum ſit indoles planè neſcit. Vna eos anxios habebat ſolicitudo, ne Dux ille Gallus ratum forte non haberet quod factum à Patribus erat, ne-ve excedere domunculâ, poſtquam naues aduenirent cogerentur, chartâ allatâ haud bonâ: ſic enim læta ſecunda-ve

ANNVS MDCXXXVIII.

ANNVS MDCXXXVIII.

quæ è veteri Gallliâ afferuntur, deſignare conſueuerunt, vt *chartam bonam*; aduerſa triſtiáque, vt *malam* allatam dicant. Itaque cùm frequenter exquirerent ex Patribus, num allata charta bona eſſet, acceperunt tandem à Iuuenæo, qui Sacerdotes chartam illam portarent (eorum nomina Gallica Relatio non prodidit) iam Tadoſſacum inter, Kebeccúmque in lembo verſari, mox adfuturos: quorum cùm vel ſic tardior aduentus inter ſpem, metúmque ſuſpenſis videretur, extortâ à Iuuenæo ſchedulâ, canoam ipſi conſcendunt, in eámque tranſlatos aduenientes Patres vento ocyùs Kebeccum deportant. Vbi primùm ex reſignatâ Sillerij epiſtolâ ſignificatum proſelytis, dari à magno illo viro, & dari ſingulari voluntate, quod concupijſſent: enimuerò effundi ambo in gratiarum actionem, blandáque comitate Patribus gratulari: amici autem, & familiares, &c. omninò circumpoſiti Barbari finem nullum mirandi facere tantam Gallorum in ſuos beneficentiam, & ſuſcipiendæ ardore fidei ſuccendi: nec dubium fuit, quin ſi omnibus ſuppeditari domunculæ illius inſtar potuiſſent, gens tota ſe Chriſto adiunxiſſet. Adeò rapax eſt Chriſtiana liberalitas, plúſque valēt ad emolliendos ad fidem Barbaros inſtituentium facta, quàm verba.

Naſcentis Eccleſiæ fundamenta conuellere nititur Satanas, deriuatá in Patres graſſantis peſtilentiæ culpâ.

SED TRANSEVNDVM ad Hurones, parùm æquos, vt iam inſinuauimus, Satanâ in id totis viribus incumbente, vt ſuſpectæ ſibi ſedis fundamenta quoquo modo conuelleret. Excluſi Patres ſæpiùs ab ægrorum caſis, quibus quò magis aſſidui, eò formidoloſiores erant, conſtituunt adire pagi Præfectos, ac ſe apud eos, ſi liceret, in Conſilio purgare palàm. Et aliquandiu pòſt reuerſi ab Ondeſſono quodam, nec obſcurè diſcunt id quod res erat, eam opinionem longè, latéque apud Huronum gentem peruagatam, ab ſe inuectam peſtilentiam, quæ tàm funeſtas vbique ſtrages ederet: iactatum eſſe in circulis, indigenam quendam populari illo morbo oppreſſum, vnà cum tabo plumbeam quoque glandem euomuiſſe, ex eóque non leuem ductam coniecturam, id maleficium fuiſſe Galli alicuius: pagi cuiuſdam totius incolas carere conſtituiſſe ahenis è Gallià: Antonio Danieli ad Kebeccum verbulum excidiſſe, quod miros rumores effecerit: ſtudentem enim illîc retinere adoleſcentem Huronem, terrendo dixiſſe; Quò ruis infortunate? ſi natale ſolum repetieris, pigebit te poſtmodùm: en,

regionem totam breui peſtilentia depopulatura eſt. Addebant in nemorum ſolitudine confixum ſubulis infantulum à Patribus: frementè videlicet hoſte capitali mortalium, ab ijs paruulos iam complures Baptiſmatis vndâ in cælum eſſe tranſmiſſos. Has porrò calumnias cùm accuratè firmiſſimis in contrarium rationum momentis purgarent Patres, efficiebant tamen nihil, nihílque extorquebant à bellis ſermocinatoribus, niſi illud conſuetum; Atqui hæc vulgò iactantur. Tandem pridie Non. Sextil. ventum in concilium eſt gentis penè totius: ſed ferali vbique rerum facie, & mortis imagine plurima. Alij in alijs taciti oculos defigebant, tamquam ſibi iamiámque inſtaret exitium: recenſebant plerique omnes, quot ex ſuis morbus peſtilens ſtrauiſſet: comploratione & gemitu, magis quàm ſermone res agebatur. Quæ videlicet eò pertinebant, vt in publicâ illâ conſternatione virus acerbitatis ſuæ in Patres euomere cuique liceret audentiùs: cúmque quotquot conſidebant Præfecti, in accuſatorum numero poni poſſent, tùm ſenex præſertim quidam hunc ferè in modum in eos inuehi adorſus eſt. *Non vos latet, Populares, nunquam ferè me in publicis conuentibus verba facere, niſi dum bellica tractantur: in hoc tamen conſeſſu proloquendum mihi eſſe intelligo, quando Præfectos ceteros mors eripuit. Antequam igitur eos ad tumulum ſubſequar, depromam quæ mente concepta tenco: atque id è re fortè patriæ labentis publicâ futurum eſt, præſertim cùm atrociùs in dies importunus morbus graſſetur. Peruagata lues eſt omnes omninò pagi noſtri domos: familiam meam propriè ſic exhauſit, vt cùm florens eſſet paulò antè, nunc è toto numero reliqui duo ſimus: an ipſi quoque ſuperſtituri, quis præſtet? Ac alijs quidem morbis aliàs conflictari vidi regionem: ſed nimirum, antequam Luna bis, ter-ve ſummùm, orbem ſuum confeciſſet, ponebat vis mali: tum reduce incolumitate, intrà paucos annos ſic cuncta redintegrabantur, vt communis calamitatis penè aboleretur recordatio; Nunc annus iam eſt, ex quo peſtilentis morbi ſæuit atrocitas: neque dum affulget quidquam, vnde ſperare meritò debeamus tantæ, támque communi calamitati, breui poſitum modum iri. Quæ cùm per ſe grauiſſima ſit, tùm illud eius acerbitatem auget, quod vnde oriatur, peruidere nondum potuimus: eius de causâ quid ante paucos hos dies acceperim exponam: illud priùs conteſtatus, nullo me cuiuſquam odio duci, vno veri ſtudio incitari. Cum Gallis neque inimicitas exerceo, neque ſum vſu aut familiaritate coniunctus:*

ANNVS MDCXXXVIII.

nunc primùm in mutuum vtrique conſpectum venimus: eò nullam à me in eos iniuriam proficiſci velim: illud vnum mihi propoſitum eſt, vt quæ vnius cuiuſdam è Noſtris relatione comperi, qui Kebecco redÿt recens, ea commemorem. Tum eadem verborum acerbitate perorans, ad magicum maleficium quoddam, cuius Patres conſcios dicebat, morbi cauſam retulit: eámque ad perſuadendum vafritiem adhibuit, vt quos pro mendacibus apud ſuos vulgò haberi nôrat, eorum teſtificatione neutiquã vti ſe velle profiteretur.

VBI FINEM DICENDI fecerat improbus ſenex, Brebeufius, factâ quam expopoſcerat, dicendi facultate, obiecta ſic diluit, vt egregium oratorem rubore ſuffunderet, eo tamen euentu, vt quanquam firmiſſimis certiſſimiſque argumentis reuicit calumniam, non idcircò deſtiterint egregio ex ſenatu complures vrgere Brebeufium, pannum neſcio quem proferret, quem videlicet apud ſe aſſeruaret in gentis regioniſque perniciem, magicis imbutum cantionibus: vitam ſaluam fore, ſi modò illum domi noſtræ haberi fateretur. Cùm is pernegaret tale quidquam apud nos eſſe omninò; Nihil refert, inquit ex ijs non-nemo: verbulo modò conſenti: nihil hinc quidquam tibi detrimenti importabitur. Hîc verò vehementiùs Brebeufius inficiari: &, ſi fidem minùs habetis mihi, inquit, legate qui ad ædes pergant noſtras, fatalémque pannum illum videlicet quàm voletis diligenti indagatione reperiant: & quoniam pannorum diuerſa genera habemus, parcant nulli, ſed quot nanciſcentur, comburant ſanè. Atqui ſontium eſt hæc oratio, excipit atrox aduerſarius. Nam quid à me vis omninò? ait Brebeufius: Nimirum, mali cauſam vt pandas, infit ex eodem conuentu alius; Et Brebeufius. Id enimuerò prodere quî poſſim, cùm æquè ac vos, me lateat funeſti morbi origo: quandoquidem tamen cogitis, pauca denuò eloquar. Hîc exorſus dicere de ſupremâ vi Dei, déque eius tùm in pios munificentiâ, tùm ſeueritate in impios; ad cauſas peſtilentiæ è naturâ petitas deſcenderat, cum interpellatur denuò, tùm ab alijs compluribus, tùm à perfidioſo illo ſene potiſſimùm: nam quaſi nihil de re propoſitâ memoratum adhuc eſſet, ita vrgere inſtitit Brebeufium, pannum illum proderet feralem: verùm, cùm is ſibi ſemper conſtaret intrepidus, hinc quidquam eliciendi deſperatione, indormiſcere alij, alij ſilenter loco excedere. Exitus

ANNVS MDCXXXVIII.

is fuit, vt cenſuerint præſtolandum reditum eorum qui Kebeccum adijſſent: ij ſi minùs commoda attuliſſent, actum Patribus erat: ſed, quæ Dei cura ſuorum fuit, reduces illi poſtmodùm ſecunda cuncta retulere: illud inter cetera, non poſſe ſe deinceps in eam ſuſpicionem adduci, mortem ſibi à Patribus intentari, poſtquam ab eorum fratribus, Galliſque ceteris tàm humaniter, támque beneuolè habiti eſſent.

INTEREA pro ſuo more Deus, dum vel maximè naſcentis Huronum Eccleſiæ fundamenta machinis omnibus quatiebat Satanas, eidem Eccleſiæ & firmitatem, & decus adiunxit. Ad eam diem flores modò è nouellâ ſtirpe extiterant, mox euanidi, ſi terram ſpectes; hoc eſt, infantuli è matrum gremio rapti ad tumulum, vbi primùm renati in Chriſto per Baptiſmum erant: & eorum quidem complures ægrè permiſſi ad beatam vitam aſpirare: adeò Tartareo prædoni dolebat illos in cælum transferri, ſuâ pòſt apud Deum prece ſempiternam parentum, gentiliúmque ſalutem accuraturos. Ex iſtis ipſis conuentibus vnde intentabatur Patribus pernicies, extitit vir, qui extrà morbi aleam Catechumenum profiteretur. Inter Hurones, ſi nobilitatem generis ſpectes, primarios, *Chigatenhsa* quidam fuit, ne in communi quidem illâ quæ putatur, gentis opulentiâ copioſus, Præfecti tamen Nationis ex ſorore nepos. Is cùm ante biennium, Brebeufium de fidei myſterijs diſputantem inaudijſſet in celebri illo conuentu, qui de feſtâ Mortuorum pompâ inſtaurandâ habitus eſt, ſacrâ illâ illecebrâ ſic captus eſt iam tùm, vt itare deinceps ad Patres perrexerit aſſiduè. Ac inde vſque à tenerâ ætate videri poſſit tanquam ſidus in medio nationis prauæ, atque peruerſæ coruſcaſſe, adeò ab omni gentis prauitate ſemper alienus, vt nunquam ſe neque popularium ſpurcitiâ fœdarit, neque ſacrilegis ſuperſtitionibus contaminarit. Ex ipſâ adoleſcentiâ duxit vxorem: contráque fœdum morem æqualium, alias, ex alijs eâ ætate adſciſcentium (& nullâ quidem infamiæ notâ, adeo apud eos corruptiſſima licentia inoleuerat) cum illâ eâdem pari continentiâ & obſeruantiæ, amoríſque ſignificatione exegit lubricum illum flexum ætatis. A ludo ſemper abhorruit ſic, vt ne paleæ quidem, mali apud eam gentem inſtrumenta, quemadmodum mouendæ, permiſcendæ-ve eſſent, noſſet. Nico-

Huronis Catechumeni dotes eximiæ.

ANNVS MDCXXXVIII.

tiâ, quam pro vino ijs locis esse diximus, nunquam vsus est, ad hauriendum quidem: nam tametsi stirpem eam in hortulo excolebat, nihil tamen spectabat eo labore aliud, nisi aut vt eam in amicos pro munere distribueret, aut vt suppeditaret vnde reculas coëmeret vel necessarias, vel commodas. Sortes item, & si quid patriam superstitionem olebat, reiecerat tam constanter, vt neque tesserâ istiusmodi domi à patre moriente relictâ, qui eâ fortunatissimè vsus perhibebatur, inducere animum potuerit, vt abuteretur, neque Tartareis conuiuijs interfuerit. Ac ne id totum stupori mentis cuidam adscribendum putes, idem acerrimo erat ingenio, non modò si eum cùm popularibus, sed etiam si cum Gallis componas: memoriâ tàm firmâ, vt quæ semel discendo comprehenderat, ea deinceps è mente nulla deleret obliuio. His dotibus à naturâ, vel à supremo potiùs naturæ parente instructus, eâ in morum innocentiâ annos quinque & triginta exegerat: cùm secum seriò reputans quæ de Patribus audiebat, sublimiora mente agitare cepit, & saluti viciniora. Ergo supremum Numen intùs in animo venerari, preces fundere assiduè, æquissima iudicare mandata Decalogi, Baptismum exposcere. Cunctabantur tamen Patres, pro suo illo instituto, adultorum nemini fidendi temerè: donec in morbum sanè grauem incidit proselytus, ex illâ eâdem quæ tantas strages edebat, populari lue. Vix eâ afflatum se sensit, cùm vltrò pergit ad Patres, inquirítque quemadmodùm gerere se se debeat, si vis morbi intenderit, quam medicinam vsurpare legitimè possit, quam respuere debeat. Postridie, cùm iam haberet grauiùs, accersitos Patres super eâ ipsâ re consulit: quippe medicamon proponebatur à domesticis, quo per diuinas leges vti sibi liceret, necne, ambigebat: constantissimè professus certum sibi esse eo carere, si quidem sine noxâ nequiret adhiberi. Rati igitur tempestiuum tunc esse, de Baptismo suscipiendo sermonem instituunt: & vir candidissimæ simplicitatis; Meum, inquit, non est, eâ de re decernere, sed vestrum. Nostis ipsi, centies me professum vobis, ex animo me credere, Baptismum expetijsse centies: ac quoties, ex quo ex morbo decubui, pedem huc intulistis, toties mecum ipse hæc voluebam; Nam quid moras vltrà nectunt? norunt ipsi, nihil tàm mihi cordi esse, quàm

ANNVS MDCXXXVIII.

vt beatis illis, quas prædicant, aquis abluar, quid facto potiùs opus ſit, non ignorant, ſtatuant ipſi de re totâ. Ergo ad XVII. Cal. Septembris anni ſalutis MDCXXXVII. quod felix fauſtúmque eſſet, regenerationis lauacro in Chriſtianorum album adſcitus, Ioſephi nomen accepit, ſanè feliciter: etenim poſt biduum quàm enixè Patres tantum Patronum de vitâ Neophyto prorogandâ interpellauerant, mortis periculum abeſſe animaduerſum eſt, aliquanto pòſt planè conualuit. Huius autem vtriuſque beneficij ſenſum ſuum ſic exprimebat. *Omninò, comparatum animum meum ad omnia in partem vtramque, reſpexit benigniſsimus Deus: meum eſt, poſtquàm eius inſigni munere, ex tàm periculoſo morbo emerſi, totâ deinceps ætate egregiam in ipſum fidem teſtari, in eámque prorsùs curam incumbere, vt agnoſcatur ab alijs.* Secundùm hæc cùm ex gentis more receptæ incolumitatis conuiuium apparaſſet, conuocatos ſic accepit (conuocauerat autem primores omnes) vt Chriſtianâ benedictione præmiſſâ ex formulâ, ſimul cibo diſcumbentium corpora, ſimul mentes exquiſitâ de Deo, déque Chriſtianis myſterijs oratione reficeret: illud potiſſimùm inculcans, fidem omninò capeſſendam eſſe, qui æternos cruciatus vitare, qui æternam felicitatem nanciſci velit: tantâ permotione animorum in audientibus, eius vt eloquentiam ardorémque dicendi demirati, propè obſtupeſcerent: eâ vel maximè Neophyti denunciatione perculſi, Chriſtianum palàm ac publicè profiteri, ſibi eſſe prorsùs conſtitutum. Ac eam quidem fidem ad quam ſponſione ſeſe obligauerat, experiri illicò, Domino Deo viſum: tùm Ioſephi, tùm eius germani fratris familiam inuadit, ſternítque morbus popularis, in his filiolum, omnium natu minimum vitâ propè ipſâ chariorem. Ægrum animi ex ſuorum caſu circunſtant inſidioſi amici, hoſtibus videlicet deteriores: fructus eos eſſe, egregiæ quam deprædicaret, quámque amplexus eſſet, fidei: videlicet perinde eſſe illam amplecti, & ad exitium ruere voluntarium, tàm multis experimentis comprobatum eſſe, vt mirarentur hominem non hebetem eò vſque cæcutire potuiſſe. Proinde quando ijs qui ad præcipitij vſque crepidinem ſuâ vel culpâ, vel inſcitiâ veniſſent, illud relinqueretur, ſi quidem ſalui eſſe vellent, vt pedem referrent continuò; aut omninò funeſtis illis Gallorum cerimonijs nuntium remitteret,

Eiuſdem Baptiſmus, & conſtantia in aduerſis.

ANNVS MDCXXXVIII.

aut, si obstinatiùs perstaret in suscepto consilio, adhiberet saltem gentiles Medicos (hoc est sagos) ne-ue tam durus in suos, támque ferreus esset, vt eos in oculis suis omni prorsùs medicinæ genere carentes, animam agere pateretur. Quid faceret Dei famulus? tanquam Iob vxoris blasphemam vaniloquentiam, sic Iosephus, blandè ille quidem, sed tamen fortiter, constantérque nefaria monita amicorum & refutauit ipse, & fratrem eò adduxit, vt ægrotanti vxori, quæ conuiuium nescio quod superstitiosum ad recuperandam valetudinem somniasse se diceret, præcisè negaret quod exposcebat, hac omninò oratione; Non tanti est mulier vita tua, vt non te emori præstet, quàm summi Numinis offensionem à nobis suscipi. Et hæc quidem reualuit, Domino Deo indicante eam constantiam acceptam sibi fuisse: in cælum transcriptus filiolus ille Iosephi. Nec infregit tamen dolor exaggeratum animum: dum morbus tenuit, in momenta infantulum supremo vitæ mortísque arbitro offerre pius parens: nonnunquam exceptum manibus, perinde ac si iam tum rationis vsus adesset, compellare hunc in modum; Non nostrum, mi fili, non nostrum te in vitâ retinere: si in cælum euocare te constituit summus Deus, quis eum tandem inhibeat? Tum, vbi corpusculum mens beata destituit, cùm paterno vel amori vel luctui indulgendum aliquid rati Patres, procrastinandum tantisper censuissent, ne si adessent continuò, pressus angor grauiùs orbum patrem cruciaret; ipse vltrò ad eos conceſſit ocyùs, & scilicet non modò quidquid præscripserunt, perfecit, verumetiam de suo multa addidit ad Christum IESVM, quem in sacrâ Eucharistiâ in genua prouolutus venerabatur præsentem: & qui initio postquàm de ærumnis Iob tàm grauibus, quàm multiplicibus inaudierat, precatus erat à Deo nonnunquam, ne se verò tàm durum in modum exercitum vellet; hîc Abrahami vestigijs insistens, non vnici illius quidem, sed chariſſimi filij mortem Christianâ planè animi fortitudine tulit, nusquam non ex altissimâ illâ prouidentiâ aptus. Ergo ad curam conuersus superstitum, interim dum lues sternit corpora, ipse mentes impigrè procurat. Quinque ex suâ familiâ breuissimo interuallo, sacro fonti sistit, quantum cuiusque ætas ferebat, aptè institutos, filium primogenitum haud dum septennem, cuius vitâ actum esse putabatur: fratris filium,

filium, annorum propè viginti, eiuſdem ſorores tres, duodennem circiter vnam, quinquennes, ſexennes-ve duas: Ioſephi filio, Ignatij, ex fratre nepoti, Petri; neptibus, Agathæ, Cæciliæ, Thereſiæ nomina indita: atque illud beatum ſeminarium fuit exiſtentis Huronum Eccleſiæ: ex morbo enim emerſerunt omnes. ANNVS MDCXXXVIII.

HÆC DVM pro virili Ioſephus accurat, Patres intereà, in totius intenti ſalutem regionis, id ſequebantur, vt quando circà ipſos adultos procedere induſtriam ſuam poſſe, iam in Ioſepho peruiderant, primariorum quorumque inſtitutionem deinceps amplecterentur. Ergo ad VI. Id. Decembris, quo tempore à piſcatu ipſi redierant, indicunt Galli Sacerdotes ſolenne epulum ſuo in tugurio. Conuenerunt conuiuæ ad centum & quinquaginta: & tùm apparatu, qui pertenuis tamen erat, delectati, tùm multò magis Brebeufij oratione, qui multa præclarè ſuper menſam de Deo, déque amplectendæ fidei neceſſitate diſputauit, ſpondent ſe deinceps in Patrum poteſtate fore, & quoties ad ſalutarem inſtitutionem vocarentur, adfuturos. Nihil tamen extorqueri ab ijs hoc in genere potuit ante anni ſequentis initia: etenim cùm ex voto piſcatio ſucceſſiſſet, menſem totum diurna nocturnáque comeſſatio occupauit. Tandem ad V. Id. Ianuarias, anni MDCXXXVIII. Præfectus gentis totius princeps, iam ſenior, cui proinde & dignitas auctoritatem conciliabat, & canities, ipſe ſuis conuiuium inſtruit, accerſítque inter ceteros Brebeufium, cuius pijs fouendis conatibus hæc maximè fiebant: ac ſecundùm epulas, inuitatos hunc prorsùs in modum compellat; *Conſiſtite precor, nepotes, tantiſper: cogitur enim concilium ab hoc Echom: eam in rem accerſo confeſtim eos qui conuiuio defuere. Hi poſtquam aduenerant; Non ego, inquit, ſed hic Echom concilium hodie cogit: quà de re deliberandum ſit, haud dum ſcio: mihi tamen perſuadeo, illud quidquid eſt, ingentis momenti fore: proinde attentè quiſque audiat.* Hæc vbi præfatus ſenex erat, exorſus Brebeufius de re propoſitâ dicere, hoc eſt de viâ ſalutis, tantos fecit animorum motus, vt expoſtulans ſenex aliquis, iſta longè ante proponi debuiſſe, nec tandiu in re tanti momenti fuiſſe procraſtinandum, dixerit: ſed nimirum, difficillimum non fuit tarditatem illam purgare: nemo enim non videbat, in ſuperiori illâ flammâ inuidiæ aditum

Multi ſe Patribus primùm ad fidem inſtituendos tradunt, tùm Chriſtianis ſacris initiantur.

ANNVS MDCXXXVIII.

nullum eam ad disputationem muniri potuisse priùs. Nec minùs feliciter repressit Iosephus (non enim intererat modò sanctis comitijs, sed etiam causæ tàm bonæ apertè Patronum agebat) consobrini cuiusdam sui malitiosam insulsitatem, obijcientis Gallorum neminem ex eâ populari lue interijsse. Quid mirare, inquit, nimirum pro antidoto fuit fides: hanc amplectitor, tum benè spera. Certè debemus ijs plurimùm hoc nomine, quod per tanta terrarum, marisque interualla, per tot discrimina ad nos penetrarunt, tàm salutare medicamentum impertituri. Ego, si beneficium non agnoscam, ingratus sim: vt ne sim autem, tùm cauere conabor, vbi se cunque dabit occasio, tùm illud profiteor imprimis, glorioſum mihi esse Gallorum sectam sequi, instituta vsurpare. Exitus is fuit, vt censerent, prædicarentque plerique omnes, conuentus huius generis sæpiùs esse iterandos: dilata res tamen denuò ad Calendas Februarias, quod interuallum illud occupauit silicernij cuiusdam superstitioſum somnium, cuius ad morbum abigendum scilicet, quotidie interim in pago agitata conuiuia sunt. Vbi dies is aduenerat, in frequentissimo coetu, pari, aut etiam maiori ardore, disputauit Brebeufius idem, de cruciatibus malorum sempiternis: quorum fidem postquam eorum altè mentibus infixerat, illud deinde vehementer inculcauit, si tantâ curâ, támque vigili prouisione id cauebant, ne in Iroquiorum manus venirent, à quibus viui spirantésque vstularentur; multo profectò incitatiori studio declinandos esse ignes illos, qui in sempiternum tempus assiduè sint arsuri. Atque hîc demùm perculsus quisque conticuit: Præfectus autem idem ille salutaris fautor consilij, adstantes sedulò hortatus est, daret se quisque Patri in disciplinam, assentientibúsque cunctis, atque suum illud in gratulationibus perfamiliare, *Ho, ho, ho*, ingeminantibus; Quin tu verò, inquit senum aliquis, Patrem compellans, gaudium animi tui conteſtaris palàm? id assecutus quod tàm ardenter concupieras. Paruit Brebeufius e vestigio, solennémque de sancto Spiritu hymnum, qui maximè tempestiuus iudicatus esset, pio cantu cum Francisco Iosepho Mercerio, qui & ipse intererat, persecutus est. Illud additum vno omnium suffragio, magni sanè ad rem Christianam momenti, vt Brebeufius deinceps in Præfectorum esset numero, atque

adeò penès ipſum ius eſſet, concilium deinceps noſtrâ in domunculâ, quoties opportunum cenſeret, cogendi. ANNVS MDCXXXVIII.

EX EA DIE, inſignis ſecuta paſſim ſtudiorum, ſermonúmque conuerſio: in circulis mentio nulla, niſi de eo decreto capeſſendæ fidei: fuerúntque qui conuiuia eam vnam in rem inſtruxerint, vt profiterentur certum ſibi & conſtitutum eſſe vnà cum totâ familiâ Chriſtianam religionem complecti. Hæc verò eos maximè permouebant, incitabántque, mira, rationis dictamen inter, & mandata quæ Dei nomine proponantur, conſenſio: vna atque eadem vbique via inſtitutionis, vt quæ ibi traderentur Huronibus, eadem Kebecci, Montanis, Algonquiniíſque inculcarentur: Catechiſtarum orationis, vultúſque conſtantia, in ijs tuendis quæ docerent: rerum omnium quæ alijs in pretio ſunt, generoſa contemptio: mortis metus nullus, ſingularis illa temperantia, fugáque peruigil rerum obſcœnarum, quibus ipſi ad inſaniam addicti eſſent: impreſſa deinceps eorum mentibus opinio, haud eos vtique eſſe Gallos Sacerdotes, qui in re tanti momenti, quanti vita beata eſt, hallucinarentur: immota illa fiducia Dei, in rebus potiſſimùm aduerſis: pronunciatum denique illud tàm certum, quàm illuſtre; *Non à ſeipſo profectò hominem extitiſſe: ex quo id efficiatur, tanquam ad amnis caput, ſic ad ſupremam aliquam naturam rerum effectricem omnium deueniendum eſſe.* Demirabantur etiam peritiam illam, quæ pro magnete ferreis mentibus nonnunquam eſſe poſſit, res quaſlibet chartis commendandi: cuius vim cùm tàm latè patere Ioſephus Neophytus peruidiſſet, enimuerò partem haud exiguam temporis in lectitandi, ſcriptitandíque labore collocare animum induxit, quò populares deinde ſuos iuuare liceret vberiùs. Vtque eſſet vnde ſuccreſceret noua ſoboles, permouit Deus ſub idem tempus adoleſcentum aliquot animos, qui communi conſilio ad Patres adierunt, in eorum diſciplinâ ſe velle eſſe profeſſi: ac tametſi hyemem pene totam præclaras illas inſtitutiones capeſſiuerunt, diſtulere tamen eorum Baptiſmum Magiſtri, vel quòd illius ætatis leuitatem perhorreſcebant, vel quòd animaduertebant nullaſ-dum eſſe virgines Chriſtianas, quibuſ-cum copulare ijdem illi Catechumeni legitimas nuptias poſſent.

HIS MAXIMÈ in occupationibus tranſactâ hyeme; illu-

ANNVS MDCXXXVIII.

xit aliquando ſancti Ioſephi feſta lux, regionum earum omnium Patroni, vt tedditum eſt, adoptati pridem. Dictus erat is dies ſolenniori Baptiſmo *Aonnetæ*, vxoris Ioſephi, pudiciſſimæ feminæ, quæque puellarem ætatem ad nuptiarum vſque tempus ſic exegerat, vt conſtantiſſimè ſemper à turpi illâ licentiâ æqualium abhorruiſſet. Ergo valere iuſſis patrijs ſuperſtitionibus, quibus ipſa quoque fuerat addictior, tandem Deo ceſſit, & quod concupierat aliquandiu, ſacro lauacro purgata eſt. Prídie eius diei, conſanguineis, amicíſque epulum Ioſephus dedit: nec recuſarunt intereſſe vocati Patres: præmiſsáque ex Eccleſiæ ritu cibis benedicendi formulâ, expoſuit, vxori ſuæ certum eſſe repudiatis in ſempiternum popularibus ſuperſtitionibus, Chriſtianam deinceps vitam agere, vníque rerum omnium parenti & effectori Deo famulari: vnam illam ex totâ familiâ manſiſſe adhuc Baptiſmi expertem: verùm, hoc fortunatiorem fore, quod cùm tùm ipſe, tùm domeſticorum alij quotquot erant, per morbum fuiſſent Baptizati, ipſa valens, atque incolumis tantum è cælo munus poſtridie acceptura eſſet: tùm ſuo, tùm eius nomine precari ſe à conuiuis, adeſſe ne grauarentur: præſertim cùm ad ſuum, ceterorúmque Baptiſmum ſupplendæ à Brebeufio eſſent cerimoniæ quædam haud iniucundæ viſu. Vix gratus rumor percrebuit, cùm rei nouæ expectatione ſuſpenſi, accingunt ſe ſe ſcilicet. Adfuerunt poſtridie non modò primarij, quotquot erant, verumetiam iuuenum pars maxima; &, contrà morem, ſilens, & quaſi admiratione defixa, ſeu moueret apparatus (qui quantus in eâ tenuitate accurari potuit, perſtringebat oculos) ſeu potiùs diuinus Spiritus imis ſe mentibus infunderet. Aderant in confertâ turbâ conſpicui ambo coniuges, cum iiſque, Petrus fratris filius, vnà cum ſororibus Agathâ, Ceciliâ, Thereſiâ. Ac initium quidem ductum à Catechumenâ, hoc eſt ab Aonnetâ Ioſephi coniuge, & præclarum Mariæ adſcitum baptizatæ nomen: tum ſuppleti ij qui defuerant, in Ioſephi, Petri, virguncularúmque trium Baptiſmo, ritus, Annâ, fratris coniuge, ſi dicere fas, inuidente, séque à tàm præclaro conſortio excludi ægerrimè ferente: excludebatur autem non ſuâ culpâ, ſed mariti vitio, qui cùm nondum ſatis alienus videretur eſſe à feralibus illis nugis, nondum quoque ſatis ad

Baptiſmum idoneus viſus, in aliud tempus reijciebatur, quo tempore aptiſſimè adiungerentur prætermiſſi in Annæ, liberorúmque duorum, vt in periculoſo morbo, ritus. Verùm illa, diuturnioris moræ impatiens, & fortè à ſancto inſtincta Spiritu, turbam perrumpit fidens, hinc infantulum geſtans in gremio, illinc quinquennem filiolam trahens, affirmátque æquum eſſe ſe quoque ritibus ijs procurari: nec tàm ardenter flagitanti negari potuit quod concupiſcebat. Vbi ſacro chriſmate delibuti Neophyti erant, ad concionem Brebeuſius verba facere inſtituit, de Chriſtiani Matrimonij dignitate, ſanctitatéque: quæ cùm miro ſilentio excepta eſſent, quærit ex coniugibus, hoc eſt ex Ioſepho, Mariáque, num leges tàm caſtas, tamque ſanctas obſeruare in perpetuum vellent, atque illud potiſſimùm, vt ne de nuptijs alijs cogitationem vllam hic, illa-ve ſuſciperet, ſuperſtite quidem coniuge. Vbi annuerant (nec tanta hinc inde fides etiam ante ſuſceptum Baptiſmum illibatè ſeruata abnueret) Chriſtiano ritu par beatum coniungit, quod felix, fauſtúmque non modò ipſis, ſed etiam naſcenti Huronum Eccleſiæ foret. Secundùm hæc, diuino Chriſti corpore refecti è ſacrâ menſâ noui coniuges, cumiiſque Petrus: aliarum in aliud tempus Synaxis dilata. Tandem modico epulo excepti ijdem à Patribus, cum viris ſex præterea, pagi totius columinibus: ac tametſi dapum ferè nihil erat, præter piſces pauculos, fumo, non ſale conditos, & reſeruatos quidem inde vſque ab autummo ſuperiore; tamen delectati homines non hebetes ſuprà quàm dici queat, vel eâ humanitatis in ſe gentémque ſuam ſignificationè, vel Chriſtianâ Brebeuſij facundiâ, qui ſuper menſam de fidei myſterijs perpetuò diſputauit, erupere in illud *ho, ho, ho*, ſibi planiſſimè ſatisfactum teſtificati. Ex eo tempore & opportuniora cuncta fluxerunt, & lætiora, ſi Annæ è vitâ exitum excipias. Hæc eo ipſo die febre correpta permalignâ, intrà biduum obijt, alieniori quidem tempore, ſi rem humanis momentis æſtimes: ſed; *Quis cognouit ſenſum Domini*? Non modò non eæ turbæ extiterunt, quas metuebant, nec abs re Patres, eo loco præſertim, vbi atrox ſuſpicio paulò antè eos tantum in diſcrimen vocauerat; ſed etiam hoc ipſo anno, opinione maior facta nouellæ Eccleſiæ acceſſio, vnde minimè ſperares.

ANNVS MDCXXXVIII.

ANNVS MDCXXXVIII.

Oeronnij ab Huronibus in fidem Societatémque recepti Christianam religionem ferè omnes amplectuntur.

OENRONNII, gens olim cum Natione Neutrâ, quæ dicitur, amicitijs iuncta & fœdere, post ab eiusdem Neutræ Nationis Societate defecerant, vt nihil in tantâ vel leuitate, vel licentiâ procliuius. Ex eo, assiduis attriti cladibus, Iroquiorúmque immanitatem finitimorum sæpiùs experti, quam neque sine funesto exitio, perpetuísque terroribus ferre possent, neque sine maioribus præsidijs repellere; vicinos Hurones respicere cepere, fortè Gallorum aduentu allecti, quos ibidem sedem fixisse constabat. Ergo cùm hoc anno legationem adornassent de fœdere, re in gentis totius Comitijs vtramque in partem expensâ, visum tandem de consilij sententiâ recipiendos in fidem, societatémque esse Oënronnios: sic enim, inter cetera, firmitatem ac robur aduersùs teterrimos Iroquios, quorum ipsi nonnunquam insidijs appeterentur, accersi. Postquam id steterat, proximum fuit vt pergerent ex Huronibus armati quot nouis colonis sine periculo deducendis pares essent: etenim si non per hosticum habendum iter erat, certè hostium fines propè radendi. Accedebat & longinquitas itineris, leucarum Gallicarum plus octoginta, & difficultas ex impedimentis mulierum, puerorum, supellectilis qualiscunque: constat ex eâ incredibili defatigatione obijsse nonnullos, alios ad vnum penè omnes in morbum incidisse. Erant qui aduenie-bant, plus sexcenti viri, mulieres, pueri, infantuli. Vbi primùm eos appropinquare nunciatum est, concursare Præfecti, ardorem adijcere quisque suis, ad miserorum ærumnas quâ demùm cunque ope liceret subleuandas: quodque rubore suffundat homines, & Christianos, & ad omnem humanitatem exultos; ita hîc se adhibuere, vt ne ipsi quidem sacri Ecclesiastæ Europæi plus in pium opus vllum studij, contentionis-ve afferre sermone posse videantur. Nec in alijs defuit aut voluntas, aut sedulitas: distributi continuò aduenæ in pagos præcipuos: Ossosannæ subsedit pars maxima, quippè loco commodiori, & vt in communi gentis totius tenuitate, locupletiori. Commodùm per eos dies, hoc est sub exeuntem Augustum, Kebecco aduenerat Hieronymus Lalemantius, is qui dum hæc scribo, toti Societâti IESV in Nouâ Franciâ moderatur, vir in rerum harumce Commentarijs perscribendis accuratus; præstanti virtute, & Apostolicæ vitæ tenore clarior. Cum

eo Galli aliquot perrexerant, in Patrum obſequio futuri, ſui quiſque opificij gnari, nec (quod opportunum imprimis) pharmacopoeæ, phlebotomiæque rudes. Hos ingenti cum charitatis ſignificatione adhibent continuò, vnà cum Huronibus, proſtratis aduenarum corporibus operam daturos: ipſi in ſublimiora iuxtà, magíſque neceſſaria intenti, miſerorum ſalutem ſempiternam omni ſtudio captant. Et feliciter pij conatus ceſſere: ægrorum pars medicaminibus recreata conualuit, pars naturæ neceſſitati conceſſit: tùm his autem, tùm illis tam præclarè conſultum, vt qui è vitâ mortali exceſſere, per Baptiſmum ad immortalem euolauerint, ac nonnulli quidem tàm celeriter, vt nullâ aliâ de causâ eos aduenisſe diceres; qui autem è morbo emerſere, ad fidem per otium inſtituti, cooptati plerique ſint in cœtum Fidelium, altiſſimo quodam diuinæ ſapientiæ conſilio, vt qui extremâ calamitate adacti, nihil ab Huronibus niſi ærumnarum perfugium expetijſſent, expectaſſent-ve, ijdem tanquam lapides viui à Deo deſignati ſint, qui in exurgentis iſtius Eccleſiæ fundamento collocarentur. Ergo poſtquam abunde expoſita ipſis erant ſacræ doctrinæ placita, tantus in ijs, in Huronibus aliquot, ínque externis alijs quibuſdam (qui eodem hic huius, ille illius negotij causâ appulſi, ad ſuos deinde diuerſi conceſſere) extitit ardor ad Baptiſmum, vt cùm initio in deliberationem Patres vocaſſent, num, quoniam ſatis ingens numerus erat, ex primitiuæ Eccleſiæ inſtituto in Reſurrectionis Domini, ínque Pentecoſtes peruigilia reijcienda ſacra cerimonia eſſet, viſum tamen denique ſit haud diutius procraſtinandum: in naſcente ſiquidem iſtâ Eccleſiâ cogitandum potiùs quemadmodùm coaleſceret, quàm quâ ratione ad omnem omninò abſolutionem proueheretur. Quare, quoniam & vberrimè inſtituti aliquot erant, & beatæ regenerationis cupidiſſimi, feſtâ S. Martini luce, impertiti fidei ſacramento patreſ-familias tres, & cum horum quidem vno, ſimul vxor, ſimul liberi: ad VI. dein Id. Decembres, qui dies auguſtiſſimæ Deiparæ Conceptæ ſacer, in beatum cœtum adſciti ſolenni cerimoniâ tres item, quatuor-ve patres-familias, cum ſuis ad ſexdecim: ij cum ſuperioribus, cúmque Ioſepho Chiſatenhſâ coniuncti, ad triginta tum primùm Miſſæ ſacrificio interfuerunt, quibus per ætatem licuit, etiam

ANNVS MDCXXXVIII.

ANNVS MDCXXXVIII. corporis Christi synaxim adiere: adeò Reginæ cœli acceptum votum fuit illud, quod ante triennium nuncupatum à Patribus retulimus. Et secutæ pòst paulò nascentis Christi feriæ incensis pectoribus nouas subdidere ad pietatem faces: noctem eam Neophytorum plerique in Ædiculâ sacrâ exegere hoc lætiùs, quod cuncta ad pompam, quantum quidem eæ angustiæ sinebant, haud indecorè composita: illud præcipuè suspensos habebat, quod cùm candelarum vsum nullum gens habeat, coruscantem ab accensis cereis noctem propè in diem vertisse rebantur: verùm ijdem insignem constantiam præ se tulerunt, tùm in frigoris vi perferendâ, homines semi-nudi; tùm genibus nixi ad Missarum quatuor quinque-ve interuallum, quo habitu corporis, populis ijs nullus molestior. Sed nimirùm quem diuina flamma succendit, eum neutiquam frigoris torpor contrahat. Accedebat nouus concionator, Iosephus Chigatenhga: is non minùs factis præiens, quàm pollens oratione, fratres in Christo suos hunc omninò in modum vernaculè compellauit. *Ecquid sibi volunt aliud, aiebat, hæ collucentes, faces, noctísque discutientes caliginem, nisi illius aduentu sanctissimo cuius ortum augustâ cerimoniâ veneramur, dissipatas fuisse orbis terrarum tenebras, errorésque mortalium, cæcutientium ad vitam rationémque vitæ beatæ, purgatos? Quod munus, ac donum iamdiu populis alijs plerisque impertitus, nos hodiernâ primùm luce eâdem beneficentiâ prosequitur: quo documento amoris charitatísque in immerentes filios, ecquod tandem esse queat luculentius? Ac quòd non ea lux nostris hisce tractibus priùs affulserit, id verò arcani cuiusdam consilij fuit, sanè suspiciendi, adorandíque: quòd suauissima Dei prouidentia sic res omnes temperauit, connexuítque, vt dum hîc mortalem vitam agimus, Magistri cælestis doctrinæ ad nos se se inde vsque ab Europâ contulerint, enimuerò est id cuiusdam cælestis muneris tanti, támque eximij, vt neque illud vnquam pro merito, próque dignitate æstimare possimus, neque parem vllam grati animi significationem edere.* Secundùm hæc, sacram mensam obiere omnes vel cælesti quodam gaudio perfusi, vel ad beatam nouitatem attoniti.

PER ÆSTATEM huius ipsius anni excurrit Brebeusius in pagum *Tcananstayaen*, frequentem illum quidem in primis Nationis totius, verùm, tàm infestum eundem, vt paulò antè, publicè

blicè Præfecti iuuentutem ad Patres qui Oſſoſannæ verſabantur, trucidandos incitaſſent. Quid tamen imperuium ei, qui Deo confidat? Vadit intrepidè vir Apoſtolicus: ac Deo confringente *vectes ferreos*, cum priuatis collocutus primùm, mox publico in concilio diſputans, opinione faciliùs euicit, vt ſibi ſociiſque domicilium in pago liceret conſtituere. Dictum factum: tuguriolum nacti, Bethlemitico illi haud abſimile, inquit rerum harumce Scriptor Gallicus, quod naſcentem Deum excepit, incredibili ſuâ admiratione iuxtà, lætitiáque, primum omnium ab orbe condito ibidem ſacrificium ſummo Deo peragunt Patres, ad IX. Cal. Iulias: tum ad Barbarorum inſtitutionem aggreſſi, operam ferè vbique vtiliter poſuere. Sed nihil tàm eorum mentes defixit, ac altiſſimum conſilium Dei in congregandis ſuis. Exferâ, atque immani Iroquiorum gente, Huronum in manus venerant captiui ad centum, eodem conſilio ex ſuis egreſſi finibus, quo deinde ad Huronum perniciem tàm multas expeditiones ſuſceperunt, latrocinantibus quàm bellantibus propiores. Inter eos enituit præcipuè Ononolwaïa, Præfecturâ antè apud ſuos inſignis. Nam vbi ad Huronum fines Iroquij peruenerant, dum appropinquant taciti, in eos inciderunt velites Huronum quidam, præmiſſi à ſuis, qui & ipſi in armis erant, & quà aduentabant Iroquij, ſubſequebantur eodem animo & conſilio, at longè plures quàm Iroquij. Refugientibus alijs, captiuus Huronum vnus, ſciſcitanti Iroquio de numero, déque robore eorum à quibus eſſet præmiſſus; per familiarem vafritiem eorum & numerum minuit, & robur eleuat, conteſtans populares ſuos haud vtique poſſe reſiſtere, quippe qui & pauciores Iroquijs eſſent, & fortes minùs. Hæc ab eo tàm aſſeueranter, támque aptè ad fraudem confirmata, vt qui Iroquij referre pedem penè conſtituerant, id quod experti deinde ſunt veriti; permanere conſtituerint. Nec mora, adeſt confeſtim Huronum agmen, Iroquiorúmque præſidium vallat vndique: quippè numero longè ſuperiores Hurones Algonquiniíque erant. Quid facerent tali in re ac tempore deprehenſi? Primùm omnium in captiuum Huronem indignatione & furore perciti immaniter ſæuiunt, miſerúmque delacerant: tùm, quà, præcluſis alijs, vnum adhuc patebat effugium, euadendum plerique ferè omnes

ANNVS MDCXXXVIII.

Captiui centum Iroquij baptiſantur.

ANNVS MDCXXXVIII.

censuere. Vbi ventum ad Ononolgaïam oculos in cælum sustuliſſe dicitur, Solémque intuens miros, quod ſine nube dies erat, eiaculantem fulgores, orationem hanc ad commilitones habuiſſe; *Eſſet id quidem conſilium tolerabile, ſi cælum nimbi obtegerent, neque tàm probroſæ ignominiæ futurus Solteſtis eſſet: nunc quando in illius proſpectu verſamur, committendum planè certamen, quoad vires ferent: id ſi minùs proceſſerit, tum demùm de ſe quiſque, vt videbitur, ſtatuat.* Perpulit tanta fidentia alios in eam ſententiam: at eo euentu, vt victores Hurones Iroquijs ad duodeuiginti modò interfectis, reliquos ceperint viuos: quatuor tantùm, quinque-ve exceptis, qui fugâ ſibi maturè conſuluerunt. Pòſt, capti diſtributi ſunt per pagos, diris poſtmodum excarnificandi cruciatibus, & ſcilicet denique lentis ignibus abſumendi: quotquot Teananſtagenſibus traditi, vel vicinis, ſic procurati ſunt, vt nullus Baptiſmi expers interierit, plerique omnes illuſtria indicia dederint fruendæ breuî illius, ad quam per flammas alacres properabant, ſempiternæ felicitatis. Fuere qui tantam animo ſuauitatem hauſerint ſecundùm ſacrum lauacrum, vt continere ſe non potuerint, quin illud ſolidiſſimæ conſolationis argumentum vernaculo rythmo, patrio more includerent, moduliſque perſecuti ſint; *Pro nihilo ſe infeſtos ignium ardores ducere, quando certa ſpes eſſet in cælum proximè euolandi.* Nonnulli cùm ad geſticulationes ſolicitarentur obſcœnas, quâ nefandâ corruptelâ nihil eo temporis articulo totâ gente tritius, reſtiterunt inſigni conſtantiâ: aliorum, in tormentis tàm mira dolorum patientia enituit, vt anſam hinc arripuerint Hurones, vetandi, ne miſeris deinceps ſalutaris vnda infunderetur, quod ominoſum patriæ eſſe cenſeant, ſi qui captiui comburuntur, aut nullos, aut modicos tollant clamores: ita depugnandum pòſt fuit cum ijs, quorum cuſtodiæ crediti infelices erant, vt eos tingere liceret, nonnunquam eâ facultate pretio redemptâ. At Ononolgaïa, Petri in Baptiſmo nomen ſortitus, cùm ad palum alligatus eſſet, haberétque in proſpectu è palo item religatum popularem quendam ſuum, impatientiùs ad vellicantes dolorum morſus animo commotum; ægrum mentis ſolari non deſtitit accommodâ oratione; Reputaret quantum ſibi boni contigiſſet in illâ quæ putabatur infelicitate, quando ijs quos nullâ iam viâ

declinare integrum eſſet, cruciatibus, ſucceſſura mox eſſet vita beata: cúmque ille in iſtâ perturbatione egiſſet animam, Petrus de eius ſempiternâ deinceps ſorte anxius; An ſaltem, inquit, mi ſodalis, ante mortem ſategiſti Dominum Deum propitiare? Vbi illum deſtinatis prætereà cruciatibus mors Barbarorum opinione citior eripuerat, enimuerò in Petrum tota dein ingenioſæ crudelitatis rabies incubuit, hoc atrociùs, quod quæ duobus parata erant, vnum deinceps corpus excipiebat. Ergo præter ea quæ horribilia plurima pertulerat, e-veſtigio vnus aliquis ex dirâ cateruâ excruciantium, capitis cutem, cultri acie in orbem circumſcriptam incidit primùm, mox nudato cranio abſtrahit, capillitium ſcilicet, ex veteri bellantium Barbarorum inſtituto, pro trophæo oſtentaturus, ſeruaturúſque perdiligenter. Poſt eam carnificinam, cùm vix in attrito tormentis corpore ſenſus vllus vitæ ſupereſſe putaretur, Petrus (vnde inſtinctus neſcias; factum, quando Scriptor Gallicus, vir acerrimi iudicij idem, & ſingularis doctrinæ, tollit laudibus, ego damnare non auſim) poſtquam vicina omnia luſtrans oculis, nihil in ferali pegmate, niſi calamitoſi ſocij exanimum corpus aſpexerat, vt ſolutus erat vinculis, laceras manus præuſtâ ſude armat. Enimuerò ad ſpectaculum inſperatum, inſolénſque exardeſcere circunſtantium Huronum furor, ingeminare clamores: tum in eum candente quiſque ferro armati inuolant.

ANNVS MDCXXXVIII.

Ononoldaïæ robur inſolitum.

NEC SECVS repugnat ſemiuiuus athleta: in obuium quemque ambuſtus terrorem torquet, rotátque: ſcalas hinc inde appoſitas diſijcit, ne quà ſuccedere in pegma alij poſſent. Spargit, atque diſſipat vndique infeſti rogi prunas, fauillámque, cuius ardores in ſe ipſe erat expertus. Ac ad miſerationem quidem flexiſſent pectus haud planè ferreum defluentes in totum corpus è capite riui ſanguinis: ſed quæ res furentes carnifices mitigare debuerat, eadem immanium crudelitatem accendit. Ergo ſeu gladiatorio ſpectaculo paſcerentur fera pectora, ſeu tantum in captiuo robur iniuriam interpretarentur ſuam; alij calentem fauillam eminùs in fortem pugilem eiaculari, alij per rimoſa aſſerum interſtitia flammatos torres inſerere varijs locis: vt quacunque ſe miſer verteret, vel incurreret in ignes, vel appeteretur ignibus: nec mouere

ANNVS MDCXXXVIII.

pedem partem in vllam posset, quin adesset incendium. Tandem post diuturnam dimicationem, fallente vestigio, labitur; concurrunt extemplò hostes, hominem vndique vstulant, in rogúmque denuò propellunt. Quid faciat vir aliâ fortunâ dignissimus? Vt erat totus coopertus cinere, emicat in pedes: ex rogo binas tædas corripit, ambabúsque manibus, intorquet in confertissimum bustuariorum agmen: pérque pauidos, attonitósque gradiens, pagum versùs iter intendit, quasi ædificia incensurus. Iámque centum circiter passus progressus erat, cùm fuste debilitatus, magnâ vi in lacerum iam corpus impacto, corruit. In iacentem truculenti carnifices inuolant, antequam exurgere licuisset: manus, pedésque non tàm præcidunt, quàm truncant: tum mutili corporis reliquum per rogos ipsos nouem versant, quos penè omnes generoso cruore fortissimus athleta restinxit. Tandem, ne quâ non parte corporis vno eodémque momento vstularetur, quà contis, quà manibus sub ardentem arboris truncum nequidquam reluctantem supinum propellunt: atque hîc collectis extremùm viribus, eo impetu qui omnium opinionem fefellit, quíque vix cogitatione capi queat, vt erat minutus manibus, pedibúsque, truncum tamen corporis per flammas moliens, è rogo erepsit, tum & cubitis nixus & genibus, plus decem passus hostium cateruam versùs progreditur, cedentibus cunctis, fugáque se se subducentibus: donec vnus à tergo caput machæra demessuit, ictu quantum quidem augurari licet, fortunato: quandoquidem hostes ipsi consensu prædicabant fuisse profectò vim illam humanâ maiorem: tantúmque animi, manasse dubio procul ex ijs Christianorum aquis: vnde enim, si non istinc, tantum corporis robur, tantam mentis fortitudinem extitisse? Sanè, quando sacra ipsa oracula diuinæ virtuti adscribunt mox emorituri Samsonis robur mirabile, maiorem, dum occumbit, stragem Allophylorum edentis, quàm vnquam antè edidisset; nec modò non reprehendunt, sed etiam collaudant Raziæ factum sanè insolens, suo ipsius cruore circunstantem hostium multitudinem respergentis, postquàm se præceps è summo domus culmine deiecerat, ne viuus eorum in manus veniret, quid vetat tantam optimi Neophyti constantiam cælesti cuidam opitulationi tribuere, id agentis, vt

2. *Machab. cap.* 14.

ANNVS MDCXXXVIII.

ſe, quando aliter non liceret, nonnullo cum hoſtium incommodo indigniſſimo iuxtà, & atrociſſimo cruciatu eriperet. Præſertim cùm Barbarorum nonnulli, nec ſine ſtupore prædicarint, Petrum, paulò antè quàm extremum illum ictum exciperet, vnde mors conſecuta, oculorum aciem in cælum ſuſtuliſſe, exultantémque exclamaſſe; *Eamus ſanè, eamus*, quaſi vocanti cuipiam, & in illas Beatorum lucidiſſimas ſedes accerſenti reſponderet. Ita vnius virtute conſultum omnibus: perierant enim vtique, quantum quidem augurari licet, niſi perijſſent: quæ enim tandem ſpes Baptiſmi, ſi ſe ad ſuos recepiſſent? ſed nimirum Dominus Deus tum plerumque re maximè miſericors, cùm ſæuit maximè in ſpeciem, turmam illam ſibi ſelegerat, & ſcilicet per arduum flammarum tramitem (quas omnes ſuo quiſque loco experti) ad cælum voluerat pertingere, ſalutaribus Petri monitis.

CETERVM NON DEFVIT ſibi ex aduerſo teterrimus humani generis aduerſarius, occupatam ab omni memoriâ tyrannidem quà vi, quà fraude propugnans, & (quod mirere) fallacibus præſtigijs, alijs exitioſè illudens, alios in auitâ ſuperſtitione retinuit, hoc periculoſiùs, quòd Euangelicos operarios aſſiduè in inuidiam vocabat. In pago *Angɣteno*, haud procul Oſſoſannâ, mulier dum nocte quadam ad ſacrilegam cerimoniam, quæ ibi loci agitabatur, approperat, filiolam in ſinu geſtans; ſpectrum videt ſanè formidoloſum. Nimirum, Luna, quæ cælo ſublimis fulgebat, viſa, relictâ ſtatione deſcendere, capitíque euntis inſidere primùm: mox formâ derepente mutatâ, muliebrem figuram induere, inſigni ſeu venuſtatem, ſeu ſtaturam ſpectes, dignitate, & filiolam ſcilicet ipſa quoque ſuam geſtitans: Tum infortunatam feminam humanâ voce compellans; Ego inquit, tùm regionum harumce omnium, tùm incolarum, Numen ſum immortale: id vt neve tu, ne-ve ceterorum quiſpiam addubitet, volo, ac ſtatuo, ab eorum vnoquoque qui hos incolunt fines, donari te re aliquâ earum, quas fert cuiuſque regio, à *Khiono tateronÿs* nicotiá, ad *Attiɣandaronÿs*, veſte ɣtai: ad *Askicɣaneronÿs*, tibialibus & zonâ, ad *Ehonkecononÿs*, pelle ceruo detractâ. Pergit monſtrum enumerare nationes aliquot alias, & ſcilicet Gallos admiſcet, ab iiſque pro ſymbolâ conferri debere ſtragu-

Quibus præſtigiis dæmon Barbaros populos in auitâ ſuperſtitione retineat.

ANNVS MDCXXXVIII.

lum vnum coloris cærulei. Ac deinceps; Quæ feſta cerimonia hîc peragitur, inquit, per-mihi grata eſt: inſtaurari eam volo totius paſſim regionis in pagis: te verò quoniam diligo potiſſimum, volo perſimilem eſſe mei, veſte ſaltem tenùs: vt ſicut ipſa totâ ignea ſum, ita ignei coloris tu quoque veſtem circumferas, rubrum, inquam, pileolum, plumam rubram, rubram zonam, rubra tibialia, rubros calceos, rubras tænias vittáſque. Hîc pedem refert infortunata mulier, ſéque ſuam in caſam recipit. Vix ingreſſa erat, ſimul vertigine corripitur, ſimul contractione neruorum, ex quo periti ſcilicet cenſuere haruſpices, eam *Ononhsaroiâ* laborare, hoc eſt vertigine: morbi, vel veriùs ſuperſtitionis id genus eſt, tali in re vſurpari ſolitum. Et ſenticbat idem ægra, hoc procliuiùs, quod in ſomnio nihil occurrebat niſi euntium redeuntiúmque concurſationes. Quare inſtitit petere, ſui causâ præclara cerimonia exerceretur: & quoniam Oſſoſannæ nata, educatáque erat, ibi potiſſimùm rem peragi ſibi placere ſignificauit. Nec mora, de ægræ deſiderio certiores facti Præfecti, concilium cogunt continuò: ibi res ad publicam regionis ſalutem magnopere pertinere iudicata: proinde minimè committendum eſſe vt prætermitteretur: nihil non faciendum, vnde ſe ægra putaret procurari aptè poſſe. Ergo ne qua mora interponeretur, poſtridie ſummo manè inconditi clamores perſonant adhortantium ad ægram deducendam ocyùs, iubentiúmque, quiſque ſe pro virili ad feſtam cerimoniam comparet. Dum autem ad fanaticam mulierem curritur veriùs quàm itur, cogitur interim denuò concilium, ad illúdque inuitantur Patres, & quid in deliberationem vocandum eſſet, neſcij, veniunt. Ac nullâ ferè præfatione, proponit ſtatim Præfectus, optaſſe maiores natu huic vt conuentui Galli intereſſent, quòd auerent magnopere cognoſcere quid ipſi ſentirent de apparatu feſtæ celebritatis illius, quæ pagum totum ſolicitum, ſuſpensúmque haberet: enarratóque præclaro colloquio furentis mulieris cum Lunâ ſcilicet, quærit ecquid eius poſtulata cum Gallorum religionibus pugnent. Reſpondent paucis Patres, *Nihil fieri ab ÿs poſſe patriæ exitioſius: ea omnia ad cultum, obſeruantiámque pertinere vaferrimorum dæmonum, quibus tamdiu tàm luctuosè obſecuti Hurones eſſent: eâ viâ corroboratum iri ipſorum tyrannidem,*

omni iugo, omníque ſeruitute grauiorem: ſi tam ſceleſtis dominis famulari pergerent, luctuoſa cuncta in poſterum, funeſtáque haud dubitanter fore. Hîc verò ſummus pagi Præfectus, homo verſutus imprimis, quaſi Patres ſecundùm nefariam cerimoniam ſenſiſſent; Agite dum, ait, iuuenes, agite feminæ: eia fratres mei tàm neceſſario, támque ingentis momenti officio pietatis in patriam, more inſtitutóque maiorum, alacres, erectíque animis defungamur. Tum in eandem ſententiam cum multa alia addidiſſet, quantâ poterat maximâ vocis contentione, ſubmiſſiùs deinde proximè circumſtantes compellans; Hoc ipſum, inquit, eſt quod ſapienti conſilio Gallis nepotibus meis inculcaueram, autumno ſuperiore; Multa omninò hîc apud nos occurſura, quæ ad ſomnia noſtra, ritúſque iſtiuſmodi patrios pertinerent, haud omninò cum ijs quæ noua afferrent conſentientia: hæc vbi vſu-venirent, tum verò conticeſcerent, diſſimularéntque: eadem illa progrediente diè antiquatum iri. Et aliàs, inquit, ad Triſluuium, Kebeccíque inſinuatum nobis eſt, dum intrà quadriennium Chriſtianam fidem amplecteremur, ſatis fore. ANNVS MDCXXXVIII.

DVM' AD EVM MODVM perfidiosâ diſſimulatione, Patrum mentes, intimáque præcordia impunè ſauciat veterator, dant ſe medium in conuentum à fanaticâ muliere legati; adeſſe ipſam, ac petere ad ſe viri duo mitterentur, puellæ totidem: certo veſtitu cultúque quem deſcribebant, ijs ipſam expoſituram coràm, quid deſideraret, quo-ve ritu curanda prorsùs eſſet. Et deſignati continuò, qui præclaram prouinciam obirent, ad eam accurrunt cum muneribus: mox reduces, penè nudi (neque enim munera tantùm retinuerat, ſed veſtem ferè omnem detraxerat Mænas) nunciant ipſam, præter leuiora illa, munera ad duo & viginti diuerſa expoſcere, in ijs ſtragulum cærulei coloris non quodlibet, ſed quod omninò Galli cuiuſpiam eſſet. Et cetera quidem conquiſita confeſtim tàm ſtudiosè, vt antequam ſolueretur concilium, ad quindecim collata ſint: in ſtragulo quoniam plus laboris fore præuiderant egregiarum religionum Interpretes, Patres circunſtant, enixè rogant quod tàm facilè ſubminiſtrare de ſuo poſſent, illud ne publicis vtilitatibus negarent: æquum eſſe, vt quando illo in pago domicilium conſtitutum haberent, ipſius quoque com-

ANNVS MDCXXXVIII.

modis ſtuderent. Sed nimirùm rupe firmiores ſerui Dei, perſtant in propoſito immoti: illudi ſibi indignum in modum: ſi propterea in concilium vocati eſſent, vt à ſe quidpiam extorqueretur, vnde creſceret Satanas, factam ſibi iniuriam: ſi conſanari mulier nequeat, quin ipſi in execrandæ ſuperſtitionis communionem venirent, abiret ſanè miſera, neque à ſe quidquam opis iſtiuſmodi expectaret. Quæ vbi magnâ conſtantiâ conteſtati eſſent, in ſuam ſe caſulam mœrentes recepere. Sed diu quietis eſſe non licuit: vix horæ dimidia pars effluxerat, cùm à conuentu miſſus Præfectus adfuit, expoſuítque, ceteris ſubminiſtratis muneribus, vnum illud ſtragulum déeſſe; verùm, nihil euicit: illud modò addiderunt Patres, ſi à ſuperſtitioſâ cerimoniâ diſcedere planè vellent de cetero, ægrámque feminam eò vnde aduenerat, ablegare, tum verò ſe haud grauatè publico aut ſtragulum daturos, aut aliquid aliud maioris pretij: ſin pergerent, neque ſtragulum à ſe, neque verò quidquam aliud extorturos. Sed quanta Patrum conſtantia in recuſando, tanta miſerorum in vrgendo pertinacia fuit: ſub veſperum, ſolenni vociferatione præconis, iubetur quiſque luculentum ignem in foco accendere, diſpoſitáque hinc inde ſpatia, peruia ſeruare: adfuturam mox ægram, luſtraturámque caſas omnes: eadémque paulò pòſt vbi Sol occiderat, iterata magnis clamoribus denunciatio: quò maiores ignes forent, hoc eam celeriùs leuatum iri. Eſt hæc, vt antè inſinuauimus, tùm alibi paſſim apud eos populos, tùm apud Hurones, tuguriorum conformatio, vt hortorum noſtrorum pergulis haud abſimilia, in longum magnopere tendantur. Vt plures paucioreſ-ve familiæ vno, eodémque tecto continentur; ita plures paucioreſ-ve foci ſunt, in latum diſpoſiti, per duorum trium-ve paſſuum interſtitia, relicto ſupernè vaporario. Per medios eos ignes, vbi hora adfuit, inambulauit furens mulier, nudis pedibus, cruribúſque, non modò nihil violata, id agente dæmone, ſed etiam identidem clamitans frigere ſe: ligna haud ſat largè repoſita: viris interim duobus, qui manus gradientis hinc inde ſuſtentabant, ab rogis ſtudiosè declicantibus. Quinetiam nerui, quos contractos dixeramus, laxati tum dicuntur, ſeu in procinctu præclaræ inambulationis, ſeu poſtquam aliquot iam rogos calcauerat. Vt vt id fuit, poſtquam

quàm ignes omnes decurrerat, eò vnde profecta erat, ijſdem illis comitantibus ſe recepit, hoc eſt in caſam eam, quam ſibi in id tempus ipſa pro domicilio elegerat. At Pagani penè ad vnum omnes, ſi capulares aliquot ſenes exceperis, furere de more, toto eo triduo, noctibus præſertim, & veſpertino tempore, caſas circuncurſare omnes, vultum, oráque fœdati varijs coloribus, ad eum ferè modum quò laruati noſtrates per Bacchanaliorum licentiam, tàm inconditis clamoribus, támque ingenti ſtrepitu, vt lymphatas Mænadas crederes, vel furias potiùs. Nihil proteruiæ, nihil petulantiæ prætermiſſum: quidquid obuium occurrebat, diſſipare, vel comminuere, euertere lebetes, fictiles ollas diffringere, canes fuſtuario necare: calentem fauillam, atque adeò prunas, hac, illac iactare, quacunque ægra tranſibat, nemine muſſare audente interim, nedum inſanos furores inhibere. Vbi primam noctem eum in modum exegerant, poſtridie manè, ſub Solis ortum, luſtratis denuò tugurijs alijs, quæ lymphata femina adierat, ad eam facto agmine concurrunt, illâ in casâ verſantem, quam pro domicilio ſumpſerat, nouæ exequendæ cerimoniæ. Nempe ex ſolenni ritu feſtæ inſaniæ, (Satanæ vtique, quod ipſe miſeræ ſignificauerat, acceptiſſimæ, cùm nulla pars corporis, nulla animi vis aut facultas eius tum cultu vacet) illud conſequens erat deinceps, vt quid concupiſceret, ipſa per ænigma proponeret. Eſt enim hæc vna ex iocularibus ijſdem Tartarei veteratoris, & plerunque obſcœnis verſutijs, in iſtiuſmodi Orgijs haud infrequens, vt eſt inſinuatum antè, quòd, quid æger ægra-ve habeat in animo, circunſtantes quaſi diuinando referare iubet, ſi tamen hæc diuinatio eſt, ac non potiùs coniectura ſolertior, quâ quiſque, ex ijs quæ perobſcurè vir, mulier-ve cuius causâ hæc peraguntur, ſubindicauit, aſſequi ſtudet quid tandem concupiſcat: ac ſiquidem ſenſum illum mentis ſuæ fuiſſe confirmauerit, tum plauſus ingens tollitur, quaſi re benè perfectâ: ſin, rodendi vngues denuò, & quid illud potiſſimum ſit, inueſtigandum ſtudioſiùs. Eſt qui dicat ſe concupiſcere id quod in ſe lacum geſtat incluſum: & cucurbitam ſignificat: alius, ſuis in oculis legi poſſe quid velit, & deſignat grana quædam, orbiculos-ve, ſeu ex conchâ veneriâ, ſeu aſſimiles, colorum vario-

ANNVS MDCXXXVIII.

rum: aliáque id genus: quæ ſi non attigeris tu quidem prorſùs, verùm propiùs acceſſeris: enimuerò illud quidquid eſt, quod obtuleris, per alia tuguria circunferunt, quò, excluſis compluribus, faciliùs conſequare quid re ipsâ deſideretur: illud tamen religiosè obſeruare dicuntur, vt id poſtmodum reſtituant: penès eos fides eſto. Ergo iſtiuſmodi ænigmata veſana mulier tàm multa propoſuit, vt re poſtmodùm in conuentu examinatâ, centum ipsa ad ægræ ſenſum explicata fuiſſe deprehenſa ſint. Poſtremò die tertiâ aditę caſæ denuò omnes, & de more ducta quaſi publica ſupplicatio. Præſtolabantur mœſti ac ſilentes, ad tugurij fores, vnde inſana proceſſura erat: anteibant aliquot, ſubſequebantur plures: omnes vultu ad ſtudioſam quandam afflictationis, & tanquam pœnitentiæ imitationem deiecto, ægrâ præſertim nihil in ſpeciem triſtius: Sic tamdiu ſe verſauit mulier, vt extremum illud ænigma reſeratum ſit, atque adeò habere cepit meliùs: ex quo vel euidentiſſimè cerni potuit totum id ab Satanâ excogitatum, perfectúmque. Deo tamen ſtolidos eius conatus eludente, longè alius exitus fuit, ac putarat, voluerat-ve. Matre reualeſcente (neque enim planè ad mentis ſanitatem redijt) in morbum incidit eius filiola illa, quam tunc geſtabat ſinu, cùm Auernale ſpectrum obuerſatum eſt oculis. Eam occaſionem vel nactus, vel ſecutus Sacerdotum is, cui Miſſionis illius cura incumbebat, aduolat celeriter, infantulámque Deo per Baptiſmum conſecrat. Cúmque poſt paulò infantula grauiter vſtulata eſſet, dum dolori quæruntur remedia, idem ille Sacerdos ſe ſe inſinuat, & factus omnibus omnia, paruulæ iam in Chriſto regeneratæ abblanditur hoc propenſiùs, quod cum cœli candidatâ agere ſe ſe nôrat. Et matrem deliniuit huiuſmodi facilitas: ſenſim ſiue ſenſu quò volebat Sacerdos, ipſa per ſe deſcendit, vt & quæ miſero illo triduo geſta eſſent, & quæ cauſa anteceſſiſſet, exponeret. Confirmauit igitur omnia, quæ perſecuti ſumus, addiditque, poſtquam ſtragulum illud, quod tàm enixè flagitabatur, dare renuerant Patres; noctu ſibi vafrum eundem impoſtorem adſtitiſſe, dixiſſéque, Gallos illos Sacerdotes ſua ſibi priuatim habere, aliiſque viuere moribus: proinde, quamuis ſtragulum illud tradere recuſaſſent, reualitu-

ram tamen ipſam: cetera ſiquidem bellè habere: porrò curaturum ſe deinceps, ne quid ab ijs tali in re vnquam eſſet expoſcendum. Verùm, ſi hæc ità reipsâ habuerunt, non ſe ſatis intelligere profitetur Gallicus Scriptor, quam in ſententiam hæc veterator torqueret: ipſum certè, vt mendax eſt ab initio, ita hîc egregiè eſſe mentitum: quandoquidem ſæpiùs ex eo Patres eâdem in causâ interpellari curarit, at ſucceſſu nihilo meliore: ſemper enim conſtantiſſimè negata fuiſſe, quæ impudentiſſimè tales in vſus flagitata ſint. ANNVS MDCXXXVIII.

HISTORIÆ CANADENSIS.

LIBER QVARTVS.

ANNVS MDCXXXIX.

LVDOVICVS XIII. Chriſtianiſſimus Galliarum Rex, Annáque Auſtriaca, cùm tres & viginti ipſos annos in matrimonio ſine liberis fuiſſent, tandem diuino munere prole aucti ſunt. Poſtridie Non. Septembris anni ſuperioris, edidit Regina feliciter Ludouicum XIV. A Deo datum vtique, qui dum hæc ſcribimus, pueritiæ emenſus ſpatia, in ſpem rerum maximarum adoleſcit. Vt nihil accidere potuit ſuſpenſæ tamdiu Galliæ optatius, ita nihil illa prætermiſit, vnde ſingularis ſuæ lætitiæ ſenſum exprimeret. Vbique in templis ſolennis gratiarum actio benigno propitióque Numini: vbique per vicos feſti ignes: vbique lætus bombardarum fragor. Eos plauſus pro ſuâ tenuitate veteris Franciæ Noua æmula imitari conſtituit, ac ſi celebritate, ſplendoréque, infinitè propemodùm infrà relinquebatur, ſtudio ſaltem, intimáque exultatione par eſſe. Vbi primùm appulſæ naues feliciſſimum nuncium attulerant, grates ſolenni cerimoniâ, ex Eccleſiæ ritu piè actæ Deo: tum feſtæ pyræ excitatæ,

ANNVS MDCXXXIX.

quanto ijs locis maximo licuit apparatu. E nitrato puluere eliciti ignes per tubos longiores, ad cœlum vſque torqueri, collucere ſidera, aurati imbres depluere, crebris funalibus illuſtrari nox, tormentorum propè tonitru vicina nemora longè, latéque perſonare. Et commodùm aderant iam Hurones, de more Kebeccum, ad totius regionis emporium delati: ij, quoniam nihil vnquam tale neque auribus, neque oculis vſurpârant, attoniti ac ſtupentes, dexterâ ad os applicitâ lætam animi perturbationem præ ſe cuncti ferebant. Sed partes potiores pietati, religioníque tributæ, vt vbique quidem conſentaneum, neceſſarium verò apud eos populos, quibus ſub traditæ tradendæ-ve fidei primordia inculcandum potiſſimùm fuit, lætos omnes, ſecundóſque rerum euentus vt à Deo ſunt, ita Deo acceptos eſſe referendos. Ergo paucis interpoſitis diebus, ſupplicationem duci placuit, hoc illuſtriorem, quò plura clarioráque ſeu lumina, ſeu ſubſidia è Galliâ recèns aduenerant. Namque hoc demùm anno in Nouam Franciam penetrauere Sanctimoniales virgines Monaſteriorum primordia duorum, earum, quæ ægrorum curam proprio inſtituto complectuntur, & earum quæ edocendas ſuſcipiunt puellas: illas *Hoſpitalarias* vulgò, has *Vrſulinas* vocant, quaſi dicas S. Vrſulæ ſectatrices: ab eâ ſiquidem Patronâ, ſub regulâ S. Auguſtini nomen ijs totâ Galliâ factum. Illæ Xenodochium ſuo Parthenoni vbique adiunctum habent, ægríſque omni ope ſubueniunt: hæ & virgunculas inſtituunt paſſim, quotquot ad pia illa gymnaſiola, ceu ad publicas ſcholas ex omnibus ciuitatum vicis mittuntur, & in conuictum admittunt nonnullas, intrà ſepta ipſa Monaſteriorum, loco tamen ſeiuncto, ad omnem vel pietatem, vel vitæ ciuilis elegantiam informandas. Priores optauit, modicíſque reditibus inſtruxit Maria à Ponte, Duciſſa Eſguillonea, illa de quâ iam nos ſuprà Richelæi Cardinalis ex ſorore neptis. Hortatu maximè Magdalenæ à S. Ioſepho, Monialis ex ſacro Carmelitidum Ordine earum quæ diſciplinam arctiorem ex S. Tereſiæ inſtitutis profitentur. Extat eius Vita ſcripta Gallicè, quæ quàm cordi eſſent Religioſæ virgini quæ in Nouâ Franciâ ad deſtitutarum animarum vtilitates à Patribus Societatis IESV gererentur abunde declarat. Poſteriores Magdalena Chauuinia ipſa per ſe deduxit, non

Monaſteriorum duorum Sanctimonialium virginum primordia in Nouâ-Franciâ.

ANNVS MDCXXXIX.

opes modò ſuas, verùm ſe quoque tàm ſalutari operi addicens. Hæc Vagoriti (vulgò, *Alençon*) in Neuſtriâ nata educatáque ſub optimorum parentum, locupletúmque diſciplinâ, inde à primâ pueritiâ, Chriſtianæ perfectionis cupidior, iam tum piè & religiosè in opera charitatis incumbebat: grandiuſcula ad cœleſtes nuptias propendebat ſic, vt à matrimonio abhorrere ſe, non obſcurè præ ſe ferret: mos tamen gerendus patri fuit, ineundúmque coniugium cum viro haud diſpare, à quo deinde, ex more Galliæ, dicta Pelteria. Cum eo ſummâ concordiâ cùm haud totum ſexennium exegiſſet, vnicâ ſuſceptâ filiâ, quæ ſecundùm Baptiſmum ad Beatorum ſedes euolauit, vbi iuſta demortuo ritè perſoluerat, iam ſui, vt quidem rebatur arbitra, cùm ex annuis literis Nouæ-Franciæ volutaret ipſa ſecum frequens, quanti porrò ad Dei gloriam momenti eſſet, Barbararum puellarum inſtitutio; nec opibus, ſi de ſupremi ſemel numinis voluntate comperiſſet, nec labori parcitura, in morbum incidit tàm grauem, vt de eius vitâ conclamatum ſit à Medicis. Ipſa quid tandiu animo agitaſſet, egregiè memor, ingentem animo ſuo ardorem ſubdi ſenſit, ad concipiendum votum reſque ſuas, ſéque Deo ad opem Nouæ-Franciæ ferendam conſecrandi: & verò ſanctè promiſit, vtrumque, ſi reualeſceret, perfecturam, nemine omninò mortalium tàm generoſæ conſcio pollicitationis. Poſt paulò quàm votum nuncupauerat, adeſt Medicus, explorátque arteriam: periculíque nihil deinceps eſſe ipſe demirans; *Enimuerò faceßiuit*, inquit, *morbus tuus in Nouam-Franciam.* Subriſit ægra, confirmatáque magis, ac magis eſt in ſuſcepto conſilio, vel è tàm repentino leuamento intelligens quod vouiſſet gratum, acceptúmque benigno Deo eſſe: paulóque pòſt valetudine planè recuperatâ, vnum illud mente noctes, diéſque verſabat, quemadmodum quæ deſtinaſſet, aptè congruentérque efficeret. Sed nimirum, non facillimè res tantæ perficiuntur: eluctandæ graues difficultates fuerunt. Pater filiæ perſtudioſus, quæ & formâ floreret, & ætate, & ſcilicet ex ingenitâ vulgò parentibus cupiditate, ex ea nepotes concupiſcens, ſecundas nuptias obtrudit, tàm pertinaciter, vt nî faxit, exheredaturum filiam minitetur. Quid hîc ageret Magdalena? Hinc nuptias angue peius horrebat, illinc videbat, ſi paternis opibus deſtitueretur, omnem ſibi

facultatem adimi Vrſulinas Moniales collocandi in Nouâ-Franciâ, ad indigenarum puellarum, quam animo coquebat inſtitutionem. Has curas animo verſanti adfuit, vt aſſolet diuinum præſidium: patri ſatisfecit ſic, vt nihil tamen à propoſito vel colendæ caſtitatis, vel iuuandi Nouam-Françiam diſcederet. Perraro exemplo repertus eſt Bernerius vir illuſtris, quippe è Regiorum Quæſtorum ordine, dignus vtique cuius nomen nulla vnquam obterat obliuio. Is tanquam à Deo ſubmiſſus, lectúſque qui in communionem veniret præclariſſimi conſilij: Magdalenæ captus modeſtiâ, eam depopoſcit vxorem. Iam illa viduitatis ſqualore poſito, ad veſtium nitorem, cultúſque elegantiam, externi dumtaxat, patri vt obtemperaret, redierat: hinc à nuptijs minùs abhorrere putabatur. Ergo cùm ex patris voluntate ad colloquium admiſiſſet Magdalena Bernerium, rem vtique totam moderante Numine, haud difficillimè homini pio perſuadet caſtimoniam: ità demum ſe in id matrimonium conſenſuram pollicita, ſi, quod è Sanctis plurimi feciſſent, caſtæ, integræque liceret eſſe in coniugio. In Valerianum Cæcilia inciderat: conditionem accepit vir religioſus: ita ſummâ parentis gratulatione Magdalena ſeriò de nuptijs cogitare exiſtimata. Sed non diu diſſimulare opus fuit: dum hæc ſtudioſè in ſpeciem accurantur, pater excedit è viuis, naturali neceſſitate, an morte diuinitùs acceleratâ, quis nouit mortalium? illud quidem triſtibus ſæpenumerò comprobatum documentis, qui parentes pia liberorum ſtudia, conſiliáque retardant, eos repentè abripi, ne moleſti eſſe pergant. Vt vt id fuit, omnem nuptiarum non modò curam, ſed etiam cogitationem, nec inuito Bernerio, abijcit Magdalena: eundem illum tamen adminiſtrum habuit, & quaſi ſocium præſtantis molitionis, dum paternis opibus cum germanâ ſorore natu poſteriori pacatè diuiſis, curis iam ſoluta præter Canadenſem omnibus, Lutetiam proficiſcitur. Ibi, ne quid non maturè faceret, præſtantiſſimos quoſque ſeu rerum vſu, ſeu pietate, ac religione viros conſulit, exquirítque eorum ſuper re haud parùm inſolenti ſententiam: &, quod in iſtiuſmodi perrarum deliberationibus, reſpondent conſenſu omnes; Rem ſanctam, profectámque à Deo videri. Ità nihil ambigens quin digitus Dei hîc eſſet, Turones pergit, atque

ANNVS MDCXXXIX.

ANNVS MDCXXXIX.

ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo flagitat, vt quando in Nouam-Franciam à Deo ad iuuandas Barbaras puellas haud obſcuris ſignificationibus vocaretur, eius cum bonâ veniâ & approbatione ſociam ardui operis ducere liceret Mariam Guyartiam, cognomento ab Incarnatione, Sanctimonialem Virginem ex familiâ S. Vrſulæ, eximiâ virtute, (quæ iamdiu ipſa quoque Nouam-Franciam eodem conſilio cogitabat, ambibátque) de illius voluntate nihil ſe dubitare : ſperare ſe id conſecuturam ab eiuſdem Ordinis Monialibus : in eo rem vertit, vt Illuſtriſſimus Antiſtes annueret primùm, mox iuberet. Nec difficilem ſe præbuit Præſul religioſus : quin, tantum robur animi miratus in feminâ, non conſenſit modò, ſed etiam prolixè pollicitus eſt, nullâ ſe in re ipſi defuturum. Et par fuit Sanctimonialium voluntas : tametſi graue erat tali ſociâ carere, tamen Deo vel leuiter vllâ in re repugnare, nefas ratæ, chariſſimam ſororem dimittunt, neque ſolam : adiungunt Mariam à S. Ioſepho, ex eodem Monaſterio virginem claris natalibus, virtute clariori : de quâ multa nos in decurſu : nunc hoc dixiſſe ſufficiat, illam incredibili mentis alacritate non modò patriis exceſſiſſe finibus, ſed etiam patris animum expugnaſſe ſtomachantis initio, cauſantíſque complura, cur filiam in Nouam-Franciam, hoc eſt in vaſtas ſolitudines, tàm rerum omnium indigas, quàm feritate infeſtas, ablegari ſinere nequiret. Videlicet is ferè mos eſt hominum eorum, qui nondum ſatis ex diuinâ Prouidentiâ apti ſunt: actum eſſe liberis ſuis putant, etiam ijs qui religioſam vitam amplexi ſunt, vbi primùm ex ſuo conſpectu abſceſſere, quantò magis, vbi immenſo æquorum interiectu dirempti, in alium propè orbem conceſſerint. Erat is in agro Andegauenſi Dynaſta, Sauonerius nomine (vulgò *De la Troche*) vir apprimè Catholicus, atque, vt euentus planum fecit, etiam pius. Namque vbi filiam perſtare vidit in ſententiâ, ceſſit ipſe, literíſque haud vulgarem in Deum obſeruantiam teſtantibus, copiam eidem fecit pergendi ſanè quò cælitùs vocaretur. Mater, Ioanna Radulpha, Armorica, conſanguinea Illuſtriſſimi Epiſcopi Rupellenſis (illius qui Santonenſi Epiſcopatu magnâ cum laude adminiſtrato, ad nouas deinde infulas vocatus, ſede Malleacenſi ſummi Pontificis auctoritate, Regíſque Chriſtianiſſimi voluntate Rupellam tranſlatâ,

translatâ, Rupellensis Episcopus primus, Diœcesim tamdiu vepribus obsitam, & ab hæresi etiamnum perpurgare feliciter pergit, & ab eâ morum licentiâ, quam inuehere, foueréque hæresis solet) præstanti pietate femina repugnauit tamen nonnihil & ipsa primùm: mox, quæ filiam semel Deo obtulisset, de eâ statuere suum haud esse interpretata, constantiam hîc præ se tulit eximiam. Ergo Pelteria (sic enim deinceps eam notiori nomenclaturâ designabimus) tàm bono aucta comitatu, Lutetiam Parisiorum repetiit: ac postquam eò peruenerat, in id enixè incubuit, vt ad Sanctimoniales duas, Turonenses, vt vocant, Congregationis, tertiam ex Parisiensi adiungeret, ab eâ nonnihil diuersâ, vel vt vtramque Congregationem communi quodam nexu inter se copularet, quod votis omnibus Gallia expetebat, vel vt Parisienses tantæ laudis cupidissimas, in partem, communionémque celsissimi consilij adsciscerent: sed (quibus de causis haud dum satis comperiri potuit) repulsam passa est. Ergo, quando Dieppæ conscensuræ nauem erant, Rotomagum contendit, pérque viros aliquot magnæ auctoritatis, iuxtà, & pietatis, agit apud Illustrissimum Archiepiscopum, vt qui Hospitalarias Virgines tres iam Esguillionææ Ducissæ flagitanti concessisset, alumnam S. Vrsulæ vnam aliquam ex Dieppensi Cœnobio ne negaret. Et fecit ille perhumaniter quod rogabatur: de eius Sanctimonialiúmque voluntate lecta in diuinum opus Cæcilia à sanctâ Cruce, ex vicino Dieppæ oppido, Virgo claris natalibus, & præcelso animo scilicet, qualis ad res tàm arduas prorsùs afferendus. Iam Pelteriæ sociarúmque aduentum præstolabantur Dieppæ eandem in nauim imponendæ Hospitalariæ illæ eædem, nihílque longius ipsis erat, quàm profectionis dies. Soluit porrò Dieppâ nauis IV. Non. Maias, spes ingentes iuxtà, & subsidium ferens Nouæ-Franciæ, quale fortè nulla vna antè tulerat, præter Sanctimoniales Instituti vtriusque, Sacerdotes tres è Societate IESV Bartholomæum Vimontium, Iosephum Poncetum, Iosephum Chaumonotium. Dum placidè inuehuntur pelago, penè medio in cursu fecere naufragium. XI. Calend. Sextiles, nihil tale cogitante quoquam, nedum metuente, vt densior nebula prospectum eripuerat oculis, ecce tibi nautarum vnus ex ijs qui ad proram

ANNVS MDCXXXIX.

ANNVS MDCXXXIX.

conſtiterant, trepidus exclamat derepentè, *Perîmus: en, imminet glacialis moles.* Tum verò prouolutus quiſque in genua, vociferati, miſericordiámque à Deo expoſcere: quo tumultu excitus Nauarchus, cognito & ipſe periculo tàm præſenti, adiens ad Moniales, hortatur ad Deum confugiant: niſi opem is è cælo tulerit, & naui, & vectoribus actum eſſe: oppiduli inſtar glaciei molem obtinere. Quæ cùm paruiſſent illicò, Vimontio ſimul earum excitante Dei fiduciam, ſimul votum nuncupante (quale fuerit, haud proditum) liberati ſunt, euentu qui Nauarcho ipſo prædicante, miraculo non caruit: ſiquidem nauis occultâ quadam vi agente, obuerſa momento eſt, ſic, vt cùm priùs malus anterior à prorâ, vt fit, prominens, glaciem penè contingeret, poſtmodùm ſpectantibus cunctis, mirabili declinatione, puppim aduerſam habere conſpecta glacies eadem fuerit, & ſic quidem, vt altera ab altera diſcederet, nullâ cuiuſquam mortalium ope, quippe intactis rudentibus. Ac tum demùm Nauarchus geſtiens; *Euaſimus*, inquit, *at miraculo euaſimus*: ita cuncti conuerſi ad gratiarum actionem. Inuecti deinceps feliciter, Kebeccum tenuerunt Calendis Auguſti, inſigni Gallorum gratulatione, admiratione Barbarorum incredibili. Vbi primùm exſcenderunt generoſæ Amazones, humum ſuppliciter oſculatæ, gratias Protectori Deo ritè agunt: dein à Patribus Societatis, qui præter Sillerianam domunculam, alteram ibidem Kebecci conſtituerant, ductâ ſupplicatione, cuius ipſæ partem nec exiguam conficiebant, in Sacellum inducuntur: ibi ſolennis gratiarum hymnus modulatè exolutus: pòſt, ſacram cerimoniam excepit ciuilis lætitia: Monte-magnij iuſſu, qui & ipſe ad Portum famulas Dei excepturus deſcenderat, exploſa tormenta, iucundo fragore cuncta latè compleuerunt.

EXIN, diuulſæ alteræ ab alteris: & Vrſulinæ quidem in domunculam ſe recepere, commodam ad tempus: ad eas, aliquot interiectis diebus, Barbaræ virgunculæ adductæ ſex, non inſtituendæ tantùm, ſed etiam alendæ, onere non mediocri, niſi leuius feciſſet charitas. Hoſpitalariæ conſedere itidem aliquandiu ad Kebeccum, in ædibus quas ad tempus commodârunt pij Societatis Mercatorum Directores. Eò ad

eas vndique deportati continuò ægri ex eis, quos lues popularis ex puſtulis ingenti numero ſtrauerat, ex vſu familiariſque conſuetudine, vt putabatur cum Anglis Virginienſibus. Tres erant, nec plures, Maria à S. Ignatio, Anna à S. Bernardo, Maria à S. Bonauenturâ. Eæ cùm tot tantíſque laboribus ferendis pares non eſſent, morbis quoque tentatæ, ſed quæ Domini Dei benignitas fuit, haud diuturnis: ita vix ſanctæ exercitationis opera intermiſſa, ſpectaculo tàm inuſitato apud Barbaros, homines ab omni miſericordiæ ſenſu alieniſſimos, vt mirari ſatis nequirent, extare, feminas præſertim, quibus cordi eſſet ad ignotas per tot tantáque diſcrimina tendere regiones eo conſilio, vt deſertis deſtitutíſque adeſſent eo potiſſimùm articulo temporis, quo à ſuis derelinqui vulgò ſolerent, necari plerunque. Nec non eos vehementer perculit conſiderata munificentia Ludouici XIII. optimi Principis: prętер cetera indicia ſummi in ipſos ſtudij (quorum teſtis aderat locuples Iſanchy, eorum popularis, Prętecti nobilis filius, qui eadem in naui redierat è Galliâ) illud quoque addiderat, vt veſtes ſex mitteret in indigenas totidem, ex panno holoſerico multiplici, purpuráque & texto aureo: has ille ipſe Iſanchy ad Monte-magnium attulerat. Nec dubitabat vllus, quin ex donantium voluntate, cedere eidem qui tulerat, potiores partes deberent: placuit tamen rem in deliberationem vocare. Ergo de ijs ita conſtitutum, vt tres Iſanchy haberet, patri vnam, vnamſibi, tertiam filio: reliquę tres in Chriſtianos totidem diuerſarum Nationum diſtribuerentur: ſic enim velle Regem videri, qui à Barbaro illo Legato ſtudioſe ſciſcitatus eſſet, Num Chriſtianę fidei dediſſet nomen? atque illum eundem in Galliam idcirco iuſſum pergere, non vt ſuo tantùm, aut parentis, aut gentis ſuę: ſed vt finitimarum Nationum nomine, quotquot hac illac ſparſę ſunt, obſequium, famulatúmque deferret. Quare iuſſus Iuuenęus delectis tribus in conuentu palàm denûntiare; Regem Chriſtianiſſimum, pro ſuâ in eos, eorúmque Nationes, Huronum, Algonquiniorum, Montanorum (ex ijs enim ſingulis lecti ſinguli) beneuolentiâ, veſtes eas dono miſiſſe, quo ſui, Delphiníque filioli, dum ſummum Deum exorarent, memores, lęta, fauſtáque omnia apprecarentur. Vbi explicatarum veſtium nitor perſtrinxit ocu-

ANNVS MDCXXXIX.

los, vix ſatis ſui compotes hæſere tantiſper : mox collecto animo, hanc omninò orationem habuere : *Precare, Nikanis, à Præfecto noſtro* (Monte-magnium adſtantem intelligebant) *ad Regem noſtrum perſcribat, & infinitas nos ei agere gratias, & tantam in nos vel liberalitatem, vel humanitatem ſuſpicere : cæterum, etiamſi nihil miſiſſet muneris, nihilo tamen ſeciùs eoſdem nos eius ſtudioſos futuros fuiſſe. Porrò veſtes haſce tute aſſeruato: certum quippe nobis eſt ÿs vti tum demum, cùm ad orandum Deum eius, & filioli, & coniugis cauſâ prodibitur : alÿs temporibus, apud te ſanè ſint : illud modò intelligito, iucundum nobis fore, vt poſtquàm è viuis exceſſerimus, ſi quando ſacræ eædem cerimoniæ à vobis inſtaurabuntur* (ſupplicationes intelligebat) *ÿſdem noſtri ad pompam conueſtiantur : quò qui nobis in his oris ſuccedent, intelligant alÿ ex aliis, quantâ, qualíque nos amoris ſignificatione olim optimus Rex proſecutus fuerit :* Delectauit Monte-magnium Iuuenæúmque Barbarorum ſenſus animi minimè barbarus: quóque vel eorum votis, vel Gallorum pietati abundè ſatisfaceret, quod Deus approbaret, lectus ſupplicationi dies idem quo Princeps optimus recens ſibi, Regnóque auguſtiſſimam Patronam Deiparam Tutelarémque adſcitam, vnà cum plaudente Galliâ peculiari religione venerari ceperat, XVIII. Calend. Septembris, quo die Reginæ eidem triumphalem Aſſumptionem in cælum, Eccleſia vniuerſa gratulatur : vt quæ gentes vltrò in Regis Chriſtianiſſimi ditionem concedebant, eæ cum Gallorum votis vota ſua aduerſis caſibus auertendis, ſecundis rebus impetrandis coniungerent. Vbi primùm expectata aurora diluxerat, conuenere in Ædem ſacram Neophyti, inſtituendæ peccatorum confeſſioni, tum ſacræ menſæ adeundæ: quæ poſtquam ritè perfecta, quanto maximo fieri potuit in eâ tenuitate apparatu, procedere cepit ſupplicatio. Anteibat Crux de more, cum ſacro vexillo: ſuccedebat Gandius, indigenarum Chriſtianorum ductor: horum in primo agmine collocati ij ſex, qui regiâ quiſque veſte donati paulò antè fuerant, inſolenti illo fulgore conſpicui : tùm illi autem, tùm alij deinceps bini gradiebantur, ſingulari modeſtiâ, quâ ornamentum nullum præſtantius. Subſequebatur Pelteria ſtipantibus hinc inde virginibus quatuor indigenis, Gallico veſtitu : ſuccedebant deinceps mu-

Solenni ſupplicatione ad Fidem complectendam Barbarorum animi permouentur.

lieres, virginéſque Canadenſes omnes, binæ item, & Chriſtiano decore magis, quàm veſtis ornatu inſignes: Clerus dehinc ibat haud numeroſiſſimus ille quidem, ſed incenſâ in Deum pietate venerabilis: Sacerdotum veſtigia premebat Monte-magnius cum cohorte, viríſque Gallis ceteris: poſtremæ Gallæ mulieres erant, nullâ ordinis prærogatiuâ. Itum primò ad Xenodochium: ibi proſtratis in genua hinc Barbaris, illinc Gallis, Clero medio, conceptæ ritè preces Regis Reginæque, & optatiſſimi Delphini ergò: parentes juxtà, prolémque Dominus Deus cœlo volens, propitiúſque fortunaret. Nec verò ſibi defuere Canadenſes, fauſta omnia feliciáque ſuæ deinceps genti apprecati ſunt. Perrexit hinc ſacrum agmen ad Vrſulinarum ſacellum: & quoniam præter Arcem tranſire neceſſe erat, vbi opportunum fuit, ex condicto & ſclopi à Præſidiariis militibus, & tormenta maiora exploſa: hæc quidem iterùm: namque iam antè, vbi primùm ſupplicatio mouerat, mixtum gaudio, terroréque fragorem ediderant. Eâ in Ædiculâ precibus pari cerimoniâ conceptis, vnde prodierant, eodem reuerſi ſunt ſupplices, hoc eſt in ſacram Ædem Societatis IESV: ad fores, vernaculo idiomate oratum: mox, poſtquam ad altare peracta reliqua, ex formulâ, cuncti ritè dimiſſi. Horum ad centum prandio excepit Monte-magnius: Patres in tricliniolum ſecum ad tenues epulas ſex illos regali veſte inſignes adhibuere: poſtmodum, conuentum ad Veſpertinas preces. Hæc verò vt in Galliâ, Regníſque alijs, vbi Religio pridem cum ſplendore adoleuit, vel vulgaria, vel etiam humilia exiſtimentur, maieſtatis tamen nonnihil habuerunt ijs locis: incredibilem certè lætitiam omnibus ciebat ea cogitatio; Nihil vnquam iſtiuſmodi ijs in oris ad Domini Dei gloriam vſurpatum. Videlicet perfrequenter ea nemora ſuperſtitioſis, ſacrilegíſque cantibus, nunquam diuinis laudibus perſonuerant eum in modum ſublatis, hoc eſt alternantibus modulis conſecratarum Deo Virginum. Certè vbi ſecundùm Veſpertinum officium dimiſſi, recepturi ſe Neophyti putabantur, præter omnium opinionem Iuuenæo per delectum vnum ſignificant, apud Patrum domunculam collectos omnes opperiri, dum adeſſet: ab ijs expeti in concilium. Paret illicò Iuuenæus: dúmque ad eos pergit, certiorem in-

ANNVS MDCXXXIX.

ANNVS MDCXXXIX.

terim facit de re totâ Bartholomæum Vimontium, de Superiorum voluntate in regendâ in Nouâ-Franciâ Societate succeſſurum : is Monte-magnium, Pelteriámque ſecum traxit. Vbi cuncti conſederant, Præfectorum vnus omnium nomine, hunc in modum Iuuenæum appellat ; *Sape Iuuenæ, quieſce animo : ne-ve mentem tuam in diuerſa abripi ſinito, quò eorum nihil quæ dicturus ſum, effugiat.* Cum ſolenni acclamatione vulgare *ho, ho*, Iuuenæus reddidiſſet ; *Non ego*, inquit, *proloquor, ſed hi quos ſeſſitant vniuerſi : horum ego nomine tibi denuntio, certum nobis eſſe fidem complecti : aucre proinde nobis ſubſidia præberi ad colendam terram, quò cuncti propè vos domicilia figamus. In eam tu nos ſpem adduxeras, fore vt è Galliâ venirent plurimi, qui nos in re tàm neceſſariâ iuuarent : nunc perpaucos habes. Age ergo Præfectum noſtrum mone* (Monte-magnium adſtantem intelligebat) *ad Regem noſtrum hæc omninò perſcribat; Gratias tibi prolixiſſimas agunt Canadenſes omnes : mirantur vehementer te de ſe tàm ſtudiosè cogitare : quando nos diligis, aiunt, opitulare rogantibus : vagam illam vitam deſertam cupimus, optamus ſtabilem : verùm, niſi iuueris, domos veſtrarum ſimiles extruere quî poſſimus ? Fratri item tuo, qui tibi ſucceſſurus aduenit, ſignifica, ea ipſa ſcribat, quò verè, ſinceréque hæc à nobis expeti Gallia veſtra ſibi perſuadeat.* Vbi ille perorauerat, aſſurgit alius, húncque in modum dicere exorditur ; *Diu eſt, Iuuenæ, ex quo Kebeccum non videram : neque enim patria mea hæc eſt : in iſtis montibus, quos aſſurgere ad meridiem vides, natus, educatúſque ſum. Hi quos hinc inde intueris, cùm ad me veniſſent in patriam, ſignificauerunt, tuâ operâ domunculas Canadenſibus extrui, cundémque te polliceri ſubſidia ad arandam terram. Veni, vidi initium quidem datum operi, verùm tenuia adhuc, exiliáque eſſe quæ perfecta ſunt. Age, indue ingentes animos : montium noſtrorum frigora in proximam adhuc hyemem repeto : primo vere, antequam altas niues Sol diſſoluerit, adero iterum, num vera afferas exploraturus: atque an ſint præſto futuræ operæ, quæ nobiſcum vnà terram proſcindant : quo ne diutiùs ferarum more per nemora vagemur, victum quæritantes.* Mouit mirificè extrema ea oratio audientium animos ad miſerationem : ac Monte-magnius quidem ſeriò pollicitus eſt, in rem tàm exoptandam collaturum quidquid in ſe eſſet. Vimontius vix ſe continere, ferens ægriùs, quod

ANNVS MDCXXXIX.

ſubſidia in victum, cultúmque miſerorum ſatiſdùm accurari nequirent, Satanæ tyrannidem ijs in oris prorogari: Pelteria vix ſui præ piâ indignatione compos; *Quàm multis*, inquit, *ſalutem æternam conciliarent luxurioſi illi ſumptus, qui Lutetiæ Pariſiorum vel in intempeſtiuas comeſſationes, vel in choreas fiunt, quarum vtrarumque voluptas intrà duas tres-ve ſummùm horulas interit. Ego quidem cum paucis operis quas adduxi, quidquid pro iſtâ tenuitate licuerit, conferam: ſi vel his manibus poſſem, perlubenter iuuarem eos: atque illud obſecro, ijs, Pater, à me ſignifica*, inquit, ad Iuuenæum conuersâ oratione. Arriſere ad eam mentionem Canadenſes: ſegetes quæ ex tàm imbecillium manuum culturâ prouenirent, tardiùs vtique prouenturas dictitantes. Deliberationis exitus is fuit, vt ſeriò polliciti ſint tùm cum Pelteriâ Monte-magnius, tùm Patres, ſe quantùm quidem eniti poſſent, accuraturos, operarum vt idoneus numerus è Gallià in ver proximum ſubmitteretur. Peropportuna item fuit Francicæ Societatis in eos liberalitas: ſtatuêre ſiquidem de concilij ſententiâ Moderatores, ad merces quod attineret, quę ex Promptuario venales extraherentur, pari cum Gallis iure Canadenſes eſſent: vtque Canadenſibus virginibus, quæ Gallis viris nuberent, noualium ad ſementem excultorum modus aliquis attribueretur: ijdem ſummam aliquam pecuniæ ſepoſitam eſſe voluerunt, in munerandos Hurones, qui Kebeccum quotannis ad mercaturas ingenti numero confluunt. His artibus, longè autem magis diuino inſtinctu Barbaras mentes ſanè permouente, iniectus ardor pleriſque, Nenaſkymat, Negabamátque imitandi: maximè cùm vtriuſque exemplum, quo nihil admodùm in vtramque partem rapacius, accederet. Illi, poſtquam domeſtici in Chriſti familiam per Baptiſmum cooptati ad vnum omnes erant, tantam præ ſe morum innocentiam ferebant, vt tanquam nouæ faces, an ſidera? caliginoſo loco lucerent. Summa vtrobique animorum concordia: ſumma laudabilium inſtitutorum æmulatio: ſumma religio. Omninò qui Barbariem illam, in quâ nati, educatíque fuerant, hoc eſt ad omnem licentiam, impietatémque proiecti, ſecum animo reputet attentiùs, mirari ſatis nequeat quæ de ijs habet Iuuenæus hoc anno, ex quibus non modò Deum pacis cum ijs verſari intelligas, ſed etiam naſ-

ANNVS MDCXXXIX.

centis illius Eccleſiæ, cuius res geſtas tam exactè S. Lucas proſequitur, eorum in moribus veſtigia, haud leuiter agnoſcas impreſſa. Etſi, inquit, vno, eodémque tecto, continentur omnes, nec exiguo numero, viri, feminæ, pueri, nihil tamen adhuc inter eos rixæ vel leuiſſimæ extitit. Quiſque demiſſus in genua, mane, veſperéque veneratur Deum: nec ſeciùs publicis precationibus interſunt omnes: penè omnes quotidie ad auguſtum ſacrificium conueniunt: ſummâ cum reuerentiâ diuina ſacramenta vſurpant: ſúntque qui ſi quid à ſe factum dictum-ve perperàm, aut agnoſcant aut metuant, ad Patres adeant illicò, ſe ipſi miro mentis candore incuſaturi. Ingens eos aliquando cura, ſolicitudóque inceſſit, quid acturi tandem eſſent, tùm feriâ ſextâ, tùm ſabbato hebdomadæ cuiuſque, dum neceſſariæ venationis tempore haud perbreui, vagi per nemora, vnde abſtinentiam carnium tolerarent, habituri vix, ac ne vix quidem eſſent. Nihil ſuppetet, aiebat vnus aliquis ſepoſitum in penum: ijs diebus carnibus veſci nefas: quam nos in partem vertemus? Audiebat ex inſontibus inſidiis hæc iſta ſibi aliiſque obijcientem, Patrum quidam, cùm alium ſic nodum ſoluentem inaudit. Tantíne tandem eſt, biduum vnaquaque hebdomadâ exigere ieiunos? Videlicet toleranda tunc erit inedia: ſic præclarè ſtabimus indictæ Chriſtianis in eos dies à carnibus abſtinentiæ. Definitionem eam probauit Neophytorum vnuſquiſque, non probauit inſtitutor: tradidítque, mentem eam Eccleſiæ non eſſe, vt eo rerum articulo qui ponebatur, quando eſculenti prætereà nulla copia ſit, carnibus veſci non liceat. Ei autem venationi ſic operam dedere, vt Franciſcus Xauerius cum maiore ſuorum numero, redux biduo ante ſacræ Quadrageſimæ ferias fuerit. Vt nihil ſuppeditabat vnde ſeſquimenſem illum exigeret, præter alcarum carnes, & anguillæ fumo toſtæ nonnihil, viſum Patribus nullam ei mentionem inijcere ſtatæ illius temporis abſtinentiæ à carnibus: verùm, cùm de eâ à Gallis cognouiſſet, quibuſcum verſabatur frequens, ipſe vltrò ad eos adit, profitetúrque certum eſſe ſibi, quando Chriſtianus eſſet, ei legi Eccleſiæ obtemperare. Pronunciant Patres, ipſum, quando neque panis ſuppeteret, neque cicer, neque quidquam planè aliud, præter fumoſæ anguillæ pauxillum, eâ lege minimè teneri. Inſtat Neophy-

ANNVS MDCXXXIX.

Neophytorum aliquot pietas in Deum, & conſtantia in retinenda Fide.

Neophytus, quando fidem Religionémque eandem profiteretur, quam Patres, non minùs æquum eſſe, eandem vt abſtinentiam coleret : ſatis ſibi virium eſſe ad Quadrageſimæ tempus ſiccâ eâ anguillâ tolerandum. Et ceſſere Patres, eo reſponſo fracti, permotíque : verùm, ne ſub tàm graui, tàm longæ propè inediæ onere ſuccumberet vir excelſi animi, tributum ab ijſdem eſt aliquantum panis, ciceríſque, nonnunquam moruæ aliquid, vnde ſimul is, ſimul filia, virgo annorum haud dum viginti, intereà victitarent. Nondum per eam Quadrageſimam Baptiſmo impertiti omnès erant, qui eâ in familiâ cenſebantur : itaque cùm ante Baptiſmum nullâ Eccleſiæ lege tenerentur, veſcebantur ij impunè recentibus illis cæſarum alcarum carnibus, durante ad rigidiorem abſtinentiam cum filiâ patre-familias. Fuit cùm per eos dies conuiuium appararetur domi, excipiendis amicis aliquot. Ad Franciſcum cùm fortè adiiſſet eâ ipſâ luce Iuuenæus : nidorémque naribus hauſiſſet haud inſuauem coctarum carnium, ad eum conuerſus, iiſdem in carnibus obtutum figentem : Ecquid, inquid, iſta ſuauitas mentem pertentat tuam ? Atque is ſubridens ; Ego, infit Nikanis, ſub initium Quadrageſimæ cor meum infrà hanc menſam abieci : quare quantumcumque tandem apparatarum carnium incurrat in oculos, ij ad concupiſcendum minimè feruntur : corde ſiquidem carent : tum autem, an non fert æquitatis ratio, vt qui Chriſtiani & eſſe, & dici volumus, cum Chriſtianis aliis aliquam victus aſperitatem conſectemur ? Et nos quoque placere Deo cupimus. Eius autem filia, paternæ, vt diximus, æmula religionis, cùm in ſiluam cum æqualibus virginibus perrexiſſet, ad illas carnium moles recèns à parente cæſarum alcarum auehendas, diutiúſque quàm putarat ibidem conſiſtere temporis iniuria coëgiſſet : vnde ſe aleret, reliquum planè factum nihil, præter carnium earundem copiam, initâ iam ſcilicet Quadrageſimâ. Et cùm totum biduum exigendum ſupereſſet in graui illo labore, ſolicitabatur ab æqualibus eius conſtantia : neque verò non Patribus factum probatum iri, quando non gulæ, ſed neceſſitati ſeruitura eâ in re eſſet. Sed nimirum de generoſo propoſito deduci non potuit : inediam planè tolerauit, dum ad

ANNVS MDCXXXIX.

parentem domum rediit. Eam verò animi magnitudinem demirati Gallorum aliquot, vbi rei geſtæ rumor increbuit, ſanctè conteſtati ſunt, ſi in Galliam vnquam rediiſſent, Canadenſis virgunculæ abſtinentiam exprobraturos tùm hæreticis, tùm orthodoxorum quibuſdam, ad omnem æquè morum licentiam proiectis: indigniſſimum quippe eſſe, vtroſque ſe ſe vetitis cibis ingurgitare ad nauſeam, dum Canadenſes Neophyti in iſtâ rerum omnium penuriâ tam religiosè, tàm caſtè rigidam illam abſtinentiam vltrò colant. Virginem illam eandem cùm poſtmodùm popularis adoleſcens haud genere diſpar, à patre in matrimonium depoſceret; Fidem-ne, inquit, Franciſcus Xauerius, profiteris? Cùm is negaſſet; Ego verò, pergit, Chriſtianus ſum; Deúmque cæli ac terræ procreatorem colo, & veneror: ipſi morem vbique gerere conſtitutum mihi eſt. Vetat autem is filiam à me cuiquam collocari, qui non & ad Eccleſiam ſe ſe applicet, &, quod erit deinceps conſectarium, nunquam eam ſit dimiſſurus, quam vxorem ſemel duxerit. Cùm negaret iuuenis ſe tam acri eſſe ingenio, vt quæ traderentur fidei rudimenta, vel intelligentiâ conſequi poſſet, vel complecti memoriâ, atque adeò vix ſe in ſpem Baptiſmi venire poſſe; Atqui, inquit Franciſcus non te ab eo arcebit aut tarditas ingenij, aut memoriæ infelicitas: Vide ne te potiùs earum rerum quas dico difficultas terreat. Ego illa ipſa effugia initio quæritabam, dum nutabat adhuc animus, poſtquam ſeriò conſtitui fidem amplecti, illud re ipsâ comperi, Deum hîc minimè deeſſe, ac qui ipſum eâ quâ par eſt fiduciâ recogitet, huic lucis tantum ſuppeditari, vt perfacilè rerum ad Baptiſmum neceſſariarum notitiam aſſequatur, præſertim cùm non plurimæ eæ ſint: vide proinde quò vergas. Sanè ſapientem Neophytum minimè fefellit coniectura: abſceſſit iuuenis, non tàm Chriſtianarum inſtitutionum arripiendarum difficultate, quàm perpetuo Chriſtiani matrimonij nexu deterritus.

IAM PAR alterius familiæ virtus iucundiſſimos quoque explicauit eâ in nocte fulgores. Exeunte anno ſuperiore, hoc eſt VI. Id. Decembres, qui dies Immaculatæ Matris Dei Conceptioni ſacer, Negabamat vnà cum vxore, filiiſque tri-

bus ex eâ ſuſceptis, adoptitiis prætereà duobus, ſolenni ritu per Baptiſmum initiatus eſt, ſuſceptore Gandio homine haud vnquam ſatis laudato, cuius liberalitate Catechumeni omnes, Gallico ad pompam veſtitu inſignes ſacro ſe fonti ſtiterunt: ipſi Natalis nomen à pio Patrono adſcitum, Gandio eodem; vxor, Maria nuncupata. Ille cùm proximè regenerandus, ſeriò à Sacerdote moneretur, humanis ſpretis, in Deum mentem erigeret, nihilque niſi cæleſte tantâ in re ſequeretur; Ego, inquit, iam in ſenectam decliuis, maximam vitæ mortalis partem exegi, neque in terrâ deinceps diutiùs permanſurus ſum: quare neque mea fides hominibus nititur, neque mea fiducia, ſi quidem illi mihi prorogare vitæ tempora nequeunt: ego fidem æquè, ac ſpes omnes meas in ſupremo rerum vniuerſitatis Opifice colloco, ab eóque expecto vitam, nullâ vnquam ſeculorum ſerie terminandam. Hæc, præter muliebrem indolem, quam ferè in rebus inſolentibus verecundia nimia deiicit, cùm & in veſte Gallicâ eſſet, & in numeroſiſſimâ coronâ verſaretur, nihil tamen deterrita, vultu intrepido eodem, & ſereno, ad quæſita cuncta reſpondit, voce grandiori: ſciſcitantíque poſtmodum Iuuenæo, Vndenam porrò mulier naturâ meticuloſior, tàm à metu tum libera fuiſſet; Ego, inquit, de iis qui intererant, planè ſecura, vel potiùs, ne cogitans quidem, illud vnum mente verſabam; *Nunc demùm ſempiternos illos ignes effugiam, euolabo aliquando in cælum: iamiam omnes ætatis ſuperioris meæ maculæ eluentur, omnia condonabuntur peccata: tum, quàm indignum eſt, qui in Deum credant, eos præ noxio pudore quid intus in animo ſentiant, palàm eloqui non audere.* Nec diu defuit ſua illuſtri pari coniugum fidei probatio: cùm aliquando Natalis, vt fit, apud conſanguineum quendam ſuum prædicaret, quàm ſalutaris à Gallis Sacerdotibus doctrina ad vitam beatam traderetur, quàm ab iiſdem ſtudiosè laboraretur ad vagos vnum, eundémque in locum cogendos, quo nihil eſſe poſſet non tantùm ad ſempiternas, ſed etiam ad huius vitæ rationes opportunius, is contrà Nationis penè totius ſenſum eum eſſe contendit, ea omnia Gallos ſuæ malignitati obtendere: propoſitum iis eſſe, vaſtitatem regioni afferre, mortem indigenis. Suſtineret modò paululùm: chariſſimorum liberorum interitum breuî hauſturum oculis, mox occubitu-

ANNVS MDCXXXIX.

ANNVS MDCXXXIX. rum ipſum pariter: ſe quoque vnà cum alijs, ſi quidem eorum dictis aurem præberet, communi illo exitio inuolutum iri. Et pars denunciatorum malorum non exigua conſecuta: ſiue teter dæmon coniecturâ iam tum, aut certiori quapiam notitiâ peruidiſſet, quo ſtatu filiorum Natalis eſſet valetudo, ſiue Dominus Deus, ad ſuam gloriam, Neophytorum pertentare conſtituiſſet animos, pòſt paulò è quinque quos dixi, Neophyti liberis quatuor ipſos mors accerba oppreſſit. Vnum febris hectica eripuit, poſtquam ſat diu vix imis hærens oſſibus iacuerat: breui dein interiecto interuallo, in alium, qui in Patrum ſeminario degebat, inuadit morbus pertinax, póſtque quintum quàm ægrotauerat menſem, conficit. Carolus natu maximus, adoleſcens peracri ingenio, & placidiſſimis moribus, quo plurimùm ad ſolatium parens vtebatur, pleuritide correptus intrà paucos dies, in grauiſſimis doloribus interiit, anno ætatis quarto decimo: filius natu minimus haud ita diu pòſt è viuis ſublatus eſt: ac ne qua ſoboles à morbo intacta ſupereſſet, ſub eadem tempora periculoſa ſitis adoptitiam filiam virginem dirè exercuit. Has inter ſtrages, ceu rupes immota egregiè ſibi ſemper conſtitit Natalis. Et initio, quidem impiam Conſanguinei orationem animo execratus, ad Iuuenæum adijt, hortatúſque eſt vehementer, in blaſphemam illam garrulitatem pro concione inueheretur: pòſt, nihil ſuorum funeribus deiectus animo, filio illi natu maximo ſic ſemper adfuit, vt nunquam ab eius latere diſcederet, monita ſalutis impertiens: atque vbi morbi demùm maligna vis ſpem vitæ longioris eripuit, Sacramentis omnibus ritè muniendum curauit. Sed paulò pòſt, capita ipſa familiarum gemina morbus appetiit, alterum extinxit. Barbari quidam inſulares dum ex Algonquiniorum finibus redeunt, luem ſecum popularem auexerunt ex fœdis puſtulis, quibus deformata corpora ſternebantur paſſim, cum certiſſimo vitæ periculo, niſi illicò medicina fieret. Vt morbus is ex eorum naturâ erat, qui ab vno profecti, latiùs deinde contagione manant, Franciſcus, Nataliſque, quò minùs ex charitate ab ægrorum conſortio refugiebant, ita eos morbus faciliùs corripuit. Et Natalem quidem inde ab ipſo initio mali vis tàm atrociter vexauit, vt de vitâ actum ſuâ putaret: ſenſum hunc animi ſui cùm aperuiſſet Iuuenæo, iſque

alia omnia & cogitare iuberet, & ſperare, ſubridens Natalis, Opportunè, inquit, iſta mones, ſi quo in metu mortis eſſem: nunc, cùm nulla iſtiuſmodi angar formidine, quid me iſta mente, & cogitatione reuoluere vetas? Horrere ad mortis mentionem Chriſtiani minimè debemus. Non me latet ſparſum vbique à popularibus rumorem vigere, auctores vos eſſe morborum qui nos conficiunt: verùm, ſic habeto, eum minimè in noſtris credentium mentibus adhæreſcere. Vide modò, memor ſis eorum quæ confirmaſti nobis ſæpiùs, liberorúmque noſtrorum, poſtquam è viuis exceſſerimus, capiat te miſericordia. Non hæc ego meâ cauſâ proloquor: noſti tute filios abſumptos meos penè omnes: Franciſci Xauerij ſobolem intelligo. Perrexit eadem animi firmitate inſinuare, quæ familiæ ſuæ in locum ſuffici aptè poſſet: neque enim abſiſtendum ab incœpto: neque deſerendum conſilium, vagos vnum in locum cogendi: popularium denique ſuorum vnum quendam nominauit, qui ſuo loco deinceps in veſte illâ regiâ ſolemnibus interfuturus ſupplicationibus eſſet. Ceterùm, has, inquit, veſtes ſtudiosè aſſeruato, quò poſteri noſtri intelligant, quàm chari Regi fuerimus. Hunc in modum ſe ſe generoſus athleta, cùm ad certamen comparaſſet, præter ſuam, aliorúmque opinionem reualuit, auctus vtique fructu tam præclaræ, tùm rerum ceterarum, tùm ipſius vitæ abdicationis. Neque verò, vt euenit plerunque, quidquam deinde remiſit de conſtantiâ: eius fides non modò non iſtis turbinibus conuulſa eſt, ſed etiam altiores radices egit: tantâ virtute mirum in modum recreante illos, quibus alterum naſcentis Eccleſiæ columen ſubtrahere conſtituerat is qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. Obijt enim per eos dies Franciſcus ille Xauerius, priùs Nenaskymat, Kebeccenſi in Xenodochio: eo enim ex Sillerianâ S. Ioſephi Reſidentiâ transferendus viſus eſt, ſtatim atque morbi ſe intendere paulò vehementius vis ceperat. Cùm ad eum confeſtim vix in lecto compoſitum Iuuenæus accurriſſet, vt ora, vultúmque puſtulæ fœdè deformauerant, is perinde atque magni Iobi amici conſolatores, dolore oppreſſus, vultum obnupſit ſtrophiolo, ínque puluinar reclinatus obmutuit. At æger ad eum, vt potuit obuerſus, Ne mœre, inquit, Nikanis, perlubenter

ANNVS MDCXXXIX.

ANNVS MDCXXXIX. excedo è viuis, neque mortem vllo pacto reformido: tœdet me terræ, euolaturum in cœlum ſpero. Ad hæc cùm fletus raptim, occultáque ſuſpiria Iuuenæo dolor exprimeret, hoc mœſtius, quod minùs decorum erat fortitudinem animi maiorem præferre Neophytum cum ipsâ morte luctantem, quàm magiſtrum fidei ſanum, vegetúmque; morbi vi pertinaciſſimâ admonente, ſupremis Sacramentis æger communitur. Atque id ſuum tempus ratus Iuuenæus, percontatur; Num ſatis memor eſſet eorum quæ anno ſuperiore obuerſata ſibi prædicauerat, miro eo ſpectaculo, hinc cæleſtis regiæ, illinc Tartarorum cruciatuum: denunciátque graui & ſeuerâ oratione, caueret prorſùs, ne eo fugientis vitæ articulo fallere animum induceret, dictorum, factorúmque omnium rationem mox redditurus. Ad quę pius Neophytus, fieri quidem fortè potuit, inquit, vt vera minùs dixerim, qui prędicauerim me ſummi Dei regiam vidiſſe, cùm hæc fortè regia eius non fuerit: verùm, illud denuò aſſeuero conſtanter, quæ tum vidi, tàm fuiſſe pulchra, vt eius regiam illam fuiſſe mihi perſuaſerim: in terris quidem certè nihil eſt iſtiuſmodi: atque ea imago tàm altè etiamnùm hæret in animo meo, vt nulla vnquam obliuione deletum iri autumem. Paulóque pòſt accerſitis vltrò liberis, in genuáque iuſſis procumbere, extremùm benedixit: monitáque impertiit ſalutaria, ſemper animo erectus: fidem & colerent religioſè, & conſtanter retinerent: Patribus-vbique morem gererent, nec indiligentiùs quàm ipſi ſibi obſequerentur: concorditer fratres inter ſe viuerent: ne-ue quid in ſuum ſepulchrum ex patriâ ſuperſtitione inijcerent. Tum ſe ipſe muniens ſanctæ Crucis ſignaculo; Valete, inquit, filij mei, in cælo preces veſtrâ causâ ad Deum fundam. Ac aliquâ interpoſitâ morâ Iuuenæo percontanti, quâ tandem in re animus eius id temporis occuparetur? In Deo, inquit, cogitatio mea fixa eſt: veſtris ego veſtigiis conor inſiſtere: vtque perpetuò de eo cogitatis, ità idipſum vſurpare pro meâ tenuitate contendo. Secundùm hæc placidè obdormiuit in Domino: Iuſta Chriſtiano ritu benè merenti perſoluta, nec ſine graui Patrum dolore, qui exurgenti ædificio Eccleſiæ Canadenſis fundamentum alterum ſubtrahi ingemiſcebant: ſed nimirùm viuos lapides in vnius locum ſufficiendos, iam tum Dominus

ANNVS MDCXXXIX.

Deus complures elegerat. Primus fuit Algonquinius iuuenis is, cuius dilatum tandiu Baptiſmum anno ſuperiore diximus, quod eius videretur diutiùs exploranda conſtantia, ne ſi quis Neophytorum ſub ea primordia vel falleret, vel à fide quoquo modo deſciſceret, non tàm ornamentum accerſeretur Eccleſiæ, quàm pernicies. Cùm dilati tandiu beneficij tædio; & imminentis per appropinquantem hyemem penuriæ metu, per autumnum venatum perrexiſſet cum agmine popularium; vix nemorum vaſtitatem ſubierat, cùm reflectit gradum, & ad Patres reuerſus: Diſcedere, inquit, à vobis nequeam antè quàm initier: dum mente & cogitatione retracto ſuperioris ætatis meæ labes, ac maculas: tum illud reputans, quod ſæpenumerò de vobis audiui, Baptiſmum illum, lauacrum eſſe, quod impuriſſimas illas ſordes planè abſterſurum ſit, facere nequeo eorum vt à contubernio me ſegregem, per quos diuinum illud beneficium ſim aſſecuturus: ità pedem non hinc antè extulero, quàm volentem, cupidúmque, in Fidelium cœtum per Baptiſmum cooptaueritis. Expugnauit ea denunciatio, inuſitati ardoris teſtis, Patrum propoſitum: dicta dies ad ineuntem Nouembrem, quâ die Sanctorum omnium merita, feſtâ gratulatione Eccleſia parens recolit. Cùm egregiè ſe ſe ſemper adhibuit: tùm per id tempus, cùm non rarò à Patribus egeſtatem viri miſeratis ad frugales epulas vocaretur, hunc planè in modum eos aliquando ipſe vltrò compellauit; *Non deerunt ex popularibus meis, qui ſuſpicentur me ad vos tam crebrò, compendij alicuius causâ ventitare; vos adeò ipſi idipſum fortè opinemini: id ſi ita eſt, mentem, quæſo, eam deponite: ac ſic habete, vnam me à vobis inſtitutionem animi captare, præterea nihil. Ac ſicubi quidem in terris viſendum ſe præberet Deus, vos ego valere iuberem, ad eum rectà pergerem: imò verò vrgerem ipſe vos, atque impellerem, vt vnà mecum eum conueniretis, ab eo, perinde atque ceteræ res omnes, conditi, procreatíque: nunc, quando is nuſpiam ſub aciem oculorum cadit, neque eſt nobis vſquequaque cognitum quid à nobis exigat, faciendum nobis omninò eſt, vt ad eos à quibus rerum earum notitiam poſſumus haurire, ventitemus crebrò, etiam cum periculo moleſtiæ nonnullius ipſis creandæ.* Hæc, aliáque perſimilia dum & animo volutat, & identidem oratione perſequitur, aduenit tandem lux optatiſſima beatæ regenerationis. Vt in feriam ſe-

ANNVS MDCXXXIX.

cundam festa Omnium Sanctorum celebritas eo anno incidebat, Sabbato quidem superiore ieiunium de more Ecclesiæ coluit: die Dominicâ ritè baptizatus est Kebecci, Gandio susceptore: postridie singulari quodam cum sensu suauitatis sacram mensam obiuit. Ignatij nomen inditum. Sensus autem animi qualis tunc in se fuisset, sic ipse postmodùm Iuuenæo expressit: *Cùm pro foribus sacræ Ædis*, inquit, *consistere iuberer de more, sic mihi ipse persuadebam, eo me loco distineri tantisper, dum exploraretur vltimùm, num Christianus esse ex animo vellem? & ingenti quidem cupiditate flagrabam domus Dei quamprimùm subeundæ, quasi vehementer ab aliquo impellerer ad maturandum id, quod pridem ardentissimè concupiscebam. Mirificè delectabar quæsitis singulis: & illud mihi canebam intùs in animo; Tandem aliquando ærumnosam sortem meam miseratus est benignissimus Deus: tandem patebit Ecclesiæ ostium, breuî credentium familiæ accensebor, Deique filijs. Dum autem impressum est fronti signum Crucis, visus mihi teter dæmon dare se in fugam, omni deinceps in me tyrannidem suam exercendi spe sublatâ.* Longum esset cetera persequi, quorum sensum haberet néc-ne Neophytus in animo eum, quem oratione declarabat, addubitari fortè potuisset, subdit Iuuenæus, sicunde eum haurire aliunde, quàm è cælo potuisset: verùm, cùm & libris adhuc Canadenses careant, & primâ ipsâ literariorum elementorum notitiâ, ecquis non ijs in radiis agnoscat Patrem luminum? Sanè cum præclarâ oratione semper egregiè consensit præstans vitæ actio: totus erat in populariũm suorum conuersione, vel apud Deum, vel per homines accurandâ: precationi miscebat calentes lacrymas, ac se ipse in nemorum penitiores abdens recessus, vepribus, conciliandæ eius diuinæ misericordiæ, corpus cruentabat, & scilicet quâ mercede serui Dei solent. Venit in suspicionem apud eos ipsos, quorum sempiternæ saluti instabat acriter, quasi cum Gallis in eorum exitium coniurasset. Ergo dicta eius, factáque explorare homines stolidi curiosiùs: quò se conferret, quibuscum ageret, ab eo vel refugere prorsùs, vel si quando adeundus erat, tanquàm ad Magum, veneficúmque accedere. Excludebatur vulgò à conuiuiis, quo probro nullum facilè apud eos maius: tàm sedato tamen animo, vt vno in Deo, præclarè sibi conscius, acquiescens, nihil moueretur. Atque

ea

ANNVS MDCXXXIX.

ea mentis æquitas expugnauit denique barbararum mentium peruicaciam: odium in venerationem vertit: & qui ab eo tantopere ſeſe abalienauerant, ijdem poſtmodùm non modò ad eius congreſſum ſeſe applicauere perlubenter, ſed etiam Apoſtolici hortatoris obiurgationes ferre ceperunt. Certè ſic aliquando eorum honeſtiores, & ſcilicet elatiores hunc in modum appellauit: *Ecquid tandem de nobis populares, déque noſtrâ conditione ſentimus? Si præpotentem illum Deum reſpicimus, ſimillimi nihi videmur iſti ciceri* (cicer autem ſuſpenſum extremis digitis duobus tenebat, rogo ſubiecto:) *vt enim illud, ſi aliquâ ratione præditum inſoleſceret, renuerétque iuſſa mea faceſſere, in hanc flammam dimittere nullo negotio poſſem, ac ſi dimitterem, facerem meritò, eius vlciſcendæ nequitiæ, atque contumaciæ, ſic ſi obtemperare Deo recuſauerimus, fidémque quam tantâ ſuauitate offert, amplecti; quid tandem cauſæ eſt, cur non nos in ſempiternas flammas deïciat, nullâ non ſeculorum conſecutione cruciandos?*

SVCCESSIT PIGARYICH, homo ex eorum genere, qui commercium cum dæmone vel habent, vel habere videri volunt, ex acerrimo inſectatore cultor fidei ſinceriſſimus. Is poſtquam ſæpè cum Patribus arrogantiùs altercatus, nihil vnquam niſi pudorem retulerat, animum tandem induxit, vt quorum vim ingenij ferre, momenta rationum eludere non poſſet, eos ſeriò magiſtros in viâ ſalutis appeteret. Ac initio quidem vix eis perſuadere potuit, ad eos ſe adire alio conſilio, quàm vt amicis ipſis potiùs, quàm aduerſariis vteretur: ſed totius biennii conſtantia in flagitando Baptiſmo palàm fecit denique, *Spiritum vbi velit ſpirare.* Eo interuallo complura ipſe in ſe diuinæ benignitatis documenta expertus eſt, vnde infinitam illam bonitatem ſuſpicias. Nam cùm longiùs in bellicâ expeditione cum popularium ſuorum manipulo prouectus, certiſſimo in periculo verſaretur, ex ancipitis aleâ certaminis, tàm præſenti diſcrimini miro ſanè quodam modo ereptus eſt. Et ſocios quidem inde à principio hortatus erat ad fundendas ad Deum quotidie ſub noctem ex Chriſtianorum more, preces: verùm, cùm nihil aliud ab ipſis, niſi impiam cauillationem ferret, ſolus id facere conſtituit, ad quod alios adducere minùs poterat. Diem igitur nullum elabi patiebatur, quin ſe ingenti quadam fiduciâ in ſinum diuinæ miſericordiæ conijceret,

ANNVS MDCXXXIX.

iterarétque hæc ſecum frequens : *Perſuadere ſibi nequeunt Patres, me ad te confugere, ſupreme rerum omnium conditor; facio tamen, & ex animo quidem: proinde fer opem, qui potes, polléſque.* Cùm autem deprehenſus in illâ vaſtitate cum ſuis, vndique ab hoſte circumfuſum ſe videret, ad arma ipſe ſua recurrit, hoc eſt ad ſignum ſanctæ Crucis: & ſummum Deum compellans; *Infinitè patet*, inquit, *vis tua, atque poteſtas: ades precanti, méque tege in formidoloſo certamine.* Rem miram! cum pugnaretur accerrimè, telorúmque imber vndique depluens, quamplurimos ex popularibus circà illum hac illac ſterneret, hos cæſos, illos ſaucios; ipſe intactus incolumíſque, ſagittarum modò ſtridorem auribus, oculis perniciſſimum allapſum hauſit: donec felici fugâ per medias acies elapſus, cum paucis euaſit ſic, vt inſequeretur tamen hoſtis fugientes. Quid facerent? in vnâ pedum pernicitate poſita ſalus erat, ſi humana ſpectes: & difficillimum videbatur in illâ trepidatione ſe ſe recipere. Fecit tamen, ducente Deo, tam manifeſtè, vt Euro ocyor, non tàm ambulare, quàm volare videretur, fatiſcentibus identidem ſociis, ac ſe præ defatigatione procedere poſſe negantibus: ipſe, quoties in cælum ſuſpiciebat (ſuſpiciebat autem frequens) ita ſibi leuari videbatur, vt neque viæ laborem perſentiſceret, neque inediæ. Ita hoſte, vbi ſe nequicquam præeuntes inſequi viderat, recedente, peruenit Pigarwich cum ſuis ad eam fluuioli ripam, ad quam exſcendentes, canoas reliquerãt. Vrgebat fames, nec ad eam depellendam quidquam ſuppetebat: monet ſocios, opem implorandam eſſe ſummi Dei: abnuunt miſeri cum negleƈtu: ipſe nihilo ſeciùs precationem hanc concipit: *Ego, auium conditor, aue aliquâ in cibum egeo: ſi vis, ſubminiſtrare potes, ſi non vis nihil tanti eſt, nihilo ſeciùs in te credam.* Vix ea dixerat, cum in Inſulam ingreſſus, intrà eiuſdem fluuioli alueum, non auem quidem, ſed aliud aue longè commodius, vaccam ſilueſtrem offendit: hanc, cùm in amnem deſiluiſſet, coniunƈtis viribus adorſi tùm ipſe, tùm alij, necant: tàm præſenti Dei beneficio, vt illud & agnoſcere, & profiteri ingrati illi coaƈti ſint? Ventum erat ad amnem S. Laurentij, cùm per illius Inſulas ad venatum palabundi, incidunt in populares alios fame oppreſſos. Iam vaccæ carnes dierum aliquot iter abſumpſerat: ità nihil ſuppeditabat, non modò vnde opitu-

larentur, ſed ne vnde quidem ſe ipſi alerent. Ergo prædicant nouis illis, veteres ſocij, ad Pigarȣich precationem, annonam ſibi recens ſubminiſtratam à Deo: eam vt iteraret, tùm hi, tùm illi apprecantur: & fecit non inuitus, in hæc omninò verba. *Tui iſti ſunt: etenim tu hominum omnium procreator, & parens es: tùm illi, tùm nos ab inediâ periclitamur: vnde alamus ſuffice, potes enim: ſi propitius eris, aliquid in cibum nanciſcemur, ſi auerſus, planè nihil: vt vt tamen erit, in te conſtanter quidem credidero.* Secundùm eam precatiunculam, venatum pergit, at fruſtrà, vt ſe cuncta ferebant in ſpeciem: planè nihil occurrit quod figeret, non fera, non auis. Recepit ſe igitur in canoam, hæc ſecum reuoluens. Nihil quidquam ſuppeditare vult: quid tum? Dominus eſt: cùm ecce tibi, fluitare videt aliquid in alueo: lignum primò rebatur vndis ferri: mox, illud, quidquid eſſet, nando progredi aduertit. Ergo inſequitur ocyùs, ceruúmque eſſe deprehendit in aduerſam Inſulam tendentem: conuocati ſocij accurrunt, nec ægrè confectâ ferâ, optato cibatu recreantur. Hinc cum Algonquinijs popularibus aliquandiu verſatus eſt ſic, vt præclarum vbique fidei teſtimonium redderet, ea identidem exponens, quæ de Patribus inaudiſſet: verùm, cauillabantur inſipientes, ridebántque quæ de futurâ vitâ ab eo diſputabantur: & ſcilicet mirari ſe, eum tàm hebeti eſſe ingenio dictitabant, vt res, tàm à ſenſibus remotas cum vero conſentire ſibi perſuaderet. Si hæc afferrent, aiebant, Galli iſti; In Deum creditote, ad extremam ſenectutem vitæ veſtræ ſpatia tendentur: nullius morbi neque dolorem, neque moleſtiam ſentietis; & canis tamen capita veſtra reſpergentur; enimuerò eſſet ea doctrina plauſibilis: nunc, dum nihil niſi vitam futuram loquuntur, præſentem ſuis precibus eripiunt: ipſe tu, addebant, quando tàm amens es, eis vt auſcultandum cenſeas, breuî emoriere. At is exaggerati cuiuſdam animi fiduciâ hæc ſecum contrà reputare: *Omninò nullo vnquam modo perſuadere mihi queam, Deum ſummè bonum vitam mihi idcircò erepturum, quòd in ipſum crediderim, morémque ipſi per omnia gerere conſtituerim.* Et res planè ſic habuit: cùm iam tum apud Algonquinios lues popularis vim exereret ſuam, impij illi abſumpti ad vnum omnes, nouus Tobias, cùm vel ob ingentem numerum, vel ob præſentiſſi-

ANNVS MDCXXXIX.

mum diſcrimen, inhumata paſſim corpora occurrerent, glebam piè inijciebat, vbique tutus; Adeò ſibi vſque conſtat diuina Prouidentia, vt neque ſacrilegam blaſphemorum conuiciandi licentiam inultam eſſe patiatur, neque ſperatâ ope deſtituat vnquam eos, qui eâ nixi fiduciâ, pericula piâ de causâ appetunt. His tot, támque ſingularibus diuinæ in ſe benignitatis documentis erectior, pergit ad Triſluuium, ſiſtit ſe denuò Patribus: Baptiſmum non modò expetit, ſed flagitat: ac ſi humilia ſublimibus liceat componere, quod S. Paulo olim contigit, dum ſub initia vitæ, mentíſque mutatæ, Chriſti ſe diſcipulum aſſeclámque, vt erat, ità profitebatur, vt ab eo ſancti illi Damaſceni refugerent; ita, ceu perfidioſus veterator Pigarvich à Patribus reijcitur. Inſtat tamen nihilo ſeciùs, noménque ſe ſeriò dare velle fidei aſſiduus interpellator idem, & permodeſtus, denunciat: vtque dictis fidem facta adſtruerent, cùm à Præfecto quodam enixè rogaretur de ægroto curando, oblatâ torque è conchâ veneriâ haud exigui pretij; torque reiectâ publicè, ac palàm profeſſus eſt, priſcam illam artem ſuam, deluſoriam planè fuiſſe: dolere ſe ex animo, quod tandiu populáribus ſuis impias illas nugas obtruſerit: certum ſibi eſſe nunquam eas, quicquid tandem ingrueret, repetere. Nec probatio à Deo defuit: eodem illo tempore inuadit peſtifera lues vxorem, liberos, fratrem: nihil tamen infractus animo eſt: corporibus cùm actum eſſe videret, eorum animas ſalutari Baptiſmo procurat, vel ex ſincerâ ſuorum charitate, vel vt planum faceret Patribus, neminem iam dubitare meritò poſſe, quin Baptiſmum amaret, quando ad eum, coniunctiſſimum quemque ſuorum hortatione perpuliſſet. Ergo pro Catechumeno inſtituitur à Patribus, vbi abundè ſatisfeciſſet initiandus: ſed cùm moleſti eſſe pergerent amicorum, conſanguineorúmque nonnulli, Kebeccum migrat, quò ab iſtis tumultibus expeditior, vacare Deo, ſibíque poſſet commodiùs. Sed vbi ſalutem ſperat, exquirítque, ibi parùm abfuit quin in extremum exitium rueret. Quæ Salomonem mortalium ſapientiſſimum deprauauere mulieres, haud mirum ſi labefactare conſtantiam potuerunt hominis necdum Chriſtiani. Cùm vxor eius, diem, vt diximus, extremum obijſſet, ducere alteram animum inſtituit, & ſcilicet oculos, animúmque fixit in vnâ, quam alius

ANNVS MDCXXXIX.

quidam deperibat. Ergo Catechumeno posito, procum agit, salutaria consilia si non abijcit prorsùm, certè sic obterit, vt graui Patrum mœrore, cùm totus esset in consilio copulandi coniugij cum infideli muliere, parùm ad fidem affectus meritò videretur, atque adeò facessere iussus sit è Patrum domunculâ, ad quam ventitabat frequens. Perculit ea denunciatio hominem, quicquid esset, Baptismi percupidum: itaque cum aliquandiu attonitus hæsisset; Dum me vestrâ, inquit, domo abigitis, etiámne spem omnem aufertis Baptismi? Minimè verò, aiunt: si te ad frugem priorem receperis, amatoriámque istam tuam licentiam, offensionis, flagitiíque plenam ablegaueris, fieri voti compos queas. Benè habet, infit exhilaratus animo: illud metuebam vnum, ne nolletis viam cæli petenti tradere: nunc, quando id non negatis, securior mente sum: nam cibum quidem, & vestem, & si quid prætereà à vobis aut adiumenti, aut auxilij suppeditabat, valere iubeo haud grauatè. Tenuit ea lucta aliquandiu: ac tametsi multa peccabat intereà, tamen satis præ se ferebat hærere in pectore cæleste spiculum. Solicitatus sæpiùs eo interuallo, & cum muneribus quidem, vnde tolerare commodiùs posset extremam, quâ per ea tempora conflictabatur, penuriam; adduci tamen nec prece, nec pretio potuit, tympanum vt tractaret, veteratori artis instrumentum princeps: quin, cùm Patrum aliquis, quo institutore vsus primùm erat, præter eum fortè obuium transiens, ne salute quidem dignum eum putasset; euntem stitit Pigarȣich, & voce quantum potuit elatâ; *Quid tandem Pigarȣich esse*, inquit, *autumas? Arbor est validissimis radicibus affixa humo: eam tu primo impetu deiectum iri reris. Itera, itera benè diu ictus impactæ securis: nutantem deÿcies denique: eò enim sponte propendet: verùm, prohibent adhuc altiores illæ, quas dico, radices.* Cùm nihilo seciùs procrastinarent Patres, vrgere ipse contrà ijs momentis rationum, quæ religionem propè ipsis iniecerint. Quando quidem traditis, aiebat, Deum misericordem imprimis esse, peccatáque abolere eorum qui Baptismo consecrantur; cur me tandem excluditis, quando testor, publicéque profiteor dolere mihi vehementer susceptas illius offensiones? Si vos quoque labes animi mei exosas habetis, quin me perfunditis ocyùs sacrâ lymphâ, cuius

ANNVS MDCXXXIX.

efficacitate cunctæ exterminentur? Eo nomine (ſat intelligo) vobis ſordeo, quòd multa quotidie pecco in Deum: atqui ſic habete, ſi me Baptiſmo dignati eſſetis, futurum fuiſſe pridem, vt ab ijs flagitijs temperarem: ſemper enim illud fixum conſtitutúmque animo habui, ſi ſemel impertitus mihi Baptiſmus eſſet, Baptiſmum eundem reuereri, eiúſque venerari ſanctimoniam: quandiu expers illius ſum, cani ſum ſimillimus, idcircò prauis fœdíſque cupiditatibus indulgeo, inuitus tamen. His permoti rationibus Patres, ne quid tamen temerè facerent, hominem acriùs, exactiúſque pertentare totum inſtituunt: ſi poſt Baptiſmum in morbum fortè incideret, cauſam morbi in Baptiſmum reiecturum: ſi ab ſuis, vt nihil proclíuius eſſet, ad defectionem à fide ſolicitaretur poſtmodùm, defecturum, ex animi mobilitate: ceterùm, Præfectos ferè omnes ab eo alieniores eſſe: id verò non eſſe de nihilo. Hæc ita diſſoluit ille, vt diceret, Primùm quidem, non poſſe ſe inficiari, quin exitialis illa ſuſpicio popularium plerorumque ſuorum animos corripuiſſet, à Patribus luem illam, quæ recrudeſceret, & importari, & effici: ſe verò iſta ridere: sátque ſibi exploratum eſſe, non eos Deos eſſe, qui de mortalium vitâ pro arbitratu ſtatuerent. Deinde, vt non defuturi eſſent qui ea occinerent contrà ſuſceptam fidem, tamen ſe immotâ mente perſtiturum, reiecturúmque moleſtos interpellatores breui hac oratione; Gerere morem volo ſummo cæli moderatori, non vobis, quibus in animum meum nec ius vllum eſt, nec poteſtas. Tertio loco, ad Præfectos quod attineret, neminem noſſe ſe præter vnum, inſquum ſibi: hunc autem ſibi videri liuore quodam duci, quod cùm etiam ipſe Baptiſmi ſe ſtudioſum profiteretur, ac nihilo tamen ſeciùs vxores retineret duas, intelligeret ſatis nunquam ſe quod ſequeretur, aſſecuturum: ringi proinde, quod Pigarvich anteponendum ſibi videret. Ac priora quidem illa duo penè perſuaſit Patribus: tertium iſtud ingeniosè commentus eſt vir minimè hebes: non enim vni modò, ſed compluribus Præfectorum inuiſum eum reddebat natura arrogantior, liberiórque paſſim oratio. Sed nimirùm ſanctos diuina gratia non reperit, ſed efficit: ac qui ſpoponderat leones, lupóſque poſitâ feritate, vel pueruli ductum ſecuturos, ità per Baptiſmum hominem haud commodiſ-

ANNVS MDCXXXIX.

simæ ad virtutem naturæ mutauit, vt quod ipse in se persentiscere se professus est, vbi primùm aquis respersus est salutaribus, alter euaserit derepente. Nihil Stephano (id enim nominis inditum) postmodùm docilius: cùm monerent Patres, è re Christianâ esse videri, popularibus vt exponeret rationem consilij sui; Iam illud, inquit, perfeci, ac palàm professus sum, certum mihi esse à superiori meâ nequitiâ, prauitatéque discedere: denunciatum quippe mihi esse à vobis, nisi legi Dei, Ecclesiæque institutis parere prorsùs animum inducerem, inutilem Baptismum fore: quando iubetis tamen, faciam denuò, dabo ipsis epulum, denunciabo conuiuis, filium Dei esse me, atque adeò certum mihi esse, exactè & tenere, & facere quæcunque præscribentur, inolitis ipsorum superstitionibus, deliriisque, & nugis, valere iussis in perpetuum. Et consentanea fecit: haud ità diu pòst ex ritu Ecclesiæ duxit vxorem, Christianam viduam: adhibitæ sacræ cerimoniæ animos rapuerunt adstantium: coniuges per Pœnitentiæ, Eucharistiæque crebritatem cælestè sibi accersere subinde auxilium, illicò piè aggressi. Succreuerat denique felix soboles, ex Seminario, quod Patres suæ tenuitatis obliti, generosâ charitate fouebant: sed teneros flores intempestiua pruina decoxit: quæ lues adultos passim carpebat, eadem ipsos inuadit: in cælum beatâ morte transcripti quidam: alij conflictati morbis: pauci superfuere, qui vixdum pueritiam excesserant. De Huronibus multa quidem dicenda: sed quoniam hæc hoc anno partim gesta, partim sequente, cuncta in sequentem reijcimus, ne filum deinde orationis cum molestiâ interrumpatur. Illud modò memorandum hîc, translatam hac æstate Residentiam pagi Ossosanensis in locum commodiorem, ad amnis ripam sanè amœni, qui cursu confecto, haud vltrà mille passuum, lacus deinde duos colligit, quorum alter ad Occidentem patet, paululùm modò Septentriones versùs, tàm immenso ambitu, vt pro altero Mari dulci haberi facilè queat: alter ad Meridiem tenditur, ambitu ferè leucarum duarum Gallicarum. Locus præterquàm quod in meditullio regionis est, vnde emitti commodissimè operæ partes in omnes queant, eam insuper opportunitatem habet, quod, cùm fluuio immineat, ad importanda, exportandáque ea, quibus

Residentia pag. Ossosanensis in locum commodiorem transfertur.

ANNVS MDCXXXIX. carere vita nequit, aptiſſimus eſt, agérque ad communem regionis frugem haud infertilis : & quoniam nihil ſecundùm Deum, non ſe Auguſtiſſimæ Deiparæ debere intelligebant Patres, vt hoc ipſum aliquâ, exiguâ licet, grati animi ſignificatione profiterentur, Reſidentiam eam *S. Mariæ* dici voluerunt, addiderunt, *Conceptæ* : quod, vt ſuprà relatum eſt, tum demùm Euangelicæ vel ſationis in agro Huronico, vel meſſis deinde conſecuturæ iniecta ſpes, cùm ad priſcum Eccleſiæ cultum eâ luce vbique terrarum Immaculatæ Virgini piè reddi ſolitum, votiua prætereà celebritas accedere ceperat.

ANNVS MDCXL. NVNC, VT Kebeccum raptim redeamus, hoc quoque anno Nouæ Vetus Gallia præclarè optitulata. Kebeccum tetendere per maria, ſi quando aliàs, tunc profectò infeſtiſſima, præter turbam ceteram, Sacerdotes è Societate duo, *Renatus Menartius*, *Ioſephus Perronius* : cum adiutoribus totidem, *Iacobo Ratello*, *Dominico Scoto*: Moniales autem Hoſpitalariæ quidem duæ, è Dieppenſi Xenodochio, illi *à S. Mariâ*, huic *à* S. *Nicolao*, Religioſum cognomen: Vrſulinæ autem è Pariſienſi Cœnobio : quod quàm ardenter, tàm fruſtrà anno ſuperiore Pelteria concupierat, item duæ, annuente Illuſtriſſimo Archiepiſcopo, *Anna à S. Clarâ*, *Margarita à S. Athanaſio*, ambæ grauiſſimo cum dolore ereptæ chariſſimis ſororibus, quæ virtus earum in Monaſterio fuerat. Prætoriæ (*Spem* nomen fecerant) præerat Corponius, virtute militari nobilis: in eam tùm illæ, tùm hæ conſcendere. Vix è Dieppenſis oppidi conſpectu receſſerant, cùm fœdiſſima tempeſtas exoritur: incubuere vno ſimul tempore omnia, venti, imbres, & quod permirum, exeunte iam Martio, aut etiam inito Aprili, ea in orâ niues. Fluctuum vis tàm atrociter pertinax, vt in eorum oculis qui Spe vehebantur, depreſſerint nauem alteram ex oppido S. Valerij, quæ eodem tempore profectura, portu nondum ſoluerat: hæc diſruptis infeſto turbine rudentibus, in cautes impacta diſſiluit, cum rerum, merciúmque omnium iacturâ, ex nautis, vectoribúſque circiter viginti, tres tantùm euaſere: ceteri hauſti gurgitibus, ſpectantibus formidinem intenderunt. Ergo alij (quæ eſt hominum impiè ſtolidorum amentia, vt quo tempore diuinis vel maximè præſi-

dijs

ANNVS MDCXL.

dijs egent, tunc vel maximè diuinam à ſe abalienent clementiam) execrari ſéque, lucémque quæ conſcendentes viderat: alij muliebriter eiulari; alij hærere attoniti. Virgines viris fortiores nihilo plus pauoris, perturbationíſque præ ſe ferre, quàm ſi Sequanâ ludibundæ volitaſſent, nimirum Deo auſpice nitebantur. Tam atroci procellę poſt eas denique furias deſidenti, ſucceſſit altera propè periculoſior: hoc in eâ minùs incommodum, quod ſenſim turbido in aëre coaleſcens, à peritis deprehendi potuit, atque adeò aliquâ ex parte caueri. Maturè ſecundam anchoram deijciunt: ea prouiſio ſaluti fuit: quippe rudens is, è quo prior illa apta pendebat, ad primum irruentium ventorum impetum diſſiluit: ſed nauem ſtitit hæc poſterior. At nihilo ſecius pericula periculis attexebantur: Proprætoria fatiſcentibus derepente funibus temerè abrepta, propè in Prætoriam impingitur, ac ſi pedes prætereà viginti proceſſiſſet, actum erat. Periculum intuebantur omnes, declinare humanâ quidem ope poterat nemo: proinde ad Cæleſtium opem confugitur: Menartius S. Ioſephum inclamat, Regionum ad quas Dei causâ tendebant, tutelarem: ita diuino munere intrà metum res conſtitit. At ne cui dubia eius eſſet opitulatio, eo ipſo momento quo eius fidem implorabat Sacerdos, affertur ab hilaribus, Proprætoriam aliò per obliquum deflexiſſe. Quaſi tamen Tartarus totus in onerariam eam coniuraſſet, à quâ ſuis rebus tantopere metuebat, ità, quod nunquam fortaſſè aliàs, à VII. Cal. Aprilis, ad IV. vſque Cal. Maias plagam eam Oceani venti, tempeſtatéſque infeſtam habuere. Atenim, quis non hîc diuinæ Prouidentiæ ſuauiſſimam diſſimulationem inſpiciat? vbi naues aliæ hauriebantur fluctibus, ibidem Nouæ Franciæ claſſis modica, tanquam in aſylo neſciens morabatur, dum ſubduceretur hoſtili periculo. Dunkerkani myoparones aliquot, egregiè tùm ab epibatis inſtructi, tùm à tormentis, bellicóque cetero commeatu, ſtabant in inſidiis, dum Francicæ onerariæ altum tenerent, in impeditas, grauéſque, vbi opportunum videretur, inuolaturi. Sanè nullo negotio ab ijs captæ ſunt naues Hollandicæ duæ, quæ nocte ſuperiore proximâ, quàm Francicæ ſoluerent, eodem è portu receſſerant. Nec dubium erat quin ipſæ quoque aleam eandem ſubituræ fuerint, niſi prædâ ſuâ impediti

S. Ioſephi ope naufragij periculum declinatur.

ANNVS MDCXL.

myoparones, certaminis euentum reformidaſſent, ad quod ſe ſe eæ gnauiter accingebant: ne quid tamen deinceps detrimenti caperent, euicit ab Richelæo Duciſſa ſororis filia, de quâ diximus, vt è Portu Gratiæ (oppidum Neuſtriæ maritimum eſt, ob ſitus, munitionúmque firmitatem totius oræ propugnaculum) adeſſent naues Præſidiariæ, quæ onerarias cingerent, vallaréntque, donec fretum præteruectæ, quod Galliam ab Angliâ dirimit, altum impunè tenere poſſent. Ergo ad eum Portum delatæ onerariæ, naues Regias quinquaginta offendunt in anchoris. ex ijs *Bellilocus*, Claſſis Præfectus quadraginta pergere cum onerarijs, ad præſidium iubet, donec ſuſpectâ plagâ planè exceſſiſſent. Dum tranquillo pelago procedunt, nunciant exploratores, è ſummis carcheſijs, myoparones ex illo eodem agmine octo haud procul inuehi: immittunt illicò Præfecti qui conſequantur. Sed cùm aura afflaret ſecundior, ſua eos Gallis celeritas eripuit. Ergo vbi nihil iam diſcriminis vllâ ex parte circunſpicitur, recepere ſe ſe Regiæ naues: onerariæ feliciſſimè deinceps curſum tenuerunt, & quaſi quod procella diuturnior abſtulerat, iam rependeretur cum fœnore, venti perpetuò ſecundi fuerunt. Hos impetrabat ab diuinâ benignitate, vectorum pietas, religióque ſingularis. Memorabat Menartius totâ eâ nauigatione neminem non egregiè Chriſtiani officij partes ac numeros obiiſſe: vectores, nautas, Præfectos interfuiſſe ſingulari cum modeſtiâ diuinis Officiis, quæ ſæpenumerò modulatè peracta ſunt: Sacramenta ſedulò celebraſſe, confluxiſſe aſſiduè tùm ad preces publicas, tùm ad aſceticam lectionem. Ita, dum pro ſe quiſque caſtè, ſolicitéque Deo famulatur, placida vbique æquora experti, Tadoſſacum exeunte Iunio tenuere. Illic læta omnia occurrerunt: in Gallis, inſignis vulgò morum innocentia: in indigenis plus animi, ardoríſque ad rem fidei promouendam, quàm ſperare quiſquam auſus eſſet, ſuperioris eorum vel leuitatis, vel licentiæ conſcius. Subijt pias mentes nullo quoquam mortalium ſuggerente, generoſum propoſitum, pago S. Ioſephi Silleriano arcendi quotquot fidem recuſarent capeſſere. Et inſcijs quidem Patribus res tanta inchoata: vbi inter primores ſteterat, tum demùm eos de ſuo conſilio certiores faciunt. Mirati illi vehementer, momenta rationum

ANNVS MDCXL.

hinc inde expendunt, & ſcilicet rem à Deo profectam videri pronunciant: quid enim tandem aliud cenſeres? Inauditum penè ante eam diem apud eos populos fuerat, vt quod alij, alijs pergraue futurum non neſcirent, illud in deliberationem vocarent, adeo inter ſe obſequuntur: nunc, cùm vltrò prudentes laceſſitum irent eos, quibuſcum nihil rixę, nihil diſſidij, niſi Dei causâ interceſſiſſet, ecquis non videret mentem cælitùs eam Fidelibus pectoribus iniici? Ergo cùm rem totam ipſis Patres permiſiſſent, cogunt ij inter ſe de more concilium. Princeps Stephanus Pigarvich, præfatus non modò non mortem ſe reformidare, ſed etiam in diuini cuiuſdam beneficij loco numeraturum, ſi pro fide tuendâ, aſſerendáque daretur occumbere, dæmonem, hoſtem humani generis perfidioſiſſimum, pertinaciſſimúmque, è nouâ illâ ſuâ ſede, & quaſi coloniâ pellendum prorsùs eſſe edixit: hunc verò tandiu ſecum fore, quandiu ſuo in cœtu Infidelis vllus eſſet: cum illis enim ipſum conſueſſe, tùm alijs omnibus, tùm ijs vel maximè, qui vxores vno eodémque tempore retinerent duas. Proinde, ſi qui adeſſent ità animo comparati, ijs duorum alterum planè faciendum eſſe, vt aut Chriſtiani matrimonij ſanctitatem, ſeueritatémque amplecterentur, vnâ deinceps vxore contenti, aut ſe certè ipſi ſegregarent: qui adſtantium animo valerent, eorum eſſe, liberè, conſtantérque declarare; quid tandem de re tanti momenti ſibi videretur. Pupugit ea oratio tùm Barbaros alios, tùm vnum præ ceteris, hominem ſanè arrogantem: continuit tamen ſe ſe, dum Chriſtiani alij duo perorauere: alter Natalis fuit Negabamat, alter *Ioannes Baptiſta Etinechkagat:* de Natale, dictum abundè ſuprà; de hoc poſteriore, mentionem ante hanc diem nullam reperio. Ergo Natalis placidiùs, moderatiúſque exorſus, eò denique delapſus eſt, vt expendere adſtantes iuberet, *gentem ſuam totam Monte-magnio, Patribus, Gallis vniuerſis eſſe percharam: neque ad eos modò qui fidem capeſſiuiſſent, ſed ad alios etiam omninò omnes eorundem beneficentiam liberalitatémque pertinere: neminem populariũ ſuorum eſſe, quem non adamarent, fouerent, complecterentur. Id adeò luce meridianâ fore clarius, ſi quis vellet ſecum reputare, ab ijs extrui ſibi domos longè commodiſſimas, ſi ad caſulas reſpexerint ſuas, tàm peruias ventorum omnium flatibus,*

De arcendis pago S. Ioſephi Silleriano Ethnicis in Concilio deliberatur.

ANNVS MDCXL.

quàm obnoxias flammis: ab ijs inſtitui ſe ad arandam terram, vnde certa annona prouentura ſit, aleæ expers illius quotidianæ, vnde extrema perſæpè penuria: eos ſingulari ſibi charitate, humanitatéque adeſſe in morbis: in ijſdem ferè certisſimum repoſitum perfugium, quidquid publicæ, priuatæ-ve calamitatis ingrueret. Et hæc quidem, inquit, *ita vobis probantur omnibus, identidem vt erumpatis ipſi in has voces; Sunt hæc ſanè præſtantia: omninò nos Galli diligunt: & planè ſic res habet.* Atqui ſic vobiſcum ſtatuite, populares, ſi *quæ Galli factitant ſunt bona, longè meliora eſſe, & conducibiliora quæ docent. Non illud memorant (quod poſſent, niſi eos ſalutis noſtræ ſempiternæ rationes ſolicitarent) ſoli nos immigrabimus in lucidas illas ſedes, quæ verticibus noſtris imminent, ſoli vitâ beatâ perfruemur: inculcant contrà aſſiduè, omnes nos eodem quo ipſi ſunt, prognatos Patre: fratres proinde nos eſſe, atque adeò in cælum, ſi modò auſcultare voluerimus, hæreditario iure olim tranſcriptum iri; támque nobis, quàm ſibi paratas in perpetuum ſplendidisſimæ illius ciuitatis voluptates, cum illuſtriſſimo dignitatis gradu coniunctas. Sed quid ego hæc diutiùs apud vos,* addidit, *qui eos iam tàm ſæpè de re tantâ vberrimè diſputantes & audiſtis, & ſuſpexiſtis. Omninò quando eadem hæc nobis qui adſumus, mens eſt vniuerſis, vt in pagum vnum, eundémque includamur, non opportunum modò, ſed etiam maxime conſentaneum fore videtur, vt in vnam, eandémque formam religionis & fidei coaleſcamus.* Ioannes autem Baptiſta Etinechkavat & ſenior, & ex genere Præfectorum, hæc omninò prolocutus eſt. *Noſtis pridem, populares, quàm nulla mihi ſit dicendi facultas, quantopere ad palatum lingua adhæreſcat mea, ore vix ad loquendum diducto. Et verò eâ ſum iam ætate, quâ meditari potiùs multum deceat, quàm proloqui. Idcircò illud vobis perſuadeatis velim, me, antequam fidem ſim complexus, tantâ de re diu, multúmque deliberaſſe, neque continuò, vbi impelli à Gallis illis cepi, ceſſiſſe. Sed quò difficiliùs expugnari me paſſus ſum, hoc altiores hac in mente radices fides eadem egit: tàm certa mihi nunc támque explorata ſunt quæ tradit, de ijs nihil vt ambigam: eadem tàm grata, támque iucunda, vt quò penitiùs in ijs expendendis cogitationem figo, hoc liquidior exiſtat in animo meo diuinæ cuiuſdam ſuauitatis ſenſus. Itaque ſi qua fuit vnquam dictorum meorum apud vos auctoritas, ſi quod pondus; agite ſanè, auctorem me ſemel ſequimini: formidinem omnem, dif-*

fidentiámque ponite, & quod feci, id neminem veſtrûm faccre pigeat. Gens noſtra omnium communis, id quod ſæpè deploratis ipſi, non debilitatur modò in dies, numeróque minuitur, verumetiam interit fanditùs : eam ſi ſeruatam vultis, auctíſque reflorescentem cernere, duo omninò facienda videntur, vt & vnum, eundémque in locum confluamus vniuerſi, & Deum cæli veneremur : is cùm & optimus ſit, & vim, poteſtatémque habeat ad perficienda quæcunque voluerit, infinitam, aderit precantibus, ſtatúmque illum priſtinum cum dignitate florentem reſtituet, reſtitutum conſeruabit. ANNVS MDCXL. Hæc vbi Chriſtiani Oratores in nocturno illo Concilio (noctu enim res peragebatur) attulerant, is, quem dixi, Barbarus, iracundiam inter, indignationémque; Non tàm, inquit, me petit iſta oratio, quàm conſanguineum huncce meum (& hominem digito monſtrabat) quanquam illud ſatis agi intelligo, vt excludamur vniuerſi, qui nondum Gallorum ſacra, religionéſque arripuimus: faxo tamen quiuis perſentiſcat, non poſſe eum à quoquam peti, quin eâdem operâ laceſſar ipſe. Vxorum duarum amoribus implicitum eſſe clamitant: quid tùm? an non per leges patrias, inſtitutáque maiorum, vnicuique noſtrûm licet, quot demùm vxores libuerit, adſciſcere. Si ad hæc nobis excutienda, via paratur, experiamur ſanè: abſcedent queis in certamine vinci contigerit. Et nos Patribus auſcultamus quotidie, neque quæ afferunt, improbamus; ſed nimirùm, neque quæ docent, ſatis inſculpere in animo poſſumus, neque quæ præcipiunt, cuncta obſeruare. Nihil tantopere properandum: cum ætate creſcunt vires. Fuit cùm nihil inuitius, nihil faſtidioſius auditem, quàm quæ ipſi pro concione afferunt: tum eos & aſpergebam ſalibus, & conuitijs proſcindebam, & minis territare conabar: vno verbo, tum os vnum ſuppetebat, nunc aures quoque habeo: eæ ſi nondum tàm aptè ac veſtræ illæ perforatæ ſunt, at excipiunt tamen quæ infunduntur. Ego quidem, ſi neceſſitudine cum Gallis coniunctus eſſem, perinde ac vos, qui eorum religiones amplexi eſtis, cauerem tamen ſedulò, ne popularium meorum animos offenderem. Secundùm hæc, exquiſitis ſententijs, ità diſceſſum eſt, vt de re tantâ deliberandum ampliùs Ethnici omnes dixerint. At Chriſtiani, turpe rati vbi ageretur de diuinâ gloriâ, cedere, nihilo ſeciùs in benè

ANNVS MDCXL.

ceptum opus incumbunt: clàm, Patres rogant, impetrent à Monte-magnio, cunctos conuocare ne grauetur, hortaríque ad legendos aliquot Moderatores, quibus parendum ſibi putent reliqui, in rerum publicarum præſertim, adminiſtratione: faciliùs ſiquidem paucos ad id adductum iri, quod eſſet è diuinâ gloriâ, quàm plurimos, audaces præſertim, ac plerunque nullius frugis. Patres, quibus nihil eſſet optatius, haud grauatè ſe ſe apud Monte-magnium interponunt. Monte-magnius, cui nihil eſſet antiquius rationibus diuini obſequij, aſſentitur perlubenter: adeſſe iuſſos primores *laudat principiò, hos, quòd fidem Baptiſmúmque ſuſcepiſſent, illos quòd ſuſcipiendi ſtudio tenerentur: vtroſque, quod ad colendam terram animum ſeriò adieciſſent; Eſſe id demùm, humano more viuere: hoc enim inter cetera diſtare homines à belluis, quod hæ nullâ certâ prouiſione, ſi quid in victum occurrit, eo vtantur, ſi nihil vltrò ſe offert, cùm nihil ſibi ipſæ parare queant, fame cogantur emori; homines autem rationis conſilio & futura proſpicere, & in futurum ſibi tempus conſulere, ijs maturè accurandis, quæ niſi intrà certum temporis interuallum proueniunt, fruſtrà deinde requirantur. An non eſſe longè conducibilius, habere te ſepoſitum in penum, vnde per hyemem victites, ſi pluuia tempeſtas fuerit, tecto apto commodóque concluſus interim, tuorúmque ſodalium conſuetudine per dulce otium perfruens; quàm totos nonnunquam menſes in ſiluis ieiunum, famelicúmque exigere, hoc deteriore conditione quàm belluas, quod eæ vnde vnde, ſemper tamen aliquid in victum nanciſcuntur, tu enecari fame cogare ſæpiùs: quàm crebro id euenerit, ſe ab ijs cogniturum potiùs, quàm apprime gnaros doceat. Ad vitam illam eandem humanam, rationémque temperatam maximopere pertinere priſcam illam fidem coniugij, quâ nec vxor viros plures, nec plures vxores vir habeat. Quàm enim, vel ipſorum confeſſione turpe foret, ſi vlla mulier plures haberet maritos? ac tametſi ad propagationem humani generis aliquandiu Deus permiſit polygamiam, tamen abrogatam illam prorsùs, vt ipſi de Patribus audiſſent, à Chriſto IESV Seruatore mortalium, ante annos mille & ſexcentos, ex quo tempore non magis viris licuerit, plures habere in coniugio vxores vno eodémque interuallo, quàm feminis, pluribus ſimul viris nubere. Enimuero longè eſſe firmius amicitiæ vtrinque vinculum, in mutuo illo, paríque fœdere, longè maiorem charitatem parentum in liberos: tàm porrò*

ANNVS MDCXL.

esse id ad rationem Christianorum institutorum necessarium, vt qui à polygamiâ nolit recedere, is eo ipso fidem se nolle amplecti profiteatur. Ad id deinde descendit, quod tunc potissimum agebatur, vt è re ipsorum publicâ, priuatáque esse magnopere commonstraret, Moderatores aliquot legi, quibus ceteri morem gererent: neque enim vbi omnes imperitent, quidquam aptè effici. Videlicet in ijs qui præsint, inesse multa debere, quæ in paucis reperiantur, prudentiam, moderationem animi, rerum vsum, fandi etiam facultatem: hæc verò in adolescentibus, atque adeò in viris qui requirat passim, frustrà requirere. Itaque vt in canois ipsis, dum flumine feruntur, necessarius est gubernator, qui arte cymbulam hac illac flectat; ita in quolibet conuentu necesse esse, qui præsit, designari aliquem: atque vt in his nauigiolis regendi partes non obuio cuilibet deferuntur, sed ei qui eius rei peritiam aliquam sit assecutus; sic in concilijs cœtibúsque consensu sociatis moderari alijs eos debere, quorum sit & acrior vis ingenij, & rerum vsus maior, & studium publicarum rationum acrius. Tales proinde legerent aliquot, quibus morem gererent reliqui: sic coërcitum iri iuniorum petulantiam, vnde tàm grauia tam sæpè, támque funesta detrimenta importentur: sic Nouam Franciam ad normam tùm veteris Galliæ, tùm florentissimorum quorumque Europæ Regnorum administratum iri: sic nouum decus accessurum genti toti in commune, priuatorum autem cuique infinitas vtilitates.

NEC SVRDIS ISTA CECINIT vir Nationi suo merito charus & auctoritate præstans: se breui super re propositâ in commune deliberaturos pollicentur. Post triduum ad Patres adeunt, & quâ potissimùm ratione adhibere se debeant in legendis Moderatoribus, sciscitantur. Cùm ij respondissent, viam omnium commodissimam eam videri, vt per arcana suffragia lectio fieret, eò vsque rem probarunt, vt extemplò constituerint ingressuros singulos seorsim in cubiculum Iuuenæi, eidémque designaturos tres è primariis, quorum ipse nomina perscriberet: tum audientibus cunctis, recitaturum quot quisque tulisset suffragia: qui plura consecuti essent, Magistratus fore. Dictum factum: excepta candidatorum nomina reddidit è schedulâ Iuuenæus, legentium suppressit. Ethnicis Chri-

ANNVS MDCXL.

ſtianos antepoſitos, compertum. Qui tandem ij fuerint, Gallica Relatio non edidit: illud prodidit modò, Ioannem Bapriſtam Etinechkavat, generis prærogatiuâ extrà ſortis aleam, iuſſum præeſſe, qui hæreditariam Præfecturam obtineret, ad ſe tranſmiſſam à maioribus: ita Moderatores quatuor conſtituti. Sed nimirùm, vt in re nouâ, & ad eam diem apud eos inauditâ ſtupere omnes, circumſpectare alij alios, nullum ne verbulum quidem profari. In alto ſilentio Chriſtianus quidam ex eorum numero qui ſuffragij ius habuerant; *Quid agimus*, inquit, *populares? aut quid animis ſuſpenſi hæremus? noſtrum id opus eſt: ipſi regendi partes his impoſuimus, vel potiùs Deus ipſe, qui noſtra vniuſcuiuſque ſuffragia ita temperauit, vt ſors in iſtos caderet: reliquum eſt vt nos pareamus.* Tum conuerſus ad Patres; *Video*, inquit, *coràm vobis, obſeruamus pluſculum alij alios: ea reuerentia omnium ora concludit: liceat nobis ſecedere: veſtris oculis ſubducti, liberiùs animorum noſtrorum ſenſa promemus.* Factâ illicò abeundi facultate, conueniunt in caſulam ex ſuis: ibi idem ille, inſtinctus vtique à Deo, qui non modò nullâ præcipuâ auctoritate apud ſuos eſſet, ſed etiam altero pede claudus, ſcommatibus vulgò pateret, tantâ vi, tantáque efficacitate diſputauit de fide, déque capeſſendæ fidei neceſſitate, eiuſdémque vtilitatibus, ac prærogatiuis; potiſſimùm autem de fructibus obedientiæ, vt omnes in ſui admirationem traduxerit. Ergo poſt ſeriam, exactámque deliberationem hæc conſtituta. Primò, *ille ipſe qui tàm egregiè de Deo verba feciſſet, gereret Præfecturam precum, hoc eſt curam in ſe ſuſciperet cognoſcendi è Patribus, quid Chriſtianum quemque facere, quid vitare oporteret; cognita explicaret in Conuentu: morem omnes geſturos. Secundò, Præfecti duo conſtituti iuuentuti continendæ, Chriſtianus alter, alter Ethnicus adhuc. Tertiò, quatuor illi, hoc eſt cum Ioanne Baptiſtâ tres qui ſuffragia plura tulerant, controuerſias definirent omnes: Magiſtratus tempus eſſet annuum, eo euoluto ſpatio, alij eodem modo legerentur. Quartò, accingeret ſe quiſque ad colendam terram.* Secundùm hæc, adeunt ad Monte-magnium, tùm quid conſtituiſſent ſignificaturi, tùm rogaturi, & ſuâ auctoritate lectionem firmaret, & nouos Magiſtratus tueretur, ac ſi quis fortè parere detrectaret, pro ſummâ illâ ſuâ poteſtate adigeret ad officium. Is tàm ſalutaria inſtituta gratulatus cunctis, prolixè recepit,

cepit, facturum omninò parerent cuncti nouis Moderatoribus, ac si adhuc perdiligenter curasset, vt patrem-familias quemque, domestici recta præcipientem audirent, multò exactiùs accuraturum, obtemperarent cuncti ijs quos iam publica honestaret auctoritas. Hæ porrò leges quàm gratæ, quámque acceptæ acciderent in commune omnibus, inde vel maximè patuit, quòd iuuenes sclopis militariter instructi, casam in quâ lecti Magistratus erant, circumobeuntes, ignitas fistulas decoro ordine disploſere: postridie autem cùm è Patribus aliquis ab Ethnico quodam à fide ad eam diem alieniori quæreret; Númnam credere demùm vellet? An non, excipit is, heri vespere scloporum sonitum exaudistis? Sic habetote, eum testificatum fragorem, certùm mihi esse ad fidem adiicere animum: etenim tùm vestras religiones, tùm instituta vestra cetera capessenda esse, in commune cuncti decreuimus. Quoniam autem hæc ad viros tantùm pertinebant, feminis quoque conuocatis exponi placuit eadem, incitamentáque suggeri fidei capessendæ, atque tum primùm, vt eæ quoque obseruârunt, vocatæ sunt in concilium. Et meritò quidem: vel vt mitigari sensim per Euangelium Nationum earum barbariem intelligeres, apud quas adhuc vxores non tanquàm sociæ habitæ fuerant, sed tanquàm mancipia, vel vt ad beatam vitam, cuius in consortium à Domino Deo destinatæ sint, instituerentur demùm. Certè nulla tàm grauis cuiquam importari iniuria potest, quàm si sempiternis neglectis rationibus, vitam hancce, quæ ad potiorem illam, ex mente, consilióque supremi rerum omnium conditoris, administratorísque referatur; sinatur belluarum more degere. Sed nimirum, non quæ sunt semper maximè salutaria, eadem continuò maximè delectant: seu paulò duriùs cum ijs eo in conuentu actum esset, seu graue esset malè institutis, à superiori, licentiâ discedere, earum quædam postridie cum obuio Quenio (Sacerdos erat Societatis IESV) sic egerunt, vt ad Baptismum necessitate adigi potiùs, quàm voluntate ferri viderentur. Erit cùm maximam gratiam habebunt seruis patris-familias, qui intrare compulerint: interim cum ijs agendum tanquam cum *infirmiori vasculo*. Atque id quidem vsurpatum statim cum ijs, vt quæ non vltrò saperent, eæ legitimæ auctoritatis iustam seue-

ANNVS MDCXL.

ANNVS MDCXL.

ritatem experirentur. Profugerat quædam in ſiluas, quaſi à viro de ſuperiori more diſceſſura, poſtquam ab eo obiurgata erat aſperiùs. Retracta è fugâ cùm eſſet, quæſitum quâ demùm pœnâ temeritatem ab eâ elui conueniret: adeunt ſuper nouâ quæſtione ad Patres noui Præfecti, quærunt num in vincula leuis mulier conijcienda eſſet, ſic vt pede nexa altero, loco ſe ſe mouendi facultate careret; an ſatis eſſet ieiunam relinquere quatriduum ipſum ſic, vt nihil planè eſculenti, poculenti-ue ſubminiſtraretur. Ceteræ vulgò, quà ſponte, quà metu Baptiſmum flagitauere: in earúmque inſtitutionem ſedulò inuigilatum, dùm viri ſtrenuè tellurem ligone proſcindunt, Angelis, hominibúſque plaudentibus: Gallorum certè quibuſdam honeſtioribus eò vſque probatus expectatus labor, vt operas ſuas vltrò in dies aliquot tribuerint nec rogantibus, promouendo, regendóque operi. Vbi ſementis facta, adierunt ad Patres naui agricolæ, nunciauerúntque in animo ſibi eſſe, Tadoſſacum pergere ad mercaturas quidem factitandas cum vicinis quibuſdam populis, multò verò maximè, vt Tadoſſaci tùm Præfectum, tùm incolas omnino omnes ad fidem ſi daretur, pellicerent: id verò quoniam nullâ aliâ viâ commodiùs effici poſſet, quàm ſi ſecum Sillerium cuncti commigrarent, eodem deinceps loco futuri, eadem inſtituta ciuilia ſecuturi, & ſcilicet terram culturi pariter; idcircò munera parant haud exigui pretii, conchæ veneriæ numerum non mediocrem: quam in rem Patres quoque nonnihil de ſuo contulere. Addebant, ſi Tadoſſaci incolas ſuam ſemel in ſententiam pertrahere potuiſſent, perrecturos ſe porrò ad populos remotiores, eâdem de causâ, quò vnus, idémque verus, ac ſummus Deus ab omnibus hiſce Nationibus eadem inſtituta complexis religiosè coleretur. Nec verò, aiebant, noua ijs accident quæ prædicabimus: etenim ſermo de fide noſtrâ longè, latéque plurimus. Omninò *Deus* noſter *ignis conſumens eſt.* An mihi vnquam in mentem venire potuiſſet, fore vt Barbari, in ipſius crudelitatis ſede nati, ad omnem licentiam educatione proiecti, paſti, ſaginatíque humanis carnibus, diuinæ fidei præcones exiſterent? Illud aſſeuerare omni affirmatione poſſum, à nemine mortalium iniectam ipſis mentem eam, ad remotiores populos vt porrò pergerent, Deum, Chriſtúmque

Deuter. 4.

annunciaturi: eſt id opus ſancti Spiritus proprium, vbi vult ſpirantis, orbémque terrarum replentis. In id Epiphonema, pro tantæ rei merito, erumpit hîc Iuuenæus, tàm diuinæ barbararum mentium támque inopinatæ mutationis teſtis ipſe, & Scriptor: nos attexere quid poſſimus prætereà, niſi benigniſſimum Deum facere nonnumquam *ſuperabundanter quàm intelligimus*, vt Apoſtoli verba loco neutiquam alieno vſurpem. ANNVS MDCXL. *Epheſ. 3.*

HVRONICÆ VINEÆ cultura minùs facilis: atrox vbique infectatio per inſulſiſſimam calumniam, quæ tractus omnes eos antè peruagata, tum ſopita, ſuperiore autumno grauiùs recruduit. Cauſa mali Huronum aliquot imprudentia fuit. Ii dum Kebecco in patriam redeunt, offendunt in itinere Algonquinios quoſdam, morbo illo populari de quo diximus, iam afflatos. Dum ſe iis parùm cautè adiungunt, ipſi quoque contagione fœdam ſibi accerſunt luem: hinc nihil procliuius, quàm vt longè latéque graſſaretur vis peſtilens: quippe ea Huronum eſt ſocordia, vt nullus morbus quamlibet contagionis nomine metuendus, à charorum eos conuictu conſuetudinéque arceat. Ergo quotidianæ vbique mortes, & funera, & lamentabilis paſſim rerum facies: & ſcilicet vetus cantio renouata, à Gallis illis externarum religionum præconibus labem inuehi, nonnullo calumniæ colore. Qui primus Huronum eâ peſte ſublatus eſt, is, ſic ferente itinere, deportatus à comitibus eſt ad ripam lacus illius, cui noua Patrum ſedes imminet. Hinc ægrè ad pagum delatus ſuum, leucæ Gallicæ interuallo diſſitum, & paulò pòſt enectus eſt ipſe, & vicinos circà, eadem lue implicuit. Ita, quandoquidem finitimi pagi omnium primi funeſtæ peſtis acerbitatem ſentiebant, haud difficillimè in plurimorum mentibus inſedit ſuſpicio, Gallos eos ad Huronicæ gentis exitium, quam exoſam haberent, occultum virus ſpargere. Addebant quidam, quorum malignior natura erat, nihil hîc coniecturâ opus eſſe: iactatum ipſum illud à *Roberto Coquæo* quodam, Gallo, Patrum vernâ, vnos Ieſuitas auctores eſſe tùm peſtis iſtius, tum eorum morborum omnium, qui tàm crebri, támque exitiales Huronicos tractus penè omnes annis ſuperioribus peruagati, miſerrimas vbique ſtrages edidiſſent. Erat Robertus Coquæus

Inſulſæ calumniæ Ieſuitis impoſitæ eos in diſcrimen capitis adducunt.

ANNVS MDCXL.

iuuenis magnâ virtute, Patrum domeſticus, atque adeò æſtate ſuperiori miſſus ab ijs Kebeccum cum Huronibus, de domeſticis negotiolis. In reditu, dum Huronibus confidit, ex ſuáque fide metitur aliorum fidem, poſtquam ij paululùm locis exceſſerant ijs, vbi plus periculi ab hoſtibus erat, minus ad venationem opportunitatis, ad quam ſclopus quem is geſtabat, valuerat mirum in modum; perfidiosè deſeritur ab agmine. Canoâ ab ſe coëmptâ, nauigationem reliquam exegit cum Huronibus tantùm duobus: quos cùm ad Catadupa, quæ plura occurrerunt, leuare nititur ſuprà vires conuectandis ſarcinis, pondere degrauatus immodico, laxauit renes, tàm acri doloris ſenſu, vt vltrà progredi vix ſe poſſe ſperaret. In eâ proſtratarum virium deſtitutione, lue ipſe populari corripitur, tàm fœde, vt perpetuum vlcus corpus eſſet: & qui antè comites leuare conſueſſet, pondus deinceps non modò inutile, ſed etiam longè grauiſſimum, opem implorabat alienam. Sed quò magis indigebat, hoc ea ſuppetebat minùs: quippe non tactum modò, ſed etiam conſpectum putris cadaueris horrebant Barbari: vt vel hinc facilè intelligas, vnde ad terenda Xenodochia vlceroſóſque artus fouendos, & contrectandos impellantur Chriſtiani. Iámque de deſerendo eo infidi comites & conſilia agitabant, & verba faciebant, cùm ipſe, cui profligato in corpore mens ſana conſtabat, tùm rationum momentis admixtis precibus, tùm muneribus potiſſimùm, euicit vt pollicerentur, ſe neutiquam poſcenti defore. Sed breui deſiderata promiſſi fides: poſtquam dies duodecim, tredecim-ve infelicem vectauerant non ſine nauſeâ, tàm inuiſæ ſarcinæ pertæſi, infelicem in aſperrimo ſaxulo deſtituunt, ad ripam Magni lacus: ac ne qua deinceps ſalutis ſpecula relinqueretur, & canoam, & quæcunque Kebecco afferebat, eripiunt, ne cortice quidem relicto, vnde ſe tegeret, nec re prorſus vllâ vnde ſe aleret. Hoc tàm deplorato languidæ vitæ ſtatu, facile perfidioſis fuit, eum pro mortuo & habere & obtrudere, atque adeò fingere audiſſe ſe de eo, quæ mox exitioſo rumore diſſipato, tótâ longè, latéque regione iactata ſunt, ab Ieſuitis tantam importatam calamitatem, iiſdem artibus quibus cepiſſet, continenter propagari. Sed ne diutiùs cum certiſſimo eorundem Ieſuitarum capitis

diſcrimine ſerperet calumnia, vetuit Deus. Coquæus, contrà perfidorum & opinionem & vota, euaſit, inde exiſtente auxilio, vnde minimè ſperarat. Ante annum, indidem Kebecco rediens, in Huronem quendam inciderat in morbo deſertum à ſuis. Vt erat ipſe ad Chriſtianam charitatem & informatus & propenſus, ſubſiſtit, caſulam erigit iacenti, ſuis ipſius veſtibus affectum languentis corpus tegit, fouétque: piſcatu, venatúque alit: vno verbo ſic curat, vt in prætereuntem canoam impoſitum, ſat vegetum dimiſerit ad ſuos. Is tum, cùm Coquæus tàm miſerè deſertus proditúſque, nihil propius eſſe putaret, quàm vt eâ in ſolitudine fato defungeretur, dum ſe alicunde cum Hurone altero recipit ad ſuos, canoam, haud ſine deſtinatâ Dei prouidentiâ, ad eam ipſam rupem neſcius appellit. Cùm ad tàm tetrum ſpectaculum cohorreſceret, ac refugere pararet, Coquæus, palpebris ægrè præ puſtularum multiplici cruſtâ diductis, hominem agnoſcit, & ingemiſcens; Vides, inquit, ſodalem olim tuum: ſi non vultum, vocem ſaltem agnoſce illius, qui tibi pari in tempore adeſſe nil dubitauit: nec commiſeris vt qui ſalutem tibi ſuo labore, fidelíque operâ reſtituit, hunc tu ab omni alio humano præſidio deſtitutum derelinquas. Commouit ea oratio Barbarum: accedit propiùs: cúmque ex voce, atque ex locutione certò deprehendiſſet eum ipſum eſſe, cui ſalutem deberet acceptam, ſanctè pollicetur, ſe vſque adfuturum: ſortem, fortunàmque eandem vtriuſque fore. Adeò rapax eſt humanæ voluntatis collatum in tempore beneficium. Quid multa? & manet ipſe, & comiti vt maneat perſuadet: ac tametſi farinæ nihil, niſi in diem vnum ſupererat, tamen viuum cadauer imponunt in canoam, ad Patrum domunculam eam, quam ad ammis ripam tranſlatam diximus, deportaturi. Verùm, luctandum antè cum ventis, & tempeſtatibus fuit: ſeu Satanâ vndas imis à gurgitibus ciente, ſeu quâ aliâ vi ventorum, tàm atrox exorta procella continuò, vt vix euadere ſe poſſe ſperarent: & hoc ipſum tamen diſcrimen incredibili dierum quinque labore eluctati, inediâ penè confecti inſuper, tranſmiſſo Magno lacu, tandem Coquæum Patribus tradidere tantumnon mortuum: atque ipſe ſe haud dubitanter ad exitum è vitâ comparabat, ſingulari quadam geſtientis animi lætitiâ,

ANNVS MDCXL.

quòd in complexu Patrum deinceps, ínque ſanctorum ſubſidiorum copiâ emori licebat. Sed noluit Dominus Deus eum tunc mortalitati ſubtrahi: cum ſacramentis omnibus communita primùm omnium ritè mens eſſet, ad curam corporis Patres conuerſi, tantum, fauente vtique peculiarem in modum Deo, perfecerunt, vt quadrageſimo pòſt die valens, & vegetus, impudentiſſimam calumiam eâ quâ debuit conſtantiâ refelleret. Ac ne ſic quidem exarmata obtrectatorum rabies ex inſitâ mortalibus malignitate, quâ quiduis perpetiantur potiùs, quàm ſi quid ſemel in vulgus ſparſerint, ab eo tanquam leuiter, falſo-ve prolato diſcedant, ad delitia confugere quamlibet inepta maluerunt, quàm dicta retractare. Et initio quidem alij alia vel commenti erant, vel ab alijs excogitata arripuerant: hic anguem quendam ali domi à Gallis Sacerdotibus, loco ſecretiore: illi bufonem ab ijſdem ſeruari, fœdis illis puſtulis variegatum, viſúmque cum non nemini: alij dæmonem quendam eſſe, genium-ve, quem Patres fiſtulâ ſclopi incluſum tenerent, quà vellent, ſclopi eiuſdem exploſione dimittendum. At vbi Coquæi valetudo commenta tùm illa, tùm ijs perſimilia complura per ſe refellebat, eò demùm ſunt conuerſi, vt dicerent, à Gallis fœdus initum cum lue: ex compoſito factum eſſe, vt amoliendæ ſuſpicioni, vnum corriperet ex eorum famulis, ſic, vt ne necaret: cum Huronibus ageret atrociùs: hinc illum euaſiſſe, Hurones emori. Ergo furore perciti, Cruces Patrum tectis impoſitas deturbare, ſecuribus armati, penetrare in eorum caſas, inſidias ſtruere vltrò citróque commeantibus: fuit, cui impacta propè ſit ſecuris, & libratus ictus in caput: ereptæ ſunt per vim ex quorundam manibus Crucifixi Chriſti Imagines, quas circunferebant, ad ægrotorum ad quos adibant, ſolatium: fuſtibus malè acceptus Sacerdos vnus, dum conferre Baptiſmum parat. Sed intrà eas vel iniurias vel contumelias res ſtetit, Deo manipulum ſuorum mediâ in barbariâ tegente, nec vllum ſinente tolli è medio, dum omnium operâ vti vult. Laborauerunt enim cuncti tàm fructuosè, quàm impigrè: in quinque diſtributi Miſſiones, regionis totius caſas penè omnes obierunt: id enim re in vtramque partem diſcuſsâ, viſum denique potius: neque enim vt in Galliâ, ſic cogi facilè ad

audiendum publicè, pagi poſſunt: cum vnaquaque ſeorſim familiâ agendum prorsùs fuit, ac ne quid ad incommodorum patientiam deeſſet, anticipatâ illâ opinione caſas omnes peruagante, Chriſto IESV ſeruulos ſuos ſuis honeſtante inſignibus, pro veneficis paſſim ſanctæ doctrinæ ſequeſtri habebantur. Demitttebant ſe Patres in genua, ad diuini Officij preces exoluendas? eæ erant ſcilicet artes Magicæ: quæ per neces indigenarum, vaſtitatem regioni afferebant: expoſcebant ijdem nomina eorum quos per Baptiſmum initiabant, in libellum referenda, ne obliuio ſubreperet? clamitabant, id eâ gratiâ fieri à perfidioſis, vt clàm poſtmodùm eadem illa nomina vnà cum ipsâ chartulâ pungendo, lacerandóque, eos qui nominibus ijſdem deſignabantur, interemptum ex Magicâ fraude irent. Inter hæc autem, & toleranda aſſiduè fames, & humi cubandum: vt niſi è cælo ſuauitas aliqua adfuiſſet, tanquam farina Eliæ, longè grauior vita illa profectò extitiſſet, quàm eorum qui ad metalla damnati, in ſubterraneis illis ſpecubus ærumnoſam ætatem exigunt, quo ſimili Hieronymus Lalemantius hîc vtitur. Sed nimirùm, præter ſenſus illos diuinæ cuiuſdam dulcedinis, ignotos ijs qui latas vias ſecuti, toti voluptatibus marcent viliſſimis: ea aderat præſentiſſima conſolatio, quòd continenter triumphantem Eccleſiam augebant nouis ciuibus. Ad mille, quis credat? in quotidianâ illâ exagitatione baptizati: ex his infantuli ad ducentos ſexaginta, ſecundùm fauſtam regenerationem in cælum continuò euolarunt: idem penè dicendum de ingenti numero aliorum quorundam, qui infrà annum ætatis decimum quintum mortalitati erepti: ceteros ferè morbus abſtulit ſalutaris, qui niſi interceſſiſſet, vix ac ne vix quidem ab auitâ ſuperſtitione diſceſſiſſent. Ità tot, tantíſque laboribus proſciſſa noualia, certiſſimos hoc anno prouentus tulere: vt quomodo lætiores nunquam ſunt ſegetes, quàm dum frigorum vis acrior extitit; ſic inter infeſta omnia vis ſe diuinæ ſementis vel maximè exeruit. Iuuerunt mira quædam, quæ verbulo perſtringit Scriptor Gallicus: nam & quibuſdam conceſſum linguarum donum, ſic vt ſuprà facultatem non intellexerint modò, ſed etiam locuti fuerint vernaculè: & multis ſanitatem attulit vel Chriſti è Cruce pendentis applicatum ſigillum, vel aquæ lu-

ANNVS MDCXL.

ANNVS MDCXL.

ſtralis vſus. Adulti Fideles pauci illi quidem erant numero: ſed virtus imprimis viuida, & ardor incredibilis. Ioſephus Chigathenga, decus naſcentis huiuſce Eccleſiæ planè eximium, cum excultus exercitijs ſpiritualibus à Mercerio octiduum totum eſſet, Apoſtolum deinde egit. Cum eodem illo ſuo inſtitutore Miſſionem ſuſcepit, ſi non ſuorum, quam ſequebatur, ad Chriſtum traductione lætam, certè hoc nomine prædicandam, quod exaggeratâ illâ ſuâ virtute comprobauit, vt nulla ætas non idonea eſt regno Dei, quod alicubi tradidit S. Ambroſius: ſic nullam gentem non ad ſummam Chriſtiani officij abſolutionem poſſe graſſari. Ex Apoſtoli Pauli præcepto orſus à ſuis, cùm ad fratrem adijſſet ſtirpe germanum, vitæ inſtitutis diſſimillimum; poſt conſueta vrbanitatis officia: *Ego*, inquit, *mi frater, etſi natu inferior tibi ſum, ſi ortum ſpectes; tamen ex quo diuino munere in cœtum Fidelium ſum adſcriptus, nihil me arrogantius facturum exiſtimaui, ſi perſonam mihi, partéſque natu maioris aſſumerem. Hoc nomine ſignificandum tibi eſſe duxi, duabus huc me potiſſimùm de cauſis aduenisſe, vel vt diſcas quali animo excipere debeas ſiniſtros ſanè rumores, qui de me toto hocce tractu longè latéque diſſeminantur, vel vt ſalutarem doctrinam tibi impertiam. Atque ad prius illud caput quod attinet, ſi tàm multi tàm indignè mihi ſunt adhuc oblocuti, ſic te ipſe comparato, vt grauiora de eodem me, auditurum deinceps ſtatuas. Etenim ſi quid hactenus Dei parentis, ac procreatoris cauſâ feci, tàm eſt illud exiguum, vt pro nihilo reputem, præ ijs, quæ animus iſte meus meditatur. Nunc demùm aliqua mihi ſempiterni illius Numinis affulſit notitia: ex quâ illud effectum in hiſce præcordijs, vt nihil poſthac eius causâ facere, nihil ferre ſim recuſaturus. Cum fratribus hiſce meis proximum octiduum exegi in ſeceſſu illic didici, hinc, nihil me eſſe, iſtinc, debere me infinitè immenſæ illi bonitati, quæ me tàm ardenter deamarit prior: atque adeò quicquid tandem ingruet, certum mihi, & definitum eſt, cuncta exactè perficere, quæ ab ſupremo illo rerum omnium moderatore mihi præſcribentur. Nunquam me malus, noxiúſque pudor à fide profitendâ reuocauerit: nunquam intentata mortis metus os occludet, vetabit-ue quo minùs ea proloquar, quæ ad infinitam illius vim, ſapientiam, maieſtatem, bonitatem pertineant. Hæc eò dico, mi frater, vt iam nunc mentem compares ad ferendum æquo animo, ſi quid mihi humanitùs Deo ſinente acciderit.*

ANNVS MDCXI

rit. Occinent breuî paſsim obtrectatores mei, repetito conuitio, id quod iam aures tuas tàm ſæpè obtudit, eſſe me vnum ex ijs, per quos exitium Nationi noſtræ importetur: didiciſſe me à Gallis, propagandi, ſpargendíque peſtilentis morbi vias, veneficiorúmque cuiuſlibet generis ſcientiſſimum eſſe. Inſuſurrabunt alij, conſtitutum iam in conuentu gentis eſſe, tollendum me prorsùs de medio: erunt fortè qui affirment rem perfectam, ſecurísque impactâ iam diffractum hoc caput: tu animo ſedato, tranquillóque cuncta hæc excipito, ſiletóque: necdum enim ingenio vales, qui fidem necdum capeſſiueris: ac, ſi potes, in illâ cogitatione acquieſcito, eum quem Dominum agnoſco ac profiteor meum, in rem meam conuerſurum quidquid eueniet. Nec verò cauſam meam eandem putaueris, & ſagorum, qui putantur, noſtratium: etenim illi quidem non mirum ſi de ſuâ ſalute in momenta ſoliciti, aſſiduè angantur animo, quando vel ſuâ tantùm imbecillitate, quæ ſumma eſt, vel teterrimi dæmonis ope nituntur, quâ nihil neque exitioſius, neque magis inſidum eſſe poteſt: quid enim tandem ab hoſte ſperes capitaliſsimo eodem & infirmiſsimo, ſummo Deo nefarios eius conatus vel eludente, vel inhibente identidem? Ego verò in illius tutelâ ſum ſupremi orbis moderatoris, qui pro nutu, quò lubet inflectit omnia, omnium vim retardat, omnia ſtupore percellit: is ſi adeſt, neque mortales omnes, coniurati licet, neque nefariæ illæ intelligentiæ detrimenti quidquam, ne leuiſsimi quidem, vſquam importent: præſertim cùm & beati Angeli faueant, quorum vis numerúſque longè maior eſt, quàm hominum omnium; & beati Cælites, ex hac mortalitate in ſidereas illas ſedes tranſcripti; in iíſque complures iam è noſtris popularibus. Ea me nimirùm ſuſtentat cogitatio, ea addit animos: atque vt vno verbo cuncta complectar, Deum vnum timeo, præterea nihil. Quod ſi eo ſinente hoc eueniet, quod extremum hìc vel te iudice eſſe poteſt, vt caput hoc diffringatur; ſic habeto me in ſummi cuiuſdam beneficij loco repoſiturum, ſi eius cauſâ qui nos tantoperè diligit, vitam contingat profundere. Nulla hinc, mihi crede mi frater, in noſtram vnquam familiam infamiæ nota redundauerit: ſi, quod ſpero, precórque à Deo, fidem tandem Natio noſtra capeſſet, veneration poſteris nomen meum erit: illúdque in ſempiternum prædicabitur, Ioſephum Chiǔathenǔa Huronum primum extitiſſe, qui emori maluerit, quàm à publicâ Chriſtianæ fidei profeſsione diſcedere. Actum quidem, ſi quàm me humano more diligis, tàm tibi perſuaderes,

ANNVS MDCXL.

vera, certáque eſſe quæ ſalutaris doctrina dictat; tu omnibus inceſſeres lætitijs, quando ea mors in certiſſimam me poſſeſſionem induceret bonorum omninò omnium: ac id profectò è re eſſet tuâ: quandoquidem è cælo incumberem efficaciùs in id quod infimis vſque precibus hîc quotidiè à ſummo Deo contendo, vt te ipſe cum tuis agnoſcas: quò enim planiùs, dilucidiúſque agnoſcerem fatale illud diſcrimen in quo verſaris, ſempiternæ felicitatis; votis quoque ardentioribus inſtarem apud eundem clementiſſimum Deum, donaret vobis infelicitatem veſtram agnoſcere, & quod nunc inſanè refutatis, ſtudioſè amplecti. Hæc Barbarus audiebat ſilens, hærebátque attonitus ad tàm noua, támque præter expectationem in fratre. Ad tam præclaram autem orationem, illud vnum paucis verbis reddidit, prorsùs ita rem habere, vt germanus dixiſſet: ſermonem nullum in conuentibus, niſi de Gallis, déque ipſo: popularium mentes magis, magíſque in dies efferari, coniurationémque propè iam coalitam de vtriſque tollendis de medio. Quæ cùm Ioſephus immoto tranquillóque vultu, iuxtà, & pectore accepiſſet, altâ iam nocte pergit, multáque ac ſanè præclara vel de cæleſtis Regni præſtantiâ, vel de Tartarearum pœnarum atrocitate diſputat, adſtantes alios identidem, fratrem autem ſæpiſſimè compellans. Sed cùm nihil efficere ſe animaduerteret. *Video*, inquit, *mi frater, quæ à me dicuntur nihili ducis: erit, cùm te ea neglexiſſe pœniteat. Etenim hac in vitâ homines magnam partem, multò autem maximè ij qui non credunt, puerulorum inſtar ſunt, carent ingenio, nullâ re, niſi inanibus, aut etiam exitioſis oblectamentis afficiuntur: vbi ſeiungetur animus à corpore, tum demùm tanquam viris lux affulgebit certior, notitiáque maior rerum noſtrarũ, verùm (ingemiſcens dico) omninò ſeriùs. Niſi Deum tui miſericordia capiet, ad extremum vſque huiuſce vitæ ſpiritum puer eris, frater infortunate: tunc ad deplorandam conditionem tuam intuendam pateſcent oculi: ſed tunc integrum minimè tibi fuerit, rationibus tuis proſpicere. Si nunc ipſe extremum halitum ducerem, mox emoriturus, dicta, credo, mea non vſquequaque aſpernanda duceres ſic autem habeto, ſi nunc eo ſtatu verſarer, me hunc in modum tecum acturum; Vnus eſt ſupremus rerum omnium Dominus, huic qui obſequuntur, beati in perpetuum futuri ſunt; qui parere recuſant, eiúſque offenſionem ſuſcipiunt, ardebunt in perpetuum: tuum nunc eſt, ſempiternam vel felicitatem, vel infelicitatem eligere. Hæc*

Incenſum diuinæ gloriæ fraternæque ſalutis ſtudium in Ioſepho Chiſathenſa.

ANNVS MDCXL.

omninò, ſi iam iamque animam efflaturus eſſem, proloquerer: nunc vt quod hoc pectore incluſum latet, tandem aliquando referem, illud tibi denuncio: Quandiu tetri dæmonis mancipium eſſe perges, non in fratris te loco ponam; ſed perinde ac cum extero ignotóque tecum agam: quandoquidem in ſempiternum à te ſeiungendus ſum, quid eſt cauſæ cur arctius tecum commercium vllum foueam deinceps? neque enim habenda vlla ratio exigui interualli quod ſupereſt, vitæ huius vnà ducendæ. Hæc autem extrema verba ſeu vaticinans loqueretur, ſeu incenſiſſimum modò diuinæ gloriæ fraternæque ſalutis ſtudium exprimeret; vir innocentiſſimus indigniſmè interemptus eſt eo ipſo anno, poſtridie Calend. Sextiles. Sub meridiem profectus in agrum ad opus, cum virgunculis tribus, neptibus ex fratre, nihil niſi toto itinere pias tradidit inſtitutiones. Poſtquam eò peruenerat, ſegetem contuens ſolito vberiorem, nitentiorémque; Eia, inquit, procumbamus in genua, Dominóque Deo agamus gratias pro iſtis muneribus: quandoquidem in momenta ſingula donis nos auget ſuis, nihil æquius, quàm vt eo modo grati, memoríſque animi ſignificationem edamus aliquam. Tum cucurbitis onuſtas, quas ſegerant, breuî remiſit domum, locum minùs tutum eſſe ſignificans: ſe quidem in nemora proficiſci, cædendis ramis aliquot ex cedro grandioribus, vnde remos dedolaret in canoam, quâ Kebeccum propediem cogitabat: vbi id perfectum eſſet, ſe in neceſſario opere ibidem in agro exacturum diei reliquum. Vitæ addere potuerat, ſi, quid ſe maneret, cognoſſet: etenim ex improuiſo fera monſtra immanitatis Iroquij laborantem aggrediuntur, & eminùs quidem, quantum poſteà cognoſci potuit, ex ſegete circùm proculcatâ, attritáque, enſe longiori homines tàm meticuloſi, quàm crudeles appetierunt, repugnantem aliquandiu, vitámque contrà ſicariorum impetus ex iure naturæ, quoad eius facere potuit, tuentem: donec inermis in tàm impari dimicatione ſuccubuit. Quid tum mente tractauerit, vni illi cognitum, quem tàm religiosè venerabatur: vt improuiſa mors acciderit, non tamen non beata, ſi æſtimare eam ex vitâ volumus. Certè die Dominica ſuperiori proximâ, ſacris myſteriis dederat operam: ac tametſi domus Patrum leucas tres ab eius aberat pago, eò tamen ſecum vxorem, filióſque duos adduxerat: tum

ANNVS MDCXL

ſecundum ſacram ſynaxim, piè ſummo Numini obtulerat illius eiuſdem agri primitias. Ea cædes, ſi Chriſtianam rem ſpectes, non potuit non acerbiſſima accidere tùm Patribus, tùm paucis illis Fidelibus, quorum is, & anteſignanus, & Pædagogus, & Eccleſiaſtes, &, vt loquitur Gallica Relatio, Apoſtolus erat: quantum quidem humana coniectura aſſequi poteſt, ſi ſuperſtiti eſſe contigiſſet diutiùs, nouellam eam Eccleſiam ad inſigne decus aliquod promouiſſet: ſed in diuinę prouidentiæ cogitatione acquieuerunt, rati inſuper illum ipſum, ſi quidem in cælo Deo perfruitur, vt gratioſior deinceps apud ſupremum Monarcham futurus eſſet, ita plura, maioráque beneficia popularibus conciliaturum ſuis: perfrui autem, tùm quæ diximus ſuadent omnia, tùm incenſiſſimi animi motus, inſtinctúſque, quos per illud ſpiritualium Exercitiorum interuallum famulo ſuo iniecit Deus. Libet eos hîc tanquam in ſynopſi attexere: vel quod non indigni ſunt religioſiſſimis Europæ, aut omninò vllius tractus orbis terrarum mentibus, vel vt quiſque intelligat, gentem nullam Deo barbaram eſſe. Ergo cùm in beatâ illâ fornace crebrò cor eius concaleſceret, exardeſcerétque eius in meditatione ignis, hæc ſecum frequens reputabat: *Ætatem meam totam ſic adhuc exegi, vt nunquam occupationes aliæ ex alijs defuerint: ſi nunc migrandum eſſet è vitâ, earum fructus quis tandem ad vitam beatam exiſteret? nullus planè, niſi ſi quid Dei, meíque cauſâ feci, ex quo cepi profiteri fidem. Hæc verò in quâ verſor, occupatio, cùm omnium maximè conducibilis futura ſit: ſi id me fortè celatum voles, tum ignoſcas precor: qui miles, ſubditus-ve ignorat quid à ſe Præfectus velit, veniâ dignus videtur, ſi id minùs fecerit. Eheu! quàm exigua, vel potiùs quàm nulla ſunt præſidia mortalium! quibus plus debebam in terris, & à quibus ardentiùs diligebar parentes dico, è viuis exceſſerunt, Deus pro vtroque parente fuit. Dum de illo nullo modo cogitabam, de me ille aſſiduè cogitauit: ſimillimus eram infanti puellulo qui dum maximè in ſinu matris lac ſugit, ea ipſa vbera vnde alitur, morſu violat. Euocauit ille meus benigniſſimus parens ex orbe extremo, pérque immenſa maria huc adduxit ſelectos viros causâ meâ, & quidem penè vnius: O amorem incredibilem! ego vt alio vllo nita, niſi te Domine Deus meus?* Cùm per idem tempus in placidiſſimo illo ſeceſſu verſanti nunciatum eſſet, ſeu conſultò, ſeu temerè, falsò certè, ve-

rùm (quando falſa non minùs quàm vera valent ad perturbandos animos, ſi falſa illa pro veris habueris) appoſitè ad id quod ſequebantur perfidi, vt ſacram illam quietem interturbarent; nunciatum, inquam, à quibuſdam eſſet de periculoſo morbo vnius ex filiabus fratris; non modò nihil commotus eſt, ſed etiam hæc addidit: *Vxor, filiíque eodem loco eſſent licèt, quo illa nunc eſt, non ego tamen hinc ante expletum octiduum excederem, eâ cogitatione nixus, peruidere Dominum Deum quidquid meis accidit. Non ego familiæ meæ caput ſum: Deus illi pro ſummâ poſtetate præeſt: ſi is omnes omninò meos vult emori, quis tandem obſiſtat? nihilo magis eos iuuarem, leuarem-ve præſens, quàm abſens: imò fortè hîc plus apud Deum eorum causâ potuero, quàm illîc. Nihil non egit Satanas, vt me ab his Exercitijs arceret antequàm inchoaſſem; nunc poſtquam inchoaui, in id incumbit vt ab incœpto deſiſtam: viderint ij quorum ductum ſequor, num ijs qui morbo tàm graui impliciti eſſe dicuntur, opitulatum ire debeam. Illud verò identidem vſurpabat: Non modò mortem non reformido, ſed etiamſi imminere mihi exitum ex hac vitâ intelligerem, ſummas optimo Deo agerem eo nomine gratias: illâ certiſsimâ ſpe nixus, fore vt in cælum euolarem. Indidémque eſt, vt nullius eorum qui propinquitate, affinitate-ve coniunctiſsimi ſunt, vicem doliturus ſim, ſi è vitâ emigrent, dum emigrent Deo grati. Sanè cùm nupta mulier, iam apud ſocerum degens, inuitatur à patre, homine locuplete videlicet, ac minimè tenaci, rogatúrque dies aliquot vt apud ſe exigat; non modò non ægrè fert ſocer, ſed etiam lætatur, quod ſibi perſuadet, nihil charæ nurui apud patrem defore: ergo ſi quis meorum emoriatur, non illud reputem, euocatum eum à parente Deo in beatam regiam, vbi ſit infinita rerum omnium copiâ iucundarum perfruiturus: atque adeò non beatam ſortem eam illi, quiſquis ſit, gratuler?* Ab meditando recedentem deficiebant ſæpenumerò verba, quibus hauſtos illîc de Deo, déque cæleſtibus rebus ſenſus exprimeret: illud modò iterabat frequens; *Mirum, mirum!* Tum addebat; *Quàm verum, quámque certum, carere homines ingenio: nunc demùm Deum noſſe incipio. Vbinam tandem fixa eſt hominum cogitatio? ipſe ego vbi verſabar animo, antequàm hæc mihi innotuiſſent? & quiſquam ſe, poſt hæc præcepta, peccato vllo contaminare poſſit, aut audeat!* Eodem tempore ſæpè profeſſus eſt,

ANNVS MDCXL.

ANNVS MDCXL. perlubenter ſe mortem, popularium causâ oppetiturum, vitámque ac ſanguinem eam in rem obtulit Deo: cum eo, vt perſanctè reciperet, ſe, vbicunque daretur occaſio, de Deo verba facturum, neque malo vnquam pudore prohibitum iri, quò minus Chriſtianum ſe vbique palàm profiteretur. Nec verò vni ſibi eo ipſo in ſeceſſu vacauit: cùm ad foculum per id tempus ſederet aliquando, irrumpunt in Patrum domunculam Ethnici Hurones, illius familiares, ad decem, duodecim-ve, ac nullâ penè præfatione, ad maledicta veniunt, & ad vulgatam calumniam, auctores communis exitij Patres eſſe. Hîc verò exarſit Ioſephi ardor fidei, at ſingulari moderatione temperatus. Profeſſus ante omnia, fidem ſe & colere, & ad extremum vſque ſpiritum culturum; tàm appoſitè de inuidioſo primùm argumento, mox de eiuſdem fidei neceſſitate, fructibúſque diſputauit, vt qui lupi ingreſſi fuerant, agni receſſerint. Vnus, qui iam-antè æquiore erat in Patres animo, neque atroci illâ maledicendi licentiâ delectabatur; quæ de agnoſcendo venerandóque Deo diſputata à Ioſepho erant, ſic excepit, vt cum eo colloqui priuatim cupierit. Ergo ſolus cùm redijſſet, diebus deinceps tribus, quotidie cum eo horas tres, quatuor-ve exegit, eâ animi ſui voluptate, vt breuiſſimum ſpatium illud temporis ſemper duxerit: eo fructu, vt iam tum Baptiſmum expetierit: cúmque præclarè Patribus ſatisfeciſſet, ſeu cognitionem myſteriorum neceſſariam ſpectarent, ſeu rectam mentem; nihil cauſæ eſſe cenſuerunt cur differretur diutiùs. Ita, quo die beati Reges ad Chriſti incunabula proſtrati, infantem Deum agnouere, ipſe eadem luce perfuſus, Chriſto IESV ſe per Baptiſmum ſubdidit, Ludouicus dictus, præſtantiſſimi in fide parentis filius haud degener.

ANNVS MDCXLI. IAM DE ARDORE Kebeccenſium Neophytorum, conſtabiliendæ per morum diſciplinam fidei, quæ anno ſuperiore præter omnem ſpem, expectationémque viderant inſtitutores, in hunc quoque feliciter propagata. Per hyemem, ijdem illi Silleriani Moderatores, vt antè, ſic tum clàm Patribus Chriſtianorum nuperorum religioſiores quoſque conuocauere, cum ijſdem conſultaturi, quibus potiſſimùm rationibus & ſeruari fides, & propagari poſſet. Et ad ſeuerita-

Quatriduana media pœna in peccantes decernitur.

tem quidem, vt priùs, incubuere ſententiæ: híſque hæc, illis illa afferentibus, conſtitutum denique, vt qui paulò grauius quidquam peccaret, is in carcere quatridui ipſius inediam toleraret. Vt primùm diluxit (nocte enim de more agitatum conſilium) rem ad Patres feruidi deferunt, certúmque ſibi eſſe denunciant, nullo peccantium delectu in peccata animaduertere. Illi, quibus nihil erat optatius, quàm filiorum ſuorum in Domino tantos ardores intueri, hoc profectò mirabiliores, quod nihil vulgò eâ gente in ſeueritate ergà ſuos exercendà lentius; diſſimulanter tamen nimiam incuſare ſeueritatem: aliam quippe rationem eſſe Eccleſiæ iam adultæ, & corroboratæ, aliam coaleſcentis modò, & quaſi enaſcentis: atque vt in quotidianâ vitâ temerarium ſit, ijs degrauare corpora oneribus, quibus ferendis non ſint, ſic in Chriſtianis inſtitutis cauendum magnopere, ne dum rigidiùs exigere cuncta velis, linquantur animo imbecilliores, & à fide refugiant tanquàm à laruâ pueri. Vociferatos eſſe non ſemel populares nondum initiatos, nihil fieri hoc quidem tempore poſſe exitioſius: infirmiores quippe hac viâ à ſuſcipiendâ fide arceri; promptiores, ſtomachoſioréſque meditari ſeditionem: & iactaſſe nonnullos, rem tandem in mutuas prorupturam cædes: nuper denique memoraſſe feminam quandam, idcircò ſe à ſuſcipiendo Baptiſmo retardari, quod nequaquàm ſe tàm perfectum vitæ tenorem ducere poſſe confideret: inter cetera, aſperius ſibi videri vt ad Miſſæ ſacrificium confluant quotidie per itinera imbribus, grandine, niue infeſta: quid igitur animi tùm illi tùm illius ſimilibus fore, ſi carcerem præterea, quatriduanámque illam inediã interminere? Hæc auribus quidem illi benigne, modeſtéque excepere, mentibus non item: vt vt enim habitura res eſſet, certum ſibi eſſe conteſtati ſunt, ſi quis quid grauius peccaret, ab eo conſtitutas pœnas eas nullâ tergiuerſatione repoſcere. Et viſus Deus probare conſilium: tantum abfuit, quod metuendum vtique videbatur, vt Algonquinios ea denunciatio à fide reuocaret, vt potiùs nonnullorum ſtudia accenderit. Carolus quidam erat *Meiachkavat*, recens in cœtum fidelium per Baptiſmum cooptatus, vir magni animi, de quo multa deinceps. Is in conſilium hocce accitus, vbi vidit plurium ſententias eò ferri; *Et ego*, inquit, *veſter ſum: probabitur mihi quid-*

ANNVS MDCXL.

quid conſtitueritis: ac ſi fortè metuitis ne animo deinceps cadam, agite ſanè: iam nunc in veſtrâ poteſtate ſum: vincula inÿcite, in carcerem compingite: illud tamen mihi mens intus canit, fore vt rectâ viâ gradiar: neque recedam vnquam ab eo, quod tàm cupidè ſum amplexus. Alius quidam ex ijs ipſis qui ſuo ſuffragio rem ſanxerant, paucis pòſt diebus ad Sacerdotem qui ad eius tuguriolum fortè adierat, orationem hanc habuit mœrens, animóque, iuxtà & vultu conſternatus: Stomachor, inquit, ipſe mihi (Nicanis) Deum quippè contriſtaui. Parum abfuit quin vltrò Kebeccum pergerem, quatriduanam illam inediam ex communi decreto in carcere toleraturus: verùm, expectandum putaui, dum me tu illò mitteres. Hæſit hîc videlicet animo Sacerdos, quid reſponſi redderet æquè, & quid conſilij caperet, incertus. Vbi id Neophytus aduertit; Te verò magnanimum! inquit, molliores ergà nos, atque indulgentior, idcircò, ſat ſcio, quod metuis, ne ſi quid ſeuerius præſcripſeris, id à nobis prætermittatur. Hallucinaris tamen: ac ſi dubitas, in me fac periculum: da epiſtolium, quo patere mihi carceris ianuam iubeas: iam nunc Kebeccum proficiſcor. Atenim, quæ tua noxa eſt? infit Sacerdos: támne grauis, vt id pœnæ promereatur? Enimuerò, infit Neophytus, vxorem iratus pulſaui, quanquam non prorsùs immeritò: etenim dum hodie manè ad ſacellum, Miſſæ ſacrificio interfuturus, me conferrem, ſubſequi eam iuſſi: vbi poſtmodùm abeſſe illam deprehendi, feci redux id quod dico. Neminem quippe ferre domi conſtitutum mihi eſt, qui non in preces incumbat. At profeſtus dies eſt, ſuſcipit Sacerdos: atque adeò non te fugit, nullâ eam hodie quidem Eccleſiæ lege vrgeri ad ſacrificium. Ità eſt, inquit: quandoquidem tamen eſt id ex Chriſtiano officio abſolutius, quando is mos noſter eſt, quando inuitaueram; venire vtique debuit: dignum me tamen pœnâ & agnoſco, & confiteor: proinde ſchedulam tradito, vnde culpam eluam in arctâ veſtrâ cuſtodiâ, diſcámque vel eâ moleſtiâ edoctus, iracundiæ deinceps meæ moderari. Exitus is fuit, vt cùm perpenderet Sacerdos id quod res erat, ſi quid hîc culpæ reſideret, id & eſſe leuius, & ab optimo profectum conſilio; hinc viri factum oratione extenuans, illinc ſilentem mulierem affirmans ſuæ tarditatis pœnitere,

ANNVS MDCXLI.

nitere, rem placidè compoſuerit. At nil parcitum adoleſcenti ebrietatis reo illi quidem, verùm, nondum initiato: Catechumenum tantùm profitebatur. Conſanguineus erat tùm Natalis Negabamat, tùm eius de quo proximè dixi, Caroli Meiachkavat. Ij ad nouum Concilium rem referunt, vrgéntque: & is quidem cui ignoſcendum Iuuenæus, opinor, putarat, ac meritò, rogatus dicere ſuper eâ noxâ ſententiam, recuſauit planè: cùm diceret, haud æquum eſſe, vt cùm à ſe pœnæ repetitæ minùs eſſent, ipſe eas ab alio repoſceret. Alij conſenſu plectendum flagitium cenſuere: hominémque Kebeccum illicò miſêre ad Monte-magnium. Is eodem ſtudio rei Chriſtianæ publicæ, ſontem detrudit in tenebricoſum ſpecum, biduóque ibidem habuit, ieiunum nec-ne, Auctor non prodidit: illud conſtat, poſtridie Natalitiarum Chriſti IESV feriarum, cùm pridie feſtæ eiuſdem lucis demiſſus eò reus fuiſſet, ad Monte-magnium adijſſe quinque è primoribus Chriſtianis, in ijs propinquos duos, Natalem Carolúmque, ad eúmque orationem hanc ab reliquorum vno habitam. Adſtant hîc, inquit, Onontio, hi duo, quibus vincto conſanguinitate propinquior nemo eſt: horum alter Satanæ vinculis pridem ereptus eſt, alter in libertatem aſſertus recèns: quem habes in vinculis, is diaboli mancipium planè eſt, vel quòd nondum regeneratus, vel quòd ebrioſus. Culpæ duplici pœna debetur grauior: eò, nobiſcum vnà hi rogant, animaduertere te in ſontem pro noxarum harumce grauitate ne pigeat. Miratus in Barbaris tantum conſtantiæ Monte-magnius in re minimè ſperatâ, quippe cui longo vſu exploratiſſimum eſſet, conſanguineis conſanguineos ſic charos ad eam diem fuiſſe, vt nullâ prorsùs in re violari alij alios ſiuiſſent, aut vllâ omninò moleſtiâ affici; reſpondet, probari ſibi vel maximè generoſos hoſce Chriſtianorum pectorum ardores: ſic faciendum prorsùs eſſe, neque in causâ Dei, animarúmque, vllo modo conniuendum. Ceterùm eâ quidem vice abunde præſtitum quod è re Chriſtianâ eſſet. Magnis in rebus, pondus vel maximum ineſſe initijs: ſi, quod minimè augurabatur, idem ille vnquam tali in flagitio deprehenderetur, enimuerò totam pœnæ acerbitatem in eum effuſum iri: nunc, ita ſe hominem dimiſſurum, vt ad rei, verborum quoque caſtigationem

ANNVS 1DCXLI.

adiungeret. Et fecit vti prædicauerat: ad ſe accerſitum obiurgat grauiter: *indignum, ſi pergat, reputatum iri, qui in cœtum Chriſtianorum, hoc eſt hominum integerrimorum, innocentiſſimorúmque vnquam adlegeretur: cuius enim frugis fore, qui pecudum inſtar, ad ventrem, terrámque abiectus ſit totus? quàm turpe eſſe, quámque propudioſum, diuinam illam rationem, pro ſummo munere conceſſam à Deo hominum generi, vino mergere ſic, vt tui compos eſſe deſinas, neque quid facias, dicaſ-ve, ſentias vllo pacto? Ac belluas quidem ſuapte ſponte tantum cibi, & potionis ſumere, quantum augendarum, conſeruandarúmque virium ratio ferat: homines, qui belluis ceterà imperitent, hic à belluis officij commonefieri. Neque verò Gallos obtendat, qui & ipſi in id nonnunquam intemperantiæ genus incidiſſent: hos enim ſtolidos quoſdam moriones eſſe, ipſo luto apud ſuos viliores, ac luce ipſa indignos: in Gallia vnde iſti profecti eſſent, honeſtis hominibus, & non modò ad Chriſtiani officij abſolutionem adnitentibus, ſed etiam ad vrbanitatem informatis, probrum nullum affingi, aut obÿci poſſe grauius, quàm ſi ebrÿ, ebrioſi-ve appellentur.* Audiebat hæc reus, , mœſtus ac ſilens, & ſcilicet omni aſſeueratione affirmabat, nihil ſe vnquam eo in genere peccaturum. Ita ſpei plenus bonæ, redit ad ſuos, ab iiſque denuò, ne quid ad emendationem deeſſet, hunc in modum obiurgatur. Noſti tute, ſagum te, ac maleficum egiſſe annos complures: nos, quæ noſtra fuit inſulſitas, aliquo in metu fuiſſe aut nugarum, aut malarum artium tuarum: nunc, poſtquàm in conſortium, communionémque filiorum Dei tranſiimus, intellige hæc tua terricula à nobis flocci fieri, ac ſi quid in nos tentaueris, planè negligi, ſummi parentis fiduciâ nitentibus. Porro minimè tibi diſſimulandum putauimus, noſtrâ te operâ coniectum in cuſtodiam fuiſſe, egiſſéque nos precibus apud Kebeccenſem Præfectum, vt te pro poteſtate coërceret. Sape in poſterum, atque hæc tecum reputa: ſi credere animum inducis, diuiniſque nobiſcum vnà obtemperare legibus, charus nobis eris, nobiſcum vitam iucundam, felicémque exiges: nullo loco neque patrocinium, neque ſtudium noſtrum deſiderabis: ſin tetri dæmonis mancipium eſſe perges, iam nunc & conſanguinitati, & amicitiæ tuæ nuncium remittimus. Ac ſi in tuâ quidem iſtâ peruerſitate

perſtiteris, egregiè tibi conſules, ſi aliquò hinc procul te ſubduxeris: ſi quis enim hîc fortè rebelle hoc caput perfregerit, aut te quoquo modo necauerit, cuius infortunii periculum ſubijſti iam aliquoties; næ, à ſicario pœnas nullas mortis tuæ repopoſcerimus. Hîc verò impoſtor ille quondam glorioſus, qui vel ſuis nugis, vel ſociato cum dæmone commercio, terrorem antè aliis iniicere conſuêrat, iam placidus, ac moriger; Gratum, inquit, mihi eſt quod feciſtis: & agnoſco, & apud Præfectum noſtrum iam profeſſus ſum, non poſſe non mihi probari, quod è re meâ tantopere futurum ſit. Ac initio quidem iracundiæ æſtu ad intimos vſque animi receſſus ſubeunte, excandui, rei, vt interpretabar, indignitatem non ferens: poſtmodùm, vt me ipſe collegi, vidíque nullo odio, nullâ malâ mente hæc à vobis eſſe ſuſcepta, conquieui. Itaque quod apud Præfectum profeſſus ſum, illud vobis confirmo de integro: ſapiam deinceps, ac moderatè me geram. Illud quidem me mouet, quod inculcauit Onontio, habere ſe longa brachia, ac ſeu Trifluuium, ſeu quoquò aliò pergerem, neutiquam tamen me euaſurum, ſi quid peccauero: verùm, plus virium apud hunc animum habet Baptiſmi ſtudium. Feſtinatote proinde, ac ſic habetote, me in officio fore deinceps: nam ad tympanum quidem, veteratoriáſque nugas quod attinet, artem iam nunc deſino. Atque id documentum primum fuit vſurpatæ in Barbaros legitimæ ſeueritatis, ex quâ non modò nihil conſecutum incommodi, ſed etiam fructus opinione vberiores extitere, non modò in eo quem dico, ſed etiam in aliis, præſertim adoleſcentibus, quorum vtique laſciuiam, petulantiámque retudit ea cogitatio, fore vt ſi quid per vim deinceps, flagitium-ve peccarent, Gallo Præfecto puniendi traderentur, vel ab iis, quorum ſe adhuc patrocinio, & auctoritate tutos fore crediderant, hoc eſt à conſanguineis & propinquis. Certè vt ex inconſideratâ, temerariáque acerbitate exiſtunt plerunque non modò priuatæ, ſed etiam publicæ calamitates, caſúſque exitiales, quibus mederi deinde nullo modo queas; ſic iuſta legitimáque ſeueritas verborum humanitate condîta, orationíſque aſperſa grauitate, non modò non ſontium animos offendit, ſed etiam officij præclarè commonefacit.

ANNVS MDCXLI.

ATQVE VT IN factorum honeſtate, quæ leuiora antecedunt, gradus ferè ad ſublimiora, nobilioráque eſſe ſolent; poſtquam Silleriani Fideles in ſuorum mores atque inſtituta inuigilauerant, in alios liberalitatem ſuam explicauere vltrò. Ad eos ventitauerant tùm Inſulares aliquot, tùm finitimi alij, conſilio, vt pòſt intellectum, minimè ſalutari: initio, quaſi per conſuetum officium humanitatis, atque amicitiæ. Animaduerterunt ſtatim Chriſtiani, egentiores aduenisſe hoſpites ſuos, quàm vt ſe à ſe alere poſſent. Ergò de Concilij ſententiâ ſymbolam quiſque ſuam conferre conſtituunt in turbam aduentitiam, anguilláſque cogunt ad mille & ducentas, maceratas ad ſolem, in faſciculos diſtributas duodecim. Tum accerſunt Præfectos hoſpitum nouorum quatuor, ac ſuâ excuſatâ tenuitate, quò verbis honeſtarent munus, ſtipem haud iniucundam tradunt, prout ipſi commodum iudicarent, diuidendam. Debuerat vtique tàm inopinata eadem, támque opportuna largitio, opinionem eorum in animis præclaram ingenerare de Religione Chriſtianâ, quæ ad charitatem, beneficámque liberalitatem tàm præclarè alumnos informet ſuos: verùm Pachomius in ijs nullus, profligati, immanéſque penè omnes, & auitarum ſuperſtitionum ad inſaniam retinentes. Duo ſequebantur homines vafri, alterum altero rei Chriſtianæ exitioſius, vt Sillerianos & ab inſtituentium quaſi gremio auellerent, & ſi minùs id initio conſequi liceret, in præſens ſaltem militatum abducerent; pòſt, quoad eius fieri poſſet, conceptæ fidei tædium ingeneraturi. Ac blanditiis quidem & ſcilicet eâ ſpecie, quâ nullam apud Fideles plus valituram intelligebant, rem aggrediuntur: ſe quoque teneri complectendæ fidei ſtudio: eâ de causâ aduenisſe, illius cognitione vt imbuerentur pleniùs: quotquot adeſſent in ſuſcipiendi Baptiſmatis conſilio eſſe: verùm, rem tantiſper differendam, dum coniunctis viribus hoſtes profligaſſent: noctes, diéſque crudeliſſimos graſſatores imminere: quietis horam nullam neque diurnæ, neque nocturnæ à ſe capi poſſe, Sillerianos æquè atque ſe quotidiè experiri: maturandum proinde, peſtémque illam quam-longiſſimè fieri poſſet, abigendam: id vbi perfectum eſſet, nihil ſe cunctaturos, quin vniuerſi Baptiſmum ſuſciperent: interim, quæcunque ad myſterium il-

lud, quæque ad cetera attinerent, iis ipſis quibuſcum militarent, doctoribus, arrepturos. Non fefellit diſſimulata oratio Fidelium ſimplicitatem, quippe cum ſerpentis coniunctam prudentiâ. *Non prorſus aptè*, inquit, Ioannes Baptiſta Etinechκαθαρ, *peroraſtis: ſi quid efficere volueratis, inuertenda tantulùm fuerat veſtra diſſerendi ratio, hunc in modum videlicet: Baptiſmum ſuſcipiamus primùm, quotquot huc recens aduenimus: tum, coniuncto cum Chriſtianis popularibus agmine, pergamus militatum. Id ſi ità vt dico, peregeritis, & periculum declinabitis ſempiterni exitij, in quod vos funeſta ac feralis mors præcipites aget, ſi ante Baptiſmum è viuis exceſſeritis, & communis parens, ac protector filiorum ſuorum Deus conatus noſtros vtique ſecundabit, ouantéſque ſuum quemque ad larem reducet.* Nec minùs acriter retuſa petulantia Inſularis cuiuſdam Præfecti, hominis vafri eiuſdem, & ſuperbi ad dementiam. Is apud Patres ipſos præfatus, arborem ſe, mortales alios ramos eſſe, qui ex eius arboris radice vitalem vim haurirent; apud Neophytos deinde vnà cum emiſſarijs aliquot veteres illas nugas iactare, fide, & precibus necari vulgò homines: ex quo Baptiſmus ſuſceptus à quibuſdam eſſet, quaſi coniurato impetu irruiſſe morbos: ſimul ac inuectę eſſent nouæ Religiones, paternis auitiſque cerimonijs aduerſæ, mortem miras totâ regione ſtrages edere cepiſſe. Addebant per impudentiſſimam calumniam, eorum qui credidiſſent aliquot, clandeſtinâ cum Gallis coitione, feraliſque fœdere exitium genti moliri. Hæc à viliſſimis capitibus iterata multoties, & excogitata ab homulo nihili, Iro egentiore, Therſite deformiore, quippe coclite; angebant tamen Patrum animos, haud abs re metuentium ne quid turbaret. At Neophytorum alij, ad ſtolidam veſani capitis muginationem excandeſcentes, ſilentibus, vt temporis ratio ferebat, Patribus; *Si vos*, excepere, *preces necant, abite ſanè: pergite quà lubet, aliò: veſtra ſic ratio eſt. Vnuſquiſque hîc præclarè ſecum actum putat, quod in Dei ſupremi rerum omnium conditoris, conſeruatoriſque, notitiam venerit, diſceſſerítque à veteri prauitate, atque malitia. Non nos preces necant, ſed communia peccata, ac crimina; noſtra, inquam, veſtráque: veſtra autem potiſſimùm, qui hîc inter nos tetrum dæmonem impijs ſuperſtitionibus retinetis. Vt vt autem rebus noſtris, ac vitâ erit, ſic*

ANNVS MDCXII.

habetote, nos ad veſtras minas intrepidos, ſuſceptam fidem culturos, retenturòſque ad extremum vſque ſpiritum. Efferauit, exaggerata iſta conſtantia, Barbarorum ſuapte ſponte immanium pectora, ſapientémque orationem, iniuriam ſuam, vt fit, interpretati, de Chriſtianis aliquot è medio tollendis agitabant conſilia. Id vbi Fidelibus ſuboluerat, ex primarijs vnus adit noctu ad iuuenes iam Baptiſmi compotes, húncque in modum adhortatur. *De cæde ſermo increbuit: in fide perſtate, ac ſi cui noſtrum intentabitur nex, eo nomine, quod Chriſtiana ſacra & complexi ſumus & colimus; nequaquam ad arma confugiendum, ſed mors placidè IESV Chriſti Imperatoris noſtri causâ ſubeunda: Sin vel ex priuato odio, vel ex inuidentia appetetur quiſquam, enimuerò repugnandum, exerendúmque quidquid animi, & virium his in pectoribus latet.* Hæc pòſt relata Patribus, mirum in modum arriſere, cùm tàm præclarè Chriſtiana dogmata in alumnorum ſuorum animis inhærere intelligerent: curam autem iniecit vnius cuiuſdam ardor Neophyti, vt putatus eſt, incenſior. Adierunt ad Magiſtros ſuos alij, monuerúntque hunc liberiùs fortè proloqui, dictíſque non vſquequaque eo tempore conſideratis, amentes illos laceſſere vehementiùs. Accerſito exponunt Patres, quid ſibi renunciatum eſſet: videret etiam atque etiam, ne dum pluſculum ſuo iſti ardori indulget, & rei Chriſtianę vniuerſim, & priuatim ſibi crearet periculum. At ille intrepidus; *Quid? alia*, inquit, *nunc docetis, alia docuiſtis antè?* Cùm negarent. *Atqui*, pergit, *nonne illud inculcaſtis ſæpiùs, vbi de fide agatur, vt in mente conſtantiam, ita & generoſam quandam fortitudinem in ſermone vnumquemque præferre debere? Illud nobis occinunt identidem homines & ſuperſtitione, & ceterâ peruerſitate perditi, interitum afferri ſibi noſtris precibus: tum intentant minas: ego contrà fidenter prædico, rideri à me tum illorum, tum teterrimorum dæmonum, quorum ſunt mancipia, caſſos impetus: ſi quid valent, expromant ſanè: ceterum velint, nolint, crediturum me ad extremum ſpiritum: porrò ſi quo metu precum noſtrarum tenentur, faceſſant ſanè, alióque ſe ocyùs recipiant.* Quid hîc agerent inſtitutores, niſi gauderent in ſinu? monent tamen generoſum Neophytum, plus ferè valere ad alliciendos homines, quales noſſet ipſe, & præpoſterè amantes ſui, & magnificentiùs de ſe ſentientes; ſuaui-

Fidelium in fide retinendâ conſtantia.

ANNVS MDCXLI.

:atem, comitatémque, quàm flammatas eas voces: punctum omne tuliſſe, qui ſeueritatem lenitate condiret: intùs porrò n animo nihil de illâ laudabili conſtantiâ remitteret. At in exulceratis pectoribus, cùm atrocitas concepti odij ingraueſceret in dies, eò vſque vt fortiſſimo, fideliſſimóque viro necem clàm moliri exiſtimarentur: certior ipſe de re factus, non ad Patres, quos inermes ea quæ ad arma pertinerent minimè definituros putauerat, ſed ad Monte-magnium adit, quærítque, ſi nex ſibi fortè à quoquam intentetur, quemadmodum ſe ipſe adhibere debeat? quandoquidem enim Chriſtianum profiteor, inquit, partes omnes, ac munia obire volo Chriſtiani officij: ſi vim vi repellere fas eſt, aut expedit, repellam: ſin certamen omittere oportet prorsùs, arma ponam continuò. Cùm neſciret Monte-magnius quò iſta pertinerent; Quid? inimicos habes, qui vitæ tuæ inſidientur? inquit; Enimuerò, excipit Neophytus: ſic enim habeto, cùm è popularibus ipſe primus ſacra veſtra, quæ ſumma fuit in me ſummi Dei, ac procreatoris mei benignitas, complexus ſim, ij falsò, inſulséque rati morborum eorum originem, qui eos ad miſerabilem paucitatem redigere pergunt in dies, à precibus deriuari; méque capútque meum execrantur, necem quam meditantur, ſi ſe dabit opportunitas, illaturi. Delectatus vir pius tàm forti, támque intrepidâ pietate, diſcrimen adhibuit ſcilicet quod vulgò tradi ſolet, ſi quidem Dei fideíque causâ pateretur, nil nitendum contrà, ſed mortem talem in ſummo Dei beneficio numerandam: ſin quâ aliâ de causâ, hoſtiles ſanè impetus egregiâ illâ ſuâ animi excelſitate, & militari virtute retunderet. Et Neophytus lætâ, & exporrectâ fronte: Singulis, inquit, lucibus, vbi primùm expergiſcor, hæc coràm Domino Deo profiteor: Si tuâ causâ ſumme rerum procreator, ac parens, emori continget, acquieſcam prorsùs animo, atque adeò reputabo me felicem. Nomen tanti viri, cur præterierint Gallici Nouæ-Franciæ Annales, non video: dignus quidem certè fuerat perpetuâ commendatione, qui retinendæ, aſſerendæque fidei tàm fuerit ſtudioſus: ſed vt hîc eius intercidat memoria, nulla tamen eum ſeculorum diuturnitas ex libro vitæ expunxerit.

PORRO, EORVM QVI hoc anno haud pauci ad Eccle-

ANNVS MDCXLI.

Caroli Meiachkabat mira ad fidem vocatio.

ſiam ſe ſe aggregauere, coryphæi fuere duo, Algonquinius alter, is cuius mentionem attigi, Carolus Meiachkabat: alter Huro, Carolus item, cognomento Thondarſaa. Prioris planè illuſtris ad fidem vocatio: nam cùm ſemper candidiſſimæ naturæ fuiſſet, verúſque Iſraëlita, ait Iuuenæus, in quo non eſſet dolus, tùm ante biennium inuſitato quodam modo à Deo inſtinctus eſt. Cùm aliquando per id tempus in ſyluâ verſaretur, ſimul videre ſibi viſus eſt hominem Ieſuitico cultu, habitúque; ſimul vocem haurire auribus, profectam ex aëre; hominibus iſtis auſcultaret, morémque gereret præcipientem, addentémque; *Poſtquam inſtitutus ab ijs fueris, popularibus tuis quæ acceperis tradito.* Nec mora, antequam verbum vllum de conſilio ſuo feciſſet Patribus, cùm ab ijs abeſſet ſat procul, ex eo momento ſuâ ſponte nuncium remiſit patrijs ſuperſtitionibus omnibus, Pamphagiæ, cantionibus, et ſi quid prorſus rectæ rationi aduerſabatur: quin ab alijs quoque diſceſſit inſtitutis, quorum vſum lex Chriſtiana minimè abrogat, vultus pingendi varijs coloribus, vngendi capilli, hauriendorum fumorum nicotiæ, quâ re ne Galli quidem ſibi vt interdicant, adduci poſſunt. Tum, vt parti illi alteri ſatisfaceret diuinæ vocis; nec dum Catechumenus, multus eſſe apud populares ſuos inſtitit, fidem vt capeſſerent, Crucis ſignum crebrò efformarent, aures, animóſque Patribus præberent. Itaque cùm hæc dies noctéſque vrgeret, euicit tandem à Tadoſſacenſibus ſuis, vt Kebeccum ipſe legaretur de fide, atque eam in rem Patrum aliquem ad ſe mitti flagitaret, qui doceret preces: ſic enim loquuntur vulgò. Nihil non egit, vel apud Patres, vel apud Oliuerium Gallum, per eúmque cum Monte-magnio, ſecum vt illicò Tadoſſacum è Patribus aliquem abduceret: ſed cùm non ſineret operariorum paucitas in præſens, polliciti ſunt tamen proximo vere perrecturum omninò ad eos aliquem. Hoc reſponſo haud lætus, redit ad ſuos, mœſtúſque exponit in ver proximum differri quod tàm ardenter vel ſuâ, vel illorum causâ concupijſſet: vt intelligerent tamen quàm non alia caneret alijs, alia ſibi vſurpanda, hypocritarum more putaret? vnà cum familijs duabus eorum quibus charior ſalus ſempiterna, quàm aliquot annorum huius lucis vſuræ rationes eſſent, ad Sillerianam ſedem reuolat, eorum quæ ſibi commendata eſſent,

eſſent, alterum facturus, vt Ieſuitas per omnia, quoad eius facere liceret, imitaretur, quò, ad alterum, de popularibus inſtituendis, accederet deinde paratior. Ergo ne per ſe ſtaret quin inſtituta Patrum omnia planè complecteretur, aliquanto pòſt quàm ad S. Ioſephum conſederat, quærit ex ijs, num ſe in ſuum conſortium admittere per leges Societatis queant? ſi fas eſſet, nihil cunctaturum, quin nuncium rebus omnibus remitteret: & vxorem quidem ſe dimiſſurum in Baptiſmo, Ethnicam, & peruicacem mulierem: filiolam autem ex eâ ſuſceptam, traditurum S. Vrſulæ Monialibus. Vbi ij ſpem omnem ademerant, illud perſecutus eſt conſtantiſſimè, quod proximum erat, eorum vt in vitas tanquam in ſpeculum intueretur, quæque in ijs obſeruaret exteriùs, ea exprimeret in ſe cuncta. Ergo cum ijs eſſe frequens, orandi, animíque colligendi tempora notare, ſolus, quod apud eas gentes penè inauditum, obambulare. Quàm autem conſideratè hîc ſe gereret, ex eo enituit, quod cùm iam, vt ſe facturos receperant, Tadoſſacum Patres vnum ex ſuo numero ad condictum tempus miſiſſent, dum is ſe quotidie ſtatis horis è turbâ erudiendorum ſubduceret, cum Deo ſuo aliquantiſper verſaturus; ponè ſubſequi Carolus ſtudebat, vſque ſilens. Et eo vel officio, vel ſeeeſſu delectabatur magnopere Pater, tantam in homine conſtantiam demirans, donec animaduertit aliquando, ſub veſte ſclopum minorem ab eo circunferri. Quare nonnihil animi pendens, ex eo quærit, Quorſùm tandem cum telo eſſet? At is pro ſuâ ingenuitate. Ego, inquit, Pater, dum huc te ſubſequor, propoſita habeo duo; alterum, vt dum tu precaris, ego quoque preces fundam: alterum, vt te capútque tuum tuear. Sic enim mecum reputo, loco te periculoſo verſari: nihil eſſe facilius, quàm vt in iſtâ ſolitudine Etechiminius aliquis, aut alius vnde vnde Barbarus clàm adrepat, vitæ tuæ inſidians: ſi occumberes autem, quid nobis fieret? Ergo tàm ferali machinationi anteuerſurus, præſtò ſum. Ceterùm, ſi me audies, non tàm procul à noſtris tugurijs aberis deinceps. Et tantam vel vigilantiam, vel charitatem miratus Sacerdos conticuit: paruítque monenti ſalutaria. In inſtituendis autem popularibus, trahendíſque ad fidem, quæ pars erat altera, ſic ſe iam tum adhibuit, vt

ANNVS MDCXLI. præter quàm quòd opportunè, importunè illud canebat vnicuique; Gallos imitandos prorsùs esse, non illos quidem plebeios, ac viles, qui literarum, doctrinarúmque expertes, licentiùs quandoque se gererent, sed Præfectos: Patres autem potissimùm: cùm autem adessent ex finitimis aliqui, aduolabat confestim Carolus cum torque ex conchâ veneriâ haud exigui pretij, ne quid intentatum relinqueret. His tàm præclaris documentis, támque multoties conteſtatâ charitate cùm ardorem capessendi Baptismatis suum vehementer probasset Patribus, tandem cum alijs quos secum traxerat, sacro fonte ablutus, Christianorum numerum auxit.

Thondarsaa præclara naturæ dotes.

THONDARSAA, & ipse præclaris naturæ dotibus instructus illustri inter suos genere, quippe Præfecti pagi sui filius, nunquam fidem oppugnarat: quin, cum illâ Huronicâ exagitatione tàm graui, casæ prope omnes occluderentur Patribus, ipse contrà eos excipiebat perhumaniter, neque modò consanguineos, sed etiam suos ipsius filios ab ijs baptizari sinebat. Postmodùm, sortes abiecit, quibus ad felicem venationem vsus adhuc fuerat: tum publicè professus se ad Christiana sacra transire velle, patrias superstitiones valere iussit prorsùs. Cùm militatum isset, consuetudinem copulauit cum popularibus duobus iam baptizatis: quos cùm videret in nemorum abditiores latebras secedere, tùm ad commilitonum auitas superstitiones declinandas, tùm ad fundendas preces: ad eos se ipse quoque adiungebat nondum Christianus. Vbi ad suos incolumis redierat, commodùm, Kebeccum pergendi se se dedit opportunitas: & mercaturas quidem consuetas dum Thondarsaa cogitat, multò sublimiora parabat Deus. Vix menses aliquot ibi loci hæserat, cùm ardentiores subdi animo suo sensit ad veram pietatem faces, hoc est ad cultum, venerationémque summi Dei: ac præter illa quidem quæ in eius præcordijs per se peragebat summus mentium inspector, & arbiter; tria fuisse quæ sub oculorum aciem continenter cadebant, vnde vehementer permotus fuerit, post Baptismum ipse memorabat, alacritatem Gallorum miram, in ijs capessendis quæ à Monte-magnio Præfecto præscriberentur, eorundémque aduersùs eum insignem obseruantiam: Monialium, tùm S. Vrsulæ, tùm Hospitalariarum, & modestiam

perpetuam, & charitatem in miſeros: non enim ſatis capere ſe poſſe, quemadmodum teneræ virgines, molliter, indulgentérque apud ſuos olim in Galliâ habitæ, animum induxiſſent pelago ſe in tàm longinquum iter committere primùm; mox appulſæ, totæ eſſent in officiis charitatis illis quidem, at laborioſis vel maximè, niſi præclarum quiddam, & omnem humanam cogitationem ſuperans, ſequerentur: poſtremò religionem, pietatémque, & moderationem ſingularem Neophytorum: neque enim non perſtringi poterat, dum illud ſecum reputabat: *Si homines perinde atque nos in auitis ſuperſtitionibus, inſaníſque vel commentis, vel inſtitutis nati, educatíque, emergunt tamen ex iſtius fæce prauitatis; quidni nos quoque ad eandem innocentiam morum enitamur? Si hi vna vxore contenti, ætatem exigunt, ſi charitate ducuntur eorum quos viderant nunquam, ſi abſtinentiam colunt ſeueriſſimam cibi, atque potionis, ſi, contrà quàm ferebat opinio, nullam luem, nedum corporum exitium ipſis creant preces, nos eadem aut vſurpare nequeamus, aut ſi vſurpabimus, metuendum eſt ne decantato illo exitio inuoluamur!* Hæc dies noctéſque meditans, ad eámque quam in alijs ſuſpiciebat, componens ſe ſe moderationem, tandem ſub exeuntem Iunium, dignus viſus eſt, cui Eccleſiæ ianua pateret, rem vrgente potiſſimùm Monte-magnio, & gnaro ex ijs quæ Brebeufius, qui eo anno Kebeccum deſcenderat, de præclaris naturæ dotibus Thondarſaæ memorauerat, & inſpectore, exploratoréque eiuſdem dictorum, factorúmque, ex quo Kebecci verſabatur: qualis iam tum, quantúſque eſſet Thondarſaa. Itaque dies eius Baptiſmo dicitur ad VI. Cal. Quintiles, geſtiente Catechumeno, plaudentibus Neophytis: aderant enim tum magno numero (quippe mercaturarum tempore) & in Sillerianâ S. Ioſephi coloniâ rem peragi placuit. Adfuit ergo hinc Monte-magnius ſuſceptor, cum cohorte, Gallorúmque honeſtiſſimo quoque, illinc Canadenſis Eccleſiæ alumni, filiíque propè omnes: quos vt vernaculo idiomate ſacra Cantica modulantes Catechumenus exaudijt; Enimuerò ſi felices hi cantus ad popularium meorum aures acciderent, exclamat, raperent vtique cunctorum præcordia. Cùm ad ſacram cerimoniam propiùs ventum eſſet, peragente Bartholomæo Vimontio, Societatis IESV in Nouâ

ANNVS MDCXLI.

Eiuſdem Baptiſmus.

ANNVS MDCXLI.

Franciâ Superiore, quærerétque ex Thondarſaa Brebeuſius; Num ex animo ad Chriſtiana ſacra tranſiret? num morem deinceps geſturus eſſet vocanti, & ſanctificanti Deo? num eius mandata, num Eccleſiæ iuſſa exactè obſeruaturus? nihil perturbatus, fidenter elatâ voce reſpondet; Certum ſibi & conſtitutum eſſe, Deum, cuius notitiam aliquam eſſet adeptus, in Eccleſiâ ad extremum vſque ſpiritum venerari, & colere: neque vllo vnquam caſu ab eâ mente dimotum iri. Vbi primùm vitali vndâ reſperſus erat, arctè Carolum ſuum complexus Monte-magnius (ſuum quippe illi nomen inditum voluit) Gaudeo, inquit, vehementer, te à tetri dæmonis ſeruitio, ad ſummi Dei famulatum, & obſequium traductum eſſe. Pugnato deinceps in beato certamine acriter: quæ pollicitus es, ea ſanctè præſtato. Et arma quidem tibi ſpiritualis ſuppeditabit Baptiſmus aduersùs hoſtes eos, quorum impetus ſentire poſſis, formam videre nequeas: ego aduersùs feros Iroquios, qui conceptum in vos immaniſſimum odium habent, telum hocce dono. Atque hîc tradit ſclopum militarem, inſigniter elaboratum, ſtupenti Neophyto vel ad nouitatem, vel ad exquiſitæ artis decus: tum ſignificare Carolum iubet popularibus ſuis, quicunque ſe ad fidem aggregaſſent, eos ſe ſuo patrocinio tecturum. Hæc vbi à Monte-magnio peracta, adeſt Præfectus Chriſtianorum Sillerianæ coloniæ, atque in hæc verba Carolum compellat. *Quotquot hîc adſumus indigenæ*, inquit, *ſanctam fidem capeſſiuimus, atque adeò nuncium remiſimus veteribus vel ſuperſtitionibus noſtratibus, vel nugis. Quare dum te inſtitutum idem videmus tantâ alacritate, tantâ animi fortitudine ſuſcipere, tantum haurimus animis lætitiæ, cæleſtíſque ſuauitatis, eius vt magnitudinem nulla poſſimus oratione conſequi. Illud nos præſertim afficit, quod volente Domino Deo, locum hunc adamaſti, vbi frater noſter fieres: ſic enim prorsùs res ſe habet: frater noſter deinceps es, eodem patre Deo, eádem matre Eccleſiâ prognatus. Itaque omnes hi tibi per me ſignificant, amicos tuos, eoſdem ſuos ex hoc tempore fore, hoſtes item tuos ab ſe in hoſtium numero poſitum iri. Et quoniam ſclopo te donauit Onontio, nos, quò eo, ſires tulerit, in itinere vti queas, nitrati pulueris aliquantum ſuppeditamus.*

GESTIEBAT QVIDEM ad tàm inexpectatam huma-

nitatem, vel charitatem potiùs, Neophytus: nõn tamen ſibi defuit, quin aptiſſimè reſponderet. Et ad Monte-magnium quidem obuerſus; *Duplici me*, inquit, *munere affeciſti, Onontio: nam & ſclopum hunnce donaſti, & tuo me nomine inſigniuiſti. Et poſterius quidem hocce hoc maioris facio, quòd eſt honorificentius: neque dies vlla erit, quin & ſenſum illius beneficij conſeruem in præcordijs, & ea gratia tibi me plurimùm debere profitear. Prius autem illud longè, latéque reſonabit apud populares meos: hinc enim intelligent quanti à te fiat fides, quàm chari tibi ſint qui eam complectantur. Mihi crede: valebit plurimùm apud illos auctoritas tua: neque munus ingrata obliuione obruetur.* Tum ad circunſtantes obuerſus Neophytos; *Si veſtra*, inquit, *pectora pertentat gaudium, idcircò quod in album filiorum Dei adſcriptus ſum, lætari profectò me vehementiùs decet, cuius res agitur. Vos præiuiſtis, ego ſubſequor: vos in cælum ad beatam felicitatem enitimini; ego eodem pergere planè cupio: vos ſummi Dei mandata impigrè exhauritis: ego hodiernâ die audientibus vobis profeſſus ſum, ijſdem me planè ſtare velle, atque in eâ ſpe ſum, fore vt nunquam ab eâ pollicitatione facta mea diſſentiant. Equidem nihil Hurones tanti facimus, quanti torques ex conchâ veneriâ: ſic habetote tamen, ſi torques iſtiuſmodi ad viginti, ſuo me fulgore ad peccandum incitarent; & oculos refugituros, & cor iſtud quod aliàs tantopere adamauit, auerſaturum. Sunt item apud nos in pretio pelles aliquæ, ex iiſque confectæ veſtes: ſic tamen vobis perſuadeatis velim, ſi pulchritudo ipſa, quæ vocatur, ſuâ mihi manu tale quiddam ad hunc deprauandum animum obtruderet, hæc me omninò prolocuturum; Si Deo, quem adoro ac veneror, cordi eſt, aliqua vt earum veſtium vtar, efficiet profectò idem, aliâ vt viâ iſtæ mihi obueniant: excluſum eſt ex hac mente ſcelus, ac nefas: aditus illi nunquam in hanc arcem patebit. Si obijceretur item nitrati pulueris doliolum, armáque tota ex ferro ad communes hoſtes extinguendos, hæc opponerem; Qui elutis ſordibus, huic menti puriſſimum nitorem addidit, vetat eam me contaminare deinceps: ſuppeditant ipſi infinitæ rationes aliæ, quibus me tegat: porrò lucis huius vſurâ carere planè malim, quàm offenſionem ipſius vllam ſuſcipere. Hæc ſunt animi mei decreta, fratres mei, hæc me exactè obſeruaturum beatâ hac luce conſtituo. Ceterùm, vt id quoque adiungam, iam filij mei, iam ex fratre nepotes per Baptiſmum regenerati ſunt: vxor propediem*

ANNVS MDCXLI. *virum, quantum auguror, ſequetur: neque illa modò, ſed etiam quoniam loco aliquo, ac numero ſum apud meos, alios quoque complures veſtigÿs inſtituros meis confido, maximè vbi ipſis expoſuero, quàm honorificè Fideles à magno Gallorum Præfecto excipiantur, quámque multæ Nationes inſtituta ea, à quibus miſeri abhorrebamus, arripuerint.* Pòſt paulò, cùm ad Trifluuium perrexiſſet, ibidémque Iuuenæus, ad Sillerianam ſedem rediturus conſcenderet canoam, ad Brebeufium conuerſus, qui aderat; *Patrem*, inquit, *roga, quæſo, meo nomine, vt magno Gallorum Præfecto renuncict, verba quidem mihi deeſſe ad agendas gratias pro acceptis beneficÿs, non defutura tamen ad illa eadem apud populares meos deprædicanda. Et illa quidem, coniuncta cum honoris illius ſignificatione, quâ me aſſiduè excepit, mouent hanc mentem non mediocriter: nihil tamen horum accedit ad lætitiæ ſenſum, quam haurio ex Dei dono, ac munere, quo me ad filios ſuos Chriſtianum adiunxit. Iuſſit Onontio, beneficium hocce laudarem popularibus meis: faciam enimuerò: neque enim ſi voluero, conticeſcere tamen queam. Linguam, vt erat, integram refero ad meos, imò verò multò auctiorem: illam vbique totam transferam ad fidei noſtræ præclara inſtituta vel commendanda, vel quoad facere potero, declaranda.* Addidit, vnum ſibi dolere, quod nullis viciſſim muneribus agnoſcere ſibi liceret Monte-magnij beneficentiam, Gallorum ſtudium, Neophytorum charitatem: verùm, ruens eius in amplexus Iuuenæus admonuit, ſecurus porrò eſſet: neque enim Monte-magnium aliud ſibi quidquam rependi cupere, niſi illud; Vt & in fide tuendâ conſtans, & in Dei mandatis exhauriendis diligens, ac ſtrenuus eſſet. Et Thondarſaa; *Me verò*, inſit, *in vtroque ipſi ſatisfacturum confido: nam vt nunc quidem animo comparatus ſum, nihil mihi obÿci poſſe videtur, vnde mea labefactetur conſtantia: quoniam tamen humanæ infirmitatis ſum particeps, ſi fortè prolaberer, reuocaret me continuò ad officium publica, & ſolennis pollicitationis eius recordatio, quâ aſſeueraui me ad extremum vſque ſpiritum obſecuturum Deo: tu verò, Pater* (Brebeufium adſtantem appellabat) *ſi quando me videris nutantem vel leuiter, refricato mihi eiuſdem memoriam pollicitationis: perſpicies ipſe valiturum id, ad confirmandum hunc animum, & ad omnes partes Chriſtiani officij egregiè perſequendas.*

VT MAGNO ANIMO, & ſcilicet expertæ Dei in ſe in-

ANNVS MDCXLI

dulgentiæ nixo, iſta ſpoponderat, ſic impigrè cuncta, vbi ad ſuos redierat, obiiſſe, anno ſequenti demonſtrabimus. Et fuit ſanè opportunum imprimis, vt cui aſſurgenti ædificio tàm firma columna ſubducta eſſet, ei firmamentum aliunde adiungeretur. Ioſephum Chiſathensa ab Iroquijs ſuperiori æſtate indigniſſimè trucidatum vidimus, Huronicæ decus Eccleſiæ: eo extincto, metuendum erat, ne res fidei collabaſceret, cùm alij & pauci eſſent, & ad pelliciendos populares longè minùs idonei. Sed nimirum, Patriam mutant, non extinguuntur, qui moriuntur in Domino. Nihil non egerat apud Teondechoren fratrem natu maiorem, vt eum à nefarijs abſtractum ſuperſtitionibus, Chriſto daret, maximè poſt Exercitia illa ſpiritus tàm ſanctè obita: verùm, nondum aduenerat felix illa dies: & maiore vi pertrahendus fuerat homo totus ad terram abiectus, & tetro dæmoni peculiari quodam nexu deuinctus. Narrauit ipſe poſteà, ſe ad annum circiter viceſimum ætatis, præcipiti iuuentæ conſilio æmulatum eorum inſaniam, qui per choreas quas per ignes flammáſque ducunt (Aŭtaenhrohi nominant) medicinam ſe facere poſſe morbis profitentur. Et initio quidem cùm & animaduerteret, & ſuo malo experiretur, non os, non manus habere ſe ſic comparatas, vt non ab igne, ſi attingeret, violarentur; nequaquàm accedere ſolitum propiùs, ſed ſycophantarum more eorum, qui ſpectantium oculis illudunt, artificiosè finxiſſe, & diſſimulaſſe: donec aliquantò poſt per ſomnium videre ſibi viſus eſt intereſſe vni ex iſtis choreis, ignémque impune tractare, adhibitâ cantione, quam è ſomno euigilans, ſe ad vnguem memoriâ complecti miratus eſt. Vbi prima ſe deinde dedit occaſio, cantilenam canere occepit ſuam: & ecce tibi, furore ſe quodam corripi perſenſit intùs, Mænadum, credo inſtar illarum, de quibus haud abſimilia prodita à Poëtis. Ergo ex medijs rogis candentes lapides tùm manibus, tùm dentibus extrahere impunè, nuda brachia immittere in ardentes fornaces, ſic, vt neque doloris vllo ſenſu tangeretur, neque vel leuis vſtulationis extaret in membris veſtigium. Itaque nefandam artem factitauit deinceps, annos totos viginti, nonnunquam ter, quater-ve in die, adeò ab igne intactus, vt Patribus confirmauerit multoties iam Chriſtianus, tantum abfuiſſe

Ioſephus Teondechoren fraternæ virtutis æmulus.

ANNVS MDCXLI.

vt tum ignium ſentiret ardores, vt potius iucundo quodam afflatu neſcio quid manus, óſque refrigeraret, ita duntaxat vt cantio illa per ſomnum tradita adhiberetur: ſimiâ Satanæ ſummi Dei ſcilicet in re leui, quà ſinitur, mirabilia opera imitante. Addebat, viſum ſe ſibi identidem iſtiuſmodi choreis, conuiuiiſque quæ choreas comitantur, per inſomnium intereſſe, ſic, vt daretur ſibi quidpiam, aut omninò commodaretur, quod geſtaret, dum daret operam egregiæ cerimoniæ: atque eâ re ſe monitum, ne quid tale ſuſciperet, quoad traditum eſſet id quod eſſet menti obuerſatum: itaque dum ſe primùm deinde dabat occaſio, declarare ſe miſero in conuentu ſolitum, quid concupiſceret, id vbi eſſet ſuppeditatum, tum verò perſonam ſe egiſſe ſolitum ſuam: quod quid tandem erat aliud (inquit hîc ſapienter Hieronymus Lalemantius) niſi iterata profeſſio clientelæ tetri dæmonis, à miſerrimis populis tandiu exigi conſuetæ? Ergo cùm tot nodis vinculíſque conſtrictus, ex importuniſſimi tyranni nutu, totus aptus eſſet Theondechoren, ecce tibi derepentè tertio ab cæde fraternâ die, diuina quædam lux cæcę ad eam lucem menti oborta, teterrimam illam caliginem ſuperioris temporis momento diſcuſſit. Reputare cepit animo quæ frater inculcaſſet tàm ſæpe, de miſerrimâ eorum conditione, qui lumini rebelles, Dei famulatum per Chriſtianam religionem ingeſtum toties, capeſſere recuſarent: vnum illum vt parentem, procreatorémque hominum, ſic muneratorem eſſe, à quo ſempiterna ſit expectanda felicitas ea, à quâ ſi ſemel exciderís, ſempiterno tempore ſit cum ignibus, flammíſque luctandum. Ergo ad Patres adit feſtinus, ambítque Baptiſmum haud rudis Candidatus: neque enim poterat ignorare myſteria fidei, quæ tandiu, inuito quamuis, ac reluctanti, decantata tamen opportunè, importunè à germano fratre eſſent. Verſant hominem partes in omnes Catechiſtæ, ſuperioris eius contumaciæ conſcij, tentant, vrgent, vellicant: cùm egregiè vbique ſibi conſtaret, planéque ſatisfaceret, ſeu Deo caſtè, religioſéque deinceps famulandi propoſitum, ſeu myſteriorum notitiam, precúmque exigerent; quò tamen hominis antè tàm nequam, illuſtrior, teſtatiórque eſſet mutati conſilij ſignificatio, differri eius Baptiſmum placuit ab exeunte Iulio,

in

ANNVS MDCXLI.

in VI. Id. Septembris, quæ lux naſcenti Dei Genitrici ſacra. Eâ die ſolenni cerimoniâ in Eccleſiam adſcitus, *Ioſephi* nomine condecoratus eſt, longè feliciori vel ritu ſuſcitandi ex patrio more fratris, vel imitationis eiuſdem omine, quàm ferret auitus ille mos, in quo vt nihil praui, ſic nihil inerat, quod momentum vllum afferret ad id quod ſequebantur: nunc cum ſuaui illo, beatóque nomine fraternas Teondechoreas, mouente intus diuinâ gratiâ, virtutes ſic arripuit, vt alter ille ſtatim ſit viſus: ne cui integrum eſſet ambigere, quin è cælo fidelis Dei famulus iam apud Dominum gratioſior, effeciſſet quod in terris poſitus perficere minùs valuerat. Ergo ſe ipſe mirari continuò nouus Ioſephus: finem nullum facere diuinæ in ſe miſericordiæ deprædicandæ: ſimillimum ſe eſſe profiteri captiuo alicui, eorum qui tàm frequenter ijs locis in hoſtium manus incidunt: planè ſic ſecum actum eſſe, vt cum illorum quopiam, qui eorum crudelitati eſſet felici aliquo caſu ereptus, reſeruatis alijs ad immaniſſimos cruciatus eos, quos exercere vulgò in captos ſolent. Itaque ablegauit continuò tùm patrias ſuperſtitiones omnes alias, tùm artem illam miſerrimam, prunas impunè tractandi: ac inuitatus licèt ad eam iterandam non ſemel, conſtantiſſimè tamen recuſauit ſemper: vt fratrem non modò æquare, ſed etiam quodammodò ſuperare ſub ea initia viſus ſit Patribus.

ANTE AVTEM QVAM in germani locum ſuffectus eſſet Teondechoren, Fidelium aliorum quaſi anteſignanus fuit Renatus Trondihſanæus, de quo nihil proditum adhuc comperi, homo iam grandis natu. Is in ſacellum cunctos cogebat quotidie manè & veſperi, ad ſtatas preces, is hortatoris munere fungebatur: idem notabat ſanctum diem, hoc eſt Dominicum, ne quis vel à ſacrificio, ſi eius fieret copia, vel à precibus omninò abeſſet. Porrò fortiſſimi ſenis conſtantiam tentare Domino Deo viſum. Olim in florenti ætate verſanti, obiectum ſomnium erat, quo planè vetabatur & conuiuium vllum inſtruere ex canum carnibus, &; ſi ab alijs inſtrueretur, omninò intereſſe: ſi ſecùs faceret, læuum quidpiam conſecuturum. Cùm anteà ſemper ſtudioſè vtrumque declinaſſet, ne-ve ipſe ominoſum ſcilicet conuiuium appararet, ne-ve ab aliis apparato, aſſideret conuiua; ſub initium ſuperioris hye-

Renati Trondihſanai conſtantia.

ANNVS MDCXLI.

mis, iam in fide confirmatus, atque adeò gnarus vanitatis ſomniorum, ab amico inuitatus ad iſtiuſmodi epulas, probè memor licet denunciatæ, ſi parere recuſaret, calamitatis, non refugit. Vix in caſam pedem à conuiuio retulerat, cùm tota penè familia morbo ſternitur, filij tres, quorum duo infantuli, adoleſcens vnus, iſque chariſſimus, mox filia annorum viginti, itidem chariſſima. Et initio quidem peracerbum caſum ſic tulit Renatus, vt nihil quidquam generoſius ab veterano vllo Chriſti milite ſpectares. Auditus eſt, neſcius licèt, ab vno è Patribus clàm auſcultante, cùm hunc omninò in modum ſupremum rerum omnium arbitrum appellaret; *Audi me, Domine : nunc enim potiſſimùm precari inſtituo : liberos meos omnes vulgaris ille morbus corripuit, penè omnes de vitâ periclitantur. Illúdne addam ? Conſana illos, potes enim; Minimè verò id flagito : audi, cordium omnium ſcrutator, inſpectórque, quid verſem animo. Supremus es rerum omnium Dominus, quippe qui rerum vniuerſitatem effeceris : & tamen id cogito, homuncio, vt tibi munus aliquod, ac donum hodie offerram. Eam in rem cuncta mente & cogitatione luſtro, cuncta circumſpicio : nec quidquam te dignum occurrit : Heu me ! omnes omninò homines ſi nihil coràm te ſumus, ego omnium poſtremus, ego puluiſculus, ego peripſema, quid ſim, atque adeo quid tandem offerre valeam ? Nimirùm noſtræ omnium vitæ ex te planè pendent : eas offero, filiorum, inquam, & meam, & omnium omninò, quotquot meâ familiâ continentur. Si omnium poſtremus emoriar, illud dicam ; Vitam meam pro munere ſuſcipe, Domine Deus meus : quidquid vis, quidquid ſtatuis, æquiſſimum eſt. Nunc demùm proba me domine, ſi ita videtur : quæ defero, ſuſcipe : vnum dicam illud, ſancta eſt voluntas tua, quidquid demùm ſtatuerit. Tibi verò IESV mi Seruator, quid offeram ? præter hæc quæ dico, habeo nihil : verùm illud me ſolatur, quod in communionem venis eorum, quæ æterno tuo Parenti offerimus. Miſerere mei : ſat me beatum putabo, ſi quod nunc offero, illud tibi arriſerit.* Hæc, vt retuli ad verbum ex ore Neophyti ab ſe excepta, teſtatur vnus è Societate Sacerdos, addítque totius orationis emphaſim maiorem aliquantò Huronicè fuiſſe, quàm ipſè Gallicè expreſſerit. Porrò ab tàm calenti pectore quid non in Deum fidei, conſtantiæque expectares ! Sed nimirum ad vehementiores turbines nutant aliquan-

ANNVS MDCXLI.

do & orni, & quercus, quamuis firmis nixæ radicibus : coryphæúſque Apoſtolorum quâ nocte tam ardenter receperat, commiſſurum ſe nunquam, quidquid tandem impenderet diſcriminis, vt Magiſtrum deſereret; eâdem non ſemel diris ſe deuouit omnibus, ſi hominem eum noſſet. Adeò lubrica eſt humana voluntas. Filioli illi duo erepti ſunt : tulit, vt ſpoponderat Renatus : ſubſecuta mors adoleſcentis illius : ingemuit, eâ ſe ſapienter conſolatione ſuſtentans, quod ſingulari quâdam Dei miſericordiâ proximè ante obitum per ſacram homologeſim delicta iuuentutis abluerat, neque pauca, neque leuia : vix enim eo in flexu ætatis, Chriſtiano quidquam dignum fecerat, indigna multa perpetrârat. Intereà pagus totus perſtrepit : canebant inſani, illud nimirum eſſe quod tantò antè vidiſſent omnes, complures eſſent experti, exitialem fidem eſſe : Sacerdotes illos Gallos præpoſterâ quâdam cupiditate collocandorum maturè in cælo eorum qui credidiſſent, mortem illis feſtinè accerſere. Accedebant querelæ domeſticę ab vxore, quæ tantumnon illud ſtolidæ alterius vſurpabat : *Adhuc tu permanes in ſimplicitate tuâ ! benedic Deo, & morere.* Non fecit tamen Renatus, *neque ſtultum aliquid locutus eſt* hactenùs : quin ad ſacellum ſe contulit, gratias religioſè Deo acturus, quod tàm præclarè filio ſuo in æternitatem conſuluiſſet. Verùm, poſtquàm ventum eſt ad Iphigeniam illam, hoc eſt ad filiam, parentis vtriuſque delitias, cùm iam ea ad extrema morbi rueret potiùs quàm tenderet, infelix pater quotidiana propè conuitia vxoris non ferens, maleficum tandem admittit, qui morienti filiæ opem ferret : veſanus vtique, qui millies antè eſſet expertus, quàm nihil hominibus conferant Satanæ artes. Itaque iuſtiſſimo Dei iudicio non ſeciùs illa erepta eſt, quàm fratres germani, hoc acerbiore dolore infeliciſſimi patris, quò nec ſaluti filiæ conſuluerat, & prodiderat ſuam. Quid faceret deploratus parens ? nimirum quod monet Sapiens; *Fili peccaſti ? ne adÿcias iterùm.* Illius ipſius luce colluſtratus quem violauerat, clementiſſimi Dei, ſe ipſe collegit, deteſtatúſque impium ſcelus, nihil antiquius habuit, quàm vt cum eo quem læſerat, per homologeſim continuò rediret in gratiam. Ex eo tempore ſtetit quidem ſemper in gradu fortis

Iob. 2.

Eccleſiaſt. 21.

ANNVS MDCXII.

athleta: conſtantiæ autem, fideíque non vulgaris ſpecimen dedit illuſtriſſimum, poſt Ioſephi Chiſathenſæ cædem. Redijt in memoriam id quod paucis à Baptiſmo diebus audierat ipſe de amiciſſimo viro: cùm ſolito piſcatui ambo darent operam, Ioſepho in ſomnis obiectum fuiſſe quidquid deinde poſt menſes quatuordecim re ipsâ funeſtè in ſe ipſe expertus eſt. Videlicet circumuentum ſe ab Iroquijs tribus, quatuor-ve, egregiè reſtitiſſe primùm, mox ſuccubuiſſe vnum pluribus, euulſam per acerbum cruciatum cæſariem ceſſiſſe ſicarijs: impactâ ſecuri ad eam ipſam partem capitis: ſi hæc irrita cuperet, canes mactaret duos. Euigilaſſe hîc non ſinè trepidatione, vt fit, Chiſathenſan, ad ſéque conuerſum exclamaſſe; Enimuero, Renate, nunc demùm, niſi Chriſtiani eſſemus, repetenda nobis conuiuia noſtratia, iterandæ conciones eſſent, ad aueruncanda ominoſa quæ vidi: at non teter dæmon, ſed Deus tùm vitæ noſtræ, tùm rerum omnium aliarum arbiter eſt: de nobis vtcunque viſum erit, ſtatuat. Hîc ſomni ſeriem expoſuit Renato, an alijs quoque, incertum: res quidem certè emanauit ſic, vt poſtquam cuncta ordine contigerant, fremerent vulgò Ethnici; Idcirco miſerè interemptum Chiſathenſan, quod ſomnio parere recuſaſſet, imperanti canum duorum vel ſacrificium, vel conuiuium, ſi Iroquiorum manus vellet effugere. Hæc cum ijs coniuncta caſibus, quos expoſuimus, perturbare vtique vehementer Neophyti animum poterant, niſi de cælo adeſſet auxilium: id cùm adfuiſſet, tunc quidem Renatus ſtetit in gradu, hoc illuſtriore conſtantiâ, quod hyeme huius ipſius anni, filius qui ſupererat, iam adultus, in Iroquiorum manus venit. Erat in eius tugurio Hieronymus Lalemantius, huius ipſius rei Scriptor, cum calamitoſo parenti de filij caſu renunciatum eſt: ab eo ſic ſe in re & ſubitâ, & luctuoſiſſimâ adhibuiſſe memoratur Renatus, vt perculſus animo hæſerit, mox in eas voces eruperit. *An verò quidquam improbare vllo modo queam, Domine Deus meus, quod ſit à te conſtitutum!* Ceterùm, quoniam hærere animis Chriſtiani ferè ſolemus ad euentus tales, demiramúrque ſoliciti, cur ſapiens idem ille, & præpotens Deus eò vſque graſſari dæmonum importunitatem in miſeras gentes ſinat, vt in ſomnis & obijciant ea, quæ euentura ſint, & ſi parere recuſent,

ANNVS MDCXLI.

ijs ipſis carnificibus quæ funeſta denuntiauere peragentibus, obiectis per viſum calamitatibus re ipsâ poſtmodùm opprimantur; Statuendum illud principio; Ne capillum quidem capitis noſtri à Satanâ detrahi poſſe iniuſſu Dei: deinde id apud eas Nationes euenire quod vbique fit, vt *Per quæ peccat quis, per ea & torqueatur:* ac poſtquam vuam acerbam comederunt patres, dentes deinde filiorum obſtupeſcant. Non quòd valeant iſta quidem ad ſempiternum exitium: neque enim vbi de deploratâ illâ æternitate ſingulorum agitur; *Filius portabit iniquitatem patris: ſed vnuſquiſque in peccato ſuo morietur:* verùm, ad huiuſce *vitæ* ærumnas quod attinet, ferè illud ſeruat, atque adeò ſeruaturum denunciauit compluries ſummus ille Princeps, ad tertiam vſque, & quartam generationem vlturum ſe in poſteris: cúmque ſomniorum vanitati ad inſaniam addicti horum qui nunc ſunt non modò aui, proauíque, ſed etiam parentes fuerint; quid mirum, ſi illorum impietas redundat in ſobolem? præſertim cùm iſtis in regionibus magnam partem triumphet adhuc ferus tyrannus, Dei, hominúmque hoſtis, tàm paucis complexis fidem, præ illorum propè infinitâ multitudine, qui adhuc in ſuperſtitionis, Magiæque tenebris ambulant. Porrò, quid tandem vel Ioſepho, vel Renato nocuit inuidioſus ille ſomniorum euentus? alter illicò conceſſit in cælum, vt augurari de tantâ prope ſanctimoniâ poſſumus: alterius filij eodem perrexere tres, quatuor-ve, quorum fortè nullus beatus futurus fuerat, niſi tali tempore viuere deſijſſet: filia illa ſi non aſſenſa eſt vetitæ parentum procurationi, nihil eorum ſcelere contaminata eſt: ſi aſſenſit, æquè fortè ſibi ipſa alijs peccatis cælum deinde occluſiſſet: vt vt id futurum fuit, vno Apoſtoli verbulo reſecanda omnia, cum ſingulari quadam acquieſcentis animi demiſſione. *Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit.*

Sap. 11.

Ezech. 18.

Rom. 11.

HISTORIÆ CANADENSIS.

LIBER QVINTVS.

ANNVS MDCXLII.

ANNO deinceps consecuto, valuit Kebecci exerceri cœpta seueritas non in viros modò, quorum natura vt audacior ad nefas, sic ad tolerandam pœnam fortior, sed etiam in feminas, quarum vt est indoles impotentior, ita pudore ac infamiâ, grauiore præsertim, sic nonnunquam deijciuntur, vt se ipsæ ferre nequeant. Quare diuinæ gratiæ prorsùs adscribi constantiam oportet barbaræ virginis cuiusdam, cuius factum suspicient, credo, quotquot inaudierint. Hanc iuuenis quidam, vxoris alterius superstitis, sospitisque coniugio illigatus, vxorem tamen ex vsitatæ pridem apud eas Gentes, antequàm Euangelij lux ipsis affulsisset, polygamiæ vt vidimus, corruptelâ, cæco quodam furore veriùs, quàm amore adsciscere auebat: cum eáque clàm propinquis,

Barbara virginis constantia.

quorum in poteſtate hæc erat (parentibus demortuis) de vetitis nuptijs agit. Aſſentitur illa, ſeu Euangelij legem ignoraret, nondum initiata, ſeu negligeret: rem modò tranſigeret ipſe cum conſanguineis: in ſe moram nullam fore. Quare adit ipſe ad eos continuò, quóque loco res ſit, exponit. Illi & iuuenis temeritatem ſeueriori oratione caſtigant, qui obſoletam iam Kebecci ex Chriſtianæ fidei ſanctitate, polygamiam inducere tentet rursùs, & virginem poſtmodùm penè conuitio increpitant, quæ tàm petulans fuiſſet, vt clàm ſe, conſilia agitaret de matrimonio, tàm parum pudens, vt non ſtatim refugerit, pellicatum auerſata. Porrò ſibi vterque perſuaderet, nulli vnquam nupturam ipſam, niſi Chriſtiano Chriſtianam, atque adeò ex Chriſtianorum inſtitutorum ſanctitate, quæ polygamiam auerſetur, & prorsùs excludat. Quid hîc agat demens amator? ſimul vxorem repudiat, ſimul Catechumenum profitetur, quò propoſitos vtrinque reuellat obices: verùm, cùm ſatis intelligerent virginis propinqui, eam mentem non à Deo iniectam, ſed cæci amoris inſtinctu ſuſceptam: virginem Monialibus S. Vrſulæ tradunt, tùm vt inſanienti proco omnis interim facultas adimeretur colloquij, quo remedio nullum inter humana, ad eas vitandas corruptelas efficacius; tùm vt cum fidei rudimentis, modeſtiam quoque diſceret. Et proceſſiſſet res feliciter, quantum quidem initia demonſtrabant: menſem enim apud optimas Magiſtras ſic exegit virgo, vt contenta ipſa, Monialibus non mediocriter ſatisfecerit: ſed cùm eius operâ indigerent conſanguinei, imprudenter fortè, certè præproperè eam educunt. Vix ad agnatos redierat, cùm adeſt continuò procus, cum eáque vt antè, furtiua miſcet colloquia: die potiſſimùm quadam, cum ex tugurio exeuntem vidiſſet, inſequitur cupiditate præceps: illa cùm declinare congreſſum aliter ſe poſſe deſperaret, in Galli cuiuſdam ædes ſe proripit. Inſtat nihilo ſeciùs iuuenis, & ſeu volentem, ſeu inuitam diutiùs ſermone diſtinet. Per eas moras, cùm ingruente iam nocte abeſſe à tugurio deprehenſa virgo eſſet, raptam primò propinqui ſuſpicari: mox, cùm ſe recepiſſet, ſeueriori oratione in eius ſcilicet impudentiam inuehi, quæ omnibus modeſtiæ, pudoríſque perfractis repagulis, auſa eſſet tàm alieno tempore clàm cum viro

ANNVS MDCXLII.

ANNVS MDCXLII.

colloqui, & ſuſpecto quidem iamdiu. Nec ſatis viſum miſeram rubore ſuffudiſſe: accerſunt confeſtim è viciniâ, Chriſtianos conſanguineos prætereà aliquot, déque pœnâ in tantum flagitium conſtituendâ, iuſſâ reâ tantiſper ſecedere, inter ſe deliberant. Tres propoſitæ ſententiæ: prima ab eo, cuius in poteſtate virgo erat: is Gallorum pia & laudabilia inſtituta æmulatus, ità perorauit vt diceret, ſicut ab ijs in fontes animaduerteretur, ſic vt neque heri famulis, neque parentes filijs parcerent, ſi quid peccatum eſſet, ità neque ſibi in manifeſto ſcilicet, compertóque flagitio diſſimulandum videri, ſed pœnam omninò repoſcendam: poſtquam enim in diſciplinam virginibus virgo tradita eſſet, nec vitaſſet congreſſum inſani iuuenis, quo interdictum eſſet toties; non impunè tàm contumacem petulantiam ſtolidæ eſſe debere: de pœnæ verò genere ambigere ſeſe, atque adeò exquirere quid ipſi ſentirent. Qui ſententiam alteram propoſuit, ſi hæc, inquit, filia mea eſſet, diu eſt ex quo vel reſipuiſſet, vel deſiſſet viuere. Vetita eſt cum veſano iuuene agere, aut omninò colloqui, neque modò non paruit, ſed etiam in vetitum colloquium venit compluries: ego expellendam eam prorsùs noſtris è tugurijs cenſeo: cum eo, vt ne quis noſtrûm aut eam vllo modo viſat, aut quidquam in cibum ſuppeditet. At tertius, noxam grauem quidem non tamen morte dignam videri, verberaretur rea, eâ animaduerſione ad ſe redituram. Id cùm ſtetiſſet, denunciatúmque miſeræ eſſet, illa ne verbum quidem aut ad ſe purgandam, aut ad deprecandam pœnam adhibuit: illud modò ſilens apud ſe reputabat, vt poſtmodùm ex ipsâ reſcitum, *Eam, qualiſcunque tandem eſt, pœnæ acerbitatem perferam, noxæ eluendæ: erit fortè vt tolerantiâ meâ in animaduerſionis genere tàm duro, támque apud nos inuſitato, aditum mihi ad Baptiſmum muniam, quem expeto iamdiu: id ſi eâ viâ conſequar, næ, ſupplicium in beneficij genere collocabo.* Hac animata cogitatione, Kebeccum poſtridie, vt iuſſa erat, pergit cum æqualibus, tàm placidè, ac ſi nihil graue impenderet: ibi non in earum modò virginum, quas comites legerat; ſed complurium etiam aliorum oculis, ab eo ipſo qui ſententiam tulerat, cæditur acriter, cum pudoris quidem ſignificatione tanti, quanto ſuffundi tali in re quiſque ſolet, doloris nullâ.

Tum

ANNVS MDCXLII.

Tum ſeuerus ille Minos conuerſus ad adſtantes ſocias; Vidiſtis, inquit, quàm non leuiter in æqualem hancce veſtram animaduerſum ſit : ſic habetote : niſi morem geſſeritis ijs quorum eſtis in poteſtate, ſimilem pœnam in vos, atque adeò grauiorem depromptum iri. Dimiſsâ concione, quis non miſerabilem virginem quæſituram latebras putaret, quibus ad aliquot ſaltem dies ſe tegeret? at omnium fefellit opinionem, & quâ conſtantiâ eam acerbitatem pertulerat, Baptiſmi ſe cogitatione ſuſtentans, eadem confirmata cælitùs, ad Sacerdotem eum è Societate, qui huius naſcentis Eccleſiæ inſtitutioni præerat, adit è veſtigio, perinde ac ſi nihil pertuliſſet : Baptiſmum poſcit, vel flagitat potiùs, tàm vehementer, vt ſtuperet Pater. Quæſitis varijs circà rudimenta fidei verſat, vexátque Catechumenam : cùm vbique ſatisfaceret, rem tamen in tempus aliud, ſeu diſſimulanter, ſeu ex animi ſententiâ differendam ait eſſe. At inſtare virgo, profiteríque idcircò ſe tàm lentè iſta pertuliſſe, vt hoc documento planum faceret, quantâ Baptiſmi cupiditate arderet: ceterùm, nullius ſe vnquam Ethnici amoribus implicitum iri, nullam de ſe expoſtulandi cauſam præbituram deinceps conſanguineis. Tanti eſt Dei causâ aliquid perferre grauius! nimirum conſtantia in rectè facto aliquo, gradus eſt ad maiora, præſtantioráque, ſiue mens, ſuæ ſibi virtutis conſcia, per ſe ad celſiora decora incitetur, ſiue ſummus ille honeſtatis approbator addat vires, tantáque ſuauitate corda permulceat, vt eâ quaſi peruncti athletæ, alacres ad ardua quæque rapiantur. Quanquam non naturæ, ſed gratiæ tribuendam hanc excelſitatem animi nemo non videat : præſertim cùm præclaris initijs cetera deinde reſponderint. Cùm finem nullum inſtandi faceret proſelyta, annuendum denique ratus Sacerdos; Age ergo, inquit: cras de manè Kebecci adeſto, in ſacello Monialium S. Vrſulæ, vt vbi fidei rudimenta hauſiſti, ibi fidei ſacramentum conſequaris. Quo reſponſo, abit alacris, promiſſo munere erectior, quàm tàm graui, támque acerbâ notâ deiectior. Poſtridie ante ortum Solis leucam iam dimidiam cum ijſdem comitibus confecerat, inquit auctor Gallicus Annalium : cúmque tàm inſperatò tàm hilarem conſpiceret Monialium Præpoſita, haud ignara quid ſupe-

Eiuſdem virginis pietas in Deum.

ANNVS MDCXLII. riori die contigiſſet: heus tu, inquit, vnde tàm manè, tàm lætâ fronte? Nimirum, inſit Catechumena, mox hîc initianda ſum, pérque Baptiſmum in ſortem Filiorum Dei tranſitura. Nec mœroris quidquam reliquit in animo id quod heri geſtum eſt? Tum quidem, inquit, ea me cógitatio confirmabat, mihi IESV Chriſti causâ illud, quidquid erat, vel probri, vel doloris ferendum eſſe: nunc, cùm mecum reputo, quantum tandem beneficium Dei ſit, Baptiſmum conſequi, excluditur planè ex meâ mente mœſtities. Porrò iſti colloquio interueniens Pater, geſtientem Deo conſecrat per Baptiſmum, *Angelicæque* nomen facit, vt quæ beatorum Angelorum alacritatem in iuſſis Dei faciendis exprimeret, eo tàm decoro nomine inſigniretur, Angelicéque deinceps mores & ſtudia componeret. Inſanus autem amator, vbi ſe excluſum prorsùs vidit, poſitâ laruâ Catechumeni, turbas ciere. Adit ad Triſluuium, quo loco patrem habebat, hominem apud ſuos alicuius auctoritatis: quàm indignis modis habita à pauculis Chriſtianis eſſet virgo inſons, quâ poteſt verborum, orationíſque inuidiâ exponit: infamiam eam in ſe redundare: repoſcendas pœnas ab ijs, quorum tanta extitiſſet in immerentem crudelitas. Nec mora furens iracundiâ pater, ad Sillerianam coloniam aduolat cum tumente filio: mactaturum interminatur Fidelium aliquot: nec vllâ Chriſtianorum comitate mitigatus, nihil hinc infamiæ in eius filium redundare conteſtantium, perſtat tamen: dum à Monte-magnio accerſitus, iuſſúſque, niſi malum vltrò ſibi gnatóque vellet accerſere, à malâ mente diſcedere, acquieuit.

NEQVE HÆC MODO, hos è Seminario retulit ardores: perſuaderi vix queat ijs, qui nihil niſi ferum, niſi ſtolidum de ijs Gentibus animo, & opinione perceperunt, In naturâ habili, qualem tandem Canadenſium eſſe compertum eſt, quid valeat educatio, cæleſti præſertim beneficentiâ aſpirante. Europæis virgunculis vix cedere Algonquinias, Huronenſéſque, quis non fateatur, qui hæc paucula è multis, ſuis momentis expenderit. Duæ fuere, annos natæ nondum nouem, quæ à Magiſtrâ annum penè totum enixiſſimè flagitauerint, ſe ſe vt ad ſacram ſynaxim obeundam inſtitueret. Cùm inſtitutionem illa minimè negare ſe diceret: ceterùm, ſuum non eſſe huic

ANNVS MDCXII.

ætatulæ rem tàm ſuprà ſenſus extantem permittere, ad Vimontij pedes, qui per Aduentus dies ad Monaſterium itabat habendis concionibus, accidunt ambæ, pérque ſacra omnia obteſtantur, facultatem ne pertrahat ad ſacram menſam accedendi. Is ſeu ſeriò, ſeu moleſtis dimittendis interpellatricibus ſpondet, ſi quidem aptè interrogatæ, ſatisfeciſſent, haud vltrà ſacrum Paſchæ diem copiam diuini conuiuij dilatum iri. Hîc geſtire vtraque gaudio, at mixto formidine, ne fortè non ſat plenè, vbi tempus afforet, ſatisfacturæ eſſent: Deo tamen candidiſſimos promouente conatus, cùm aſſiduè inſtituentem Magiſtram vrgerent, ad præſcriptum tempus egregiè comparatæ, non Monialibus modò, ſed ipſi quoque Vimontio dignæ viſæ ſunt, quæ ad cæleſtes epulas admitterentur, habentes vtique veſtem nuptialem. Inter Algonquinias autem, educabatur, etiam ex Patris ſupremâ voluntate, Tereſia magni illius Ioſephi Chiſathenſan Huronis, filia. Hæc annos nata haud dum quatuordecim, tàm incenſè cuncta quæ in Monialibus obſeruabat, inſtituta vitæ etiam arctioris, imitandi ſtudio rapiebatur, vt quod de viro bono tradidit ſacer Scriptor, *Cor ſuum* daret *in ſimilitudinem picturæ.* *Eccleſiaſtic.* 38. Cùm igitur obſeruaſſet Moniales ſemel annis ſingulis, conſuetis tantiſper intermiſſis muneribus, abdere ſe in ſacellum, obeundis videlicet ex S. Ignatij formulâ, ſpiritûs exercitationibus, latere ipſa quoque (latere enim eas tunc aiunt) animum induxit. Quare in ſiluulam ſe abdit, ſeptis concluſam Monaſterij, ibíque ex ramuſculis arborum, tuguriolum ſibi ipſa compingit, in quo deinde maiorem diei partem in precibus exigere ſolitaria inſtituit. Id cùm ab vnâ aliquâ æqualium obſeruatum eſſet, quærere ipſa ex Tereſiâ, quid tandem eo in ſeceſſu tandiu agitaret ſola? Cùm ipſa id quod res erat aperuiſſet, imitari ſe videlicet Magiſtras, quæ ad aliquot dies laterent quotannis; illa ad ſocias aduolat confeſtim, incendítque eâdem cupiditate omnes, ſic, vt ad vnam, præter duas penè infantulas, Tereſiam imitaturæ ex obuiâ fronde caſulam quoque ſibi ſingulæ erexerint, eáque concluſæ in ſeueriſſimo ſilentio bonam dierum aliquot partem orando exegerint. Tereſia autem præterea populares duos è ſuis, qui hyemem Kebecci inſtitutionis causâ traduxere, ſic dictis accen-

ANNVS MDCXLII.

debat identidem, vt inter alia fidei capeſſendæ incitamenta illud numerarint, magnopere ſe ſe permotos ardentiſſimâ eius de Deo, déque cæleſtibus myſterijs, Chriſtianiſque officijs oratione. Et eo ardore delectatus eorum alter, ex compoſito, haud ſatis fortè prudenter, exercere Tereſiam inſtituit. Aliquot antè diebus, quàm ſacro ſe fonti ſiſteret, ad eam adit de more, & vultu contracto, vix ſe perſuadere ſibi poſſe fingit, vera eſſe quæ traderentur ab Catechiſtis, duriorem prætereà diſciplinæ iſtius rationem totam videri: ità ſe Baptiſmi cogitationem abieciſſe. Hîc nontàm dolore ſaucia, quàm iuſtiſſimâ indignatione accenſa Tereſia; Quis te, inquit, infelix dementauit? quid agis, quid cogitas? An non vides in momenta ſingula mortem hominibus impendere? quid te fiet autem, ſi proximâ nocte è viuis excedendum erit? Nimirum cum perditis dæmonibus rues perditus, in rogos extinguendos nunquam. Quin te circunſpicis, rediſque ad mentem ſaniorem? Cùm nihilo ſeciùs perſtaret ille in ſimulatâ defectione, negarétque ſe ijs quæ afferrentur moueri; lacrymabunda Tereſia currit ad Moniales, & interruptis vocibus; Perijt, inquit, perijt miſer: Deo & credere recuſat, & parere. Equidem ſi clathra per quæ me alloquebatur, reuellere potuiſſem, cecidiſſem nefarium deſertorem pugnis: ità me eius ſcelus commouet. Et ſolatæ quidem ſunt Moniales gementem, ad hilaritatémque reducere conatæ, ea omnia ab Catechumeno per iocoſam diſſimulationem dicta, factáque eſſe aſſeuerantes: verùm, non antè confirmari animo Tereſia potuit, quàm accederet Brebeufij auctoritas, rem ità habere aſſerentis: is hoc anno in Sillerianâ Reſidentiâ verſabatur. Porrò præpotens idem ille Deus, qui initio naſcentis Eccleſiæ, ex S. Pauli oraculo; *Infirma elegit, vt fortia confunderet*, priſco, vt ità dicam, inſtituto delectatus, virgunculam illam legiſſe viſus eſt, vt viris ardorem inijceret vel capeſſendæ fidei, vel ſectandæ morum ſanctimoniæ. Libet hîc attexere vnius, & alterius Epiſtolæ partem Sacerdotis cuiuſdam è Societate eâ de re ſcribentis ad Moniales. *Priore quidem loco, Hurones aliquot, inſit, ex vico S. Ioſephi, qui anno proximè ſuperiore Kebeccum deſcenderunt, tantum vel voluptatis, vel fructus ex congreſſu Tereſiolæ veſtræ cepere, vt vtrum plus admirationis*

1. Cor. 1.

ANNVS MDCXLII.

ſibi attulerit, referre ſe poſſe pernegarent, Huronicáne virguncula, quæ Deum vnum, cælum, Tartara prædicaret; an ſanctæ virgines quæ eam inſtituerint, mentémque eius ad cæleſtia conuerterint. Poſteriore autem; *Duo ex noſtris Neophytis ad nos hucrẽdiere, virtutis, ſanctimoniæque documentis quæ iſtic eorum in oculos incurrerunt ſic permoti, præſertim domi veſtræ, vt periucundum ſit audire illos de eo argumento diſputantes, maximè de Tereſiæ laudibus. Tanta eſt eius conſtantia,* aiunt, *tanta eruditio, tanta omnium eius charitas, tantus illius ardor fidei, vt qui neſciat aliunde, credat nemo ipſam ex Huronenſi tractu ortum duxiſſe: vbi redierit, ingenij profectò laude populares omnes ſuos ſuperabit.* Hæc illi, ex ijs quæ vel oculorum aciem inuſitatâ ſpecie perſtrinxerant, vel ad aures acciderant, dum concionabundæ dant operam: quid ſi quę eadem, intrà ſepta Monaſterij cum æqualibus peragebat, contemplari licuiſſet? Certè nihil tàm aſperum, támque arduum à Monialibus vſurpari tùm ipſa tùm æquales videbant, quin ad imitandi ſtudium pariter exardeſcerent. Sed de Tereſiâ infrà, non ſemel.

QVANTVM AVTEM Vrſulinæ in tenerâ infantularum ætate informandâ, tantum circà adultos Hoſpitalariæ laborabant, hoc aſperiùs, quòd tota inſtitutorum huius familiæ ratio circà ægrotantium corpora primò verſatur. Qui Barbari ad ea tempora ægros ſuos nullo miſericordiæ ſenſu, per nemora omni ope, ſolatióque deſtitutos deſerere conſuêrant, & omninò ab ijs refugere, vbi vbi eſſent, earum exemplo permoti, & ipſi conferre operam ſuam diſcunt in populares: feminæ prę ſertim, quæ Monialium charitate captæ, quibus tàm cordi fuerint ignoti homines, vaſtiſſimáque æquorum intercapedine ſeiuncti, vt dulciſſimâ patriâ relictâ, in perpetuum eas ſolitudines adamarint; & ipſæ paulatim ad iuuandos ſuos aggrediuntur, præſto ſunt, cibos quales quales apparant, ſagamitam præſertim, magno Monialium leuamento, magno ſuo ipſarum fructu. Monaſterij ſacellum cunctis pro Oratorio eſt: ibi per curandorum corporum illecebram, mentes quoque, & animi ſedulò inſtituuntur: ibi habentur à Patribus Societatis, Catecheſes ad frequentem concionem confluentibus tùm alijs, tùm conſanguineis, affinibus, amicis ægrotantium: vt non ſine liquidiſſimo ſenſu voluptatis in-

ANNVS MDCXLII.

tuentium, Christi bonus odor ad omnes longè, latéque permanet.

Iroquiorum in captiuos sæua crudelitas.

CVM HÆC TAM præclarè procederent, augeretúrque placidissimè in dies Neophytorum tùm numerus, tùm ardor fidei, si non risum, solidam saltem, sincerámque lætitiam tumultu primùm, mox dolore miscuerunt feri Iroquij. Ac per hyemem quidem profecti erant ducenti, eo consilio, vt & Gallos fatigarent, & opprimerent indigenas. Duas in turmas diuisi, diuersi perrexere, alteri Trifluuium versùs: ad Algonquiniorum Insulam alteri. Priores impressionem nullam tum quidem fecere, quod duorum Præfectorum è præcipuis ijsdem, & fortissimis, mortuis in itinere, molestum euentum malum omen interpretati, aleæ se certaminis committere noluerunt: posteriores, per glaciem, niuésque progressi, deuenere ad Insulam, incolarúmque familias aliquot oppressere, incautos per somnum aggressi; cæsis nonnullis, viuos abduxere quotquot potuerunt. Ex ijs euasere breuî duo, è quibus primò cognitum de clade, longo post interuallo feminæ duæ, ex quibus hæc rescita. Cùm intempestâ nocte irruissent hostes, stratos somno nullo negotio capiunt: interfecti tamen generosiores aliquot, qui ad horrendos illorum clamores expergefacti, ad arma trepidè confugerant: ceteri tùm viri, tùm feminæ, imbecillísque turba infantium, coniecti in vincula. Et quoniam lupos, vel tygrides potiùs dira vrgebat fames, conuiuium illicò apparant, at Polyphemi. Cùm hi aquam attulissent, illi congessissent ligna, ahena alij locant continuò, non bubulâ replenda, aut veruecinâ, sed humanis interemptorum carnibus. Cæsorum corpora secant membratim: tum crura, pedes, brachia, capita, armos nullo discrimine conijciunt in lebetes: quantáque comploratione superstitum captiuorum, tanto immanis naturæ tripudio cuncta elixant coràm. Vbi sat coctæ visæ inhumanæ dapes, accingunt se ad lanienam anthropophagi: vt quidque occurrebat, ita vorant, femora, pectus, penetralia: fuere qui ossa perfringerent, ad medullæ mollitudinem extrahendam: quique ex cranio cerebrum educerent, ante ora coniugum, filiorúmque, tristi lamento feralem prosequentium crudelitatem. Inter hæc cùm diluxisset, dant se itineri truculenti vi-

ANNVS MDCXLII.

ctores, captiuos præ ſe, ceu gregem armentum-ve agentes, inſultantéſque infelicibus: femina, Kichenigskse nomine cùm agmen ſequi nequiret, mortua ſtatim eſt: huius ſortem ſibi quotquot erant, concupiſcerent aliæ, ſi per Baptiſmum regeneratæ eſſent: verùm, nondum initiatas ea torquebat cogitatio; Quid me in perpetuum fiet, ſi hoc ſtatu è viuis exceſſero? Tres erant ex toto numero matres, quæ ſingulæ ſingulos lactabant filiolos, menſium duorum. Vix aliquantulum itineris confectum erat, cùm ab vbere, ab immanibus rapiuntur infantuli, & exemplo diriſſimæ immanitatis, vſurpatæ fortè nunquam, in matrum oculis viui, ſpirantéſque infiguntur verubus, torrentúrque. Vbi ardores ignium perſenſere inſontes victimæ, cum immenſis vagitibus potiùs, quàm clamoribus, oculos quà licebat, retorquebant ad matres, quaſi opem imploraturi: & ruiſſent quidem illæ medios in enſes, confodiendæ cum filiolis, ſi per vincula licuiſſet: ſed cùm manus arcerent funes, pedes Barbari retinerent, ne accedere liceret propiùs; quod reliquum erat, oculi lacrymis tantos cruciatus proſequebantur: lingua in has intrepide ſoluta voces; Occidite, occidite, ſceleſti, ſi tanta vos tenet immanitas, occidite immerentes: nec vos pudet, fera monſtra, eâ crudelitate paſcere oculos? quâ tandem vnquam in re vos hæc ætatula violauit? At nihilo ſeciùs fera portenta poſtquàm vitam denique ademerant lenti ignes, è verubus extractos conijciunt in ahenum nondum coctos ſatis: tum aptè ad ingluuiem elixos, in conſpectu matrum vorant.

His peractis, iter repetunt crudeles victores, eâdem vbique truculentæ importunitatis ſignificatione. Huic vt ſe ſubduceret, diriſſimiſque qui impendebant cruciatibus, infelix è captiuarum numero femina, interſtitium nacta in fluuio, cuius ad ripas procedebat agmen, haud dum concretum glacie, in profluentem ſe præceps per deſperationem deiecit, ac gurgite hauſta eſt: cùm extitiſſet tamen ex vndis ſpirans adhuc, accurrunt Iroquij, non ſeruandæ vitæ ſtudio, ſed mortem longè crudeliorem allaturi: verùm, cùm iam animam ageret, enectæ fuſtibus caluariam detrahunt, auferúntque pro trophæo. Iam vbi ad fines Iroquij ſoli peruentum, iuſſi antecedere iuuenes duo, qui de totius agminis

ANNVS MDCXLII. propinquo aduentu significarent suis. Læto cantu vbique personante, dum alij feralis supplicij instrumenta parant, obuiàm victoribus processere nonnulli, nec viri modò, sed etiam feminæ : hi gratulari victoribus : illæ Indico frumento graues, & aliquo alio commeatu : horum in gratiam saltare de more iussi captiui, tùm viri, tùm feminæ. Postridie peruentum est ad pagum primum regionis : hîc horrendo spectaculo casam ingentem vident captiui, distributis hac illac rogis, sæua incendia minitantem. Conuolarat incredibilis multitudo virorum, mulierum, infantium : hi inconditis vlulatibus aduentantes excipiunt, & scilicet ingredientes tundunt fustibus, tum arctissimè funibus stringunt, ad carpum, acerrimo cum sensu doloris. Incidunt deinde brachia, terga, humeros : digitorum partem amputant, his plurium, illis pauciorum, nec gladiolo sed squamâ piscis cuiusdam, quò lentius tormentum esset, atque adeò doloris vis atrocior. Quæ mulier hæc referebat, ei recisus est, vel contusus potiùs pollex vterque, tum oblatus infelici, suas vt ipsius carnes manderet : recusauit tamen, mortem se quamlibet perpessuram asserens potiùs, quàm fero ludibrio crudeles spectantium oculos pasceret. Secundùm primam illam salutationem (fuere hæc enim tantùm præludia cruciatuum) cibi afferunt quidpiam, quò vires ad perferenda cetera, ne deessent : tum viros canere iubent, saltare feminas nudas prorsùs : vestium enim quidquid erat, per vim detraxere. Erat in captiuorum numero *Adrianus Earimitagæsic*, antequàm ad suos se reciperet, ad Trifluuium baptizatus à Buteuxio, à quo id beneficij enixissimè flagitauerat, id quod euenit vel præsagiens, vel metuens : is cantare iussus, paruit quidem ; verùm Algonquiniorum idiomate nihil, quæ paucula occepit, ex vulgatis Iroquiorum muginationibus deprompsit. Admirati hostes nouum morem, cùm quæsijssent, quidni Algonquinium quiddam modularetur ! Nimirum, inquit, Algonquinij fuere : Algonquinius iam nullus est : quotquot superstumus, Galli sumus. Pupugit ea responsio efferata pectora, nouámque rabiem addidit : itaque Adriano abscissi digiti sic, vt non in latum truncarentur de more, sed exquisitissimo supplicio, in longum diffinderentur. Antequam animam ageret, conspicatus Algonquiniam mulierem ;

rem; *Si vnquam*, inquit, *Gallos reuiſes, hoc ipſis meo nomine ſignificato, me eis ſtudere plurimum, vel in morte egregiéque meminiſſe eorum quæ ſunt ab ijs tradita.* Id volebat ſcilicet homo magni animi, ſe ad extremum vſque ſpiritum perſtiturum in fide, religionéque Chriſtianâ: neque vllâ ſuppliciorum diritate adductum iri, vt quidquam eâ ſanctimoniâ minùs dignum vel proloqueretur, vel faceret: nec fefellit. ANNVS MDCXIII.

POSTRIDIE MANE iubentur captiui ferale pegma conſcendere, excitatum de more, quò illuſtriore loco torquerentur, nullúſque eſſet non adultorum modò, ſed ne puerorum quidem, qui non eâ diritate paſcere poſſet oculos. Tum armati tædis, accedunt vndique propiùs immanes carnifices, vſtulántque femora, lateráque, & ſi quâ parte corporis norant maiorem fore acerbitatem doloris. Ipſi pueruli egregiâ diſciplinâ per pegmatis rimas faces inſinuant, vt ne quo loco conſiſtere captiui ſine cruciatu poſſent. Hîc iubentur feminæ vſtulare viros, neque modò alios; ſed ſuos ipſarum coniuges: verùm abnuere prorsùs. Vna fuit, *Aseſſonipini* cuiuſdam filia, quæ dolorum, & mortis metu, fœdo miniſterio dedit operam: at eâ mercede quam commeruerat, vt acerbiores in eam poſtmodùm deprompti ſint cruciatus. Certè conceſſa vita feminis triginta circiter, nupturis deinde hoſtili in regione: viri necati ad vnum omnes, non vno loco. Ex ijs autem triginta feminis, Chriſtianæ duæ, longè digniſſimæ, ob conſtantiam, quarum nomina proderentur, certiores factæ licet, nihil vltrà ſæuitiei in ſe exercitum iri, totâ tamen hyeme contabuerunt, animis æquè, & corporibus ſauciæ. Ac vulneribus quidem corporum, quæ plurima, grauiáque infeſti quibus erant inciſæ cum viris, mucrones fecerant, medicina nulla adhibita: animos ſuſtentauit benigniſſimus Deus, dedítque innoxiè menſes aliquot exigere in medio prauæ, peruerſæque nationis: dum occaſionem deploratis poſtmodùm obtulit per hoſtes ipſos ſuæ ſaluti conſulendi. Cùm vere inito, expeditionem alteram Iroquij ad trecentos, in Algonquinios ſuſciperent, iuſſæ ſunt ambæ farinam in commeatum geſtare humeris. Paruerunt, nec inuitæ, eo conſilio, vt ſi quà daretur, proriperent ſe ſe in fugâ, per auia illa vaſtiſſimorum nemorum: nec cunctatæ, poſt paucorum dierum iter, noctis intempeſtæ

ANNVS MDCXLII.

silentio, miseris bellatoribus somno oppressis subducunt se se: post, vbi diluxit, latebras captantes quà densiora virgulta erant, Deo vtique duce, omnem inuestigantium diligentiam eluere. Quid enim tandem animi, nisi cæleste afforet auxilium, in illâ rerum omnium destitutione, & periculis vndique imminentibus affuisset? Totos dies decem exegerunt sic, vt nihil omninò cibi viderint: pòst, inciderunt in cæsarum ferarum corpora semesa, quas Iroquij ijdem venando interfecerant, nec absumpserant prorsùs: ita carnium partes non modicas cùm hærentes adhuc ossibus reliquissent, fugitiuæ noctu, elicito igne non ex silice, vt nos vulgò: sed ex ligni cedrini fomite, ijs gentibus perfamiliari, coxerunt; semper pauidæ, cunctáque latè circunspicientes: tum, vbi ista defecerant, fibros aliquot venatrices cepere, ac tandem per duros, diuturnósque labores, quibus ferendis impares fuissent vel viri fortissimi, seminudæ, maciéque, ac squalore confectæ peruenere ad Trifluuium: ibi timore posito illæ quidem, non consternatione, insigni tùm Buteuxij, qui aderat, tùm Christianarum præsertim mulierum gratulatione exceptæ, ærumnarum finem inuenerunt.

P. Isaacus Iogusius ab Iroquijs captus, & crudeliter habitus.

EXITVS SECVNDÆ huius Iroquiorum expeditionis quis fuerit, non sat à Gallico Scriptore traditum: illud addit, de quo nos vberiùs ex manuscripto Commentario illius ipsius cuius potissimùm res agebatur; Isaacum quoque Iogueſium è Societate IESV, Sacerdotem in immanium carnificum manus venisse. Habeo penès me autographum seu Epistolæ, seu narrationis lugubris Historiæ ab ipso exaratum Coloniæ Renfelnrianæ, in Neo-belgio, vt loquitur, pridie Non. Augusti anni proximè consequentis, quo tempore spem omnem abiecerat reuisendæ Galliæ: atque adeò per literas certiorem faciendum putauerat Prouincialem Franciæ nostræ Societatis, cui subserat, de ijs quæ sibi contigissent. Sed à Domino Deo tum quidem ad noua certamina reseruatus, patrios fines ad breue interuallum repetiit, tulítque ipse quam exarauerat Epitomen rerum suarum. Narrat igitur missum se ab Hieronymo Lalemantio, qui socijs apud Hurones agentibus Superior præerat, de rebus illius Ecclesiæ, Kebeccum; soluisse ex portu S. Mariæ, cum Gallis quatuor; Huronibus septendecim, Idid. Iunij

anni huius. Canoæ quatuor erant, aptæ illæ quidem, verùm, cum sarcinis reliquis, quadraginta ipsis locis ex vndis educendæ, gestandæque humeris, antequàm Kebeccum peruenissent, ob Catadupa illa, quæ aliàs memorauimus. Accedebat periculum ab hoste, in horas impendens: nihilque propius anno superiore factum fuerat, quàm vt in truculentissimorum grassatorum manus Brebeufius veniret. Euasere tamen, post ærumnas sanè graues, tandémque die quinto & tricesimo quàm soluerant, Trifluuium tenuere. Rebus deinde quarum causâ venerant, Kebecci compositis, reditum adornarunt ad III. Non. Sextiles: cùm die alterâ quàm profecti erant, sub ipsam auroram humana vestigia conspiciunt impressa in littore, hostiúmne an amicorum, aut fœderatorum essent incerti. Erat in agmine *Eustachius Ahatsistari*, Huro, vir egregiè & Christianus, & fortis, cui reliqui quotquot erant, ob fortitudinis militaris laudem præcipuam, primas facilè tribuebant. Is re sedulò expensâ: Vt vt, inquit, res habet, si hostes sunt, quantum quidem coniectura assequi possum, tres tantùm habent canoas, atque adeò exiguo sunt numero: proinde metuendum credo nihil. Et aptè quidem ille, si res ita habuisset: quid enim trium canoarum vectores, haud plures ferè quàm duodecim, ad quadraginta, quot Huronico in agmine erant, ad tres illos & viginti, septemdecim recens aggregatis? verùm, eum periculosè fefellit opinio: nam vti funestus euentus postmodùm edocuit, & plures illîc erant, & ad ripam fluminis alteram opperiebantur aliæ. Ergo vbi ad insidiarum locum, Huronicum agmen peruenerat, vno, eodémque momento sclopos displodunt, canoásque perforant multis locis, qui Iroquiorum eandem ad ripam in nauigiolis latitabant. Hîc verò Hurones cedere, pauciores pluribus, armatis inermes, atque vt in repentinâ impressione fieri solet, metu omnia infestiora sibi fingente, in vicinum nemus effusâ fugâ se se per amnis crepidinem plerique proripiunt. Erant, vt compertum statim, hostiles canoæ duodecim, bellatores septuaginta, ab armis instructi quæ diximus, hoc est, quisque ferè cum sclopo, haud leui, si rem suis momentis æstimes, probro Batauorum, qui Christiani licet, Ethnicis tamen Barbaris in Christianos, eosdémque fœderatos tela suppeditent:

ANNVS MDCXLII.

ANNVS MDCXLII.

ſed iuſtæ querelæ erit infrà locus aptior. Vt ad rem redeamus, poſtquàm Hurones pauci, qui in canois remanſerant, cum Gallis illis quatuor, repugnauerant, nec ſegniter aliquandiu; ceſſere denique, ex aduersâ ripâ concitato remigio aduolantes nouas canoas intuiti, ſéque item in fugam dederunt, præter pauciſſimos, qui Renatum Goupilium Gallum, Ducem ſecuti, ſtationem deſerere turpe æſtimantes, ab hoſtibus circumuallati ſunt potiùs, quàm capti. Inter illas moras nihil facilius Iogueſio, quàm fugam cum reliquis capeſſere, ſi voluiſſet: verùm, vt latebras quæreret, adduci non potuit, non tàm quia proſpiciebat animo id quod euenit, vt è fugâ alij retraherentur, quàm vt ne deeſſet Huronibus illis partim iam initiatis, partim Catechumenis; ne-ve à Gallo Goupilio diuelleretur, qui ſuâ causâ in periculum veniſſet. Ergo cùm ab incogitanti hoſte, eo ipſo loco vbi commiſſum certamen erat, nullo cuſtode prætermiſſus fuiſſet, accerſere ipſe vltrò vnum ex Iroquiis ijs, quibus captiuorum ſeruandorum cura tradita, ſéque vt pariter caperet, hortari: certum enim ſibi eſſe, quam fortunam alij ſubijſſent, eandem prorſùs experiri. Miratus contrà Barbarus fiduciam tantam, támque inuſitatam, cunctari ex diffidentiâ, moráſque nectere, donec circunſpectis ſtudiosè circà omnibus, acceſſit tandem, Iogueſiúmque volentem ad alios captiuos adiunxit. Fallit hîc verò, inquit vir egregiè & fidelis, & pius, de ſe ipſe memorans, vulgatum adagium; *Miſeris pro ſolatio eſſe habere pares*, hoc eſt ærumnarum, acerbitatúmque ſocios: vt quiſque è fugâ retrahebatur, ita noui doloris ſtimulis lancinabatur generoſus animus, qui Dei famulos, Barbarorum Ethnicorum furori patere cerneret: & quoniam nondum baptizati omnes erant, intereà dum hoſtis prædæ captorum inhiat, ipſe in fratrum ſempiternam ſalutem intentus, ſacrâ vndâ Catechumenos reſpergit mox in cælum euehendos. Nihil autem tulit acerbius, quàm duorum reditum, qui cùm euadere per denſum nemus facilè potuiſſent, committere tamen noluerunt, vt Iogueſio inter Iroquiorum manus verſante, diſcederent: raro exemplo ſanctæ amicitiæ. Alter Huro fuit, Euſtachius ille Ahiatſiſtari, Gallus alter. Guillelmus Coſturæus. Et accedens quidem ad Iogueſium propiùs Ahiatſiſtari; Sanctè, in-

quit, tibi iureiurando confirmaueram, mi frater, fore vt quæ te cunque ſors maneret, illius eſſem particeps, ſeu viuendum diutiùs, ſeu moriendum eſſet: en adſum illud ipsâ re repræſentaturus quod ſpoponderam. Coſturæus autem, adoleſcens non ſolùm forti animo, ſed etiam liberali ſpecie, cùm iam ſibi pedum pernicitate quâ valebat, præclarè conſuluiſſet, hoſtium vtique ſagacitatem, ſi libuiſſet prorſùs eluſurus; vt ſe tamen in illâ ſyluarum vaſtitate circunſpexit, animaduertítque abeſſe Iogueſium; fecit ad fidem Hiſtoriæ, quod de Niſo illo ad aurium delectationem narrat Poëta, vt iter omne relegens, non priùs conquieuerit animo, quàm ad patrem, vt vocabat, ſuum perueniſſet. Qui vtinam aufugiſſet prorſùs! inquit idem: neque enim ego tantum dolorem hauſiſſem ex amiciſſimi adoleſcentis caſu, neque ipſe truculentam Iroquiorum carnificinam pertuliſſet, eius potiſſimùm infeſtam & nomini & capiti, quod vulgatum iam apud eos erat, vnum è ſuis primoribus illius dextrâ in tumultuario illo certamine cecidiſſe: Itaque ab illo fœdam æquè & immanem carnificinam adorſi, ereptâ prorſùs veſte, vngues omnes morſu auulſerunt radicitùs, tum digitos dentibus comminuerunt, enſíſque mucronem latè per mediam dextram adegerunt: quam poſtremi doloris acerbitatem ille non modò tranquillè, ſed etiam hilarè tulit, ex Chriſti IESV patientis recordatione, cui eundem in modum in pedes, manúſque impacti claui eſſent. Vt in conſpectum venit, ſuo ipſius reſperſus cruore, continere ſe Iogueſius non potuit, quin per mediòs hoſtes aduolans, ad Dei ſeruum accurreret, amplexatúſque, eius & ſpem in Deum, & amorem appoſitâ oratione incenderet. Ac mirari quidem primùm Barbari factum inſolens, quo mitigati fera natura debuerat: tum quaſi ſuæ ipſorum ignauiæ pertæſi, pugnis, fuſtibúſque, & clauâ pium Sacerdotem ab amico diuulſum affligunt humi: afflicto vngues item vt Coſturæo, adimunt penè omnes, affixis dentibus: ſupererant intacti indices gemini: hos aduenientes poſtmodùm alij dentibus contriuere.

ANNVS MDCXLII.

VBI PALANTES è fugâ retracti, omnes ad ripam fluminis alteram tranſuecti ſunt: hîc ſecuri hoſtes, partiti inter ſe prædam, haud aſpernandam, ſi gentis tenuitatem ſpectes:

ANNVS MDCXLII. omninò autem magni apud Hurones Gallóſque pretij, quod eâ ſacræ ſupellectilis inſtrumentum multiplex continebatur. Videbat hæc, totíſque præcordiis vrebatur Iogueſius, ſacra à profanis tàm indignum in modum attrectari, diripíque animaduertens: ſed quid faceret? tempus id ſuum, imò fratrum ſuorum ratus, raptim baptizat quotquot nondum abluti erant, reuocatis in memoriam ijs, quæ priùs de myſteriis fidei tradita per otium fuerant. Fuit in ijs octogenarius ſenex, qui iuſſus paulò pòſt canoam cum alijs conſcendere, in hoſticum abducendus; Quò tandem, inquit, pergam, homo id ætatis? conficite hîc, ſi lubet, potiùs capularem ſenem: mihi enim certum eſt hinc pedem non mouere. Cùm perſtaret in ſententiâ immotus, eo ipſo loco trucidatus eſt. Alij impoſiti in cymbulas, ad duo & viginti (quindecim enim dilapſi, cæſi tres in fugâ fuerant) nullo non ærumnarum genere eo in itinere, quod menſem totum tenuit, conflictati ſunt. Ad æſtum, famem, verborum contumelias accedebat acerrimus ſenſus doloris ex vulneribus, vulnerúmque ſanie, nullâ curatione: ſed nullâ re tàm ſe commotum affirmat Iogueſius, quàm cùm fera portenta crudelitatis lentè, & in ſpeciem ſedatè, capillum, barbámque vellere adorſi, vngues inſuper quos acutiſſimos habent, in molliſſimis quibúſque corporis partibus figere inſtiterunt. Etenim ita ferè comparatæ ſunt celſæ mentes, indignitate magis quàm dolore afficiuntur: quoque penitiùs interiorem obtutum in torquentium cogitationes inſinuant, hoc maiorem deprehendentes contemptum, niſi cuſtos intimæ tranquillitatis adſit patientia, nihil eſt procliuius, quàm vt ſtomachentur: ſed quos natura, ſui peramans, motus ciet, hos diuina gratia inhibet in ſuis, tùm aliàs, tùm vel maximè *in tempore opportuno.*

OCTAVO QVAM nauigare ceperant die, in nouum tolerantiæ certamen deſcendendum fuit. Inciderunt videlicet in perfidioſos alios bellatores, ſeu prædones potiùs, qui ad oſtium vſque fluminis Iroquenſis, quà in S. Laurentij amnem influit, progreſſi, à Monte-magnio, vt mox reddemus, Galliſque ceteris cum ſtrage repulſi ſunt. Et quoniam hominibus ex merâ importunitate conflatis ſolenne eſt, ad certamina crudelitate præludere, hoc ſecundiores fore ratis præliorum

exitus, quò sæuitum truculentiùs fuerit; vbi primùm captiui iussi in continentem exscenderant, victoribus popularibus gratulati sunt aduentij illi, lætâ scloporum explosione Solem venerati, quem pro Præside bellorum, prælioríumque colunt: tum è vicino saltu fuste quisque correpto, humeros laterâque prætereuntium captiuorum tundere pro libidine aggressi, egere præ se turmam sanè miserabilem, ad collem propinquum, vbi ferale pegma erexerant. Et quoniam agmen claudebat Iogueſius, consultò eum in locum reseruatus, tàm inhumanè progredientem cecidere, vt antequam ad collem peruenisset, corruerit penè exanimis. Vrgere illi tamen nihilo seciùs, ictúsque ingeminare, donec crudeli misericordiâ, veriti ne si pergerent, planè ibidem occumberet, ferire ad tempus destiterunt, ac in suo sanguine natantem suis ipsi manibus in formidolosum theatrum extulere. At non diu immanis se furor continuit: vbi sat virium suppeditare putauerunt ad nouos cruciatus, ex quibus modò mors non consequeretur (viuum enim omninò ad pagum suum deducere, consilium erat) digitorum, qui intacti superfuerant, exurunt vnum, vnum comminuunt, conteruntque crebro morsu: alios iam antè contritos disruptis neruis immaniter hac illac torquent: hostium vnus ferocior semel atque iterùm accessit, nares abscissurus: sed furentem semel atque iterùm occulta quædam vis repressit: Ac tametsi in Gallos potissimùm incumbere videbatur tetra crudelitas, non tamen propterea Huronibus parcitum: penè eodem modo habitos eos testatur ipse Iogueſius: in Eustachium autem tàm atrociter desæuitum, vt super cetera, postquam pollicem vtrumque resecuerant prorsùs, ac planè ademerant, lentum bacillum pręterea, eundémque præacutum per læuæ vulnus ad cubitum vsque adegerint: quam lanienam fortis athleta incredibili mentis excelsitate pertulit. Postridie Id. Sextiles peruentum est ad pagum primum infestæ regionis: ibi truculenta omnia, & Christi pugilibus horribilia. Succurrebat Iogueſio, quantâ animorum exultatione toto orbe Christiano recoleretur tunc augustissimæ Deiparæ in cælum Assumptæ triumphus (iam enim peruigilij dies inclinabat in vesperum:) ita grates egit summo Deo, quod quâ luce plebs Christiana, pia gaudia vbique agi-

ANNVS MDCXLII.

ANNVS MDCXLII.

taret, ipſe cum ſocijs nonnihil eiuſdem causâ pateretur. Eâ in cogitatione defixus, faciliùs animum confirmauit ad ea perferenda quæ impendebant; præſtolabatur ſiquidem hinc inde proterua, & crudelis iuuentus fuſtibus armata, quà tranſeundum erat: captiui autem ita diſpoſiti ſunt, vt Gallos inter qui antecedebant, Huronéſque qui ſequebantur, ſeſe Iroquij plures medios infuderint, vtroſque remoraturi, ſi fortè curſu ſubducere ſe ſe ocyùs tentaſſent, vel ictuum grandini, vel hoſtium ludibrio. Neque enim minùs ſtudiosè in benè conſtitutis Europæ ciuitatibus pompæ inſtituuntur vel ſacræ, ſupplicationum, vel ciuiles, aduentantium Principum, quàm hæc ſpectacula crudelitatis apud illa propudia humanæ naturæ. In fronte Gallus vnus iuſſus ingredi, nudus prorsùs: proximè ſuccedebat Goupilius: in tertium locum reiectus Ioguesius, cum induſio ille quidem, & femoralibus, quod vtrumque Goupilio item conceſſum: ſed eò infeſtior Iogueſij ſtatio erat, quò ſubſequentium Iroquiorum vicinior. Ità in debilitatos iam, contuſoſque humeros depluere furor cædentium non fuſtibus modò, ſed etiam virgis è ferro longioribus: fuit qui pilam plumbeam pugni magnitudine, aptam ex fune longiori, tàm validè medias in ſcapulas impegerit, vt & in præſens penè corruerit, ac deinceps, vt ipſe mihi deinde narrauit, quoties impenderet imber ex ſudo, toties grauis ex cicatrice dolor exiſteret. Tandem in crudelitatis theatrum producti, nullum non crudelitatis genus pertulērunt, alij aliud: illud commune compluribus, quòd poſt ictus tres fuſte cuique quaſi ex demenſo impactos, cultris armati accedunt hoſtes propiùs, ac temerè pro libidine, vtcumque viſum erat, nunc huius, nunc illius amputant digitos. Et quoniam ex cunctorum obſeruantiâ facilè intelligebant, aliorum quaſi anteſignanum Iogueſium eſſe, ad eum adit ſenex quidam, feminámque quam ſecum ductabat, iubet ſiniſtrum pollicem reſecare. Hæc paucis antè menſibus eorum in manus venerat, Algonquinia genere, fide & religione per ſuſceptum Baptiſmum Chriſtiana: eò fœdum miniſterium auerſabatur vehementius: paruit tamen denique, metu mortis, quam, ni faceret, trux herus intentabat: ita inuita, ac gemens ſiniſtrum illum pollicem, quà manui committebatur, detruncat. Nec

ſibi

ſibi defuit tanto in dolore magnanimus Sacerdos : nam & illud animo & cogitatione reputabat ; Iucundum eſſe, Dei causâ dira perpeti ab ijs quorum tu causâ nihil non perpeti ſis paratus, quóſque tanquàm dilectos filios intimo cordis ſinu complectare : & incredibili quodam exaggeratæ mentis robore, dextrâ reſectum illum pollicem humo tollens, Deo vero, ac viuo obtulit, piaturus quæ negligentiùs, inquit, feciſſet, omiſiſſet-ve toto ſeptennio, auguſtiſſimo ſacrificio peragendo: ſed cùm Huronum aliquis vicinior monuiſſet, ſi eſſet id ab Iroquijs animaduerſum, fore vt eundem illum pollicem crudum, vt erat, mandere cogerent, abiecit illicò. ANNVS MDCXLII.

EO LOCO pernoctarint, nec-ne, non tradit Auctor ille idem, & magnâ ex parte Actor Tragœdiæ : illud addit ; Poſtridie, hoc eſt ipsâ feſtâ luce Aſſumptæ in cælum Genitricis Dei, poſtquàm matutinum tempus exegiſſent, iuſſos pergere ad pagum alterum, duobus milliaribus remotiorem : antequàm autem ex pegmate excenderent, ne quid ad extremam vel inopiam, vel contumeliam deeſſet, ereptum per vim ſibi fuiſſe ab eo cui propriè traditus erat cuſtodiendus, induſium cum femoralibus, ſic, vt planè nudus remanſerit, ſi perbreue ſubligaculum exceperis, quo verenda tegebantur. At is ſe ipſe ægrè hoc ſtatu ferens ; Atqui æquum eſt, mi frater, inquit, vt poſtquam ſarcinas noſtras omnes partiti inter vos eſtis, ſaltem vilem huncce corporis amictum relinquas, neque tibi magnopere vſui futurum, & mihi, vt vides, tàm neceſſarium: quâ oratione tàm miti, támque aptâ delinitus vtcumque Barbarus, non induſium reſtituit, ſed vile inuolucrum ſarcinarum, ex cannabino texto crudiore porrexit: ſed nimirùm iniectum illud humeris iam multâ plagâ fauciis, dolorem magis augebat, quàm æſtus Solis ardentiſſimos arcebat: progrediendum tamen ad alterum illum pagum hoc tàm indecoro, támque deplorato habitu fuit: vt in ſe planè experiretur, quod illi alij apud S. Ieremiam, *Pellis noſtra quaſi clibanus exuſta eſt:* quæ enim cutis partes, humeros, collúmque, & brachia contexerant, à Sole exuſtæ, arefactæque diſſiluerunt prorsùs. Sed nondum poſuerat immanis feritas : vt ad ſecundum illum pagum deuentum eſt, contrà quàm fieri ferè conſueuit, iterùm fuſtuario excepti ſunt tùm Hurones, tùm Galli, nullo diſcri- *Thren. 5.*

ANNVS MDCXLII.

Noui cruciatus in P. Iogueſium ceteróſque captiuos exerciti.

mine : neque modò nullum oblatum leuamentum, tenue quamlibet, ſed etiam nouo cruciatuum generi propoſiti, dies duos, noctes totidem permiſſi ſunt tenerioris ætatis ludibriis, puerorum, puellarúmque : ij certatim in affecta & lacerata membra, prunas, calentémque fauillam ſuperiniecere, hoc moleſtiùs, & ad certum dolorem aptiùs, quod per vincula quibus captiui coërcebantur, vix licebat aut declinatione corporis, aut adhibitâ manu depellere ardores. Accedebat inedia, quæ toleranda ſic fuit, vt cùm ibidem dies duos, noctes totidem exegerint, nihil prorsùs viderint neque cibi, neque potionis. Pergendum tamen nihilo ſeciùs fuit ad pagum tertium : ibi obiectum aliquid frugis Indicæ, at in culmo, ſolamen planè exiguum, niſi aliud opportunum imprimis objectum fuiſſet, inquit Ioqueſius ſemper attentus ad rem ſuam, hoc eſt ad ſalutem animarum : cùm enim eundem in pagum eo ipſo tempore adducti Hurones aliunde quatuor, item captiui eſſent, ex ijs duos, quantum ratio temporis, locíque ferebat, de Deo, Chriſtóque, & præcipuis fidei myſterijs inſtitutos, tingit ad Baptiſmum, paucis aquæ roris-ve guttulis, quæ ex imbre paulò antè effuſo foliis eiuſdem frugis Indicæ grandioribus inſederant : alteris duobus cùm in pagum alium pariter omnes agerentur, ex riuulo præterfluente hauſtâ lymphâ, ſummum regenerationis beneficium impertiuit. Eo quarto in pago cùm animaduertiſſet incolarum quidam, Coſturæi digitos, manus vtriuſque intactos, illibatóſque adhuc permanſiſſe, accedit cum ſtomacho, dextræque indicem auellit, hoc acerbiore doloris ſenſu, quod non cultrum ferrum-ve ad carnificinam, ſed conchilij cuiuſdam, quo abundant, teſtulam adhibuit, quæ cùm neruos incidere minùs poſſet ; quippe & duriores & lubricos ; ipſe manu, quantâ maximâ vi potuit, diſtupit omnes : hinc brachium fœdè intumuit. Secundùm hæc, in caſam inducti vbi opperiebatur iuuentus, canere de more captiui iuſſi ſunt : & paruere tùm Hurones, tùm Galli : verùm hi poſteriores, præcentore Iogueſio, cantauere Cantica Domini, hoc eſt Pſalmos Dauidicos : tum, ventum ad nouos cruciatus : ij in Renatum Goupilium præſertim exerciti, cui aduſtum à procacibus iuuenibus pectus. Aberat fortè Coſturæus, ab aliquo, eius vicem etiam in illâ barbarie miſera-

to, biduum habitus domi, nòn ſine grauì Iogueſii ſolicitudine, quid chariſſimo filio factum eſſet, ignari. Verùm, ità eius mentem aliorum & ærumnæ & diſcrimina torquebant, vt non interim à tormento vacaret ipſe: ſublimem colligant præduris quibuſdam corticibus, quos lenteſcentes, in funes detexere ſolent: & quoniam ad eum modum habere vulgò conſueuerunt eos, quos ignibus deſtinant, tum demùm putauit ſe breuî crematum iri. Hîc verò, inquit, vt agnoſcerem ipſe luce meridianâ clariùs, ſi quid hactenùs generosè, fortitérque tuleram, non mihi, ſed diuinæ gratiæ eſſe acceptum referendum; quaſi mihi relictus, ad ſenſum doloris ingemui, rogauíque feros tortores, tantulum vt de eâ vinculorum aſperitate remitterent. Sed nimirùm homines feri, ac truculenti quò apprecabatur magis, eò vehementiùs adſtringebant funes: ità intellexit, qui ſe Deo ſemel obtulerit, eum ſe ſuauiſſimæ eius Prouidentiæ, totum permittere debere: illud ininterim animo, & cogitatione reuoluebat, quantum tandem IESV Chriſto deberet, ob grauiſſimos illos dolores, quos ſuâ mortaliúmque ceterorum causâ appetiiſſet tùm vbique paſſim, dum paſſus eſt, tùm extremo illo horarum trium interuallo, quo è Cruce pendentis corpus, non aptum è funibus; ſed ferro coërcitum, totum in clauos illos duos incubuit, qui affixi pedibus erant, aut certè in illum vnicum, qui pedem vtrumque continuit. Certè ea fuit doloris in Ioqueſio atrocitas, vt cùm non plus quartâ horæ parte infeſtus ille corporis habitus tenuiſſet, linquente tantumnon animo, deponendus fuerit, ne, quod nolebant, exanimaretur prorsùs, & occumberet: neque enim tàm captiuos necare velle videntur monſtra immania, quàm torquere. Moniti ſunt tamen captiui, poſt ſeptiduum quàm ſpectaculum ſanctis Angelis illuſtre, feris hominibus ludicrum eſſe ceperant, adeſſe demùm tempus, quo lentis ignibus eſſent exurendi: quæ denunciatio vt horribile aliquid habuerit initio expaueſcenti naturæ, tamen non Gallorum tantùm, ſed Huronum etiam mentes ſereniore quâdam perfudit lætitiâ, dum commemorante Iogueſio, multò autem magis Domino Deo per ſe fidelia pectora illuſtrante, ſecum reputabant attenti, tum demùm poſitum modum iri tot, tàm grauibus, tàm multiplicibus ærumnis; inſtare autem perennis

ANNVS MDCXLII.

felicitatis initium. Sed omnium quidem promptiſſimum animum ad diriſſima quæque probauit Dominus Deus: non item cunctos per ignes ad ſe accerſere voluit: cùm res ab Iroquijs de more vocata in deliberationem eſſet, nihil temerè in Gallos ſtatuendum videri pronunciatum: ne Hurones quidem omnes cremandos: delecti tres, fortunati vtique, ſi exitum ſpectes, qui barbaricè exurerentur, Euſtachius ille Ahatſiſtari, Paulus, Stephanus: horum poſteriorum gentile nomen Iogueſius haud prodidit. Ergo quoniam aliorum alia deinceps futura erat conditio, alios ab alijs diuellunt, varia in loca abducendos. In digreſſu cùm tempeſtiua monita cunctis inculcaſſet Iogueſius, illud præſertim quod iterabat ſæpiſſime; vt *recogitarent eum qui talem à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem ſuſtinuiſſet*; Euſtachium, cui debebat, extremâ peccatorum abſolutione impertit mœrens, cùm id ipſe ſublatis in cœlum oculis ex condicto, vehementer expetere ſe ſe ſignificaret. Semper vir celſiſſimi animi idem, optimæque naturæ, Iogueſio, toto illo tàm formidoloſo tempore ſtuduerat, ſemper omnes illius nutus ceu parentis in Chriſto, obſeruauerat ſedulò; & quod perrarum in amicitiâ, quoties ad nouum cruciatum depoſcebatur Iogueſius, ſeu vngues euellendi, ſeu excipiendum fuſtuarium, ſeu quid aliud eius generis pararetur; aderat continuò Euſtachius, rogabátque, dimiſſo vt Iogueſio, in ſe potiùs iſta conuerterent. Et mercedem Prophetæ accepit, ex veritatis pollicitatione, ad extremúmque de barbarâ Iroquiorum crudelitate triumphans, per incendium, lentum illud quidem; ſed paucarum tamen horarum, ad cœleſtis regiæ amœna tranſlatus eſt. Ex eorum numero fuiſſe videri poteſt, quos ad ſui notitiam, amorémque Deus ipſe per ſe vel trahit, vel allicit. Nam antequàm inſtitutorem vllum vidiſſet, atque adeò antequàm Patres Societatis IESV eas in oras penetraſſent, cùm ſe vir bellator ab adoleſcentiâ, animaduerteret, multis ex diſcriminibus euaſiſſe, in quibus æquales ſui perijſſent, ita reputabat, atque adeò agnoſcebat, non ſe ſuâ induſtriâ, ſuis-ve viribus effugiſſe, ſed potentioris cuiuſdam Genij præſidijs; ac tametſi in ſomnia ſua referre vulgò Hurones ſolent ſecundorum euentuum cauſas, & originem: tamen ea ipſe tanquàm vana, atque

Hebr. 12.

futilia neglexerat. Cùm autem nihil tum quidem videret præterea, vbi primùm de Deo rerum omnium procreatore, ac rectore, déque Chriſto Seruatore mortalium diſputantes Patres audiuit; facilè ſibi perſuaſit illum ipſum eſſe, cui accepta referre deberet, quæcunque ſibi vnquam fauſta, feliciáque contigiſſent, conſtituítque eum deinceps totâ ætate venerari. Ergo cùm ad bella pergeret, aut in iſdem iam verſaretur, quotidie manè & veſperi, ſéque, réſque ſuas benigniſſimo eius Numini ſedulus commendare, cum ingenti rei benè gerendæ fiduciâ. Et verò propè incredibile, quæ bellica facinora ediderit compluries, ante annum quidem circiter, cùm Hurones ductaret non plures quinquaginta, Iroquios trecentos fudit, fugauítque: æſtate autem proximè ſuperiori, cùm lacum eum traijceret ſanè ingentem, qui Huronum fines ab Iroquiorum finibus dirimit, animaduerſo plures hoſtiles canoas maiores vulgaribus rectà ad ſe, quantâ maximâ poterant remorum contentione ferri, trepidantes ſocios, déque fugâ cogitantes ſic continuit, vt non modò non fugiendum eſſe dixerit, ſed etiam hoſtes aggrediendos. Nec cunctatus, vbi ad primam, quæ occurrit, canoam aduenerat, in eam ſaltu ſe librat, & ſolus & inermis: raptâ ſecuri vnius caput diffindit, duos precipites iacit in profluentem, tum ſe ipſe itidem in amnem demittit: alteráque natans manu, alterâ quotquot hoſtium occurrêre, ſeu obuij, ſeu circunſtantes, cædit, mactátque: tanto ceterorum terrore, vt fugam cuncti capeſſiuerint: ipſe cùm canoam denuò ſuam conſcendiſſet, duos illos quos in flumen deiecerat, viuos capit, abducítque. Has tantas laudes obterebat inſana quædam pertinacia in retinendis patriis aliquot ſuperſtitionibus: ad eas cùm tanquàm polypus ad ſaxa adhæreſceret, nimirùm haud idoneus erat, qui ad Baptiſmum, quem totis tribus annis flagitarat, admitteretur. Tandem, quaſi id quod impendebat præſagiens, poſtquàm ſuperiori hyeme, ſtudioſiori quadam aſſiduitate inſtituenti Catechiſtæ operam dederat, ad Paſchales ferias, ad Reſidentiam S. Mariæ pergit, &, *ſi quàm perſpicuè ſummus vitæ noſtræ arbiter contuetur, quid in vniuſcuiuſque hominum pectore abditum lateat, tàm vos intimè*, Patres compellans, inquit, *perſpiceretis, quas fides radices hac in mente egerit, nè, in Chriſtianorum conſortium iam*

ANNVS MDCXLII.

ANNVS MDCXLII.

me adlegiſſetis, neque ad bellum primo quoque tempore profecturum angeret ſempiternorum cruciatuum formido. Baptiſmum mihi ipſe conferre nequeo: quod poſſum, illud minimè fucatè facio, vt id beneficij me vehementiùs expetere ſignificem. Quòd ſi poſt conteſtatam tamdiu rei tàm expetendæ cupidinem exuretur, hæc anima apud Tartarum, an non penès vos culpa ea reſidebit? Quanquàm ſpero meliora de ſummo illo Deo quem prædicatis, cuiúſque in cognitionem veni: fortè illum mei capiet miſericordia: etenim illud continenter inculcatis, vos ab eo infinities humanitate, clementiáque ſuperari. Fregit ea oratio Patres: neque enim quidquam animaduertebant, vnde differri diutiùs eius Baptiſmus poſſet, vel deberet: poſtquam eodem animi candore profitebatur, ſe nuncium planè remittere inſanis illis ſuperſtitionibus. Ità ſolenni ritu ſacro lauacro regeneratus eſt, ipſo peruigilio Dominicæ Reſurrectionis, ſummâ ſuâ lætitiâ, ſummâ Neophytorum omnium gratulatione. Vir ex eorum ſcilicet numero, qui, *Conſummati in breui, tempora multa expleuerunt*: vix enim menſes ſex deinceps in viuis ſuperfuit; ſed qui annis aliorum plurimis æquiparari queant, ita omnem Chriſtiani officij abſolutionem ſequebatur: dignus viſus Deo qui tàm honeſtâ in causâ vitam tàm conſtanter poneret. Vt ad inſtitutum reuertamur. Galli reducti ſunt in citimum pagum eum, in quo conſtitutum domicilium habebant perfidioſi illi, à quibus facta primùm impreſſio in præternauigantes erat. Omninò non abs re prædicant æqui rerum, quæ ad ſempiternæ ſalutis rationem pertinent, æſtimatores; In diuturnâ exagitatione plus ineſſe periculi, quàm in genere leti atrociſſimo quolibet, quod modò perbreui tempore definiatur; fit enim neſcio quomodo, vt immemor ſui ad exiguum illud interuallum animus, vires colligat, afflante Deo, qui nunquam non ſuis tàm formidoloſo loco adeſt: in morosâ autem illâ incertorum expectatione euentuum labaſcit plerunque mens, vndique concuſſa, & ſcilicet ſemper diriora metuens: angunt præſentia, futura perturbant: erumpit identidem molliùs naturæ imbecillitas: &, quod omnium moleſtiſſimum, abdere ſe Deus videtur, vel abeſſe potius: hinc illæ lacrimæ, querelæque non hominum modò vulgaris virtutis; ſed eorum etiam quos ſimiles ipſe fecit in gloriâ Sanctorum, qui ſanctos facit idem, & muneratur. Mos eſt non Iroquiorum modò,

ſed etiam finitimorum longè, latéque populorum, vt quorum captiuorum vitæ parcitur, ij in aliquam adſcribantur familiam, vicem locúmque ſuppleturi alicuius, qui ex eâdem familiâ in bello occubuerit : ibi duriùs humaniús-ve habetur, prout fert eorum, quibus addicitur natura, vel voluntas. Dum ex eo inſtituto agitatur, cui potiſſimùm Iogueſius, ſociique cederent, intereà peregrini, captiuíque incerti laris, ſeminoces, ſine cibo tot iam exactis lucibus, poſt tàm multiplices cruciatus, támque diuturnos, inuiſi omnibus; ſi non animis, corporibus certè fatiſcebant, cùm edulij nihil ſuppeteret, præter frugem illam Indicam attritam vtcumque duos inter ſilices; & cucurbitas quaſdam præcoces, cibi genus ſanè inſulſum. Itaque cùm animaduerterent Barbari vtrumque ſenſim tabeſcere, conquiſitos pago toto piſciculos, carniúmque ad fumum Solem-ve ſiccatarum fruſtula redacta in puluiſculos, polentæ admiſcent : eo fomento vires vtcumque reparatæ.

SED ECCE TIBI nouum diſcrimen : poſt dies circiter viginti, quàm captiui in Iroquiorum fines peruenerant, adſunt bellatores illi, quos ad oſtium vſque Iroquenſis amnis progreſſos vidimus, & ſcilicet re malè geſtâ. Quippe cùm Galli certatim, ſpectante Monte-magnio, qui eius rei causâ illò conſcenderat, operam nouæ Arci darent, quam de Armandi Cardinalis nomine, Richelæam appellari placuerat, rati Barri ſe longè numero ſuperiores, & cœptam molem diſijcere, & Gallos incogitantes, diuerſíſque in partibus operis occupatos opprimere poſſe; tripertito agmine per denſa nemorum vno eodémque momento irruunt diuerſi : ac niſi præſtò fuiſſet Monte-magnius; operas, quotquot erant, cecidiſſent vtique. Sed cùm is ex ſuo myoparone irrumpentes cerneret, in ſcapham videlicet deſiluit continuò, & quâ maximâ curare potuit, remorum contentione, ad Arcem aduolat. Iámque Barbarorum aliquot ſe ſe infuderant, intráque ſepta graſſabantur, cùm is qui excubitoribus præerat, Rochetus Gallus, cum aliquot manipularibus adeſt, depellítque obuios : Iroquius Præfectus quidam & corporis proceritate conſpicuus, & ornatu capitis ex ſetâ ceruinâ purpureo infectâ colore, extante altiùs, dum audaciùs ſe ſe infert, glande plumbeâ exanimis ſternitur : occubuere alij prætereà duo, plerique vulnerati.

ANNVS MDCXLII. Ergo eâ clade efferati magis quàm attriti, cùm ad eum pagum peruenissent, in quo Galli habebantur; fremere videlicet indignum esse, vt postquàm tàm non molliter sui à Gallis habiti essent, Gallis apud se tutis & quietis liceret esse: acceptam iniuriam (latronum enim more iniuriam accepisse se querebantur, qui intulerant) horum captiuorum cruore expiandam esse: dederentur itaque sibi, neque intùs in animo diutiùs homines ignoti indignam Iroquiorum necem riderent. Contrà, sub idem tempus, illustri sanè documento diuinæ Prouidentiæ in suos, cùm accepissent Batani, qui in coloniâ agebant, leucas tantùm tres & viginti dissitâ ab eo pago, Gallos aliquot ab Iroquijs, si non in vinculis, in asperâ sanè custodiâ haberi; legant vnum è suis, magnæ auctoritatis hominem, cum alijs duobus, qui de ijs liberandis ageret. Humanè illi quidem, qui socios, fœderatósque ab feris, atque immanibus vexari tàm atrociter, ferre nequirent: verùm, quàm ad dignitatem aptiùs, abstinerent omninò ab armis submin:strandis crudelissimæ genti, quæ deinde identidem rabiem exerit in eos ipsos, quibuscum in Europâ Batani ijdem coniunctissimè viuunt! Erit fortè cùm se respiciant, desinántque suis præsidijs oppugnare socios immerentes, magnâ vtique mercede rectè facti conscientiâ, si nullæ præterea sperari vtilitates possent. Vt vt id erit, tum quidem perofficiosè illi quos dico, se se aduersùs nostros adhibuerunt: oblato etiam pretio in vtrumque. Ad hæc ita Iroquij responderunt, sanè vafrè; Nihil esse quod non amicis, sociísque Batauis conceſſum, quod quidem penes se esset, vellent: verùm, integrum sibi non esse de Gallis sic paciſci, quandoquidem de consilij sententiâ breui restituendi forent Gallis suis. Et quidem eam fuisse nonnullorum sententiam, ex eo deinde patuit; quod sub eruntem Septembrem designati fuisse dicuntur, qui captiuos ad Monte magnium reducerent, parato etiam in iter commeatu: sed vt nihil tum Batani, ita nihil pòst effecere ij, quorum & mentes, & suffragia ad pacem, concordiámque cum Gallis incumbebant. Vicit temeritas, crudelitásque plurium, negantium se vnquam passuros vt Galli captiui euaderent. Ita in nouas ærumnas, tanquam in fluctus reuoluti, incertíque quò hæc demùm euasura esset iactatio, haud abs re funesta omnia

omnia metuebant. Et Coſturæus quidem in pagum remotiorem ſub id tempus abductus eſt, Renatus Goupilius à Iogueſio breuî, crudeli nece diuulſus. Poſtquam de ſuo reditu conclamatum eſſe intellexerant, ſeceſſere ambo ad orandum liberiùs, in collem qui pago imminet: eo loco, clàm arbitris, procul à moleſtis interpellatoribus, totos ſe denuò Domino Deo vel dicant, vel permittunt, quidquid de ſe ſtatueret, ad extremum vſque ſpiritum conſtanter duraturi. Dum redeunt, recitántque alterni ſanctæ Deiparæ Roſarium, obuios habent iuuenes duos, à quibus in pagum ſe recipere iubentur. Hîc ad Goupilium conuerſus Ioqueſius; Neſcimus, inquit, mi frater, quorſum iſta pertineat denunciatio: in hac quidem rerum perturbatione, quotidianiſque tumultibus, ſuſpecta nobis eſſe cuncta debent. Proinde nos Deo, ſanctiſſimæque Dei Matri impenſiùs commendemus cenſeo: nihil tali præſidio fretis pertimeſcendum. Et vix ad pagum peruenerant, cùm ſicariorum duorum alter, eductam quam adhuc veſte abditam habuerat ſecurim, tanto impetu in Renati caput librat, vt is ſemianimis corruerit, ſanctiſſimum IESV nomen inclamans aſſiduè. Hoc tàm triſti ſpectaculo non tàm territus, quàm quid ſuarum partium eſſet, commonefactus Iogueſius, illicò procumbit in genua, ictúmque ſimilem, quem opperiebatur, maioris vt in Deum obſeruantiæ ſignificatione exciperet, pileolum extrahit, quò nulla non in re decorum ſeruaret. At eum tum quidem ſua fefellit vel ſpes, vel opinio: vbi aliquandiu eo corporis animíque habitu mortem præſtolatus fuerat, iubetur à ſicarijs ſurgere: neque enim facultatem habere ſe interimendi illius, quippe cùm alteri familiæ mancipatus eſſet. Ergo ſui penè immemor, memor chariſſimi ſodalis, vel fratris potiùs, ſuo natantis in ſanguine, aduolat ad eum ocyus, peccatorúmque abſolutionem, quâ altero ferè quoque die candidiſſimam illam mentem vel expurgarat, vel decorauerat toto eo formidoloſo tempore, in illo extremo vitæ actu ſolicitus adhibet. Secundùm eam, cùm palpitaret adhuc, ictus duos truculenti ſicarij ingeminant: hi Renatum Beatorum numero, inquit Iogueſius, adiunxerunt. Nimirum, ea fuit perſuaſio amici Sacerdotis, quid in integerrimâ illâ animâ lateret, apprimè conſcij. Exegerat Gou-

ANNVS MDCXIII.

Renati Goupilij mors crudelis.

ANNVS MDCXLII.

pilius menſes aliquot in tyrocinio Societatis, Rhotomagi, eductus hinc à Præpoſitis fuerat in Nouam Franciam, at laico veſtitu, quò commodiùs in egentium Neophytorum gratiam factitare artem ſuam poſſet, Chiturgicen, cuius erat in paucis & ſciens, & experiens. Vir candidâ ſimplicitate, vitæ innocentiâ, patientiâ in aduerſis rebus, inclytus, diuinæque voluntatis imprimis obſeruans. Martyr vocari poſſit, necne, non eſt noſtrum ſtatuere: illud, de causâ necis à Barbaris intentatæ, Iogueſius idem prodit; Cùm perdiu quotidie orationi daret operam, homines ſuæ ſibi malignitatis conſcios, ſuſpicatos, ſubeſſe iſto in ſeceſſu nonnihil, prauámque, & ſtolidam opinionem confirmatam ex eo eſſe, quòd cùm aliquando pio ſtudio, vt apud Chriſtianos fit paſſim, puerum, filium vnius eorum quorum in casâ captiuus verſabatur, detracto pileolo ad maiorem reuerentiam, ſalutari Crucis ſigno à fronte ad pectus deductâ dextrâ conſignaſſet, id conſpicatum ſenem quendam, cùm in ſuſpicionem occulti maleficij factum traxiſſet, nepotum cuidam ſuorum impetaſſe, Gallum vt eum tolleret de medio. Obijt anno ætatis quinto & triceſimo, III. Cal. Octobris: vt quo die beatos Angelos Eccleſia feſtâ cerimoniâ veneratur, eo vir Angelicæ in terris vitæ perſtudioſus, ad Angelorum conſortium, conſuetudinémque familiarem euolaret.

Eiuſdem virtutes.

Neophytorum in fide conſtantia.

IOGVESIVS quàm varijs deinceps, ſuper priores illos, caſibus iactatus fuerit, reddemus anno proximo: nunc, Hurones ne prætereamus, quæ Kebecci anno ſuperiore fortiter Carolus Thondarſaa ſpoponderat, ea prolixè dein apud populares ſuos repræſentauit, nec factis minùs, quàm dictis. Vbi primùm patrios lares attigit, concionem, inſtructo de more conuiuio aduocat, ſupérque epulas orationem hanc habet. *Habetis hîc*, inquit, *fratres mei, hominem, ex quo vos viderat, Chriſtiana ſacra complexum: at ita complexum, vt certum, conſtitutúmque ei ſit, millies potiùs mortem oppetere, quàm à fide diſcedere. Nam cum ſupremo vitæ noſtræ rerúmque omnium auctori ſacramento dixerim, non iniquum modò eſſet, ſed etiam impium, tetro dæmoni quoquo modo obſequi, aut vllius planè rei, quæ ab eo proficiſcatur, rationem vllam ducere. Proinde nemo vnquam veſtrûm, aut omnino quiſquam adduci ſe ſinat, vt me ad rem vllam*

incitet, quæ ſit cum peccato coniuncta, niſi ſe à me reiici velit: id verò dico, vt & ego hac moleſtiâ, & vos hoc labore careatis. Itaque accipite breuem orationem meam: opes hæ qualeſcunque, animus, vita ipſa veſtra eſt, dum nihil à me flagitetis, quod Deum oppugnet: eam ſectam qui ſequi volet, huius me, haud peritiſſimus licèt, magiſtrum profiteor. Nec me latet id moleſtum vobis accidere, quod à me, deſerimini, tantâ prius neceſſitudine vobis iuncto: ne diuortium id fiat, prouidere vobis integrum eſt: deſerite patrias, auitáſque ſuperſtitiones: iis ego antehac non minus adhæreſcebam, quàm vos ipſi: ſi ducem ſequi non piget, nulla tanta vnquam inter nos extitit animorum, ſtudiorúmque coniunctio, quanta poſthac futura eſt. Ad hæc quid reſponderint conuiuæ, Auctor non prodidit: illud adiungit, cùm eâdem ipſâ hyeme coryphæus quidam impietatis, Magus, teterrimi dæmonis, cui ſe infelix manciparat, ope fultus, ſanandam ægrotam feminam ſuſcepiſſet, nec ineptæ choreæ, aliæ-ve ſuperſtitiones quidquam prodeſſent, cauſatum impium idcirco minùs artem ſuam valere, quod à feſtâ cerimoniâ ſubducerent ſe ſe Chriſtiani. Perficiendum itaque prorsùs, vt adeſſent tùm alij, tùm Thondarſaa imprimis: is ſi ſe adiunxiſſet, vocémque ſuam ſociaſſet, rem vtique ex animi ſententiâ proceſſuram. Præuiderat fortè veterator id quod euênit, fore vt nullis precibus, nullâ cuiuſquàm oratione id ſibi Carolus perſuaderi pateretur, atque adeò habiturum ſe ſe vnde & ſuam, & perditi dæmonis vel fraudem, vel imbecillitatem tegeret, ità nullum non lapidem mouit, vt is accerſeretur. Re in conſilio agitatâ, decretum, ad omnes omninò Chriſtianos eodem vt tempore adiretur: ad Carolum autem, quippe difficiliorem expugnatu, legantur Præfecti tres è præcipuis. Eos vt caſam ſuam ſubeuntes conſpexit vir egregiè fidelis, conuerſus ad Deum, Ades roganti, inquit, Domine Deus, & quemadmodum hîc adhibere me debeam, commonſtrato; Quid iſti velint, neſcio; illud tamen ſuſpicor, quando toto pago feruet Auernalis cerimonia, nihil boni, nihil commodi ab ijs afferri. Tum egregiè diſſimulans; *Saluete*, inquit, *fratres mei: quando eo me honore dignati eſtis, vt veniretis ad me, meum eſt alloquio, & confabulatione diſtinere vos tantiſper. Quid de vobis nuper animo & cogitatione voluerem, expoſam oportet: ego ſortem veſtram miſeror*

ANNVS MDCXLII.

ANNVS MDCXLII.

ex animo, qui ei domino ſeruiatis, pareatiſque, quo nullus turpior eſſe poteſt. Nec vos pudet veſtrâ quotidie voce abuti ad eius iuſſa promulganda? neque enim vos quidquam hîc à vobis affertis: ab illo cuncta proficiſcuntur. Quin iugum excutitis ſimul omnes? tùm demùm Præfectorum nomen optimo iure obtinebitis, dum vni Deo, rerum omnium procreatori, ac parenti morem gerendo, communem patriam beatiſſimam efficietis. Et verò quid tandem æquius, quàm vt obtemperemus ei, cui quidquid ſumus, acceptum referre debemus: quid indignius, quàm vt eximius ille cultus, ſupremúſque, qui ſummo ipſi Numini infinitis nominibus reſeruandus eſt, transferatur in indigniſſimum prædonem, hoc eſt in rebellem, apoſtatámque nebulonem, qui cælo primùm nefarium bellum indixit, poſt mortalibus ſempiternum moliri exitium nunquam adhuc deſijt, nunquam & deinceps deſiturus! Mihi ſi quidquam creditis, eum habete pro merito, hoc eſt forti, conſtantíque deſpicientiâ, ineptas, prauáſque ſuperſtitiones ab eo & inuectas, & propagatas deſerite; fidem, atque vnà cum fide legitimum Domini Dei, veſtri parentis, conſeruatoris, muneratoris, cultum atque obſequium magno animo complectimini. Is neque in terris commorantibus deerit, & in cælum olim tranſlatos immenſis vel opibus, vel delitijs cumulabit. Cùm ſermonem in longum conſultò extraheret Euſtachius, neque finem dicendi faceret, quà ſe præclari Oratores inſinuarent, non habebant, dum eorum vnus moræ impatientior; Non ego, inquit, huc acceſſi aut ſolus, aut priuatâ voluntate, mi frater: legati à te ſumus communi decreto Conſilij, de re ſanè magni momenti: ſed hiſcere vix audeo. Noli putare me proloqui, hæc quæ vides, circumpoſita tuguria loquuntur potiùs. Infelicem illam mulierem vidiſti extremo morbo conflictantem! viribus defecta, vocéque, hæc tantùm pauca verbula intermortuis ſuſpirijs interrupta ingeminat! Thondarſaa, capiat te mei miſeratio. Biduum eſt ex quo in eius gratiam pagus totus elaborat: ac nulla ſatis remedia animam agentem iuuant, niſi vox tua acceſſerit. Qui eam curandam ſuſcepit, auet magnopere, tu vt toti curationi præſis: noli id negare communi nomine poſcentibus, ad vnam ſaltem diem. At Carolus immotus animo; Noſtis ipſi, inquit, me fidem eſſe complexum: quàm pernitioſo exemplo peccarem! quàm grauem offenſionem crearem ijs, qui propediem ipſi quoque per Baptiſmum

in Christiana sacra transituri sunt! Dum bellatum ibimus, nullum planè periculum subterfugiam, vbi de peccato agitur, semper illud, quidquid ingruet, declinabo. At non est id mali genus tale, inſit ex ijs vnus, desertor fidei, vt non suppetat remedium: venimus proximè à pullatis illis, qui te instituunt: aiunt nolle se quidem hortatores accedere ad id implorandum, quod tàm enixè à te flagitamus; verùm, illud addunt, cras se eam tuam noxam eluturos. Agesis, ergo, ne reformida tantopere culpam leuiusculam, quæ vbi primùm confessionem institueris, euanuerit. Sed non erat is Carolus, qui ab hoste consilium caperet, aut tàm leuiter crederet mentienti apostatæ, non modò non cessit ipse, sed etiam continuit Neophytos alios omnes, sic vt casa nulla fuerit, vbi non fides de Præfectorum impietate triumpharet. *Vel ipse Mathias Arieſſa*, vir maioris virtutis, quàm auctoritatis apud suos, omnium peripsema, fregit tamen Præfecti cuiusdam furentem audaciam. Vbi post longam acrémque concertationem abeo extorquere Præfectus non potuerat, vt sacrilegæ cerimoniæ interesset, tandem stomachans; Desine, inquit, nouam hanc sectam profiteri. Atqui sic habeto, inſit Mathias, méque húncque filium meum emorituros potiùs. Nam quâ largitione isti pullati te dementant, inſit Præfectus? Cæli gaudijs. Te verò arrogantem magnopere, in extremâ hac egestate! donaret te saltem vesticulâ, vnde seminudum corpus contegeres. In illâ cælorum regiâ, suscipit Mathias, omni opulentiâ circunfluam: verùm, vt video, illud te demùm à suscipiendâ fide retardat, quod nullam de æternitate cogitationem suscipis, totus rerum præsentium curâ depressus, demersúsque: (id additum à forti Neophyto, quòd Præfectus is aliàs Christiana se sacra complecti velle significauerat.) Nec viri modò, sed etiam feminæ, gens à naturâ imbellis, constantiam suam in fide, ínque Dei famulatu egregiè probauerunt. Consultus Magus, omnium quotquot totâ regione erant, celeberrimus, quid tandem de semente anni superioris sperandum esset? respondit, si quas fruges colligere stato tempore vellent, duo planè obseruanda esse: alterum vt quisque quotidie suo in agro nicotiæ aliquantum flammis traderet, exurerétque, dæmonem suum venerans: alterum, vt ne quis cannabem

ANNVS MDCXLII.

lectum iret (sic vocitant plantæ cuiusdam siluestris genus, vnde fila in retia æstate detexunt) id vtrumque nisi serò obseruaretur, messem nullam fore. Vix egregium oraculum effuderat vates, cùm toto pago promulgatur, iubentúrque cuncti & nicotiam in agro quisque suo adolere, & ab legendâ cannabe abstinere. Sed nimirum illud tenuere Christiani, quod à sanctis Apostolis didicerant; Aequius esse Deo morem gerere, quàm hominibus: prius illud peregit Christianorum nemo: feminæ duæ, sorores, cùm pridie communi consilio statuissent ad cannabem pergere, indignum ratæ Satanæ interpreti aut cedere, aut omninò acquiescere, vadunt intrepidæ quò ferebat mens, eodémque die cannabe onustæ redeunt in infidelium oculis. Hîc verò tumultuari insani, expostulare apud Præfectos, germanam vtramque accusare non modò neglecti imperij, sed etiam, quod longè formidolosius esset, vastitatis, quam toti regioni allaturæ ex annonæ consecuturâ caritate essent. Sed nimirum ex consideratis Religionis officijs detrimenti nihil, magnæ fere opportunitates sequuntur: qui nicotiam Tartareo tyranno adoleuerant, eorum agri malignè extulerunt; qui impiam superstitionem riserant, ijs lætior seges fuit.

P. Raymbaldi funus.

EREPTOS sibi indoluit his extremis anni mensibus Noua Gallia viros duos minimè vulgares, alterum è Societate IESV, qui prior mortalitate defunctus; alterum Laicum illum quidem, sed cuius singularia extant merita in eos populos, qui intrà paucos dies præeuntem illum alterum luctuoso obitu secutus est. Ergo obijt Kebecci ad XI. Calend. Nouembrès Raymbaldus è Societate Sacerdos, omnium primus, qui sat multi deinceps, dum hæc scribimus, vitam in Nouâ-Franciâ profuderunt, & horum quidem plerique, etiam cruorem, per acerbissimos cruciatus. Is postquam annos aliquot in Galliâ vetere, rem Nouæ-Franciæ accurarat quæ quidem ad Nostros pertineret, quasi pertæsus opellæ illius, vt interpretabatur, dare se penitùs constituit grauissimis, ac sanctissimis illis laboribus, impetratáque facultate, eò immigrauit. Nec diu Kebecci substiterat, cùm ad Hurones missus est, eorum flagitatu Patrum, qui illîc iam consederant, gnarorum quali quantóque animi vel robore, vel ardore adhibere se se con-

ANNVS MDCXLII.

ſueſſet. Et ad Nipiſirinios quidem vnà cum Claudio Pijartio miſſus, gentem eam ad IESV Chriſti notitiam fidémque traducturus ſperabatur, cùm gradum reflectere coëgit itinerum commodis, rerúmque ad victum neceſſariarum penuriâ afflicta valetudo. Kebeccum igitur cùm iuſſus repetijſſet, ſub exeuntem menſem à reditu tertium, eo quem dixi die, placidiſſimè obdormiuit in Domino, hoc ſe potiſſimùm ſolatio recreans, quod in Nouâ-Franciâ emoreretur, & letalem morbum in vocandis ad fidem, atque adeò ad ſempiternam felicitatem Barbaris contraxiſſet. Illius corpus Monte-magnius (quæ erat eius de viri virtute opinio) non loco vulgari, ſed eo ipſo in Mauſoleo condi voluit, quod Campleniu, merenti vtique, ante aliquot iam annos erectum fuerat.

Nicoleti virtutes & mors.

ALTER ille, Nicoletus fuit, hauſtus vndis, dum Kebecco ad Trifluuium in lembo properat, vnum aliquem, qui in carcere ab Algonquinijs habebatur, ſi quo modo poſſet, eorum diritati erepturus. Annos totos quinque & viginti in Nouâ-Franciâ poſuerat, nuſquam non frugifer. Vbi primùm aduenerat, eorum iuſſu qui Kebecci Gallicæ Coloniæ præerant, cum Inſularibus Algonquinijs, diſcendæ linguæ biennium totum exegit, nullo quoquam Gallorum comite, & per ea ſcilicet incommoda, quæ facilè quiuis æſtimabit, qui modò mente, intelligentiáque comprehendet, quid demùm ſit, rigentes hyemes ſub cedrino, fagino-ve cortice exigere in nemoribus, victus rationem totam habere è venatione ſuſpenſam, inconditos clamores aſſiduè haurire auribus, carere iucundiſſimâ conſuetudine ſuorum, neque modò ſannis patere continenter, verborumque contumelijs, ſed etiam quotidianis vitæ, capitiſque diſcriminibus propoſitum eſſe. Sanè fuit, cùm totum ſeptiduum tolerauit inediam, & quod mirere, ſeptem ipſas hebdomadas ſic exegit, vt nihil niſi paulum corticis deguſtarit. Hoc poſito tyrocinio, cum Algonquinijs quadringentis ad Iroquios de pace miſſus, rem feliciter compoſuit: mox adiit ad Nipiſirinios, cum iiſque annos ſeptem traduxit, nouus municeps. Reculas ſibi ſuas habebat propriè, caſam, ſupellectilem, piſcationis, venationiſque inſtrumenta, & ſcilicet pelles fibrinas; eodem mercaturarum iure, quo ceteri: vno verbo, adhibebatur ad conſilia: dum, reuocatus à Præſi-

ANNVS MDCXLII.

dibus Gallicæ Coloniæ, apothecis præfectus eſt idem, & interpretis munere fungi iuſſus. Per ea tempora ex Præſidum eorundem mandato excurrendum ei fuit ad populos quoſdam maritimos, paci eos inter, Huronéſque conciliandæ. Diſtat regio occaſum verſùs, leucas propè trecentas ab ijſdem Huronibus: quorum legatis ſeptem cùm ſe ſe adiunxiſſet, varijs nationibus, quæmodicæ occurrebant, ex itinere conſalutatis, munerúmque largitione delinitis, ne ſi id prætermitterent, in hoſtium numero poſiti, in quoſcunque inciderent eorum iaculis obijcerentur; vbi bidui aberat, præmiſit vnum è cohorte qualicunque ſuâ, qui ei Nationi ad quam pergebant, nunciaret, adeſſe Europæum legatum cum muneribus, qui Huronum nomine, eorum amicitiam aſſectaretur. Et accepta cum plauſu legatio eſt: miſſi obuiàm iuuenes continuò, qui *Manitouirinis* (hoc eſt hominis mirabilis) ſarcinas, ſupellectilémque geſtandam ſuſciperent, ipſum honorificè deducerent. Erat Nicoletus in veſte ſericâ, operis Sinenſis, auibus, floribúſque multiplicium colorum ſcitè variegatâ: ſclopos minores duos, ex ijs qui tactâ vel leuiter rotulâ explodúntur, ſingulos ſingulis manibus præferebat: hos cùm laxaſſet (ſic enim tametſi Gallicus Author non memorat, tamen factum oportuit) dant ſe illicò in effuſam fugam imbelle genus, pueri, feminæque, quò ſe quam celerrimè viro ſubducerent, qui ambabus manibus fulmen (aiebant) præferret. At longè latéque ſparsâ famâ de eius aduentu, conuenere continuò Præfecti cum ſuis, ad hominum quatuor quinque-ve millia: ac re in communi conſilio agitatâ, expenſâque, firmatum ritè fœdus. Epulum deinceps procerum quiſque de more dedit, horum in vno, quod mirere, fibri centum & viginti numerati. Re benè geſtâ, ad Hurones, mox ad Triſluuium reuerſus, ad priſtinum munus vtrumque ſe ſe Nicoletus retulit, vnicè vel Gallis, vel indigenis charus: in id præcipuè intentus, vt induſtriam ſuam, gratiámque quâ valebat apud Barbaros ſanè plurimum, cum Patribus Societatis coniungens, quotquot poſſet, ageret ad Eccleſiam: dum anno proximè ſuperiore, Oliuerio, qui Kebecci apothecis ſummâ cum poteſtate præerat, reuocato in Galliam, eius in locum pro ſuo merito ſuffectus Nicoletus eſt. Verùm haud diu frui licuit

licuit Christiano solatio, quod tantopere concupierat, vt Kebecci & sacramenta pro piæmentis voto, obiret frequens, & eorum consuetudine perfrueretur, quibuscum miscere de rebus diuinis colloquia liceret: pridie Cal. Nouembris cùm lembum conscendisset, horâ, vt Galli numeramus, septimâ pomeridianâ, hoc est intendentibus se iam noctis tenebris, ad Trifluuium, vt dixi, tàm religiosâ de causâ pergens, vix ad Sillerianæ sedis conspectum peruenerat, cùm Boreâ flante pertinaciùs, fœdámque tempestatem, quam exciere iam ceperat, glomerante: lembus bis, ter-ve in orbem circumactus cùm vndis oppleretur vndique, cessit tandem, fluctibúsque hausus est: vectorum nonnulli euasere, in his Sauignius ipse, cuius lembus erat: ad eum tàm formidoloso tempore conuersâ placidè oratione Nicoletus; *Tu verò*, inquit, *Sauigni, quando natandi peritiam habes, saluti tuæ, quà datur, consulito: ego quem ea industria destituit, pergo ad Deum: vxorem meam cum filiâ tuæ humanitati commendo.* Mediâ in collocutione alterum ab altero diremit fluctus: mersus Nicoletus est, Sauignius cùm præ horrore nocturnáque caligine vbi loci versaretur, nesciret, fluctuum vi ab lembo, cui aliquandiu inhæserat, diuulsus, dein natando luctatus aliquandiu cum alternantium fluctuum infestâ vi, defectus propè viribus, & animo tantumnon linquente, votum Deo nuncupat, quale, non proditum: tum pede subiectum vndis solum feriens, littus illicò tenuit, gressúmque per concretam iam glacie crepidinem ægrè moliens, ad Patrum domunculam erepsit semianimis. Et applicita quidem fomenta continuò, quæcunque præsto erant, ignis præsertim, quo maximè indigebat: verùm, cùm natiuum calorem penè frigus, vndæque oppressissent, nutibus aliquandiu, non linguâ, sensa mentis vtcunque declarans, suspensas solicitorum Patrum mentes habuit: dum receptâ loquelâ, rem vt erat exposuit, insigni Christianæ constantiæ significatione. Porrò captiuus is, cuius causâ extremum discrimen Nicoletus appetierat, duodecimo pòst die Sillerianum portum, mox Kebeccum tenuit, à Rupæo, qui ad Trifluuium præerat, ex Monte-magnij literis erutus Algonquiniorum diritati, persoluto scilicet pretio. Iam deformatus vulneribus erat, quæ multiplicia homines immanissimi exquisitè de more alia alijs ad-

ANNVS MDCXLII.

ANNVS MDCXLII. diderant: ſed quantam ad Triſſluuium barbariem, tantam poſtmodùm Kebecci humanitatem expertus, ab Hoſpitalarijs Monialibus ſic habitus eſt, vt intrà dies circiter viginti conſanatus, ad ſuos recipere ſe ſe potuerit, nec incomitatus: Chriſtiani attributi duo, vel leuando, vel muniendo itineri: horum alter, Carolus Meiaſcvat, hoc auidiùs oblatam prouinciam arripuit, quod per occaſionem reducendi popularis, videbat copiam ſibi factum iri, Dei, Chriſtíque annunciandi Abnaquijs. Ceterùm non tunc primùm Nicoletus vitæ periculum adierat, Barbarorum ſalutis causâ: idipſum antè vſurpauerat frequèns, inquit Scriptor Gallicus, iiſque quibuſcum verſabatur, virtutum reliquit documenta factis expreſſa talibus, vt expectari vix poſſent ab homine coniugij vinculis implicito: extabant quippe, & ad Apoſtolicæ abſolutionis excelſitatem aſſurgebant: eò, tanti viri fuit iactura grauior. Certè Barbari ipſi, vbi primùm de eius caſu inaudiêre, frequentes Magni fluminis ripam cinxerunt, ſi quo modo opitulari liceret. Vbi ſpes adempta omnis, quod proximum erat, luctu & comploratione incredibili, hominis de ſe optimè meriti fatum ſanè lugubre proſecuti ſunt.

Neophytorum pietas.

AT NON FVNESTVS caſus cuiuſquam infregit in fide conſtantiam: vt ceperant, ita per piſcationis tempus, Silleriani Neophyti inſignem præ ſe tulere abſolutionem Chriſtiani officij. Eſt amnis S. Laurentij, vt alibi inſinuauimus, tàm ferax tùm piſcium omnis generis, tùm maximè anguillæ, vt ea quaſi annona ſit indigæ gentis, menſibus quotannis duobus paranda, Septembri, Octobríque. Ej ſic illi quos dico, dedere operam, vt Chriſti bonum odorem longè, latéque per vaſtos illos tractus ſparſerint, iniecerintque circumpoſitis hac illac populis præclaram cupidinem ea imitandi, quæ tantopere in illis ſuſpiciebant. Videbant homines ijſdem paulò antè vel flagitijs, vel ſuperſtitionibus implicitos, compoſitos ad modeſtiam, ab omni alienæ rei contrectatione alieniſſimos, pudicos, humanos, beneficos: tàm inclyta forma virtutis oculos primùm, mox animos rapiebat, ingenerabátque tædium miſerrimæ licentiæ, cui à pueris aſſueuerant. Et verò non modò Barbari, ſed etiam inſtitutores ipſi mutationem illam dexteræ Excelſi ſuſpiciebant, affirmabántque paſſim, vix ſe

ANNVS MDCXLIV

initio adduci potuiſſe vt crederent ea ſe vnquam oculis vſurpaturos. Tympanorum mentio nulla: ebrietas, quæ quandiu naues Gallicæ ad anchoras ſtabant, tandiu apud miſeros graſſabatur, planè pulſa: laſciuiæ ne veſtigium quidem: pietatis, ac religionis exercitatio tàm aſſidua, vt præclarè cum vniuerſo orbe ageretur, ſi ſe vbique Chriſtiani ad eam diſciplinæ normam componerent. Ergo Attikameguij (gentis nomen eſt) canois inuecti tredecim ad eos confluxere ſub Nouembris initium, ibidem hyemandi gratiâ, ſacræque capeſſendæ inſtitutionis. Et quoniam ſecretæ caſæ Montanorum ab Algonquiniorum tugurijs erant, ad priores ſe ſe Attikameguij adiunxere, idiomatis maximè communione illecti. Itaque vt diſcriminis aliquid inter hos, illóſque intercedebat, ita ſeiunctim ijs nauata opera. Algonquiniorum procuratio Quenio demandata, Montanorum Attikameguiorúmque, Buteuxio, qui à Triſluuio recens, Sillerij hyemem exacturus aduenerat. Et Quenius quidem in Hoſpitalariarum ſeu Sacello ſeu Oratorio rem ſacram faciebat quotidie: ad eam cuncti conueniebant, viri, feminæ, pueri eo numero, vt ſæpè non ſacellum modò, ſed etiam ægrotorum Atrium oppleretur. Peracto ſacrificio, adibat idem ad tuguria, inſtituebátque tùm baptizandos, tùm ad ſacram acceſſuros ſynaxim. Horis pomeridianis Chriſtianam doctrinam pueris Vimontius tradebat. Confluebant alacres in illud idem Atrium, eóque ardore explicata capita reddebant, vt ſi tàm ſtabiles eſſe poſſent, ac Galliæ veteris alumni, nihil illis neque ingenij, neque memoriæ facilitate ceſſuri viderentur, inquit is qui ea ipſa peragebat. Victoriæ præmium, cultellus, roſarium, panis nonnunquam particula: adultioribus quandoque pileus, ſecuriſ-ve dabatur, incredibili parentum gratulatione, vix ſe præ gaudij magnitudine continentium, dum filios ſuos proſequebantur, per tuguria, præmiola oſtentantes, queis, re benè geſtâ donati eſſent. Nec verò grauius quidquam accidere ei ætatulæ poterat, quàm ſi quis, vel ob temporis anguſtias, vel quâ aliâ de causâ præteriretur: vt cùm aliquando Vimontius panem in complures diſtribuens, particulam vni cuidam obtuliſſet, oblatam is reiecerit mœrens, &; Quî comedam, inquit, qui hodie dixerim nihil? Sub veſperum circumpoſitos adultos è caſis denuò in ſacel-

ANNVS MDCXLII. lum Quenius euocabat, precibus peragendis. Exibant omnes miro silentio, pari modestiâ, ad Oratoriúmque rectà pergebant: ibi loci orabatur ad quartam horæ partem, ad par interuallum temporis protendebatur institutio. Porrò quæ circà Algonquinios Quenius, eadem circa Montanos Attikameguióſque Buteuxius accurabat, hoc vno discrimine, quod cùm hi in collem paulò longiùs se se subduxissent, bis ad eos quotidie itabat, horis ijsdem, hoc est manè, secundùm peractum sacrificium, vesperéque, quo tempore per altas niues recipiebat se se frequens, cœptâ iam nocte, laternulam manu præferens, quæ dubios gressus regeret: sed nimirum is erat sæpè ventorum ea cacumina perflantium impetus, vt & lucernam extingueret, & vacillantem ipsum per collis decliuia sterneret, rotarétque: quæ res, inquit Vimontius, stuporem fortè afferat ijs, qui hominem aliàs in vetere Galliâ norant, infirmæ sanè valetudinis: sed est hæc plerunque vocantis ad ardua Dei benignitas: non mentem modò, animúmque illustrat, sed artus etiam ipsos corpúsque corroborat.

ANNVS MDCXLIII HÆC INTER STVDIA, vertit annus, Domino piorum conatus promouente, & non sequentibus quidem signis, vt sub initia nascentis Ecclesiæ; sed miris instinctibus mentes tùm Fidelium ad celsissima virtutis decora, tùm aduentitiorum illorum ad Baptismum vnà cum fide capessendum incitante. Prioris generis documentum dedit sanè illustre Ludouisia Neophyta illa quidem, verùm in fide, religioſóque Dei famulatu matribus plerisque veteris Galliæ constantior. Huic filiola erat vitâ ipsâ propè charior, annos nata nouem: quam cùm morbus corripuisset grauis, mater, Hospitalariarum & studij in se propriè, & in quoscunque humanitatis gnara, ad eas tanquam ad certissimum perfugium ægram defert. Nec eam sua fefellit opinio: quicquid opis, medicinæque afferri potuit, prolixè ab ijs collatum est. Sed cùm nihil morbi vis remitteret, Ethnicæ duæ mulieres è familiaribus matrem, filiámque exitiosè miseratæ, inspectâ, salutatáque ægrotâ, ad parentem conuersæ, spondent morbum fugaturas, sineret modò suis remedijs vti, hoc est tympanum quatere: si tamen animum induceret salutaria monentibus acquiescere, afferendam ægram in siluas: alioqui rem ad aures venturam Pullatorum

ANNVS MDCXIII.

(hoceſt Patrum Societatis) ij verò ſi innaudijſſent, irritam curationem totam fore. At nil cunctata pia genitrix; *Ne me verò ſinat Deus meus*, inquit, *eò prolabi, vt curationem vllam filiæ meæ ſinam adhiberi, quæ vel leuiter ſanctiſsimis eius legibus aduerſetur. Si quid tale vſurpatum eſſet, metuerem magnopere, ne ex vetitâ corruptelâ filia mea interiret: verùm, illud addo: ſi certò ſcirem eam veſtrâ hac ope, emerſuram è morbo, nunquam tamen adducerer id vt tolerarem quod vetat Deus: emoriatur ſanè dum ad cælum rectà pergat.* Et ex hoc poſteriori religioſæ parentis voto res ceſſit: cùm meliuſculè filiola habere cepiſſet, rata mater nihil iam eſſe periculi, inualidam ſecum trahit in ſiluas, quò pergere itineris cuiuſdam neceſſarij ratio cogebat: ibi recrudeſcente morbo, intrà paucos dies felix virguncula erepta eſt mortalitati, ſic, vt ſancto ſpiritu puram illam mentem colluſtrante, omnia ſuprà huius ætatulæ modum & ſentiret, & proloqueretur. Reſcitum deinde è matre eſt, paruulam, cùm inſtare ſui corporis diſſolutionem præſentiſceret, primùm ſignificaſſe, gratiſſimum ſibi futurum fuiſſe, ſi ab vno aliquo è Patribus conſolationis quidpiam capere licuiſſet: cùm id deeſſet, ſe ad Deum totius fontem conſolationis confugere. Deinde parenti ſummas egit gratias, quod ſibi tàm ſedulò toto morbi tempore adfuiſſet, nec ſine multis vel moleſtijs, vel laboribus: egregiam hanc ſe voluntatem agnituram fundendis ad Deum eius causâ poſt obitum precibus. Tertiò, cùm ad eam ſupremo illo tempore adiiſſet germanus frater longè ætate maior, quippe iam coniugio implicitus, tùm inſtitit apud eum vehementer, fidem vt ſemper teneret, preces veneraretur; tùm, quoniam inaudierat diſſidij aliquid ipſi cum vxore intercedere, obſecrauit enixè, moroſam illam naturam placidè toleraret, né-ve adduci ſe ſineret vnquam, vt ab eâ diſcederet: æquum eſſe vt viri muliebri infirmitati nonnihil vel indulgeant, vel condonent. Ecquis verò talia vnquam, ſi rem humanis momentis expenderet, expectaret ab rudi infantulâ?

HVIVS BEATVM vitæ mortalis finem excipiat caſtimoniæ ſpecimen hoc illuſtrius, quod ante paucos annos gentes eæ ad omnem ſpurcitiam proiectiores erant. In vaſtâ nemorum ſolitudine Chriſtiano adoleſcenti inſidiata laſciua mulier hoc

ANNVS MDCXLIII.

periculosiùs, quò ab omnibus arbitris remotior locus erat, nihil non egit eius vt verecundam constantiam labefactaret. Ratione primùm, & sapientibus monitis reuocare à procaciâ petulantem nititur Ioseph (si non id nomen fuit, neque enim id proditum: prodi certè debuit, potuít-ve, quando illius alterius factum tàm germanè hîc expressit) Dei oculos Sole lucidiores nihil non circunspicere: ipsum, quid strueret insana, quid moliretur, intueri: recessum nullum esse non in siluarum modò solitudinibus, sed ne in antris quidem, aut in imis penetralibus, quem is non lustret: absisteret proinde, & ad mentem se se reciperet saniorem. At nihilo seciùs instat impudens, & vim suam adiungente Asmodæo, iuuenis mentem, corpúsque inflammat. Tum verò is ad instans expaueíscens periculum, fugâ se proripit, & procul, quà densiora virgulta erant, procumbit in genua primùm, veniam orans, si quid fortè piaculi animo, & cogitatione concepisset; mox nudato ad flagella corpore, lento vimine armatâ dextrâ in se ipse sæuit atrociter, & medijs quidem in niuibus, per tantam frigoris asperitatem, vt tantumnon id quod ijs locis haud infrequens, arborum trunci dissilirent: sed acriores nimirùm intùs stimulos addebat hinc angor, ex susceptâ fortè culpâ, illinc perstans etiamnum à pellaci tentatione discrimen. Nec tàm seuerâ suâ in se animaduersione contentus, Kebeccum extemplò aduolat, vbi versari inaudierat Sacerdotem eum, qui Neophytorum excipiendis confessionibus præerat: rei seriem exponit, lacrymis, singultibúsque vocem intercludentibus identidem: temeritatem incusat suam, qui periculum non declinasset: &; Noli, inquit, parcere, Pater: hoc modò dic, quemadmodum placare iratum Deum queam: pœnæ quidquid demùm erit, imponito: certum quippe est subire, vel si hinc mors consecutura sit: non aliàs mihi crede, neque libentiùs, neque paratiùs vitâ hacce defungar. At Sacerdos vt videbat plurimùm, faciendum censuit quod tali in re, ac tempore vsurparunt vel Sancti aliàs, vt tantos irato Deo satisfaciendi miratus ardores, leuia modò quædam pœnæ nomine imperarit. Neophytus de diuinâ clementiâ fiduciâ conceptâ ingenti, serenatâ mente recessit, periculo edoctus suo quemadmodum gerere se aliàs, si quid vnquam tale incideret,

deberet: nam ſapientiæ quidem fuerat, ſubducere ſe ſe tandem: temeritatis, non ſe ſubduxiſſe citiùs: non enim ſine diſcrimine nectit moras, qui angue iuxtà conſpecto, conſiſtit.

AT SILLERIANI NEOPHYTI conſenſu omnes in id ſedulò incubuere, vt re non minùs quàm oratione, Attikameguijs illis cupiditatem ſanctæ fidei inijcerent. Dum hoſpites ad ſe adueniebant, conſultò in tugurio quiſque ſuo preces publicè, & elatâ ſcilicet voce inſtaurabant: vetabant, impediebánteque, ne quis ex veteri licentiâ procus ad eam puellam aditet noctu, cuius ambiret nuptias: quoties inſtruebantur conuiuia, toties præſtò erat, qui de Deo, de rebúſque fidei ſacer Orator diſputaret: has partes impigrè obibat præ ceteris Ioannes Baptiſta *Eriknadat.* Fructus operæ reſpondit: baptizati adulti centum. Valuit inter cetera illuſtre diuinæ Prouidentiæ ſtudium in ſuos: cùm venatum vnà cum Attikamegnijs iuuenibus aliquot, Silleriani nonnulli perrexiſſent haud diu pòſt, quàm iſti aduenerant, ab vtriſque alcarum duarum veſtigia deprehenſa, quarum altera ad læuam, altera ad dextram flexiſſet. Hîc vnus ex temerarijs illis iuuenibus, Chriſtianos appellans: Ecquis, inquit, veſtrûm hodie ferinam in cibum nobis ſuppeditaturus eſt? vtram alcarum harumce capietis? Aderat in agmine Stephanus Pigarvich, ex ſuperioribus iam notus: is vt pro ſuâ ſagacitate facilè intellexit, quò amara pertineret oratio, ita pro ſuo ardore; *Non nos*, inquit, *ſed is qui cuncta moderatur, optatum cibum nobis ſufficiet: non nos ex pedum celeritate, neque ex ſacrilego ſtrepitu tympanorum, ſed ex eius benigniſsimâ prouidentiâ, ſpes noſtras aptas habemus: ſi nos volet priores prædæ compotes fieri, ſic eueniet vtique, quidquid perſtrepueritis: ſin, illud tamen habetote, eius beneficio, non nefarijs veſtris ſuperſtitionibus acceptum referendum, ſi quid vobis commodè ceſſerit. En, ad rogandum eum pergimus, bonus, propitiúſque nobis adſit: eius erit de totius rei euentu pro ſuprema ſuâ poteſtate ſtatuere.* Hîc pium agmen procumbit in genua, precéſque Deo adhibet viuenti, & videnti: nec eos concepta de ſuauiſſimâ illius benignitate fiducia fruſtrata eſt: cùm priores profecti Attikameguij eſſent, tàm inanes poſtmodum rediere, quàm fatigati: Neophyti orto iam Sole ſubſecuti, ſub meridiem deprehenſam alcen confodiunt eam, cu-

ANNVS MDCXLIII.

ius veſtigiis inhæſerant, cæſámque ſecum trahunt: tum ad eam verſi, quæ Attikameguiorum diligentiam eluſerat, breui voti facti compotes, iaculis fugientem conficiunt: ita alacres, erectíque animis, verecundantibus hoſpitibus ſummi Dei venerationem iniecere. Idem Stephanus eorum quæ conſtituta ſummo conſenſu à Neophytis antè vidimus, ſtrenuus cuſtos, vindéxque, cùm Chriſtiana mulier, ætate adoleſcentula, moribus leuior, diſcedere à viro pertinaciùs vellet, nullâ iuſtâ de causâ, vbi amiciora monita nihil profuerant, de Conſilij ſententiâ contumacem carcere concludit. Erat is dies quartus Non. Ianuarias, quo tempore vel maximè rigentium frigorum atrocitas ſæuiebat, nihil tamen neque ſtraguli, neque ignis datum, ſed in nudâ humo noctem totam exigere vel iuſſa, vel permiſſa. Et illa quidem, ſeu grauiora metueret, ſi reſiſteret contumaciùs, ſeu ad mentem ſaniorem ſe derepentè recepiſſet, placidè obtemperauit. Vbi ad carceris limen ventum erat; Age, inquit, Stephanus, neptis mea, hac nocte adhibe Deo, quo maximo poteris pietatis ſenſu preces: licebit per otium: illud ab eo inſiſte petere, vt ſapias in poſterum, né-ve ſis de cetero contumax: id quicquid pœnæ eſt, æqui boni conſulito, illud tecum reputans, noxam tuam id commeruiſſe. Si morem gerere voles, haud diu hîc te eſſe patiemur. At illa elinguis, ſummâ tamen, vt ex vultu conijciebatur, animi æquitate, locum ſubit: per noctem deinde, quantum procliue eſt conijcere, reuoluens quid egiſſet, quámque malo exemplo pertinax, inſontem virum deſerere contendiſſet, eſſe deinceps in officio, ſanctè apud ſe conſtituit. Certè poſtridiè manè, cùm ad eam Quenius adijſſet cum Stephano, nihil queſta eſt; ſed quæ exigua fomenta ſuppeditata ſunt, panis pauxillum, quo reficeretur, paleæ aliquantum, in quâ vtcunque requieſceret, ea in bonam partem accepit. Volebat illud addi præterea Quenius, vt ex loco educta tantiſper, in vicinum cubiculum, ad ignem accederet, è tàm graui frigore ſe ſe recreatura: ſed interceſſit Stephanus, nihil opus eſſe dictitans: noxam talem fuiſſe, grauiorem vt pœnam commereretur, ad ídque ipſe hortator apud eam acceſſit: ſub veſperum tamen eiuſdem diei educenda viſa eſt, vel quòd ſatis valitura ea animaduerſio videretur, vel quòd

ſi

si ægritudo grauior eius fortè animum occupasset, funestum quiddam metuendum erat: etenim frequentibus exemplis comprobatum fuerat, Barbaros, si se semel angori mentis permiserint, necem sibi vltrò consciscere. Ceterùm, considerata illa seueritas, & ream deinceps in officio planè continuit, & reliquis metum iniecit pœnæ similis, si similia peccarent. ANNVS MDCXLIII.

INTEREA INSTITVEBANTVR ad fidem Attikameguij, nam & Neophytorum charitate deliniti, à quibus omni officij genere colebantur, & à Monte-magnio, ad quem visendum Kebeccum primores excurrerant, accepti perhumaniter, affectíque munusculis, libentiùs in animos admittebant quæ tradebantur: ità Domino Deo intùs permouente pectora, Baptismi studio incensi plerique sunt. Primus omnium *Anikȣtchi* fuit, florenti ætate idem, & ingenio præstans. Is, ex quo Catechumenum profiteri cepit, tantum semper studium præ se tulit suscipiendi Baptismi, vt neque dies, neque verò noctes aliud quidquam reuoluere animo videretur: hinc illa videlicet somnia, quibus aut noui aliquid discere, aut iam tradita recolere sibi videbatur. Fuit, cùm Catechistes seu periclitandæ eius constantiæ, seu minimè ficto metu moneret, ne tàm sæpè ad se ventitaret, assiduitatem illam penè nimiam tædium eius in animo ingeneraturam precum. At is fidens; *Ne verò, ne*, inquit, *id metue, Pater: cibis quidem satiari ad nauseam* possum; *cetera quæ ad sensus pertinent, ex vsu nimio respuere per fastidium: quæ ad fidem pertinent, ijs minimè exsaturari possum, nullâ quippè præterea re delector, neque earum quas hîc vsurpatis Galli, neque earum quas de vestro tàm florenti regno prædicatis.* Cùm inaudijsset *Oüabakȣachits* quemdam, de quo mox, tympanum suum ad instituentem Sacerdotem attulisse, suum ipse quoque tulit continuò, &; Quidni meum pariter, inquit, petijsti? eccum illud: iam ipsum abieceram, nunquam repetiturus: illud modò dic, num quid mihi præterea deserendum, deponendum-ve sit, quo citiùs Baptismi compos fiam? mihi crede, mora in me nulla futura est. Ac popularium quidem meorum deinceps sannas, iocósque amariores negligo: cauillantur, quod identidem noctem apud vos exigo, sat scio: at nihili voces eas duco, cui propositum sit tempus redimere: animaduerto quidem te diurnas horas ferè in obeundis tugu-

ANNVS MDCXLIII.

rijs consumere: eò, noctis secessum quærito, quò pleniùs diutiúsque ea ex te audiam, quæ scitu necessaria, commoda-ve sunt. Sanè, alijs in rebus omnibus popularibus ijsdem meis satisfacere consilium est: vbi de fide agitur, eorum offensione nihil moueor. Fuit, cùm idem Sacerdos cui tum fortè comitabatur, ex aliorum tugurijs per noctem cum laternulâ domum se se recipiens, è montis vertice per decliue, fallente vestigio, ruit in subiectas niues, vnde ægrè emersit, ex casu vel perturbatus, vel nonnihil saucius: hîc Anikʉtchi ingemiscens; *Vtinam*, inquit, *Pater, casus huius tui spectatores adessent contumaces ac rebelles nostri, qui capessere fidem nolunt! quanti ea facienda sit, intelligerent ex incommodis, periculísque, quæ vos eius proseminandæ causâ aditis quotidie.* Ergo cùm vbique egregiè satisfeciſſet; dicta denique dies est eius Baptismo: adiuncta ipsi consanguinea virgo, ceteris suppar dotibus, ætate inferior: cùm enim ille annum ageret quintum & vicesimum, hæc decimum quintum tantùm attigerat. Vtrumque rogatus ex sacro fonte Monte-magnius suscepit: cùm enim eæ quasi primitiæ essent Attikameguiorum, plurimùm intererat, vt quandoquidem in popularium oculis peragenda erat cerimonia, splendoris illi tantum accerseretur, vt is Baptismi cupiditatem in alijs ingeneraret, in alijs foueret. Ibidem in Hospitalariarum sacello peracta res, vt quæ domus IESV Christi sanguini fundabatur, eadem beato illo lauacro nouam eam sobolem perfunderet. Anikʉtchi, Michaelis, virgini, Mariæ inditum nomen: vterque ingentem lætitiam præ se tulit, cum pari coniunctam modestiâ: conuiuio ex ijs populis lectos quadraginta excepit susceptor. Subsecutus paulò pòst Oüabakʉachits: is annos natus circiter quinquaginta, audito aliquando Catechistâ, dum de rebus fidei disputaret, commotus animo vehementer; *Ità est*, inclamat, *æqua planè affers, Pater: atque ego in hac circunstantium coronâ profiteor, me nunquam deinceps aut cacodæmonum opem imploraturum, aut superstitionibus operam daturum pristinis: illas iam nunc valere iubeo, earum pono instrumenta omnia: Baptismum flagito. En, tympanum abijcio coràm. Vt me verò angit ea cogitatio, me ad hanc ætatem dæmonibus morem gessisse, Deum, rerum omnium procreatorem ac parentem ignorasse!* Animorum motus effecit sanè ingentes

ANNVS MDCXLIII.

publica illa noxiarum ſuperſtitionum eiuratio in viro tali: ad ætatem enim grandæuam, accedebat magna aliunde auctoritas, quippe ex Attikameguiorum primoribus Antonius erat. Antonij enim nomine donatus in Baptiſmo eſt, fortè quòd S. Antonio Magno dicatâ luce, cooptatus eſt in Eccleſiam: Obſeruat quidem certè Auctor Gallicus, tàm aſperam eo die fuiſſe vim frigoris, vt obrigeſcerent cuncti, immoto tamen toto cerimoniæ interuallo, eo cuius res agebatur, hoc eſt Antonio ipſo: nunquam ſe commouit, nunquam diſiunxit, retraxit-ve manus: vbique ſingulari modeſtiæ ſignificatione ad quæſita reſpondit. Secundùm genitorem, ſacro fonte ſeptennis filiolus ablutus eſt, adſtante Antonio, hortantéque tùm voce, tùm geſtu, motúque vel ad modeſtiam, vel ad ſanctum, conſtánſque propoſitum reſpuendi in totam deinceps ætatem quidquid diſpliceret Deo. Longum eſſet, quæ de aliorum ardore fidei memorant Gallici Annales, hîc attexere: illud non prætermittendum, quod compluribus alijs baptizatis, ipſa quoque Præfecti vxor acceſſit: ipſe, tergiuerſatus aliquandiu, tandem extorqueri ſibi tympanum paſſus eſt, præter plerorumque omnium opinionem eorum qui hominem norant: nemo enim non putabat, eum ad obitum vſque eâ in amentiâ perſtiturum, quâ iactabat palam, vitæ tùm ſuæ tùm ſuorum conſeruationem· iſti ſe ſacrilegarum ſuperſtitionum inſtrumento acceptam referre debere. Ac tametſi in re haud leuiſſimâ acquieuerat, precéſque eadem vxore præeunte, recitabat manè, & veſperi; viſum tamen conſultius, eius Baptiſmum differre aliquandiu, dum in ſanctæ Religionis ſtudio radices ageret altiores: illud piam eius vxorem angebat interim, quid ſibi faciendum foret, ſi quando vir infidelis (quod quin euenturum eſſet, haud dubitabat) venationis tempore, quod inſtabat, conuiuia inſtrueret, in quibus honoris cultus-ve aliquid malo dæmoni deferretur: licerét-ne ſibi ad eius mandatum, carnes eas de more coquere? ſubijciente verò Sacerdote; Optimum factu futurum, ſi dum huiuſmodi aliquid incideret, moneret ea virum, ſe tetro dæmoni abrenunciaſſe, idémque ipſi faciendum: ſin is tamen perſtaret, periculúmque eſſe videretur, ne aut à fide hinc fieret alienior, aut immerenti vxori moleſtiam faceſſeret; tum verò nihil ab eâ culpæ admiſſum iri, etiamſi

ANNVS MDCXLIII.

coquendis carnibus daret operam, animo ſic comparato, vt viro morem gereret, cibúmque pararet de more; excluderet alia omnia. *Ego verò*, inquit fortis mulier, *vel ſi millies interpeller, parebo hîc nunquam: Dominum Deum animo meo robur additurum confido.*

PER EADEM TEMPORA regeneratus per Baptiſmum eſt Præfectus quidam ex gente Abnaquiâ, operâ maximè Caroli Meiaſcgat. Is ad eos populos profectus cum captiuo illo, cuius libertatem, Nicoletus aſſerere velle tanto ſuo periculo non dubitauerat; hyemem vtique fructuosè exegit in medio nationis, ſi non prorſùs prauæ ac peruerſæ, certè ebrietati, præter cetera dedecora ijs communia gentibus, addictiſſimæ, ex conſortio conſuetudinéque Anglorum, quibuſcum multi ſunt. Ad eos deductus aliquando Carolus, illuſtre fidei, conſtantiæque documentum edidit, ſpectantibus Barbaris: nam cùm ignotos homines Gallos initio putans, dein multa ab ijs factitari animaduertiſſet, cum ijs quæ tradita à Sacerdotibus Societatis erant, haud ſanè conſentientia; mirari primùm, mox nonnihil ſubolere. Sed planè comperit cum hoſtibus ſanæ, ſinceræque fidei verſari ſe, dum extractum è perâ Roſarium oſtentans, ſic eſt ab aliquo impiorum eorum interpellatus; Commentum eſt iſtud diaboli: ex eius officinâ egregium hocce inuentum tuum prodijt. Quin, excepit Carolus, defixis intrepidè in miſero oculis, blaſphemas has voces tibi ſuggeſſit ater dæmon: eius tu furenti inſaniæ os, linguámque commodas: ſiccine, impie, cum Matre, Filium Dei contemptui habes? Atque hîc Anglo ſilente, qui nihil quod viro tàm religiosè fidenti opponeret, haberet, ſacram Imaginem producit Carolus Chriſtianæ ſupellectilis ſuæ particulam. At hæreticus in vile, lutulentúmque linteolum abiectum humi, digitum intendens; Iſtuc, inquit, quod manu tenes, nihilo pluris eſt. Et Carolus: Tu verò num Deum iſtæc quæ à te fiunt, & dicuntur, & intueri credis, & audire? Ardebis miſer in flammis Orci vltricibus, quando quæ Deus fecit, inſtituítque, tàm profanum in modum execraris. Atque ex eâ die hæretici ſeu demirati viri conſtantiam, ſeu ſuæ ipſorum impietatis pertæſi, quam homo mediâ in barbarie educatus, tàm aptè coargueret, Carolo porrò moleſti eſſe deſierunt. At is cum opimâ prædâ,

hoc eſt cum Abnaquiorum Præfecto illo reuerſus Sillerium, breuî iucundiſſimum ſpectaculum hauſit oculis ex eiuſdem Baptiſmo, cum hoc, vt ad pompam cohoneſtandam, renaſcentem ſuſcipere ex beato fonte Monte-magnius voluerit, hoc procliuiùs, quòd paucis antè diebus literas commodùm acceperat à Magno Magiſtro Melitenſi, quem vocant, hoc eſt à Militaris illius Ordinis ſupremo moderatore, quibus Princeps diuinæ gloriæ incenſus ſtudio, illud enixè commendabat, ardorem vt propagandæ fidei maiorem in dies præ ſe ferret, ad cæleſtis Regis gloriam, ad obſequium Galli Monarchæ, à quo eſſet ipſi ea demandata prouincia, quæ cùm valeret ad decus, multò tamen maioris facienda eſſet hoc nomine, quòd amplam ſegetem ſuppeditaret coronarum, vt loquitur, totâ æternitatis ſerie, quàm longa futura eſt, perſtiturarum. AN. MDCXLIII.

SED NIHIL HOC ANNO Noua-Francia, ac ne vetus quidem quòd ſciam, aut etiam fortaſsè Regna Europæ alia ad diuinam commendandam benignitatem illuſtrius viderunt, quàm *Teſſ&chaſij* cuiuſdam ad Eccleſiam acceſſum. Is Inſularis Cocles vulgò dictus à Gallis, ante annos aliquot animum à fide, rebúſque fidei tàm alienum præ ſe tulerat, vt non modò non de eâ ipſe cogitaret, ſed alios etiam, quotquot malè monentem audiebant, ab eâdem auocaret: Idemille videlicet qui ante annos decem interceſſerat tàm pertinaciter, ne Noſtri ad Hurones tranſmitterent: Progrediente tamen deinceps die, in Baptiſmum conſenſerat filiorum ſuorum, malè conſultus vtique, ſeu ſalutaria Chriſtiana inſtituta putaret, ſeu noxia: nam ſi ſalutaria ducebat, quidni ipſe quoque arriperet? ſi noxia, cur ſobolis ſuæ vtilitates ſic negligebat, vt non ab re periculo â arceret? ſed nimirum ea inconſtantia eſt mentium cæcarum: ſecum pugnant plerunque, nec certam rationem vllam afferre queunt, cur hæc illa-ve aut faciant, aut prætermittant. Certè tantàm à fide abalienationem Teſſ&chaſius recens hoc eſt ad exeuntem æſtatem proximè ſuperiorem non obſcuris indicijs demonſtrauerat, vt pro miraculo videri potuerit tanta, támque repentina in viro pertinaciſſimo mutatio conſilij. Et adfuit profectò peculiarem quendam in modum benigniſſimus Deus, precibus fortè exoratus illius, cui ſanctam illam cupiditatem iniecerat. *Oumaſaſikseie* quidem erat, Teſſ&chaſij eiuſdem è

Teſſ&chaſij illuſtris ad Eccleſiam acceſſus.

ANNVS MDOXLIII.

fratre, ſorore-ve nepos: is cum venatorum agmine ſane expedito ad *Montis-regalis* Coloniam peruenit ſub exeuntem Februarium. Locus peramœnus eſt, olim, ſi Camplenio credimus, iiſque qui ante Camplenium oras eas luſtrauerant, *Hochelagâ* ciuitate inſignis, cuius etiamnum extare rudera quædam, & parietinæ dicuntur: nam ſedem commodiſſimam deſerere prorſus coëgerat ferina Iroquiorum crudelitas, à quibus Hochelagæ incolæ partim extemplò cæſi, partim diriſſimis vexati cruciatibus, exterminati erant ad vnum omnes. Loci autem natiua vel pulchritudo, vel opportunitas ſub hæc tempora Gallos quoſdam nec ignobiles allexerat, vt quorundam aliorum freti opibus, qui ex vetere Galliâ ſubſidia in annos ſingulos partim pollicebantur, partim re ipsâ ſubmittebant, ſedem ibi figerent, propugnaculo alijs vltrò, aduerſus immanium Iroquiorum impetus, impreſſionéſque futuri. Conſultò ad eos Oumaſaſikꝋeie diuerterat, per ſe ipſe inſpecturus, num quæ de recentis ſedis opportunitatibus, tùm ad alia, tum ad venationem potiſſimùm, vt iactabantur, ſic habeberent: cùm opinione præclariora cuncta, & ad venationem, quam imprimis ſequebatur, opportuniora inſpiceret, morâ nullâ interpoſitâ conſtituit ibidem conſiſtere, vitæ illi ſuperiori tàm incertæ quàm vagæ, remiſſo nuncio. Præerat Gallis ijs à Nouâ-domo, vir pius idem & experiens: is tàm præclaram opportunitatem amplificandæ Coloniæ, diuinæ autem gloriæ multò magis, neutiquam omittendam ratus, prolixè Oumaſaſikꝋeie cuncta polliceri, ad quæ ſua vel facultas, vel auctoritas pertingeret: inter cetera, agri tantum offert, quantum excolere operæ duæ poſſent, quas ipſas operas in annum vnum ſuo ſe ſumptu præbiturum recipit. Minimè viſæ nouo hoſpiti reijciendæ tàm præclaræ conditiones: accipit quod dabatur, operáſque continuò adhibet. Quæ cùm ſatis illigare putarentur hominem ceteroqui à fide non alienum, maturandum rati Galli, Vimontio, Poncetóque, qui tum fortè aderant, Catechumenum inſtituendum tradunt: ij præter morem Patrum Societatis, qui cunctando potiùs, quàm præproperè feſtinando rem adhuc animarum, ſapienti profectò inſtituto gerendam putarant, ad Baptiſmum breuî admittunt proſelytum: credo quod tantus ardor profectus à Deo meritò crederetur. Ita cùm & tempus venatio-

nis vrgeret, & cognitionem myſteriorum fidei nonnullam iam eſſet adeptus, quod ad Dei gloriam verteret, Oumaſaſikɣeio vnà cum vxore ſacris aquis ablutus, in IESV Chriſti familiam tranſijt, eodémque die ambo, Ioſeph inquam, & Ioanna (hæc enim nomina indita Neophytis) Chriſtiano ritu matrimonio copulati. Celebritatem eam probatam Deo, oſtendit euentus: tantum coniuges, támque liquidum ſenſum lætitiæ præ ſe tulerunt ex duplici beneficio, vt vix ſe ipſi caperent: cúmque profectionem vrgerent populares in diem poſterum, ipſi contrà moras nectere primùm, tum communi conſilio conſiſtere adhuc biduum, quò Dominicam diem primùm cum Gallis piè & religiosè venerari feriando liceret. Vnum illud Ioſephum angebat, quod non Teſſɣehaſius quoque, quem intimè diligebat, in communionem veniret tantæ, támque inſperatæ felicitatis: cùm ecce tibi quaſi ex compoſito iſta gererentur, adeſt ex-improuisò Teſſɣehaſius, ſignificátque, ſtupentibus cunctis, ſe eâ gratiâ veniſſe, vt Chriſtianæ Religionis rudimenta capeſſeret. Vnde illa tàm derepentè iniecta eſſet cogitatio, ne ipſe quidem explicabat ſatis: illud modò profeſſus eſt, cùm ex Arce Richelæâ ad Triſluuium pergeret, repentinâ quâdam conſilij mutatione per infeſtas glacies ad Montem-regalem iter reflexiſſe eâ de causâ, vt vnà cum vxore aptè, conuenientérque inſtitueretur: ac ſi fortè renuitis, inquit, Vimontium, Poncetúmque compellans, ad Hurones certum eſt contendere: illîc Patres qui Algonquinios procurant, haud dubitanter id beneficij volenti, cupidóque impertientur. Erat tunc in Vimontij cubiculo Ioſephus: is vix ſui præ gaudij magnitudine compos, Patres rogat rem ad Præfectum referant continuò; at is renunciari Teſſɣehaſio ſuo nomine iubet, ſi quidem fidei Baptiſmíque gratiâ veniſſet, nihil eſſe cur aliò contenderet: conſiſteret ſanè ibi loci: nullâ ſe ipſi re defuturum, atque adeò habiturum germani fratris in numero. Allexit magis magíſque hominem iam impulſum, tantæ humanitatis ſignificatio: nil cunctatus, de Baptiſmo non ſuo modò & coniugis (nam filia initiata iam erat) ſed etiam popularium ſuorum, quos ductabat complures, ſeriò cogitat. Aduenerat Calendis Martijs: octiduum deinceps totum cùm audiſſet horas quotidie multas, quæ tra-

ANNVS MDCXLIII.

ANNVS MDCXLVII.

debant Patres, minùs vtique noua, minúſque incognita viro, qui vt animum ſemper geſſiſſet à fide alieniorem, multa tamen de fide inaudierat; Nihil, inquit pollicitus adhuc eram vnquam de Baptiſmo: illud modò receperam cùm ex Triſluuio profectus ſum, daturum me operam inſtitutioni: nunc illud addo, eſſe me in veſtrâ poteſtate: dum opportunum viſum erit Baptiſmum conferre, nil cunctabor. Atque nocte proximè conſecutâ, quò ſuos, vt inſinuauerat, ad idem faciendum impelleret, multus fuit apud illos in exponendis conſilij ſui rationibus: támque aptè nouus Chriſti Orator de fidei ſeu præſtantiâ ſeu neceſſitate diſputauit, vt omnes ſuam in ſententiam pertraxerit. Ergo poſtridiè ad Vimontium, Poncetúmque reuerſus; Agite, inquit, nunc demùm tempus eſt: & maturandum ſcilicet: alioqui dies vos deficiet: ita multi hodie baptizandi ſumus. Erant ij quos intelligebat, cognitionis myſteriorum deinceps non expertes, quippe & inſtituti recèns, & varijs locis antè, cum Gallis verſati: ita re ſuis vtrinque momentis expensâ, diſcuſſáque, nemini non eorum qui ſunt rogati ſuper re tanti momenti ſententiam, maturato opus eſſe viſum: adeò aptè Catechumeni quotquot erant, ad Baptiſmum comparati videbantur. Ergo cùm pium agmen nutum Patrum præſtolarerur, ad Vimontium obuerſus Teſſŷehaſius; Age, inquit, dum iſti antecedunt, pergúntque ad Ædem ſacram, tu me interim cum vxore edoce tantiſper priuatim, quemadmodum ritè quidque ſacrâ in cerimoniâ peragendum ſit, quid quando reſpondere oporteat: inter hæc autem tanta erat oris ſerenitas, vt non obſcuris indicijs agnoſceres, eum iam intùs in animo illâ Dei *pace* perfrui, *quæ ſuperat omnem ſenſum*. Ita cùm prolixè ſatisfeciſſet Vimontius, vbi opportunum fuit, adfuit hinc Præfectus, vnà cum Gallis aliquot, illinc Pelteria cum Manſeâ, feminâ ſingulari virtute, quæ eâ in Coloniâ fixum iam domicilium habebat. Teſſŷehaſio à Præfecto Manſæáque ſuſceptoribus, Pauli; vxori, à Piſæo Pelteriáque, Magdalenæ inditum nomen. Hîc exorſus Poncetus ad circunſtantes dicere, tàm aptè de ſingulari Dei benignitate ergà nouum Paulum diſputauit, paulò antè (perinde atque magnus ille quondam Gentium Apoſtolus fecerat) fidei oppugnatorem, vt lacrymas propè cunctis elicuerit: quam oratio-

nem

nem cùm excepiſſet pars cerimoniæ altera, connubium videlicet Chriſtianorum coniugum, ex Chriſtianis inſtitutis; Præfectus Paulo gratulatus inſigne trahentis Dei potiùs quàm vocantis beneficium, ſed trahentis *in funiculis Adam, in vinculis charitatis*, ſclopum donat ſanè elegantem, cum nitrati pulueris numero aliquo: tum & baptizatos, quotquot erant, & Gallos lauto epulo excepit, *Agapen* nominare nil vetat: ſic enim à priſcis illis caſtigata conuiuia celebrabantur. Quoniam autem magnopere intererat Paulum omni officij genere deuincire, hominem magnæ planè apud ſuos auctoritatis; eaſdem ipſi Præfectus quas Ioſepho conditiones defert: agri tantum, quantum excolere operæ binæ poſſent. Porrò ſi quis alius, Paulus mutatus in alium virum ex Baptiſmo eſt: ſuperbiâ, arrogantiáque ſuperiore, in animi demiſſionem ſanè modeſtiſſimam, ferocitate in manſuetudinem, contumaciâ in docilitatem, odio fidei in incredibile illius & tuendæ, & amplificandæ ſtudium continuò tranſeunte. Et agnoſcebat ipſe ſtupens, habere ſe intùs monitorem, qui quemadmodùm ſummum Deum alloqui deberet, ſuggereret, ipſe præiens, cùm enim per ea initia nullumdum aſceticarum rerum vſum haberet, tamen aptiſſimè orabat. Id adeò ex eâ quam ſubijcio precatione liquebit, quam iuuenum quorundam causâ popularium ſuorum adhibuit, ad bellum profectorum. *Tu*, aiebat, *qui cuncta feciſti, fer opem iuuenibus hiſce noſtratibus, & contrà hoſtium impetus, illos tutare: infinita eſt tua vis, ac poteſtas: animos ijs ſuffice ad vincendum. Equidem ſi in te hoſtes noſtri crederent, perinde ac nos credimus, eſſet cur vtriſque ex æquo opitularere: nunc cùm numen tuum minimè colant, illos deſere; nobis, qui in te ſperamus, ades.* Hæc ferè ille ad verbum: quæ cùm tàm aptè congruant cum varijs precationibus earum, quas habemus ſacris libris conſignatas; ecquis ab eodem Magiſtro profecta non videat?

ANNVS MDCXLIII

His adiungatvr iuuenis ex Iroquiâ Natione, *Chinaxich* dictus à ſuis. Is ante annum, ad Triſluuium cùm deſcendiſſet militari habitu, cultúque, cum manipulo popularium viginti, ingentem ardorem præ ſe ferebat, ingénſque capeſſendæ fidei ſtudium: ſed intrà votum tum quidem ſe ſe continuit. Hoc verò anno, cùm ad Montem-regalem veniſſet, Age, inquit, Vimontium compellans, nunc demùm me in-

ANNVS MDCXLIII

ſtituito, ſeriò fidem complecti conſilium eſt: nihilque præſcribes, quod non faciam, vel ſi dæmonem meum abijcere me iubeas, quo ad fauſtos venationis vtòr ſucceſſus, nec inaniter: hunc perinde atque hoc corpus diligo: ac magno quidem ſtetit: ſeptidui totius inediam toleraui, quò is mihi obueniret. Cùm ſubieciſſet Vimontius, ſi quidem Chriſtianus eſſe vellet, id omninò faciendum, neque enim ſocietatem vllam Chriſti ad Belial eſſe poſſe; ecce tibi in totius coronæ oculis (intererant enim multi) Chinagich derepente rotare lumina, hærere cogitabundus, adſtantes toruè tueri: cúmque vrgeret Vimontius, illud ſæpiùs inculcans nullo modo admiſſum iri ad Baptiſmum, ante, quàm malam mercem abieciſſet; Atqui latet, inquit iuuenis: intrà memet eſt, nec enim cerno: nonnunquam tamen apparet in ſommis, mulieris nudæ ſpecie, nonnihilque ſubmurmurat: in ſiluarum autem ſaltibus, ſi quando votis feram aliquam deſigno quam optem perimere, continuò fera quædam adeſt huius ipſius generis: in illam feror, interimo. Num quem nunc illius ſenſum habes? ſubijcit Vimontius. Nullum, inquit: illius modò formidine teneor. Bono animo eſto, inclamant quotquot aderant: vbi te ſemel ſacra vnda perfuderit, abſcedent eæ tuæ formidines: ſed cùm à tetro dæmone occuparetur neſciens, nihil prætereà eo die ab ipſo extorqueri potuit. At poſtridie cùm conſtantiæ, ſerenitatiſque animi Pauli Teſſohaſij in capeſſendo Baptiſmo adfuiſſet ſpectator, ſuæ ipſius infelicitatis pertæſus, ad Patres denuò adijt, ſerióque profeſſus nuncium ſe ſe teterrimo dæmoni remittere, vetitáſque in perpetuum ſuperſtitiones valere iubere, & ipſe Domino Deo per Baptiſmum conſecratus eſt, Iacobúſque nuncupatus. Atque vt interior renouati hominis mutatio oculis quodammodò cerneretur, ex eo ipſo momento ex deiecto erectus, ex mœſto hilaris, ex horrido ſerenior, quacunque ſignificatione potuit, gratiſſimum animum ergà Patres teſtatus, illud inſuper Præfecto affirmauit, ſe, ſi è re fidei publicâ eſſe cenſeretur, confeſſurum eo loco, quò Gallos inter Catechiſtas, Huronéſque proſelytos, qui identidem aduenirent, ſequeſter, Interpretis munere fungeretur: ſed cùm id non videretur neceſſe, actæ modò gratiæ, collaudatúmque ſtudium.

SED AD Iogueſium reuertamur in medio nationis prauæ

atque peruerſæ tabeſcentem. Ærumnas ipſe ſuas perſequens, narrat cùm in attritâ lacernulâ ſeminudus ad venationem pergere cum ijs à quibus interim captiuus tenebatur, eſſet coactus, menſes duos ſic exegiſſe, vt penè fame confectus fuerit. Cauſa fuit, ſingularis Domini Dei obſeruantia: quippe cùm carnes non deeſſent, quibus affatim veſci per venatores liceret, conſtantiſſimè tamen ijs abſtinuit, quod omnes tetro dæmoni libarentur. Quoties ad capiendum cibum accingebant ſe ſe miſeri, nefariam ſuperſtitionem vſurpabant eam, vt prodiret in medium vnus aliquis eorum qui fauſtam ſibi venationem optaret (idem in piſcatione factitant) atque vt quidque lautiſſimum legerat, precabatur ab eo, qui toto in agmine maximè longæuus erat, ſibi vt benè precaretur. Is ſtans contrà eum qui carnes offerebat, hac ferè verborum formulâ vtebatur: En, dæmon Aireskoi, has tibi carnes offerimus, ex his tibi conuiuium apparamus, quò ijs veſcare, ſignificéſque nobis quot hoc in loco ſint cerui, eoſdémque agas in noſtra retia. Itaque hæc ſacrilegè concepta verba vbi primùm ad Iogueſii aures acciderunt, & indoluit ſcilicet, in viliſſimum, idémque rebelle mancipium transferri honores vni rerum omnium conditori largitoríque debitos: & conſtituit nouus Daniel *de impiorum menſis minimè pollui*, hoc eſt nihil prorsùs carnium earum deguſtare, quarum primitiæ oblatæ teterrimo Dei, hominúmque hoſti eſſent. Non addit vnde toto interuallo ærumnoſam vitam traxerit: verùm, cùm ciborum præterea nihil ſuppeteret, procliue eſt æſtimare, ipſum bimeſtri illo ſpatio, radicibus, arborúmque baccis victitaſſe. Et cauſentur deinde Europæi noſtri, ſeu hæretici, ſeu Orthodoxi, Epicuri de grege, non de ſcholâ Chriſti, nequire ſe Quadrageſimæ tempus exigere, tàm vario genere piſcium, olerum, lacticinij, neceſſéque ſibi eſſe inducere præterea *ollas carnium*: erit vbi iſta ſeueriùs diſceptentur quondam. At non ex eâ abſtinentiâ id modò incommodiſſimè ſeruo Dei cecidit, quòd vnde famem ſolaretur, præter ea quę diximus, occurreret nihil; ſed etiam quod illam viri religioſiſſimi continentiam dæmonis ſui contemptionem interpretati Infideles, atrociſſimum in eum odium concepêre: vt non modò humanitatis officia omnia alia planè prætermiſerint, ſed etiam, quod ipſis facillimum, Iogueſio

ANNVS MDCXLIII.

Quæ Patri Iogueſio captiuo acciderò.

ANNVS MDCXLIII.

in ſempiternam ipſorum ſalutem excubanti, cordi imprimis erat; ſi quid circà idioma percontaretur, reſpondere prorſùs recuſarent. Ita tanquam catharma ab omnibus reiectus, vni Deo per exercitia ſpiritus, grauia illa quidem, & aſpera, operam dare conſtituit. Collis erat vicinus, multâ opacus arbore, atque adeò ad ſeceſſum aptiſſimus: ibi ſe ſe magnam partem diei, fortis Anachoreta continebat, ad ſolatiúmque iuxtà, & ad præſidium Cruce ingenti efformatâ, in detracto procerioris arboris cortice, ad eam horas exigebat meditans, orans, libellum de Imitatione Chriſti, quem paulò antè receperat, ademptum priùs, lectitans: & ſcilicet eâ angores ſuos ſuauiſſimâ cogitatione leniens, vnum ſe vaſtis illis in tractibus tum eſſe, qui Deum cæli, terrarúmque veneraretur. Verùm, neque ibi quieto eſſe diu licuit: cùm eò crebrò itare captiuum viderent ſuum, obſeruare curioſiùs inſtituerunt, quid tandiu ſolus actitaret. Neque difficile fuit in propatulo orantem deprehendere: Iogueſium vident flexis ad Crucem genibus humi, mente, & cogitatione defixum, vbi, neſciebant infelices: vt tamen Satanam ſibi vbique conſtare intelligas, illud diſertè ſignificauerunt, diſplicere ſibi vehementer effigiem illam Crucis, quam etiam illi ſui fœderati Europæi (Batauos intelligebant) auerſarentur. Sed nihilo ſeciùs identidem eò Iogueſius recurrebat: donec pertæſi Infideles, hominem inuiſum per quoſdam è ſuis ad pagum reduci curauere. Hîc cuncta deinceps aliquanto tolerabiliora: anum enim quandam, feminam primariam inter ſuos, cui pro filio, qui recèns obierat, traditus eſt, vel naturalis miſericordiæ ſenſus, vel Deus famuli ſui ærumnas miſeratus ſic mitigauit, vt materno propè affectu ergà Iogueſium ſemper ſe geſſerit. Quare cùm ad victum neceſſaria vtcunque ſuppeditarentur, ad diſcendum idioma conuertit ſe totus, hoc certiori ſpe fructus, ſi ſtatus is rerum diu tenuiſſet, quod ijſdem in ædibus non modò illius pagi, ſed etiam totius regionis concilia habebantur. Ergo cùm balbutire iam poſſet, hoc eſt ſenſa mentis vernaculo gentis idiomate vtcunque exprimere; capita fidei præcipua vltrò cepit primoribus ingerere, illi viciſſim ex eo de rebus plurimis ſciſcitari, ijs præſertim quæ cùm ſint in proſpectu, cauſas tamen effectrices habent abditiores, abſtruſioréſque. So-

lis, puta, quanta ſit magnitudo? vnde maculæ eæ quæ in Lunæ quaſi facie apparent? terræ ambitus quàm longè late-ve pateat? Oceani quæ ſit amplitudo? vndæ eius cur accedant, recedántque certis interuallis? num alicubi, id quod tam ſæpè inaudierant, cælum terræ inſideret? aliáque generis eiuſdem: quibus cùm præclarè ſatisfaceret, incuſábant ſe ipſi, qui de vitâ tali viro eripiendâ conſilia agitaſſent. At is à rebus creatis ad procreatorem animos miſerorum traducens, primùm omnium aniles fabulas reijciebat de Mundi ortu, non à teſtudine, ſed à ſempiterno Deo conditi: de Solis naturâ, qui non modò non mente, ſed ne vitâ quidem ſit prædirus, multò minùs diuinitatis particeps: Aireſκοi illum, cui tàm aſſiduè litarent, ſpiritum eſſe nequam, qui ſe per impium furorem, ſacrilegámque impudentiam, pro rerum omnium auctore venditaret, cùm merum mancipium ſit ſummi Dei, ac rebelle quidem, atque adeò inuiſum exoſúmque: quæ cùm populari modo tractaret, aptéque ad ingenerandam notitiam illam ſupremi Numinis, ad quam collimabat, eueniebat ſcilicet quod olim ſanctis Apoſtolis, ac deinceps alijs Catechiſtis Infidelium, vt *quidam quidem irriderent*, quidam probarent dicta, nec abſurditis tamen ſuperſtitionibus emergerent: quoſdam ex turbâ Dominus ſibi legit, non ex infantulis modò, quos multos cælum tenet, inquit idem rerum ſuarum Scriptor modeſtiſſimus, ſed ex adultis etiam, quos in felici morbo, vnde in beatam vitam per mortem tranſitus, baptizauit. Inſignis vnius præ ceteris vocatio: cùm in pagos vicinos Ioguesius iam liberiùs, nullo vetante, excurreret, gnauus venator animarum, ſubijſſétque caſam quandam, num quis fortè conclamatus infantulus baptizandus offerretur, indagans; ecce tibi eminùs vocantem ſe aliquem exaudit. Cùm ſe eam in partem obuertiſſet, is qui vocarat æger; Nec me noſti, inquit, Iogueſi? Cùm negaret Iogueſius; Atqui ſic habeto, pergit idem: ego ille ſum, qui dum captus es primùm, ſexto die quàm noſtras in manus veneras, vincula laxaui ea, quæ te tàm arctè ſtringebant. Egit gratias perhumaniter pius Sacerdos, occaſionémque arripiens; *Atqui, niſi per te ſtabit*, inquit, *non voluntas modò, ſed facultas etiam adeſt par pari rependendi, aut etiam aliquid infinitis partibus maius. Videlicet poſſum, ſi annuis, non laxare modò, ſed etiam*

ANNVS MDCXLIII

planè diffringere vincula, quæ te longè periculosius colligatum habent, inque hostis teterrimi tui detinent potestate. Haud procul fortè abes à fine vitæ mortalis: si expers Baptismi hinc abires (quod Deus omen auertat) nil te nisi ignes, rogique sempiterni manerent. Proinde, quando se tàm præclara offert opportunitas, noli, mi frater, oblatam negligere. Mihi crede, huc gressus meos direxit diuina Prouidentia: tuum est, benignissimi parentis suauissimum studium demirari primùm, mox ad beatam æternitatem vocanti, morem gerere. Cùm hæc æger cuncta placidissimè audiret, auidéque arriperet: Quid ergo, inquit, facto opus est? Quod inculcamus assiduè, infit Iogueſius, vt supremum illum rerum omnium parentem credens agnoscas, eiusdémque filium IESVM Christum, nostrâ causâ ante annos mille sexcentos, & quod excurrit, demissum in terras. Is summus Legislator sanciuit inter cetera; Quisquis sempiternæ felicitatis quondam fruendæ desiderio teneretur, eum *ex aquâ & Spiritu sancto regenerari debere.* Perrexit deinde tùm illa ipsa explanare vberiùs, tùm capita cetera scitu necessaria adiungere. Nec laborandum magnopere fuit in Catechumeno, afflato à Deo interiùs: simul assentitur propositis fidei articulis, simul morem gerere constituit per omnia, vocanti tàm suauiter Deo. Quid multà? homo ad eam diem in summâ rerum omnium quæ ad fidem spectant ignoratione versatus idem, & patrijs irretitus superstitionibus, regeneratur in spem viuam, intráque paucos dies mortalitate defungitur. Adeò Christus retinens, memórque suæ pollicitationis est; *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.*

HÆC PORRO aliáque documenta diuinæ suauitatis mirum quendam in modum viri Dei ærumnas leuabant: accedebat solamen aliud ex religiosissimo instituto. Videlicet in arborum passim cortice, hîc augustissimum IESV nomen, illîc Cruces efformabat assiduè, tanquam in eorum locorum possessionem, Dei sui nomine adiret, hoc insuper adiungens (quod mente, vt diximus, voluebat frequens, vnum se eâ in vastitate terrarum, supremum rerum omnium conditorem colere) vt erumperet identidem in pios cantus, argumentum sanctæ modulationis ex Dauidicis Psalmis petens, quos non *super flumina Babylonis* quidem, vt illi alij captiui, sed in mediâ

barbarie vſurpabat, hoc ad pios affectus opportuniùs, quod tum ſanctioris hebdomadæ Chriſto patienti dicati dies imminebant. Sed ecce tibi nouum diſcrimen: ſecundâ feriâ illius eiuſdem hebdomadæ ſanctioris, cùm ad lacum à pago aliquantum diſſitum cum ſuis contubernalibus Iogueſius vtcunque animi ſecurus ageret, adeſt è pago nuncius, qui reuerti cunctos ocyùs iubeat. Et in ſpeciem quidem, illud, vt iuſſus erat, cauſatus eſt nuncius, hoſtes circà vagari: re ipsâ ad necem pia victima euocabatur. Inter Iroquios ceteros, qui militatum excurrerant, manipulus vnus erat, in quo filius verſabatur illius, qui pollicem Iogueſio abſciderat, cuiúſque in tugurio manſerat aliquandiu. De bellatoribus illis decem, ſuperiori æſtate profectis cùm nihil prorsùs ad eos dies auditione acceptum eſſet, temerarius rumor iampridem increbuerat, perijſſe cunctos, vbi, quando, à quibus, minimè addebatur. Ita ſuſpenſi animis hærebant eorum parentes, cognatíque, dum captiuus aliquis per eos dies adductus in pagum, (vnde, non memorat) per ſummam impudentiam aſſeuerat, illos ad vnum omnes ab hoſtibus necatos eſſe. Nec mora: temerarius ille delator illicò mactatur manibus cæſorum qui putabantur, abſente Iogueſio: ſed quoniam vilior ea anima viſa, quàm vt aptè necem illius adoleſcentis, primarij apud ſuos, expiaret; idcircò ex vnius & alterius mulierculæ, capularíſque ſenis cuiuſdam decreto adiungendus Iogueſius prætereà erat. Et mactatus re ipsâ fuiſſet eo ipſo die quo Chriſtus IESVS pro humani generis ſalute ſe ſe Deo victimam obtulit, niſi rumor contrarius, at verior; nullo tamen qui deprehendi potuerit, auctore, ſpargi cepiſſet, eoſdem illos bellatores non modò viuere, ſed etiam propediem affore victores. Atque id poſterius haud falsò iactatum fuiſſe, breuî euentus docuit: adfuere ſiquidem paulò pòſt, cum manipulo ſuorum altero, cui ſe adiunxerant, communéſque captiuos adduxere duos & viginti: ita, cùm ſe ad hilaritatem cuncti in pago traduxiſſent, nihil vltrà in Iogueſium mouêre. At is Dei ſui in ſe prouidentiam demirans, non vſquequaque tamen confidere immanium hominum inconſtantiſſimæ leuitati poterat: certè ſeu vincerent, ſeu vincerentur ij qui eum ad modum excurrebant, ſemper in famulum Dei graue quidpiam redundabat:

ANNVS MDCXLIII.

ANNVS MDCXLIII

quippe ſi quam cladem accepiſſent, ipſe repoſcebatur ad ſupplicium: ſi ſuperiores extitiſſent, quotquot ferè adducebant captiuos, cùm ij vel Galli eſſent, vel Gallorum fœderati; non poterat non eorum funeſtiſſimâ ſorte angi vir miſericors. Quanquam qui tunc in Iroquiorum manus venere, ex Natione quadam erant, cui nihil commercij cum Gallis: ità nihil diſſidij interceſſerat. Sanè remotiores Kebecco fuiſſe oportuit, quando eorum idioma incognitum ſibi fuiſſe teſtatur Iogueſius: eò difficilius ipſorum æternæ ſaluti conſuluit: fecit tamen, vt eſt ſemper ſolers, induſtriáque charitas. Viri quinque tantùm erant: reliqui, ad ſeptemdecim, pueri, vel mulieres, turba imbellis, atque innoxia: ac ne viri quidem ipſi, hoſtes Iroquiorum: nullum enim bellum antè cum ferâ gente geſſerant: eò & importunior graſſatio, quæ in quietos, pacatóſque feciſſet impetum, & fœdior crudelitas, quæ pueris, mulieribúſque ad ſeruitutem reſeruatis, viros omnes tollere de medio conſtituit. Id vbi ſenſit Iogueſius, enimuerò lapidem omnem mouere, vt ne quem eorum interire Baptiſmi expertem ſineret: ſed quid faceret, vernaculi captiuorum idiomatis non modò rudis, ſed etiam ignarus. Ex verbis paucis quæ edebat, ex geſtu verò maximè, vt fit, inſinuansſe ſe paulatim, nactus eſt denique interpretem, vnum ex ijs ipſis quorum res agebatur, Algonquinium idioma callentem: eius operâ, multò autem magis ſingulari Dei munere, beneficentiáque in eos, quos ſuos & agnoſcit, & facit; capita fidei præcipua tradit nec repugnantibus, & ſcilicet omnes dealbat Chriſti in ſanguine, ijs ipſis diebus, quibus rediuiuo Chriſto, IESV vitam cum infinitâ gloriâ immortalem ſolenni religione gratulatur Eccleſia.

SVBIVNGIT IDEM fœdum æquè, & luctuoſum ſpectaculum, in quo vtrius potiores partes fuerint, neſcias, crudelitatis, an impietatis. Per ferias ſacræ Pentecoſtes, cùm captiui alij adducti eſſent, (vnde, & à quibus, non ſatis dilucidè exponit) in ipſas feminas, quod ad eam diem inauditum fuerat, non minùs ſæuitum, quàm in viros. Solebant illas ad ſeruilia quæque reſeruare, niſi ſi quæ in æſtu dimicationum deprehenſæ, cecidiſſent, aut ad accelerandam fugam commodius, interfectę eſſent in itinere: vt autem in imbelle genus

genus immanitatem illam eandem exercerent, quam in viros vltrò citróque exercere pridem conſueuerat inolita barbaries, id verò factitatum antè nunquam. At tunc, nouo quodam œſtro ferinæ importunitatis perciti, vnam toto vſtularunt corpore, hunc in modum. Vt quaque parte faces admouebant, âderat infauſtus præco, concepta hæc verba iterans. Hanc tibi victimam adolemus, Aireſκϑi, quò eius carnibus exſatiatus, volens, propitiúſque adſis noſtris certaminibus, victoriámque tribuas. Cauſa noui ſupplicij, inuſitatíque cruciatus fuit, votum ſuperiori hyeme in ſolenni vrſorum duorum ſacrificio ab vniuerſis conceptum, quando diu erat ex quo hoſtium nullum cepiſſent (vt autem nullum cepiſſent, culpæ tribuebant ſuæ, homines officij retinentes imprimis, quòd eorum quos poſtremos ceperant, non voraſſent cadauera) ſi qui deinceps ſuas veniſſent in manus, eorum corpora ad eum planè modum abſumpturos, quo ad mactatorum vrſorum carnes vorandas ſe ſe læti accingerent. Verùm, ſubeſſe aliquid prætereà debuit: an non enim egregiæ pollicitationi ſatisfactum eſſet, ferinâ ingluuie in virorum artus exercendâ, intrà quas metas ſe ſe hactenùs continuerant? ſed vt *Infernus*, ita neque Tartarei carnifices ſatis vnquam eſſe dicunt. Et hîc tamen eluxit diuina in infelicem benignitas: ad eam per flammas arrepſit Iogueſius: & quando antè non licuerat, quidquid tentaſſet, tunc ſaltem per ſpeciem propinandæ frigidæ, quam torrida mulier flagitabat, volentem induſtrius Sacerdos baptizauit. ANNVS MDCXLIII.

TENVERANT eæ ærumnæ ad exeuntem vſque Quintilem: quo tempore dum tranquilliora ſperare poſſe videbatur Iogueſius, maius, formidoloſiúſque omni ex parte diſcrimen intentatum. Pridiè Cal. Sextiles (quâ luce S. Ignatij anniuerſariam celebritatem recolit Societas IESV, meritiſſimo fundatori cæleſtes honores gratulans) iuſſus eſt pergere cum Iroquiorum manipulo ad mercaturas proficiſcentium, mox operam daturorum piſcationi. Poſtquam prius illud ex animi ſui ſententiâ perfecerant, diſtractis mercibus, aut mutatis commodè, ſubſtitêre loco ad piſcandum percommodo, leucis ſeptem octo-ve trans Præſidiariam ſedem quandam Batauorum. Hîc dum placide exerceretur piſcatio, ecce tibi ex pago vnde profecti erant, nuncij tàm acerbi Iogueſio, quàm læti

ANNVS MDCXLIII.

alijs omnibus, redijſſe bellatores alios, qui reportatâ victoriâ, Huronibus, quibuſcum dimicabant, fuſis, exijs quinque, ſex-ve interemiſſent, quatuor captiuos abduxiſſent, longè plures ſibi fugâ conſuluiſſe. Ex ijs porro quatuor, duos iam inuſitatâ quadam crudelitate crematos in pago. Ad eam denunciationem perculſus Iogueſius, mœrénſque, quod non morientibus prò ſuo more adfuiſſet, ab anu, cuius in poteſtate erat, facultatem petere inſtitit in pagum redeundi, tædium cauſatus, re ipsâ, quo, ſi quid grauius de duobus illis reliquis decerneretur, iuuaret, ſolaretúrque miſeros, ac, ſi nondum initiati erant, aptè inſtitutos baptizaret. Cùm ea annuiſſet, dum per Præſidiariam illam Batauorum ſedem tranſit, accipit depoſci ſe ſe ad ignes, flammáſque, à pagi incolis. Cauſa noui odij, vel furoris potiùs hæc fuit. E multis qui ad Algonquinios, Gallóſque inſidiosè de more vexandos proficiſcebantur, vnus fuit, qui cùm ad Richelæam ſedem vſque, excurrere eſſet animus, commendatitias literas ad Gallos, homo videlicet ſingulari commendatione dignus, à Iogueſio flagitauit. Is tametſi ſatis proſpiciebat ſi qua clades in præclaros bellatores deſæuijſſet, inſimulatum iri ſe, qui non commendatorias, ſed proditorias literas dediſſet, tamen cum re ſuis momentis expensâ, plurimum intereſſe iudicaret, fieri Gallos de malâ hoſtium mente, ſubdoláque amicitiæ ſpecie certiores; chartulâ à Batauis ſubminiſtratâ (quo tempore, non prodit: menſes quidem certè iam aliquot fluxiſſe oportuit) ſcribit ille quidem: at appoſitè ad rem fidei, non ad mentem perfidioſorum perduellium. Nec ille quidem cui datæ literæ, vltrà apud ſuos comparuit: reſcitum ab eius commilitonibus, cùm Epiſtola illa Præſidiarijs Richelæenſibus reddita fuiſſet, vbi primùm prælecta eſt, diſploſas bombardas maiores in eos qui è canois ad amnis ripam opperiebantur, cuncta fragore iuxtà, ac metu compleſſe, nudos diffugiſſe hac illac perfidioſos Iroquios: in eâ trepidatione relictam canoam vnam, cum ſclopis tribus, puluerísquenitrati certo numero. Quæ cùm à reducibus renunciata eſſent, vna vox omnium fuit, cauſam mali, Iogueſij literas fuiſſe: qui rumor cùm longè latéque percrebuiſſet, ad aures quoque illius, dum in eâ, quam dixi Batauorum ſtatione in tranſitu verſatur, allapſus eſt: nec dubium

cuiquam fuit, quin, ſi tunc in pago fuiſſet, futurum fuerit vt omni crudelitatis genere labem eam expiaret ſcilicet. Acceſſit ad efferandam rabiem, quod ſub idem illud tempus manipulus alius è Monte-regali rediens, à Gallis vnum è ſuo numero peremptum, vulneratos duos vociferabatur: ita furentes, lymphatique, aliud morabantur nihil, niſi Ioguesij in pagum reditum, in ſontem vt interpretabantur, immanitatem omnem è-veſtigio exprompturi. Ergo cùm nihil horum fortem Chriſti athletam lateret, fecit quod facere vnuſquiſque tali loco debet, vt in omnia animo & deſtinatione paratus, expendat tamen vtrinque momenta rationum, conſultétque ſecum, ſi cum alio non licet, quid facere in re tám ancipiti oporteat. Nam vt per ſe ſit ſublimius, nullius non tormenti diritatem IESV Chriſti causâ appetere, & vitam obijcere infeſtiſſimis quibuſque cruciatibus, id quod à ſanctis Martyribus vſurpatum ſæpenumerò ſacri teſtantur Annales; tamen eſt etiam, vbi fugâ ſibi conſulere liceat: cúmque (vt Apologia de fugâ ſuâ ſcriptum reliquit S. Athanaſius) præſtituti tibi à diuinâ prouidentiâ temporis finem ignores, non eſt cur temerè tradas te inſidiantibus. Hæc verò tunc propriè Ioguesium mouebant: cùm enim nihil ſe apud Iroquios legitimè retinere poſſet, niſi ſtudium vel captiuos alios iuuandi in ſpiritu, Gallos iuxtà, Algonquiniósque iam initiatos; vel baptizandi, ſi qui occurrerent vnde vnde, Algonquinij, Hurones, Iroquij; ſpem vtramque interciſam ſibi videbat. Nam ad Gallos quidem quod attinebat, iam trucidatus ad eius pedes erat Renatus Goupilius: Guillelmus Coſturæus in pagum alium ablegatus, diſſitum procul, tàm multis inſuper implicitus occupationibus diſtinebatur, vt ſi maximè vellet, ad Ioguesium nequiret excurrere. Henricus, qui ad Montem-regalem captus à victoribus Iroquijs ad pagum eundem ductus fuerat, totum iam ſeptiduum deſiderabatur: quippe cùm cruciatuum ſpectator adeſſet Huronis captiui, quem fera monſtra lentis adurebant ignibus; territus adeò eſt Iroquiorum aliquot oratione, denunciantium quo modo tunc Huro haberetur, eodem in ſe poſtmodum ſæuitum iri, vt in auia ſiluarum ſe ſe abdiderit continuò, mitius ratus fore ſi vel fame conficeretur, vel deuoraretur à feris, quàm ad lentam iſtam carnificinam

ANNVS MDCXLIII.

eandem, & omnium propè atrociſſimam ſe ſe reſeruare. Ad alios quod ſpectabat, intercluſa erat omnis omninò ipſis opem ferendi facultas: refugiſſent ſiquidem ab ipſo tanquam à victimâ iam addictâ ignibus, tùm Hurones, tùm Algonquinij, ne ſi quâ communione cum viro tàm exoſo iuncti eſſe animaduerterentur, in publicum odium illud quod flagrabat, ſuo periculo incurrerent. Reputabat prætereà animo, cognitionem illam qualemcunque linguæ Iroquiæ, quam tot ærumnis mercatus fuerat, caſuram in irritum, ſi tunc ipſe interiret; ſi ſe reſeruaret, vſui fortè quandoque fore. Quare cùm Batauus Præfectus ex naturali miſerationis ſenſu auctor eſſet euadendi, nauémque præſto eſſe moneret, in quam mox vela facturam in Europam, commodè poſſet imponi, Rupellam dein appellendus; nihil auſus Iogueſius ex tempore ſtatuere, noctem ad deliberandum petijt, ſtupente homine hæretico, nutare illum, cunctarique in diſcrimine tàm manifeſto eodem, & atroci. Poſtridie manè Præfectum appellans; *Quàm non Iroquiorum ignes, inquit, extimeſcam, intelligere potuiſti vel ex eo, quod in deliberationem vocadum putauerim, num occaſione vterer, quam tute pro tuâ humanitate obtuliſti, an eam prorſus elabi ſinerem. Et verò cùm illud reputo Domini interrogantis;* Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum, patiatur? *facilè adducor, nihil vt refugiam eorum, quæ ad momentum atrocia ſunt, quò per breues cruciatus aditum mihi ſempiternam ad felicitatem muniam. Sed quoniam vetat idem ille ſummus Imperator ſuo iniuſſu de ſtatione vitæ decedere, quando me hunc in locum ſuâ prouidentiâ adduxit, vnde nullâ cuiuſquam aut offenſione, aut deſtitutione redire in Galliam liceat, faciendum id demùm videtur, ne nullo fructu vitam non tàm prodegiſſe, quàm abieciſſe cenſear, ſi me immaniſſimis, infenſiſſimíſque hoſtibus commiſero. Gallus quem iuuem, deinceps illîc nullus eſt: omni Algonquiniorum, Huronúmque & commercio, & colloquio intercludor: quæ ſpes fructus? Accipio proinde quod offers: ac ſi eâdem in mente ipſe perſtas, nauem veſtram conſcendam, in beneficij loco veſtram hancce benignitatem poſiturus. Ceterùm, tùm ſi quid placandis Iroquijs erogandum videbitur, tùm nauigationis ſumptus omnes, & quicquid in veſtitum, victúmque contuleritis, repræſentabo vtique, vbi Galliæ fines attigero.*

Matt. 16.

ANNVS MDCXLIII.

MOVIT EA ORATIO tùm Præfectum, tùm quos accerſendos in conſilium putauerat: conſenſúque reſpondent omnes, ſi ſemel in nauem Iogueſius pedem intuliſſet, ab Iroquijs planè tutum fore, neque excenſurum antè, quàm Burdegalam, Rupellam-ve teneret. Ergo ex compoſitò ad Iroquiorum agmen, quibuſcum venerat, Iogueſius ſe recipit, opportunitatem captaturus euadendi, ſi quam fortè nox proxima daret. Aderant non tàm comites, quàm cuſtodes ad duodecim: horum eludenda diligentia erat ad effugium. Et cuncta quidem circà luſtrat tempore Iogueſius: quò pòſt, intempeſtâ nocte alto ſomno depreſſis Iroquijs ſe ſubducat: ſed ecce tibi dum id maximè agit, vt ſoluti canes erant, moloſſus præcipuæ magnitudinis in eum inuadens, crus grauiter ſauciat. Quid hîc ageret? intrò ſe refert diſſimulans, & circunſtantibus hinc inde Iroquijs, ſe ſternit ad ſomnum, animi potiſſimùm anxius quà euaderet, illúdque Prophetæ, vt ipſe tradit, verſans animo; *Concluſit vias meas lapidibus quadris.* Quippe circunſtabant duodecim leopardi, vt de ſuis quondam cuſtodibus S. Ignatius Antiochenus loquebatur: ianua ingens arcte obducto peſſulo clauſa erat: foris ſoluti canes vagabantur, furem ſui ſi non iterato morſu inhibituri, certè latratu prodituri. In mœſtis hiſce curis noctem propè totam cùm exegiſſet vigil, ſub gallorum cantum matutinum, Batauum famulum aduertit, locum ingreſſum per interiorem ianuam: ac nutu blandè ſignificans (neque enim idioma callebat) canum vt latratum inhiberet, exeuntem ſilenter ſubſequitur: ligneum ſeptum tranſcendit, quo villa tota claudebatur, itérque ægrè molitur amnem verſùs, vulnerato, vt diximus, crure. Interuallum erat vnius propè milliaris, ſeu, vt numeramus, quartæ partis leucæ Gallicæ, & illuceſcebat: ac lembum quidem in ripâ reperit, ex condicto relictum: verùm cùm maris æſtus receſſiſſet, in ſicco, idcircò totâ virium contentione adniſus, verſando, reuerſandóque, vbi nihil proficit, neque in aquam impellere vllo modo ob molem poteſt; quantâ maximâ valet vociferatione, nautas in naui verſantes inclamat, ſcapham ad ſe appellere ne grauentur. Verùm, ſeu ipſi exaudirent, ſeu clamores euaneſcerent in auras, adfuit nemo. Hîc verò, vel vires augente diſcrimine (iam enim il-

Thren. 3.

ANNVS MDCXLIII.

luceſcebat) vel peculiarem quendam in modum iuuante Deo, cuius opem implorabat ex animo, lembum ſic verſat, reuerſátque, vt è limo extractum in vndas impulerit. Nec mora: in eum ipſe confeſtim immigrat, & à nullo quoquam mortalium deprehenſus, ad nauem peruenit. Sed periculum non tàm effugit, quàm mutauit: excipitur ille quidem à nautis, at non commodiſſimè: quoniam metuebant ne aduentantes Iroquij Iogueſium cum iurgio paulò pòſt requirerent, occultandum cenſuerunt imâ in naue, ad carinam, quo loco nullus neque à fœtore infeſtior, neque ad reſpirandum aptus minùs. Ibi biduum totũm delituit ſic, vt profiteatur ipſe, penè ſe enectum teterrimâ mephiti; dum ſecundâ nocte nunciat Batauus Miniſter, adfuiſſe Iroquios, & tumultuatos incredibilem in modum fuiſſe: metuere ſe magnopere, ne tùm ſibi tùm vniuerſæ Coloniæ periculum crearet, ſi diutiùs diſſimularent: minitari furentes Barbaros, ſe aut flammam tectis iniecturos, aut pecora, armentáque trucidaturos. Proinde, cedendum ad tempus huic quaſi tempeſtati: eam intrà paucos, vt ſperabat dies, ſedatum iri. Hîc verò nautæ fremere, dictitaréque, indignum planè eſſe, vt poſtquam tanquam in aſylum, ſic in nauem, omnium voluntate Gallus homo exceptus eſſet, exire nunc cogeretur: publicam fidem interueniſſe, nefas eſſe ipſam violari: ſi nondum ad nauem peruenisſet, omni ſtudio ad eam deducendum eſſe, quò ne efferatis hoſtibus dederetur: nunc, poſtquam iam in tuto lateret, ad certiſſimum mortis tàm immanis diſcrimen eijci, nullo modo ferendum. At Iogueſius, vt Ionæ caſus iam antè in moleſtiſſimâ illâ ſuâ latebrâ reuoluerat, eiuſdem orationem vſurpans. *Si propter me*, inquit, *orta eſt tempeſtas, proïcite me in mare.* Quandoquidem ab eo ipſo, qui auctor euadendi fuerat, repoſcor, certum mihi eſt eò remeare vnde exceſſi. Ita conſalutatis omnibus, Miniſtrum ſecutus, ad Præfectum pergit. Is ità rem tranſegit, vt poſt crebras altercationes, ac propè rixas, tandem Iroquios ad munera pro Iogueſii capite accipienda perpulerit, pretij aureorum circiter centum: tùm eductum è latebrâ in quâ eum interim habuerat, ne ſi in conſpectum veniſſet, ad necem omninò ab importuniſſimis monſtris raperetur, ad Mahaten miſit (portus alîus nomen eſt) ad Præfe-

ctum eum, qui Batauorum nomine toti regioni ſummâ cum poteſtate præeſt : ab eo perhumaniter exceptus Iogueſius, ac veſte donatus, quâ vel maximè indigebat, impoſitus eſt in cymbam : hæc duce Deo, per tàm longos æquorum tractus, tempeſtate anni perincommodâ, Armoricæ portum tenuit ipſo peruigilio Natalis Chriſti IESV. ANNVS MDCXLIII.

SED HAVD MAGNOPERE profuiſſet littus Galliæ tetigiſſe, ſi non licuiſſet exſcendere, hoc enim grauior dolor fuiſſet, quod id erat in portu facere naufragium. Atque id ipſum metuebat magnopere Iogueſius, nec immeritò, vt profeſſus eſt Nauarchus, Berſono Rhedonenſi Mercatori, viro digno vtique cuius nomen extet : adeò ſe humaniter exhibuit ergà deſtitutum, & rebus egentem omnibus. Nam ſingulari Domini Dei prouidentiâ factum eſt, vt cùm ad littus Huronicum Anglus ſubſideret, ipſo Dominici Natalis die ad eius nauem Berſonus adierit, cum nauicularío quodam acturus, quicum negotij familiaris aliquid intercedebat : vtque ijs locis conſtitutum domicilium habebat vir cui ex re nauticâ victus ratio penè penderet, in naue Anglicâ tunc verſabatur. Is vbi primùm Berſonum agnouit, demittit ſcalam ex funibus, per eámque hominem ad nauem accerſit. Ibi comiter ſalutatus tùm ab amico, tùm à Præfecto nauis, interea dum ad pocula inuitatur, oculos Berſonus conijcit in Iogueſium, frigore rigentem in foris : Is, vt penè nudus erat, accedit ſilens, laciniámque prehendens pallij, rogat magnopere ſortem tàm deploratam miſeraretur. Ratus Berſonus (ſic enim ex eius ore accepi) mendiculum eſſe de illis quiſquilijs, aſſem Gallicum obijcit. Recuſante eo accipere, exiſtimans Berſonus idem, plus à ſe peti, porrigit duos : at is ſpem inter metúmque alternans; Miſerere, inquit, mei vir honeſtiſſime : ego Ieſuita ſum. Hîc Berſonus ſimul attonitus, ſimul miſerans, diſſimulanter quæſtit à Præfecto ; Quis demùm ille eſſet tàm miſer, támque deploratus ? Captiuum eſſe reſpondit, à Batauis Iroquijs ereptum, quem in Belgium reduceret. Pergens in deſtinato conſilio hominis eripiendi Berſonus, amicum illum iubet ſuo nomine inuitare Præfectum, ad domunculam ſuam, precaríque vti miſerum illum exſcendere ſecum ſineret ad fomentum aliquod ex igne atque ex cibo capiendum. Cùm cunctaretur

ANNVS MDCXLIII. Præfectus, Berſonus Iogueſium prehendens. Exſcende, inquit: & ante ſe properare iubens, agit ad ſcalam, Præfecto muſſante: Iogueſius autem multa voluens animo: Nunquam, inquit, Berſonum compellans, magis anxius animo fui: vides tute quo ſtatu ſim: tractus huiuſce prætereà linguam ignoro: quid me fiet? Bono animo eſto, inquit Berſonus: ego te Rhedonas ducam: quam ad ſpem quaſi reuiuiſcens Iogueſius, pergit, & apud Berſoni Anglíque hoſpitem benignè exceptus, luculento igne recreatur primùm, mox cibis appoſitis. Intereà Anglum in ſuperiori cœnatione poculis capacioribus ex Berſoni mente, hoſpes inuitat, haud tamen ita captiui oblitum, quin ex Berſono requireret, quid factum eo eſſet. Cùm reſpondiſſet, ipſum ad ignem aſſidere, reuerſurúmque ad nauem, ſecedit tantiſper, euocatúmque Iogueſium perhumaniter conueſtit, detractâ ſibi non exiguâ parte veſtium. Super induſium, inijcit ſua ipſius femoralia interiora, tibialiáque, & laneam interulam: ab hoſpite recipit galerum, palliúmque, quod vtrumque ipſi commodauerat Rhedonibus aliquantò antè. Et Iogueſius mœrens; Cui me, inquit, committis? obliuiſcêris mei. Minimè verò, inquit Berſonus: fidem præſtabo, ne dubita. Tu modò, addit, hoſpitis filium compellans, hunc mihi cras ſummo mane deduc ad mercatorem ad quem ſcribo: hominem noſti. Erat is in ære alieno Berſoni haud exiguo, oppidi leucas quatuor diſſiti, ciuis honeſtus. Ab eo perbenignè exceptus Iogueſius eſt, & ad Patres Recollectos, vt expetierat, deductus. Cum ijs diem totum tranſegit: poſtridiè manè, moræ impatiens obuiàm Berſono progreditur, totámque leucam emenſus, venientem excipit liberatorem ſuum mutuâ gratulatione. Ex eo cognouit, Anglum eluſum excanduiſſe vehementer, dum Iogueſium, quem ad nauem præmiſſum hoſpes affirmabat, nuſquam in naue reperit: tum ad oppidum cum benefico ſuo reuerſus, inſtructúſque liberaliter veſte exteriori commodâ, & ocreis, impoſitúſque in equum, Rhedonas tenuit lætus: hoſpitatúſque apud eundem eâ nocte, poſtridie manè, in veſte adhuc nitentiori ductus ad Collegium Societatis, à Ianitore exceptus initio, quomodo mendici honeſtiores ſolent, tandem agnitus à Rectore Collegij, quem ad colloquium vehementer expetierat, finem ærumnarum

narum tum quidem inuenit: poſt horas aliquot vnà cum eodem Rectore ad Berſonum adijt, pecuniámque obtulit factis ſumptibus reponendis: ſed non tulit viri liberalitas: pecuniam reiecit prorſùs, recepit veſtes. Iogueſius autem octiduum Rhedonibus moratus, Lutetiam accerſitus eſt: nec diu pòſt, Nouam Franciam repetiit: proinde de illo iterum ſuo loco. Intereà, nihil ipſi potius fuit, quàm vt Batauis ad obolum repræſentarentur cuncta, quæ vel in lytrum, vel in veſtitum, commeatúmque contulerant: quibus vt hoc nomine debemus, nunquam futuri immemoers collocati in Iogueſio beneficij, ita vtinam nullam nobis legitimæ expoſtulationis cauſam iidem præberent in Orientali, Occiduáque Indiâ, dum Ieſuitas vtrobique atrociter ſanè oppugnant. Erit fortè cum illos praui inſtituti pigeat, pudeátque infamem ſpurci Mahometis ſuperſtitionem per indignas Ieſuitarum Sacerdotum cædes amplificare, certè ad eam lanienam orbis Chriſtianus vniuerſus nobiſcum ingemiſcit.

CLAVDAT HVNC ANNVM inſignis teſtificatio innocentiæ noſtræ Societatis, in atroci calumniâ. Ab hæreticis, atque adeò fortè ab licentioribus Orthodoxis aliquot, Ieſuitarum haud amantiſſimis, in vulgus ſparſus erat rumor ſanè incommodus, Ieſuitas eoſdem, pietatis obtentu, in Nouâ-Franciâ quæſtuoſam mercaturam exercere fibrinarum pellium: ac tametſi, vt hîc perſequitur Paulus Iuuenæus, incredibile per ſe eſt; homines, haud humillimo ferè loco natos, neque ab re familiari domi ſuæ imparatos, natalis ſoli valere iuſſâ dulcedine, tàm indignâ de causâ per infidi Oceani tempeſtates, ac procellas mediam in barbariem ad ignes, rogóſque tendere; quoniam tamen in mentibus odio, inuidia-ve exulceratis facilè inſidet ſuſpicio, idcircò attexere hîc viſum literas magnificorum Directorum Societatis, Mercatorum Gallorum (qui regiâ auctoritate ſoli tunc quidem mercibus iſtiuſmodi præerant) miſſas per Galliam, ad flammam conſopiendam gliſcentis calumniæ. Eæ ſic habent.

DIRECTORES, ADSCITIQVE in ſocietatem mercaturarum Nouæ-Franciæ, vulgò Canadæ, præſentes literas inſpecturis, ſalutem. Cognito à nobis, quoſdam eſſe, qui ſibi perſuadeant, atque adeò ſpargant in vulgus, Patres Ieſui-

ANNVS MDCXLIV. tas in partem, communionémque venire mercaturarum, quas hîc exercemus, mercibus importandis, exportandisque, qui rumores eò pertinent, vt imminuatur, extinguatur-ve præclara opinio vulgò, veréque concepta de immensis laboribus, quos hîc suscipiunt, déque discriminibus quæ adeunt capitis & vitæ, ad Domini Dei obsequium, & gloriam, in vocandis ad fidem Barbaris: quâ in re ingentes in dies progressus ab ijs fieri, certum exploratúmque nobis est; Idcircò nostrarum partium esse putauimus, illos quibus fortè illa insederit suspicio, à minimè verâ opinione ex Christianâ charitate deducere, testatúmque facere id quod hisce literis facimus, Patres Iesuitas neque directè, neque indirectè adscitos esse in nostram Mercatorum societatem: neque vllam partem mercaturarum quæ à nobis fiunt, ad ipsos pertinere. In cuius rei fidem subscripsimus his literis, easdémque sigillo nostræ societatis muniri curauimus. Luteriæ Parisiorum, in ordinario societatis eiusdem conuentu, 1. Decembris MDCXLIII. *Fertæus, Abbas S. Magdalenæ: Borderius: Marginnius, Robinellus, Taboretus, Berüerius, Verderius, Borgnetus, Clarentinus.*

ANNVS MDCXLIV. ANNVS DEINCEPS quartus & quadragesimus luctuosus multis nominibus fuit. Nam hyeme quidem, cùm expatiari liberiùs ad venandum, imminentium Iroquiorum metus non sineret, Algonquinij, Montanique, quorum tota victus ratio hinc pendet, penè extremâ fame conflictati. Quanquam nec sic officio defuerunt suo, Silleriani præsertim, quorum è numero Carolus Meiaskvat, ægrius animo ferens, Abnaquios finitimos, ad quos iam variis de causis sæpiùs adierat, in auitâ remanere caligine, quòd qui eam depelleret, minùs adesset, Patribus circà varios alios vehementiùs occupatis, quàm vt eò pergere ipsi possent; constituit ad eos excurrere, & si quâ viâ posset, gentem minimè contumacem ad fidem pertrahere.

Quid effecerit, non reddunt Annales: quoniam tamen non largè minùs quæ piè susceperis, quàm quæ gnauiter effeceris, munerari Dominus Deus solet, vt pote quæ non minùs accepta; non est premendus silentio generosus imprimis conatus viri, nihil nisi diuina spirantis. Ergo Carolus ad Sacerdotem adiens eum, qui Sillerianæ coloniæ moderabatur, ait sibi esse in animo, tentare, num quos ex Abnaquijs ab exitialibus su-

ANNVS MDCXLIV.

perſtitionibus deductos perducere ad Chriſtum queat : miſerari ſe ſortem eorum, qui idcircò ad ignes ruerent ſempiternos, quod quemadmodum ſempiternum illud exitium declinarent, traderet nemo : exploratum ſibi eſſe, Patrum neminem, præ paucitate, id in ſe poſſe ſuſcipere : proinde ſe, quæ ab ijs accepiſſet, minimè malignè cæcæ Nationi impertiturum. Sciſcitantibus quid potiſſimùm allaturus eſſet, de myſterijs fidei dicere aggreſſus eſt tantâ vi, tantáque vbertate, vt admirationem concitarit ſui: & vbi finem dicendi fecerat; *Hæc ſunt*, inquit, *quæ proponam: ingenij quidem expers ſum: verùm, ſi Dominus eam in rem operâ meâ vti volet, ingenium ipſe ſuppeditabit: tum ambo mira facicmus.* Secundùm hæc, canoam conſcendit cum ſocio vno, nec pluribus, in paupertate planè Apoſtolicâ : póſtque biduum deſertus à ſocio; cùm progredi ſolus nollet, Sillerium redit, alterum ſi foret copia, ſibi adiuncturus; at non pacatè minùs, quàm ſi nihil accidiſſet. Et ecce tibi quaſi ex compoſito, eodem illo momento Abnaquij aliquot adueniunt : memorant trepidi ac pauentes, viſa ſibi in itinere variis locis Iroquiorum veſtigia : monent Carolum tùm ipſi, tùm populares, habeat rationem ſui, ne-ve ſe vltrò in tantum capitis, ac vitæ periculum coniectum eat. Ad quæ ille intrepidus ; Ego, inquit, Iroquios nihili facio : Deum vnum timeo, venerórque : is ſi volet, incolumem me ſeruabit : ſi nolet, nouit, cur aliud vt eueniat ſit permiſſurus : tali quidem de causâ nil recuſo quin in manus Iroquiorum veniam, ab iiſque & vſtuler, & vorer. Vbi ea prolocutus fuerat, homologeſim inſtituit, Crucifixíque Domini ſignum quod petierat, oſculatus identidem, canoam conſcendit denuò : cùm iam antè Monialium Cœnobium vtrumque adijſſet, earum opem à Deo per preces flagitaturus.

P. Breſſanium ab Iroquijs captum, & crudeliſſimè habitum.

PRIMO DEINDE VERE regionem inter ſe ad cædes, latrociniáque partiti nefarij Iroquij tùm alias intulere ſtrages, tùm Franciſcum Ioſephum Breſſanium cepere, Sacerdotem è Societate IESV Italum. Is Romæ natus, educatúſque, Miſſionem ſanè duram à Præpoſito Generali noſtræ Societatis depoposcerat ſibi, vir excelſiſſimi animi, & ad laborum quorumcunque patientiam apprimè factus. Ergo cùm ante biennium Kebeccum veniſſet, & ingentem illum mentis ardorem præ-

ANNVS MDCXLIV.

claris ſemper probaſſet documentis; viſus Patribus idoneus eſt, qui ad Hurones tenderet, vel in eâ vineâ ipſe laboraturus, vel operarios alios recreaturus tùm alloquio, tùm rerum ad cultum neceſſariarum ſubminiſtratione: triennium enim iam tum fluxerat, ex quo prorsùs nihil ſubmitti Kebecco potuerat: hinc facile quiſque coniecturâ aſſequi poteſt, quantâ tandem in deſtitutione rerum omnium verſarentur, poſtquàm ad ſuperiorem illam egeſtatem vix tolerabilem, tempus veſtes attriuerat, ſi quid triticeæ farinæ, viníque in ſacrificium ſepoſuerant, penè abſumpſerat. Sanè audiui eodem illo anno de Iſaaco Iogueſio, qui tum in Galliâ verſabatur; cùm diceret, niſi curiosè & diligenter ex vite ſilueſtri hinc inde labruſcas collegiſſent, vnde vini aliquantulum exprimerent, carendum ſibi prorsùs ſacrificio fuiſſe: quâ penuriâ quæ poteſt excogitari grauior? ceterum, noſtros omnes illîc vitam tolerare pulte ex farinâ frugis Indicæ aquâ dilutâ, coctáque: eam pro pane eſſe, pro obſonio, pro menſis ſecundis, niſi ſi quando piſciculorum aliquid accederet: eas verò eſſe exquiſitiſſimas epulas regionis totius: & initio quidem, nihil inſipidius viſum ſibi: pòſt, ita ſtomachum cibo ſanè facilè parabili aſſueuiſſe, vt nihil aliud requireret. Atque hæ ſunt ſcilicet lautitiæ quas ſequuntur per infinita diſcrimina cupidi illi Ieſuitæ: quorum aſperitatem ſi deamarent ij, qui tàm leuiter, ne tàm malignè dicam, obloquuntur Societati de hominum genere haud peſſimè meritæ, næ, alia breui facies Eccleſiæ eluceret: ſed ad noſtra reuertamur. Cùm nihil non tentandum putarent Kebeccenſes Societatis IESV filij, vt fratres ſuos illos Huronenſes tàm in arcto poſitos ſolarentur, ſubleuaréntque; conſtituit de eorum ſententiâ Breſſanius, rem tentare: & quoniam æſtate præſertim excurrere ſolitos norant infeſtos Iroquios, præuertendum ratus, eo tempore proficiſcendum putauit, quo nondum niues vulgò ferebantur ſolutæ. Hyemauerant Kebecci in Seminario, Hurones quatuor, adultæ ætatis, Autumno ſuperiore eo conſilio ſuis egreſſi finibus, vt per hyemem Kebecci diuinos ſatus excipere liceret, inſtitutionéque imbui eâdem, quam indidem Kebecco ad ſuos annis ſuperioribus nonnulli alij retulerant, ſingulari ſuo fructu, omnium approbatione. Acceſſerant eâdem ex gente alij duo,

qui ab Iroquiis capti, euadendi deinde viam repererant. Ii partim nondum baptizati, partim Neophyti in fide, cùm paulò antè, Baptiſmo initiati, ſacramentum aliud nullum capeſſiuiſſent adhuc, hyemem totam poſuere in mente egregiè comparandâ, illi ad Baptiſmum, hi ad ſynaxim primam, feſtâ luce S. Ioſephi obeundam. Cùm interim baptizati homologeſim inſtituerent crebrò, teſtificatus deinde eſt Sacerdos ille è Noſtris, qui eorum Confeſſiones excipere ſolitus erat, tantam eorum innocentiam morum vulgò extitiſſe, vt cùm ne labeculam quidem vllam ex vltimâ homologeſi concepiſſent, quæ ad peccatum veniale pertineret; eos iuberet ſæpiùs ex anteactæ vitæ noxis aliquam denuò *ſubÿcere*, vt vocant, *clauibus*, quò abſolutionem nanciſci poſſent. Nec mirum tàm integrè, incontaminatéque exigi ab ijs potuiſſe menſes multos, quando dies noctéſque in eo toti erant, vt Chriſtianæ fidei rudimenta, ritúſque per Catecheſim addiſcerent. Ac tametſi adulti iam, vt diximus, erant, pudor tamen non erat vnà cum Gallis pueris reddere palàm, quæ tradita ab Catechiſtâ eſſent: noctu verò poſtmodùm eadem recognoſcebant tàm aſſiduè, vt in eo omnes ipſorum curas verſari, nullus non intelligeret. At, vt ne ſibi deeſſet teter dæmon, per hyemem ferè totam ſomnijs vexati ſunt ſanè formidoloſis, talibúſque, vt niſi in fide egregiè confirmati fuiſſent, periculum foret ne in patrias ſuperſtitiones relaberentur. Sedenim præclarè aduersùs ea terricula informati, Domine Deus meus, aiebant quiſque pro ſe, quicquid hæc ſomnia denunciant, tuâ causâ ſubire ac perpeti minimè recuſo, ſi de me ſic ſtatuendum putaſti: dum decretis tuis obtemperabo, fauſtus ſemper ac felix exitus erit, quando, pater meus, me ſincerum in modum diligis. Quadrageſimæ totius ieiunium exactè tenuerunt, id potiſſimum ſecuti, vt vindici Dei iuſtitiæ pœnæ aliquid pro anteactæ ætatis peccatis exoluerent: eadémque de causâ cùm eorum aliquis à Gallo quodam ſemel atque iterum malè habitus eſſet, neque vlciſcendæ iniuriæ cogitationem vllam ſuſcepit, neque expoſtulauit apud vllum, quin, ſe incuſans potiùs, fortè, inquit, imprudens licet, tamen ei ſtomachum moui aliquo facto dicto-ve: eo, placidè me ferre conuenit hanc qualemcunque moleſtiam. Nimirum eâ animi æquitate athletas ſuos ad

ANNVS MDCXLIV.

ANNVS MDCXLIV.

grauiora certamina comparabat ſummus agonothetes: & ſpes planè erat, ingentes ad fidem motus facturos eos fuiſſe in mentibus ſuorum popularium, ſi patrios fines attingere licuiſſet: ſed aliter viſum ſupremo arbitro rerum noſtrarum.

PROFECTI SVNT cum Breſſanio, Gallóque vno adoleſcente, ad V. Cal. Maias, canois tribus, quo tempore nihil admodum periculi imminere putabatur, tùm quod nondum liquefactis, vt inſinuaui, niuibus, nulluſdum hoſtis adeſſe poſſe credebatur, tùm quod Iroquios inter, ſuóſque, compoſitam pacem eſſe rebantur Hurones, de quâ ante eorum diſceſſum agi cœptum erat. Nihilo tamen ſeciùs euntium quiſque ſe ſe vel ad mortem, vel ad ſeruitutem certè, animo comparabat, præſentiſcente vnoquoque interiùs, quid ſe futurum eſſet. Videlicet ita ſe cum ſuis adhibere ſolet Dominus Deus: quæ euentura ſint grauia, aſperáque, eorum ſenſum quendam vel ſuſpicionem, ſi mauis, inijcit animo, quò *Præuiſa tela minùs feriant.* Acceſſit illud ad coniecturam triſte exteriùs, quòd haud procul à Trifluuio, loco minimè periculoſo, ſerenáque tempeſtate, naufragium fecit canoa, quâ Breſſanius cum Huronibus duobus vehebatur, ſaluis tamen vectoribus iuxtà, & mercibus, quod haud procul ab ripâ aberant: & illud perincommodè cecidit, quod ibidem ſubſidendum fuit aliquandiu, atque adeò traijcere minimè licuit fluuiolum, quem vernaculâ nomenclaturâ *Margueriam* Galli dixere: id ſi factum tempore fuiſſet, euaſiſſent, ab hoſte minimè deprehenſi. Ibi dum conſiſtunt, Huronum aliquis ſclopum explodit in ſilueſtres anſeres præteruolantes, prædam in cibum captans: eo ſonitu excitati Iroquij triginta, qui in vicinià latebant, ſecurè progredientibus inſidias ſtruunt poſt iſthmum, quem flectere omninò neceſſe erat: ad eum locum vbi peruenit Breſſanius, vt eius canoa antecedebat, videt canoas tres hoſtili impetu in ſuam ferri. Nec reſiſtendum ratus temerè, qui longè inferior viribus eſſet, deditionem facit vltrò; ita accedentes Iroquij, tùm ipſum, tùm comites duos vnà cum canoâ capiunt. Intereà Hurones reliqui cum adoleſcente Gallo, quantâ maximâ potuere contentione neruorum, remorúmque, periculo ſe ſe ſubducere conantur. Et iam inſectantium oculos declinauerant, cùm poſt iſthmum alium qui om-

ninò præternauigandus erat, vident hoſtiles canoas duas, & ab epibatis & ab armis inſtructiſſimas. Dum accedunt, ex Huronibus vnus, forti vir animo, ſclopum in hoſtem intendit: at occupans ex hoſtili agmine aliquis, glande traiectum ſternit in canoâ, tàm letali vulnere, vt è-veſtigio egerit animam: eo ſpectaculo conturbati ceteri, nihil vltrà auſi mouere. Ergo victor Iroquius exſcendit cum captiuis: epiſtolas diffringit: rapit, partitúrque quidquid veſtis rerúmque aliarum ad ſocios deferebatur: tum ad eius lanienam conuerſi Barbari quem necauerant, cor extrahunt è pectore, vellunt cæſariem vnà cum cute capitis, labra diſſecant, partes femorum, tibiarúmque eas, quæ humano in corpore carne magis tument, dilaceratas in captiuorum oculis elixant primùm, tùm vorant: quo ſenſu animorum inſpectantibus, præ ſe quiſque ſtatuere facilè poteſt. Interempto, nomen fuit *Bertrandus Sotrioskon:* cuius de innocentiâ morum illud affirmat Sacerdos is, qui Confeſſiones eius inde vſque à Baptiſmo exceperat, nunquam eum peccatum vllum grauius, hoc eſt, quantum interpretor, letale perpetraſſe.

ET HAC tum quidem carnificinâ contenti, nihil ſæuitiæ deprompſere in captiuos: Breſſanium verò ſic habuerunt, vt quas ferebat ipſe reculas, retinere eum ſiuerint, Breuiarium maximè, quo ad Canonicas preces ex Eccleſiæ inſtituto quotidie perſoluendas vtebatur. Dum captiuos agunt præ ſe Iroquij, poſt bidui iter occurrit eâdem ex gente manipulus, haud perinde hilaris: quippe dum audaciùs ad Montem vſque regalem feroces proceſſerant, ſuorum vnum è principibus amiſerant, à reſiſtentibus Gallis cæſum. Ita exulcerati mentibus, dum Breſſanium, quem Gallum putabant, conſpiciunt inter captiuos, temperare ſibi ferina monſtra nequierunt, quin fuſtem immerenti aliquoties impegerint, & ſcilicet narratâ commilitonis nece, eorum à quibus abducebatur, odia in illum incitarint. Ergo eo ex momento habere ipſum duriùs: ſex ipſos dies nudis plantis per virgulta, dumetáque, ac paluſtres lacunas ingrediendum fuit, ſic, vt nihil quidquam cibi ſuppeditaretur, niſi ſub veſperum; quo tempore feri homines ad quietem aliquam capiendam conſiſtebant. At Breſſanio nulla diei pars magis exercita: idem ligna ad focum comportare,

ANNVS MDCXLIV.

idem aquam haurire ex flumine, idem ſi quid aliud ad corpora inſultantium Iroquiorum curanda pertinebat, peragere iubebatur: ac ſi fortè ex idiomatis ignoratione minùs quæ imperabantur, effecta daret, aliud-ve pro alio porrigeret, enimuerò fuſte latera tundebantur continuò. Poſt cos ſex dies, canoæ conſcenſæ iterùm, Iroquiorum lacui emetiendo. Dierum octo nauigatio fuit: triduum deinde terreſtri itinere, confectum viæ reliquum eſt. Dum progrediuntur, incidunt in quadraginta è ſuis: ij in amnis ripâ tuguria ad piſcandum fixerant. Vbi eorum in conſpectum captiui venere, Breſſanius detractâ prorsùs veſte, nudus eorum vel petulantiæ vel furori obijcitur. Duos in ordines hinc inde diſtributi Barbari, aduenientem fuſtuario excipiunt: quippe in fronte captiui manipuli procedere iuſſus erat: vnus præ ceteris truculentior, læuam prehendens, vulnus cultro oblongum ducit, digitum annularem inter, & auricularem. Iámque inter depluentia verberâ peruentum ad caſas erat, cùm ferale pegma vnà cum captiuis alijs conſcendere iubetur nudus, vt erat, ſuo ipſius cruore ſqualidus, aurâ perfrigidâ: & intereà dum victores cum amicis, ac propinquis conuiuium læti agitant, cantare ipſe barbarico more cogitur. Secundùm crudeles epulas, iuſſi omnes è pegmate deſcendere & ſaltare ſcilicet ritu conſueto: & quoniam minùs aptè ad numerum pedes, corpúſque agitabat vir religioſæ modeſtiæ retinentior, quàm nugarum iſtiuſmodi ſtudioſior, idcircò capillum vellere immanes carnifices, tundere, pungere, vſtulare: noctu ſub dio ex arbore religatum derelinquere. Quinque ſex-ve dies tenuit infeſtum captiuis ludicrum: ſucceſſere tormenta atrociora. Quippe vt ad pagum primum peruentum eſt, tandiu, támque immaniter tunſus fuſtibus eſt, vt in terram corruerit ſemianimis: at nihilum hoc ſpectaculo mitigati feri homines, pergunt porrò, fuſtémque totâ virium contentione in pectus, ínque caput impingunt, necaturi haud dubiè, niſi Præfectorum aliquis, quo conſilio neſcias, ereptum truculentæ lanienæ in pegma illi priori conſimile traxiſſet. Hîc verò reciſus ſeruo Dei pollex ſiniſter, è dextrâ autem digiti duo: (fœdæ lanienæ reliquias hîc Burdegalæ vidimus) quo tempore cùm ingruiſſet imber maximus, mixtus fulgetris, tonitrúque, diffugientes cuncti fæuire

vel

vel inuiti deſtiterunt: verùm, paulò pòſt ſub noctem in caſulam truſo, vſtulati qui ſupererant vngues, cum digitis aliquot, pedes luxati, ſtercus (proh barbariem!) ad comedendum ingeſtum, canum reliquiæ obiectæ. ANNVS MDCXLIV.

VBI EXSATVRATA horum eſt immanitas, tractus ad pagum alium Breſſanius eſt, leucas tres circiter diſſitum, redintegratáque carnificina. Prono in terram capite, pedes ſublimè elati ferreâ catenâ colligantur; tum, amoto, priſtinúmque reſtituto in ſtatum, catenâ itidem manus, pedes, collúmque vinciuntur: cùm interim toto ſeptiduo noui adderentur cruciatus, ille imprimis ceterâ carnificinâ viro pudenti grauior, quod ne verendis quidem parcitum, & eius in aluo offa obiecta canibus. Hac tàm multiplici quàm indignâ è vexatione, extitit toto corpore fœtor tantus, vt à ſemiuino cadauere cuncti refugerent, niſi ſi quis ad cruciandum accedebat: cúmque ſanie, & tabo membra fluerent, ac vermes ſcaterent vndique, ægrè tamen frugis Indicæ aquâ maceratæ, vel coctæ paululum ſuppeditatur. E verberibus extiterat apoſtema in femore, vnde dolor tàm grauis, vt ſomnum planè arceret: medicinam fecit, contra quàm moliebatur, infeſtus Iroquius: quippe dum cultro armatus irruit, vomicam aperit imprudens: ita diuino conſilio, dum voluntate ad nocendum incumbit, manu ſanat. Prętер diros autem corporis cruciatus, pendebat etiam animi Breſſaniũs, quid ſe futurum eſſet neſciens, niſi quod properſuaſiſſimo habebat, propediem ſe à Barbarris necatum iri: cur verò tandiu morarentur, non videbat, niſi ſe ſe ad Thyeſteas epulas ſaginare vellent, quanquam ab eo conſilio longiſſimè aberat inedia illa, quæ ad ceteram immanitatem adiungebatur: cùm ad XIII. Cal. Quintiles ex pagis ſuis omnibus confluunt Iroquij in eum, in quo captiuus diſtinebatur, ad bis mille: hinc vltimum hunc ſibi fore diem mortalitatis interpretatus, ſecundùm conſilium, Præfecto ei qui præfuerat, exponit modeſtè, quando languenti hac ſuâ vitâ actum eſſet, mortem ſe quidem minimè deprecari, verùm, illud rogare, aliud potiùs ſupplicij genus adhiberetur, quàm ignium. Atqui ſic habeto, te non modò non crematum iri, ſed ne moriturum quidem (in fit Præfectus) ſic enim hodierno inconuentu conſtitutum eſt. Quæ verò ratio eos impule-

P. Breſſanius nouis cruciatibus toto ſeptiduo vexatur.

ANNVS MDCXLIV.

rit ad vitam condonandam ei, cuius exitium tantopere concupijſſent, ne ipſi quidem ſtatuere ſatis potuerunt: decretum certè ſuum poſtmodùm mirati ſunt ipſi. Illud credibilius, fortem athletam à Domino Deo ad alia certamina reſeruatum: Breſſanium enim poſtquam menſes paucos in Galliâ egerat, non in Nouam modò Franciam redijſſe, ſed etiam ad Hurones ſuos penetraſſe, ſequentes docebunt Annales: Obſeruandum id modò, mirum non videri debere, ſi ad imminentium cruciatuum atrocitatem exhorreſcant vel fortiſſimi quique Dei famuli: videlicet corporis ſarcinam circumferunt adhuc: neque humanam imbecillitatem à ſe alienam putant, dum illud teneant mordicùs, ne quid contrà virtutem, contráque ſanctiſſimas Dei leges faciant. Sanè ſic conſtitutus animo Breſſanius erat, vt ignium ardores, ſi defugere non poſſet, exciperet fortiter: idem tamen citrà culpam potuit eam tantam acerbitatem deprecari, ita dumtaxat, vt quicquid ingrueret, perferret placidè, diuinis vbique decretis acquieſcens. Videant tamen hîc denuò Societatis IESV iniqui, quàm non rectè illius exiſtimationem imminuere conentur ſpargendis è triuio rumoribus plerunque falſis, & ad meram calumniam pertinentibus: quando præſtantes illi eius alumni tàm multi, tàm grauia, támque dira vltrò IESV Chriſti, animarúmque eius ſanguine coëmptarum causâ appetunt: etenim quicunque in Nouam-Franciam penetrant, ſi non hebetes ſunt, ac ſtupidi (tales autem eſſe vel ipſi obtrectatores negent) vident profectò quò ferantur, ex iiſque quæ fratribus contigerunt ſuis, intelligunt eadem ſibi imminere: ad quæ vt animum aptè comparent, enimuerò inſigni mentis robore, atque adeò Dei, proximíque charitate opus eſſe, ne ipſi quidem ignorant, qui tàm male de Societate vel ſentiunt, vel ſentire ſe ſimulant.

PORRO VETVLÆ FEMINÆ, cuius auus olim necatus in certamine ab Huronibus erat, traditus de gentis more Breſſanius eſt. Nec captiuum illa quidem dedignata eſt: verùm, cùm eo ſtatu eſſet quem diximus, hoc eſt cùm corpus penè totum ſanie, tabóque è tàm multis vulneribus diffluēret, horrori erat eiuſdem filiabus: atque ea fortaſſe cauſa fuit, cur tàm citò mulier de dimittendo eo cogitauerit. Sic enim

plerumque euenit vt quæ incommoda videntur imprimis, eadem in vtilitatem conuertat ipſorum illorum, quorum conclamata ſalus erat, diuina Prouidentia. Certè ſeu exeâ nauſeâ filiarum, ſeu ex naturali miſeratione, ſeu veriùs quod truncis, mutilis-ve digitis, hominem ad nullum conſuetorum operum aptum fore videbant, mandat filio mater captiuum ad Batauos deduceret, ex iiſque ſi quid poſſet lytri nomine extorqueret. Paruit illicò filius, Breſſaniúmque ad vicinam Batauorum ſtationem perduxit : ij non humanè minùs, quàm antè Iogueſium, hominem complexi, largè primùm Iroquio ſatisfecere : tum languenti confectóque vulneribus apta medicamenta, fomentáque adhibuere : hinc breuî conualuit. Ergo veſte donatum, quâ vel maximè egebat, in nauem imponunt : hæc Rupellam attigit feliciter ad XVII. Cal. Decembres anni eiuſdem quarti & quadrageſimi ſuprà milleſimum ſexcenteſimum. Antequam autem ſolueret, à Batauis ijſdem publicas literas accepit, quibus de totâ ſui reditus ratione ſignificabatur. Lubet eas hîc attexere, vt vel ipſi intelligant, obſeruéntque, quàm humani demùm, quámque comes futuri ſint, ſi hæreſim quandoque exuerint, quando ne illa quidem tàm feralis virtutum omnium nouerca, ipſos à naturali bonitate dimouere adhuc potuit. Sic ergo proloquitur Director Neo-belgij.

ANNVS MDCXLIV.

P. Breſſanij in Galliam reditus.

NOS GVILLELMVS KIEST, Director generalis, Senatúſque Neo-belgij, vniuerſis has præſentes inſpecturis, ſalutem. Franciſcus Ioſephus Breſſanius è Societate IESV iampridem in Canadâ à Barbaris Iroquijs ſiue Maquois vulgò dictis captus, & ab ijſdem diu vexatus, & propediem cremandus, tandem à nobis ex eorum manibus non ſine magnâ difficultate, ſoluto etiam pretio erutus, atque redemptus eſt. Nunc cùm nobis aſſentientibus in Hollandiam proficiſcatur, inde rediturus in Galliam, Chriſtiana charitas exigit, vt ab ijs in quorum manus fortè incidet, humaniter tractetur. Quapropter precamur omnes Gubernatores, Archithalaſſos, vel eorum Vicarios, atque Capitaneos, vt ipſi fauorem eundo, vel redeundo præſtare velint: pollicentes in ſimili occaſione par referre. Actum in Arce Amſtelrodamenſi, in Neo-belgio, die XX. Septembris, Anno ſalutis MDCXLIV. ſtylo nouo.

ANNVS MDCXLIV.

CETERVM, pretium illud redemptionis, vbi Galliam attigit, reſtituendum Breſſanius curauit, vt æqui poſtulabat ratio: ſemper tamen præ ſe ferens, debere ſe plurimum iſti hoſpitalitati. Nos enim Burdigalæ illum vidimus per eos dies, vt diximus, cum eóque multa coràm contulimus, quæ ad hanc Hiſtoriam pertinerent: ſed reflectendus curſus in Nouam Franciam. Non par pari iſti feritati Iroquiorum, reddendum Galli putauere. Ad VII. Cal. Sextiles, in Huronum manus Kebeccum tendentium venerunt inſidiatores Iroquij tres, cum aliquot aliorum manipulo ad Richelæam Arcem deprehenſi, dum ipſi inter virgulta latitantes opperiuntur, ſi qui Gallorum incautiùs manè progrederentur ad retia, quæ pridie tetenderant. Vt ad Hurones eos, Algonquinij ſe quidam adiunxerant, atque adeò prædæ parte donandi cenſebantur, qui in diſcriminis communionem veniſſent; è captiuis tribus datus ijs vnus eſt, & ſcilicet ad eum penè modum initio habitus, quo haberi ab Iroquijs ipſis captiui alij ſolent: hoc verò acriùs in iſtum deſæuierunt Algonquinij, quò charior popularibus fuerat ſuis, eorum ex gente vnus, aliquandiu antè crematus ab Iroquijs, cuius in locum iſte de more ſufficiebatur. Sed cùm ad Trifluuium peruentum eſſet, quò captiui perducti à victoribus ſunt, Campi-florius, ſtationis illius Præfectus edicit, abſiſterent porrò: certiorem faciendum Monte-magnium de captis Iroquijs: rem enim permagni momenti eſſe. Vt aduênit, conuocatis Algonquinijs ſignificat, gratum ſibi fore, ſi captiuum ſibi permitterent: opportunioremque eo quidem rerum ſtatu humanitatem, quàm ſæuitiem videri. At homines qui præceptâ animorum crudelitate miſerum iam deſtinaſſent ignibus, ſine vllâ tergiuerſatione reſpondent, quemadmodum ſui ab Iroquijs haberentur, ſic ſe Iroquios habituros: pyram excitatam iam eſſe: neutiquam Iroquium euaſurum. Nec dubium erat quin proximâ nocte crematuri eum fuerint, niſi ſeriò Monte-magnius interceſſiſſet, ſubmiſiſſétque è Chriſtianis popularibus qui denunciarent, ſi quid præterea molirentur, haud impunè ipſis fore: non eſſe tempus hoc, vlciſcendarum iniuriarum: cogitandum potiùs de pace cum ferâ gente ineundâ: eo in cardine quietem, tranquillitatémque verti totius regionis: ita ſedati animi. Magis

Quàm humanos experti ſint Gallos captiui tres Iroquij.

laborandum cum Huronibus fuit: nam tametſi monitus Monte-magnius ab Algonquinijs quibuſdam, ipſius ſtudioſis: longè efficaciùs muneribus, quàm vllâ oratione eripi captiuos eorum è manibus poſſe, munera quot ipſi deſignauerant, comparauerat; tamen extorqueri ab ijs non potuit, vt duos illos traderent, non iam vltionis cupidine, ſed metu publicæ apud ſuos obiurgationis. Cùm ſecurium, ſtragulorum, lebetum, ferrearum cuſpidum in ſagittas, rerúmque aliarum eiuſdem generis vim ingentem tres in cumulos diſtributam, in Arcis areâ palam expoſuiſſet, iuſſis adeſſe Huronum Algonquiniorúmque primoribus, per Interpretem ſignificat, auere ſe magnopere, tres iſti Iroquij ſibi dedantur, non priuatæ cuiuſpiam vtilitatis intuitu, quam ſequeretur, ſed ſtudio conciliandæ pacis. Hæc cùm tanti momenti eſſet, quanti ipſi præuiderent, quibus nihil tutum eſſet, fero, ac fallaci hoſte continenter vtrorumque in pernitiem intento; non videre ſe, quâ potiori viâ componi tanta, tamque inueterata odia poſſent, quàm ſi è tribus captiuis vnus placidè ad ſuos dimitteretur, pacem tàm optabilem ſuaſurus, duobus reliquis in liberali, ſed certâ tamen cuſtodiâ manentibus interim, dum quid tertius ille perfeciſſet, renunciaret dies. Hîc aſſurgens Algonquiniorum Præfectorum vnus, poſtquam perlatus in medium captiuus ipſis attributus erat (neque enim ſuis inſiſtere poterat pedibus ex ſuperiori illâ vexatione) omnium nomine denunciat; Certum ſuæ genti eſſe viuere cum Gallis quamconcordiſſimè, cùm præſertim è ſuis populatibus complures, Gallorum iam ſacra, religionéſque eſſent complexi: haud fas ſibi eſſe quidquam negare Monte-magnio, quem pro ſummo Præfecto agnoſcerent: neque verò ſe donis duci, ſed id ſpectare, id ſequi, vt pax, otiúmque totâ regione conſtitueretur. Quæ pauca prolocutus, propoſita haud ſeciùs dona impigrè capit, non tamen tàm ſibi, ſuiſ-ve reſeruaturus, quàm traditurus ijs, quorum propriè ſiccandis lacrimis decreta eſſent, conſanguineis videlicet, ac propinquis illius, cuius in locum captiuus Iroquius ſuffectus fuerat. At Hurones munera deſpectare attoniti, ac ſilentes: quippe quibus graue eſſet, non poſſe ſe Monte-magnio concedere, quod tàm enixè vel rationum momentis flagitaret, vel muneribus. Eâ propè in con-

ANNVS MDCXLIV.

ANNVS MDCXLIV.

ſternatione Præfectorum vnus iracundior? Ego, inquit bellator ſum, non mercator: neque huc deſcendi mercaturis faciendis, ſed bello gerendo: neque in gloriæ loco pono, munera referre in patriam, ſed captiuos trahere. Itaque nec ſecures contingere veſtras, nec lebetes licet: ſed ſi tantopere vos angit cupiditas retinendorum captiuorum, illos ſanè habete vobis: mihi ſatis & virium ſuppeditat, & animi, ad conquirendos alios: ac ſi quo tali in certamine occubuero, occinetur in patriâ, quod captiuos noſtros Monte-magnius retinuiſſet, idcircò nos, alios vt captaremus, mortem appetijſſe.

ACVLEATVM PROPE conuitium hominis concitatioris excepit modeſtior Caroli, Chriſtiani Præfecti oratio. Noli, inquit, in deteriorem partem accipere, Onontio (nomen id fuiſſe apud Nouam-Franciam Monte-magnij, diximus aliàs) ſi quid vehementiùs ab hoc meo Collegâ dictum eſt non refragandi voluntas ea dictauit, ſed honoris, vitæque iactura imminens. Non enim qui hîc adſunt iuuenes, ſed qui in patriâ remanſere ſenes, de re publicâ ſtatuunt: ij ſi nos cum muneribus reduces viderent, haberent vtique pro cupidis, auaríſque mercatoribus, non pro generoſis bellatoribus. In diſceſſu quidem ſpopondimus, ſi quos hoſtes caperemus, eos nos Huronum tradituros Præfectis: vt igitur tu æquum cenſes, tibi ab ijs qui te circunſtant militibus morem geri, ſic non potes non probare conſilium noſtrum hocce, obtemperandi ijs quorum in poteſtate ſumus. An verò increpitantes populares noſtros, quotquot pagi haud infrequentes numerant, ferre quiſquam noſtrûm queat, incuſantéſque fracti animi, & imbellis ſtoliditatem, qui ſecuribus, lebetibúſque onuſti, redeamus, captiuum adducamus nullum? Equidem talia ſunt ea quæ offers, vt multis partibus ſuperent pretium, quod pro horum libertate exigi à nobis honeſtè poſſit: tuum verò deſiderium tantopere nos commouet, vt omninò permiſſuri eos tibi ſimus, niſi obſtet illa cogitatio, fore vt niſi captiuos perduxerimus, pro ignauis habeamur, qui largitioni ceſſerimus; pro inconſultis, qui Præfectis noſtris non obtemperauimus. Video illud te oppoſiturum; Quandoquidem Algonquinij captiuum ſuum dedidere, nihil eſſe cur recuſemus, quin de-

damus noſtros. Atqui vides ipſe, Onontio, adeſſe hîc Algonquiniorum Præfectos primarios, qui cùm ſubſint nemini, poſſint de re quacunque pro arbitratu ſtatuere. Noſtra verò planè diſpar eſt ratio: cùm penès nos minimè ſit ſuprema auctoritas, temeritatis profectò inconſultiſſimæ arguemur, ſi de re tanti momenti deciderimus, ne auditâ quidem ſententiâ ſeniorum. Ac eò quidem potiſſimùm tua, Onontio, oratio incubuit, vt oſtenderes è re regionum harumce eſſe, vt pax cum Iroquijs conſtituatur, quò, libero vltrò, citróque per amnem commeatu, exerceri tutò, ac ſecurè mercaturæ queant: ecquis verò noſtrûm refragatur? Idcircò temperauimus nobis, ne quâ in re captiuos hoſce noſtros violaremus: humanè adhuc illos habuimus ipſi, ab Huronum moderatoribus eodem planè modo poſthac habitùm iri confidimus: non enim nos fugit quantum apud eos valeat tuum nomen, decúſque, quámque non grauatè aſſenſuri ſint, dum nos quoque pro noſtro quodam iure pacem vrgebimus, contendemúſque faciendum omninò videri, vt mos tibi geratur. Accedit, quod, ſi fortè accidet vt in reditu Iroquiorum agmen aliquod validius occurrat (etenim eos fluuium varijs locis obſidere fama eſt) iubebimus continuò ſurgere hos captiuos, popularibúſque ſignificare ſuis, quàm humaniter à Monte-magnio excepti ſint, quanti is pretij munera ad ſe liberandos obtulerit, quàm benevolè nos ipſi animati in ſe ſimus, qui nihil mali intulerimus, nihil incommodi: à nobis demùm perduci ſe ad Huronum tractus, ad pacem inter vtrumque populum conſtituendam: ita mitigati ipſi nullâ nos in re violauerint.

HÆC VBI COMITER æquè, & pleno grauitatis habitu prolocutus Carolus erat, Monte-magnius propoſitarum rationum vim, ac momenta ſecum expendens, excipit; Quod tàm benignè dedi ſibi captiuos flagitaſſet, id ſe vnâ eâ de causâ feciſſe, vt eâ viâ pax iniretur: ſi mallent ipſi per ſe in eam conſtituendam incumbere Hurones, perinde ſibi eſſe: viderent modò, ne rem tanti momenti negligerent. Secundùm hæc, acciri iubet captiuos illos duos, muneráque coràm propoſita oſtentans; Videte, inquit, quantum inter veſtram rationem, noſtrámque interſit: vos captiuos Gallos, quotquot in manus veſtras veniunt, diris exagitatis modis, nos veſtram ſalutem,

ANNVS MDCXLIV.

libertatémque tanti pretij muneribus redimere non piget. Hîc eorum alter aliquantulùm progreſſus in medios, oculorum aciem in cælum ſuſtulit, tum demiſſis luminibus, generosâ quâdam plenus fiduciâ, orationem ad Monte-magnium conuertit: &, Sol iſte, inquit, quem cernis, quàm in nos humanus, quàm beneficus extiterit Onontio, teſtificabitur, idémque per omnes terrarum tractus liberalitatis tuæ famam diſſipabit. Tum vultu regionem verſùs Iroquiorum conuerſo; Audite, inquit, qui Iroquijs moderamini, auſcultate Præfecti chariſſimæ patriæ: eſtote deinceps boni, & humani: ac reipsâ gratos memoréſque eximij beneficij vos exhibete ergà Gallos, qui munera tanti pretij ad populares veſtros morti, cruciatibúſque eripiendos offerre non dubitauerint. Ac tametſi me fortè apud eos quorum ſum in poteſtate, emori contigerit, ingrati tamen eſſe nolitote. Hîc verò loquentem Præfectorum Huronum vnus interpellans; Noli, inquit, metuere: nequaquam vita tibi eripietur: neque modò nihil quidquam grauius de tuo capite ſtatuetur, ſed etiam ſpes eſt fore vt libertas tibi reſtituatur. Vt noſtram in patriam ſaluus, incolumíſque peruenies, ita ſperamus fore vt propediem te huc reducamus, terræ complanandæ, mitigandóque fluuio. Confidite ambo animis, & quæ Galli veſtrâ causâ fecerunt, ea perpetuò iſtis in pectoribus inſculpta, impreſſáque permaneant.

TANDEM, re vtrimque agitatâ, ſuíſque expensâ momentis, quando aliud obtineri poterat nihil, acquieſcendum cenſuit Monte-magnius. Quoniam autem iter infeſtum aſſiduis latrocinijs, cædibúſque habebant Iroquij, idcircò abeuntibus Huronibus adiunctum præſidium Gallorum militum eſt, eorum è numero, quos anno proximè ſuperiori ſubmiſerat Anna Auſtriaca Regina, Ludouici XIV. mater. Hoc verò libentiùs in eam cogitationem Monte-magnius incubuit, quod ducturi ſecum Hurones erant Brebeufium, qui charam regionem tertiò repetebat: adiunctis ſocijs duobus, Leonardo Garrello, Natale Chabanello. Sacerdotes ambo erant, ante annum in Nouam-Franciam miſſi: quo interuallo cùm linguæ peritiam aliquam adepti eſſent, miſſi ſunt ad inſtituendos Algonquinios, Huronum finitimos. Profecti item ſimul captiui ambo, ſed eorum alter Huronum humanitati diffiſus, in itinere

nere clàm ſe ſubduxit, inconſultè vtique: nihil enim periculi fuiſſe comprobauit alterius fors fortunatior: fugitiuus in ſiluis miſerè frigore, famèque interijt: ceteri ad vnum omnes Huronum oras feliciter tenuere. Ac Gallicum quidem præſidium Iroquiorum impetus ita repreſſit, vt cùm priùs minitati fuiſſent, hyeme ſe ſe affore, Huronum pagos omnes ferro, flammáque proſtraturos; continuerint ſe ſe tamen, neque quicquam tunc moliri ſint auſi. De captiuo quid actum ſit, viderimus anno proximè conſequenti: ad hunc quod attinet, res Huronenſes intrà limites vnius epiſtolæ concluſit Hieronymus Lalemantius: hæc inde excerpta per epitomen. ANNVS MDCXLIV.

EVASERAT ex Iroquiorum manibus, poſtquam in eum ſæuire iam ceperant, captiuus Chriſtianus quidam, cuius vtique nomen digniſſimum erat quod traderetur poſteris; ſed ſuppreſſit neſcio quâ de causâ vir de cetero apprimè in ſcribendo exactus. Is cùm in ſuorum deinde coronâ redux verſaretur, hanc ad ſtupentes omninò orationem habuit. *Neophytorum Huronum pietas.*

Non me, inquit, *in vinculis meis deſeruit Domini Dei mei cura, ac prouidentia: ſi cordis aurem admoueris, vel in grauiſſimis ærumnis vocem quandam intùs in pectore exaudias, illud ingeminantem, inculcantémque, Nihili eſſe vitæ huius caſus quamlibet aduerſos: imminere capiti cælum illud in quod exipiendi ſimus: mortem ipſam, à quâ tantò propiùs abſimus, quantò ſunt cruciatus atrociores, in poſſeßionem nos inducturam breui, eximiæ cuiuſdam felicitatis, quam nulla vis, nullus furor hoſtium quamlibet truculentorum eripere queat. Hæc me ſuſtentabat cogitatio medijs in doloribus, quos inuſſerunt Iroquij, tum cùm ardentes tædas iſtis artubus admouebant: tum, inquam, vel maximè perſentiſcebam Deum intrà me eſſe, qui mentem meam corroboraret: quî fieri potuerit neſcio; ſcio tamen euenisſe vt cùm corpus mediâ in carnificinâ verſaretur, tunc animus meus incredibili quadam voluptate frueretur. Ac dum poſt præuiam illam vſtulationem deliberarent interſe Iroquij, num interimendus prorsùs eſſem, an ſinendus viuere; ipſe vtrum duorum potiùs eligerem ſtatuere nequibam ſatis: neque quidquam precari à Deo audebam aliud, niſi vt vel mori concederet, vel viuere, prout hoc illud-ve conducere magis ad ſempiternam meam ſalutem peruidebat; quando pater meus eſſet, cuius ſingularis ſapientia præſtantiſſimum in modum videret, vtrum foret conducibilius; amor mei incredibilis perfecturus eſſet quod*

ANNVS MDCXLIV.

foret optimum. Alius huius anni æstate captus item ab Iroquijs, cùm vnâ, & alterâ horâ antè quàm cremandus viuus erat, diffractis vinculis nudus aufugiſſet, dum ſe vni leti formæ ſubducit, incidit in diſcrimina complura. Per ſentes, vepréſque, inſequentem hoſtem declinans, tridui totius inediam perpeſſus eſt: à pedibus ad caput, muſcarum aculeis noctes, diéſque patuit, ſic vt toto corpore aliud nihil, niſi vlcus cerneres. Cùm ſexaginta adhuc leucas abeſſet à patriâ, & ijs quidem locis, vbi tanquam feras alij, ſic Iroquij venantur homines; defectus viribus progredi nequibat: ita melioris ſortis deſperatione, ad deſertam rupem præcipitauit, ad oram fluminis: hanc cùm pro tumulo elegiſſet, vidit ex inſperato in canois præternauigantes Hurones, ab ijs agnitus, exceptúſque, præſentiſſimæ morti ereptus eſt. Poſtquam cibo recreatus, virium aliquid recuperauerat, factum ipſe ſuum relegens, Proh ſuperûm fidem! aiebat, ſi ignium metus, qui me vt cùm tardiſſimè, intrà vnius noctis interuallum abſumpſiſſet, tot ærumnarum aliarum penè mihi ſenſum ademit; fieríne queat deinceps vt iugum fidei graue eſſe cenſeam, quod me ſempiternis inferorum ignibus eripiat? Septuagenario ſeni Chriſtiano, obijciebant impij quidam populares, à fide alieniſſimi, Deum illum quem veneraretur, parùm humanum eſſe, qui paralyſi, quæ eius artus diſſoluerat, non mederetur. Quibus homo fide plenus, ſic ſatisfaciebat viciſſim, vt eius quilibet mirari poſſet conſtantiam. Quid, nullánc, aiebat, arbor ſicca viſitur in ſiluis? nullúſne in ſeneſcente arbore ramus aridus? Ego verò oblector animo, dum areſcere hos artus video quotidie: nec me appropinquantis mortis terret acceſſus, ex quo credere cepi, certiſſimis fretus rationibus, fore vt aliquando reuiuiſcam ad ſempiternam gloriam; eſſe autem neceſſe, vt priuſquam immortalitate donetur, corpus hoc aliquandiu humo tectum computreſcat. Ad eundem perlatum eſt, falsò quidem, vt compertum deinde, verùm, pro certiſſimo, filium, qui vnus ad ſenectæ ſolamen ſupererat, in Iroquiorum manus incidiſſe. Lamentabantur, vel leſſum potiùs exercebant domeſtici omnes: ipſe ſiccis oculis; *Ego verò*, inquit, *lacrymas eius causâ fundere nequeam: fidem amplexus erat prior, prior ad fidei præmia euocatus eſt.* Nox erat iam concubia: & tàm alieno

tamen tempore è-veſtigio ad Ædiculam ſacram tendit religioſus ſenex: fuſúſque in preces, hæc omninò proloquitur; *Quàm diuinum verò donum, ac munus fides eſt, quæ animi perturbationes omnes tàm placidè ſedare ſoleat, eorum dumtaxat qui Deo fidunt! filium hunc mihi donaueras, ſumme rerum omnium procreator, ac parens, antequàm te noſſem: ex quo te noui, illum ego tibi obtuli millies: quàm non fictè, neque ſimulatè, tutè peruides, cui arcana pectorum ſunt planè peruia: recepiſti quod obtuleram, hoc eſt ipſum illum qui tuus erat, antequam offerrem: & accepiſſe te expoſtulem quod donaram? Sit nomen tuum benedictum, Domine Deus meus: ac ſi poſt filium, patrem quoque euocare placet, en ego me tibi eâdem mente offero, quâ priùs obtuli filium: miſerere pro tuâ clementiâ, vtriuſque.* Vix hæc complêrat pius parens, cùm adeſt filij eius commilito, qui certamini ipſe interfuerat, affirmátque illum qui pro mortuo deplorabatur, vnà ſecum euaſiſſe, interemptis in ipsâ pugnâ alijs. Hîc verò vir ſpiritu fidei plenus, nihil interrupta oratione; *Si triſtem*, inquit, *nuncium illum tanquam à te miſſum lentè, ac pacatè excepi, an non eſt nunc vnde grates agam beneficentiſſimo tuo numini, qui meum mihi filium reſtitueris? Eodem illo momento, quo illum extinctum putabam, rediuiuum repræſentas, perinde atque ſi ſepultum è tumulo euocaſſes. Quando illum tàm præſenti diſcrimini eripuiſti, illud perfice, ſanctiſſime Deus, vt ne vnquam culpam vllam coràm te contrahat: idem quoque mihi concedito: quò vterque in cælo agnoſcamus olim & tantum beneficium, & alia infinita, quæ nunquam ſatis exactè his in terris poſiti agnoſcemus.*

EX PRÆFECTO quodam è totius regionis primarijs, cùm paulò antè quàm baptizaretur, quæreretur: Num ſatis perſuaſa haberet ſanctæ fidei dogmata? Poteſt, inquit, fallere mea oratio: facta ſanè mea, num ſatis credam, ipſa per ſe prodent. Expectate dum hyems autumno ſucceſſerit, quo tempore ſolutis ad nocendum tetris dæmonibus, ad peccandum vtique ſolicitabor: ſi acquieuero, tum me mentitum aſſeuerate: ſi reſtitero, ſatis ipſi eâ ex re intelligetis, ex animo me credere. Vt prædixerat, ita res habuit: nullâ non ex parte tentata eius conſtantia eſt: appetitus eſt calumnijs: aduerſarios expertus eſt propinquos ſuos, cognatóſque: oppugnatus eſt palàm ab amicis: clàm, quæ mulieres eum dementa-

ANNVS MDCXLIV.

uerant, corrumpere denuò eius pudicitiam ſunt aggreſſæ: & in ijs tamen tàm multiplicibus certaminibus ſemper ſibi præclarè conſtitit, ſemper fide munitus reportauit victoriam. Paulò pòſt quàm regeneratus erat, cùm ex Præfecti munere quod gerebat, vrgeretur vehementer, intereſſe ne recuſaret ſuperſtitionibus quibuſdam, à Chriſtiani officij religione abhorrentibus, ſubducit ſe è cœtu: tum efferri iubet continuò è ſuâ casâ & inſignia dignitatis, & dona quædam publica, alióque tranſferri. Factum Ethnici mirantur: percontatur parens quid agat: inſtat vxor cum propinquis: at ille nihil motus animo; *Ego verò*, inquit, *Chriſtianus ſum: ſi ad peccatum euitandum, vitam quoque ipſam profundere neceſſe eſt, nihil animus hic ad corpus adhæreſcit.* Hîc verò pagus totus tumultuari, legaríque ad eum primarij, qui efflagitent ne ſe deſtituat: at is rursùm, *Chriſtianus ſum*, inquit, *mihi honore, & opibus fides potior.* Tenuit ea concertatio diem, noctémque totam: nec quidquam extundi ex eo potuit, niſi perbreuis reſponſio, Chriſtianus ſum. Atqui, aiunt, deperijt patria, quando nos Præfectorum præſtantiſſimi quique deſerunt. *Hæc verò prouidenda fuere priùs*, inquit vir pietate incenſus, *antequàm ſe in noſtras mentes fides inſinuaret, occupare debueratis: nunc, vbi ea radices egit, perſtabit vtique, quamlibet inuitis, & repugnantibus vobis: & antè nobis vita eripietur, quam excedat ex animo Tartareorum ſupplicio-rum metus, ſpes, cupidóque beatæ vitæ, quæ nos in cælo manet.* Cùm explicari nihil poſſet, ne pagus is planè diſſiparetur cum regionis totius luctu, & conſternatione, de Conſilij ſententiâ conſtitutum, vt ciuilibus in rebus quibuſcunque vir de patriâ meritiſſimus, munus, dignitatémque Præfecti obtineret: ſi quid ad patria inſtituta pertineret, quod cum Chriſtianæ fidei pugnaret legibus, illud alius accuraret, communi item ſuffragio deligendus, cum titulo Præfecti dæmonum. Vbi id ſteterat, ad Chriſtianum Præfectum accurrunt, rogántque pergat porrò Magiſtratum gerere, quando eâ parte muneris à quâ tantopere abhorrebat, cariturus deinceps eſſet. At is, *faciam*, inquit, *eâ conditione: nunc illud reputate animis quotquot eſtis, ei qui Chriſtiana ſacra ſeriò colat, nihil eſſe fide antiquius.* Alius, nullo quidem munere inſignis; ſed ingenij laude in paucis præſtans, tametſi egregiè comprehendebat intelligen-

tiâ quidquid vel de ſanctæ Religionis myſterijs, vel de Chriſtianis officijs traditum erat, tamen contumaci quadam obſtinatione ſexennium totum refugerat à Baptiſmo, cùm diceret, diſpicere ſe ſe quidem veritatem eorum quæ à Catechiſtis proponerentur; at non ſe ſatis in ſe perſentiſcere virium ad nuncium prorsùs remittendum peccandi licentiæ. Dum nihil iam tale quidquam de eo cogitaret, ex improuiſo Sacerdotem adit, rogátque ſe demùm per Baptiſmum in Fidelium cœtum adlegat: Monet me intùs aliquis, inquit, fore vt quam innocentiam hîc conſequar, eam in cælum deferam: quid procraſtinamus? Ita ineunte autumno anni ſuperioris, incredibili ſuâ, piorúmque voluntate baptizatur: pòſt, ſingulari exemplo per hyemem non Chriſtianis modò, ſed etiam Infidelibus fuit. Nam ne quâ maculâ candidam illam ſtolam fœdaret, abſtinebat à conuiuijs, à cœtibus, conuentibúſque popularium refugiebat, mulieres quibuſcum turpiter antè conſueuerat, ne ad breuiſſimum quidem colloquium admittebat: plurimus autem erat cum eo Sacerdote, à quo ad fidem erat inſtitutus. Hac æſtate, canoam cùm conſcenderet, Kebeccum petiturus, vxori, liberíſque vale faciens; Ad mortem pergam, nécne, inquit, neſcio: vt vt tamen erit, illud pro certiſſimo habetote, Chriſtianum me, ad extremum vſque ſpiritum fore: ac ſi mei vos, poſtquam è vitâ exceſſero, vel recordatio ſubibit, vel deſiderium, oculos in cælum tollitote: eò enim vota deinceps omnia mea feruntur: eò non dubito quin me fides deducat, ſempiterno tempore beatum futurum. Nec vana vaticinatio fuit: inter nauigandum, dimicandum cum fero hoſte fuit: iámque Iroquiorum canoam vnam in flumen depreſſerat, cùm cerebrum traijcit glans feralis: hæc, quod de tantâ innocentiâ ſperandum, puram, nitentémque animam in ſperatæ felicitatis poſſeſſionem induxit.

HISTORIÆ CANADENSIS.

LIBER SEXTVS.

ANNVS MDCXLV.

De pace cum Iroquijs agitur.

AFFVLSERAT hoc anno iſtis regionibus ſpes pacis lætior, niſi haud ita diù poſt, quàm ea coaleſcere ceperat, Iroquiorum perfidia præclaros cœptus miſerè confregiſſet. Nihil tàm fuerat bonis omnibus in votis, nihil tàm eſſe debuerat, quàm vt ferâ gente mitigatâ, vltrò citróque commeare tutò liceret, vel ad exercendam venationem, ex quâ tota victus ratio Montanis, Algonquiniſque pendet; vel ad faciendas mercaturas, vnde variarum indigenis æquè & Gallis opportunitatum ſeges; vel, (quod vnum Patres Societatis IESV pro inſtituti ratione ſequebantur) ad fidem fouendam in ijs qui Chriſto Seruatori nomen iam dederant, Baptiſmo auctorati; importandam finitimis partes in omnes Nationibus, atque adeò iis ipſis, quorum furor ſanè pertinax tot, támque funeſtas ſtrages hac illac paſſim edebat. Eam in rem Monte-magnius

ANNVS MDCXLV.

ſapienti ſanè conſilio Algonquinios, Huronéſque inhibuerat à cæde contumeliáque intorquendâ captiuis Iroquijs: ratus videlicet homines, qui vt truculenti ſint, pollent tamen ingenij acumine, celſóſque animos gerunt, ita ſecum reputaturos; Turpe eſſe, humanitate vinci, atque adeò contendendum ſibi, vt amicos haberent potiùs homines tàm clementes, quàm bella cum fortibus ijſdem exercerent. Ac initio quidem res bellè proceſſit: Hurones à quibus quaſi præiudicium expectabatur, captiuum benignè habitum ad Monte-magnium remiſere: re enim in Conſilio agitatâ, conducibilius cenſuerunt eâ animi æquitate & Gallos demereri, & ad pacem cum Iroquijs ſtabiliendam, viam ſternere, quàm hoſtem impotentiùs vlciſcendo, res ſuas, ſociorúmque, ac finitimorum miſerè peſſundare: Algonquinij, Montaníque, vt ipſorum maximè intererat, in Monte-magnij poteſtate prorsùs erant. Ac tametſi non diuturna pax ea fuit, placet tamen perſequi quæ in illâ tractandâ geſta ſunt, vt intelligant poſteri, quantum eæ gentes Gallorum ſolicitæ pro ſe charitati debeant. Et animaduertendum quidem, Iroquiorum nomine, quorum adhuc crebra mentio, crebrior deinceps, non vnam Nationem intelligi, ſed complures, omnes aliquantum ad Meridiem deflectentes, Kebeccum, & Hurones inter, ita vt hinc illò tranſmittere nequeas, quin eorum radas confinia: atque hinc diſcrimen certius: omnes enim cum Gallorum fœderatis ex inueterato pridem odio continenter bella perdiu geſſerunt, quidam gerunt etiamnum, dum hæc ſcribimus. Nomina ſunt, Annierronnonij, Onneironnonij, Onnontaërronnonij, Sonnontuaëronnonij, Onionenronnonij, cum alijs quibuſdam obſcurioribus. Ad Septentriones autem duo item populi ſunt, qui ſub hunc annum bellum & ipſi in Algonquinios viſi vltrò velle ſuſcipere, Sokoquioij cum Mahinganiis: & hi quidem, quod mirere, ab Annierronnoniis aliàs victi, domitíque, tamen fœdus deinde cum iiſdem inierunt. E tot populis, cum Annierronnonijs tantùm agitatum de pace: quæ tamen ſi conſtitiſſet, maximi profectò momenti ad rem Chriſtianam ſtabiliendam ijs locis fore putabatur; tùm quòd cùm ſint ij viciniores, per eorum fines ad Hurones iri Kebecco, Kebeccum rediri ab Huronum tractibus tutò potuiſſet; tùm quòd ij illos

ANNVS MDCXLV.

alios fœderatos, ac populares ſuos non difficillimè ad Gallorum, Algonquiniorum & Montanorum ſocietatem perpuliſſent, atque adeò oſtium ingens aperuiſſent Euangelio.

ERGO CVM in Algonquiniorum manus paulò antè duo alij Iroquij veniſſent, capti ipſi, dum captant alios ad Richelæam ſtationem; gnari Chriſtiani, nullo ſe officio demereri Monte-magnium magis poſſe, ambos dono dant viro optimè de ſe merito. Is eam liberalitatem largè remuneratus, captiuos, nec opinantes, & cruciatuum metu, quos pro ſuperiorum temporum truculento inſtituto, certò ſibi imminere putabant, ſi non exanimatos, conſternatos certè, in fidem ſuam benignè accipit, ſecuróſque animi eſſe iubet. Tum illum alium ab Algonquinijs anno ſuperiore donatum, rebus inſtructum neceſſarijs pergere in patriam iubet, renunciaturum quàm præclara deinceps ſe ſe offerret conſtituendæ pacis opportunitas: non ægrè dimiſſurum ſe illos duos, quos videret, ſi animum inducerent Annierrononij pacatiora conſilia ſuſcipere: interea, eodem modo habiturum, quo habitus ipſe eſſet, hoc eſt, vt noſſet, perhumano. Conferret ipſe de ſuo ſi quid poſſet, ad complanandam humum (ſic enim de gentis more loquebatur) hoc eſt ad ſanciendam concordiam ijs locis: quâ re nulla conducibilior in commune eſſe poſſet. Nec mora: cùm ad exeuntem Maium profectus ille eſſet, adfuit ad Iulium ineuntem, vnà cum Legatis duobus qui de pace Annierrononiorum nomine cum Monte-magnio deciderent. Aderat & Guillelmus Coſturæus, is quem captum cum Iſaaco Iogueſio, tàm immaniter ab Iroquijs ijſdem habitum vidimus ſuprà. Vbi primùm comparuit, Gallorum quiſque confeſtim eius in amplexus ruere, reditúmque gratulari, & tanquam rediuiuum ſuſcipere. Ex eo reſciêre tùm alia, tùm miſſos eos quos cernerent de pace. Hæc verò dum Kebeccum ad Monte-magnium perferuntur, Campi-florius Trifluuianæ munitionis Præfectus nullo non officij genere demereri Legatos ſtuduit: copiam fecit captiuis illis duobus, quorum nondum erat aſſerta libertas, quacunque luberet cum Legatis ijſdem excurrendi: tùm hos autem tùm illos adhibuere interim ad ſua conuiuia Algonquinij, Montaníque: illud feſtiuum, quod cùm per Interpretem crebrò inculcaret Campi-florius, inter

Gallos

ANNVS MDCXLV.

Gallos perinde, ac inter populares ſuos in patriâ eſſe ſe putarent, atque adeò verſari ſe quemque domi ſuæ, Kiotſaëton legationis princeps, eidem Campi-florio renunciari item per Interpretem iuſſit; Mentiri ipſum gnauiter, ſaltem id quod dixiſſet, minùs cum vero conſentire: tum, poſtquam aliquandiu ſuſpenſas adſtantium mentes habuerat; Monet, inquit, me hîc perinde eſſe, atque in patriâ: atquî in patriâ nec tam honorificè haberer, nec tàm lautè. Ait, perinde me hîc eſſe, ac ſi domi verſarer meæ: neutiquam id cum vero conſentaneum: etenim domi meæ cùm ſum, parciſſimus tantùm victus ſuppetit: hîc perpetua conuiuia. Inter hæc, aduenit Kebecco Monte-magnius, accerſiuítque ad colloquium Legatos ad IV. Id. Iulias. Eam in rem, quoniam æſtus erat vehemens, nauium velis maioribus ſublimè elatis, diſtentíſque, arceri Solis radios curauit: area enim Arcis delecta ad pompam aliquam erat. Poſtquam aſſederat Monte-magnius, vnáque Bartholomæus Vimontius, Societatis I E S V tractibus in iſtis Superior, circunſtante cohorte, ad Monte-magnij eiuſdem pedes Legati ſe ſtrauere, ſubiecto cortice, in quo de gentis more conſiderent. Ex aduerſo locati Algonquinij, Montani, Attikameguij: latera Galli Huronibus permixti claudebant. Mediâ in intercapedine, defixæ perticæ duæ, fune ſuperimpoſito: ex eo Annierrononij allata munera ſuſpendêre, torques è conchâ veneriâ ſeptendecim. Vbi omnes interquieuerant, aſſurgens Kiotſaëton, vir procero corpore, in Solémque intuens, tum oculos conijciens in circunſtantem coronam: poſtquam torquem ex ijs vnam prehenderat, hunc prorsùs in modum perorauit. *Auſcultа, Onontio: interpres ſum totius meæ Nationis; dúmque attendis loquenti mihi, Annierrononios exaudis omnes. In patriâ quidem aceruum habemus bellicarum cantionum: at eas valere iußimus: capeßiuimus contrà, modulos factos ad teſtandam, exercendámque lætitiam.* Hîc cùm exorſus eſſet canere, alternantibus modulatè Annierrononijs alijs, tanquam in ſcenâ, ſic eâ in planitie exſpatiari. In cælum ſuſpiciebat, in Sole figebat obtutum, brachia, lacertóſque premebat digitis, tanquam vim omnem bellicam, quæ in ijs concluſa vigeret, expreſſurus, & abiecturus ſcilicet. Poſtquam canere deſierat, Monte-magnium compellans denuò, primum donum illud,

ANNVS MDCXLV.

quod manu tenebat, idcircò ſe offerre profeſſus eſt, quod is autumno ſuperiore Tokhrahenehiaronem popularem ſuum (nonem erat captiui, quem à Monte-magnio in patriam pergere iuſſum diximus) Algonquiniorum dentibus, flammiſque deſtinatum eripuiſſet: illud tamen ſcitè expoſtulans, ita remiſſum eum in patriam, vt nullus omninò comes eſſet attributus. Quid ſi inuersâ canoâ vi ventorum merſus vndis eſſet? enimuerò diu vobis expectandus reditus hominis fuiſſet? & ſcilicet quam culpam contraxiſtis ipſi, eam in nos deriuaſſetis. His dictis, torquem loco deſignato repoſuit: tum factum ſuum cum facto Gallorum comparans, alteram Guillelmi Coſturæi brachio illigauit, cum hac omninò oratione. *Hæc verò torques captiuum vobis huncce reſtituit. Ac nolui quidem dum in patriâ verſarer, cum eo ſic agere; Abi, mi nepos: canoam conſcende: Kebeccum repete: id ſi feciſſem, neutiquam conquieuiſſem animo: ſemper me iſta ſolicitudo cruciaſſet; Numnam perÿt? ſi hunc in modum me adhibuiſſem, caruiſſem ingenio. Equidem is quem remiſiſtis, incredibiles in itinere difficultates perpeſſus eſt.* Atque hîc difficultates eas vt geſtu exprimeret, partes ſe in omnes verſare homo mire agilis, hiſtrionum prorsùs in morem: progredi, regredi, conſiſtere, brachia adducere tanquam remum teneret, linqui viribus, mox vires recuperare. *At non ea mea fuit ratio* (ſubiunxit) *ego hunc, quem coram intuemini, compellans; Abeamus, inquam, mi nepos: vel cum vitæ meæ periculo reſtituere te tuis conſtitui.*

SIGNIFICABAT torques tertia, ad dona, quæ pergenti ad ſuos Tokhrah enehiaroni data à Gallis erant, addita alia ab Annierrononijs, diſtribuenda in Iroquiorum Nationes alias: idque iam perfectum fuiſſe, quò eorum inhiberentur ſecures. Confirmabat quarta, cogitationem omnem abieciſſe Annierrononios vlciſcendæ necis eorum ſuorum popularium, qui vere proximè ſuperiori ab Algonquinijs cæſi eſſent. *Ego*, inquit, *inter veniendum tranſij haud procul eo loco, vbi commiſſa pugna eſt, vbi capti iſti duo: tranſij autem quàm potui celerrimè, ne fuſum meorum cruorem intuerer: cum adhuc ibidem iaceant inhumata eorum cadauera, auerti oculos, ne iracundia efferueſceret: quinetiam maiorum meorum ab Algonquinijs trucidatorum voces excepi: quippe cùm cernerent eſſe me ad ſequendam cædium iſtiuſmodi*

ANNVS MDCXLV.

vltionem propenſiorem, inclamarunt voce blandâ, amoríſque pleniſſimâ; Bonus eſto, mi fili, bonus eſto, neu furori indulge. Fruſtrà deinceps à morte nos vindicare tentaueris: de viuis ac ſuperſtitibus cogita, quibus potiùs proſpiciendum: ab eorum ceruicibus enſes, ab eorum corporibus flammas arceto: quilibet eorum qui viuunt, ac ſpirant adhuc, potior mortuis quamplurimis. Ego vero (aiebat) *his auditis acquieui, deſcendíque huc, libertatem aſſerturus ijs, qui veſtris adhuc ſunt in manibus.* Quinta, inimicis canois toto fugandis flumine deſtinabatur, quò ne interturbaretur nauigatio. Sexta, complanandis Catadupis, quæ in fines Iroquiorum pergentibus occurrunt. Septima, tranquillando lacui S. Ludouici, qui lacus traijciendus planè ei, qui eodem peruenire velit. Octaua, ſternendo toti terreſtri itineri, ſic, vt Kebecco fumus videri poſſet è vaporarijs Annierrononiorum. Nona, indicabat quoties Galli, fœderatique Gallorum Algonquinij, & Montani ad Annierrononios deinceps ſe conferrent, paratum focum fore, ac ſine labore quidem lignorum comportandorum: eum verò ignem nec interdiu, nec noctu extinctum iri. Decima, ceteris longè pulchrior, atque adeò maioris pretij, Gallos, Algonquinios, Annierrononióſque inter ſe colligabat. Id vt declararet, brachiorum alterum Galli, alterum, Algonquinij brachio implicuit, támque arctè ſtrinxit, vt dimiſſurum ſe nunquam eſſe ſignificaret. Vndecima ad conuiuia ſecum agitanda inuitabat; Eſt apud nos, aiebat, copia ingens piſcium, ferinæque: plena ſunt omnia ceruis, alcis, fibris. Miſſos verò facite olidos iſtos ſues, qui hîc per veſtras ſedes diſcurrunt, quíque meris ſordibus veſcuntur: cibis apud nos exquiſitioribus vtemini: ſtrata deinceps via eſt: periculi nulla ſuſpicio. Duodecimam ſurſum extulit, ad diſcutiendas nebulas, quò liberior quaquauersùm proſpectus eſſet, cunctáque illuſtraret Sol & veritas: hoc eſt ad amoliendas mutuas gentium earum ſuſpiciones. Decima-tertia Hurones omnes memores eſſe iubebat propoſiti, pacis cum Annierrononi s ſtabiliendæ. Antè dies quinque, ait (hoc eſt antè quinquennium: ſic enim per ſe exponit Auctor Gallicæ Relationis) ſaccum habebatis confertum vel conchâ veneriâ, vel muneribus alijs ad petendam pacem: quæ (malum!) cogitatio vos eâ mente deduxit: cadet ſaccus: cadent parata munera, confringen-

ANNVS MDCXLV.

tur, diſſipabuntur: tum denique animum deſpondebitis. Decima-quarta Hurones eoſdem impellebat ad loquendum ocyus: ne muliebri verecundiâ diſtinerentur, ſed pergerent porrò ad Annierrononios. Decimâ-quintâ perſuadere ſategit Orator, ſemper Annierrononijs in animo fuiſſe, & Iſaccum Iogueſium, & Ioſephum Breſſanium Gallis reſtituere: quò minus facere liceret, id in causâ fuiſſe quod Iogueſius quidem ereptus ijs fuiſſet, Breſſanium Batauis tradidiſſent ipſi, volentem, optantémque: dolere ſe tamen factum, non quod ipſi libertatem inuideret, ſed quod neſciret quid eo factum eſſet: fortè enim, dum hæc proloquebatur, vel merſum vndis, vel alio quopiam leti genere interijſſe: Annierrononios quidem de illo interimendo minimè cogitaſſe. Commodùm Iogueſius aderat: poſtquam enim paucos menſes exegerat in Galliâ, Superioribúſque ipſe per ſe expoſuerat quæ à nobis memorata ſunt, veſtigia Crucis, quà demùm cúmque pergeret, mutilis in digitis circunferens, quæ nos Engoliſmæ vidimus: vnà cum Paulo Iuuenæo, (qui eodem illo tempore, quo Iogueſius in hoſtium poteſtate erat, negotiorum causâ traiecerat in Galliam) renauigauerat in Nouam Franciam de menſe Maio anni proximè ſuperioris, & ad Annierrononiorum Legatorum aduentum, euocatus à Monte-regali ad Trifluuium erat. Ergo ad eam Kiotſaëtonis orationem renidens; Atqui ſtructa iam pyra mihi erat, inquit: ac niſi mihi adfuiſſet Dominus Deus meus, centies mihi vitam eripuiſſent: ſed nimirum ſinendus quæcunque volet Orator dicere. Decima-ſexta eò pertinebat, vt Annierrononij, ſi quando ad Gallorum ſedes accederent, à Gallis ijſdem comiter, & amicè exciperentur, turíque eſſent ab Algonquiniorum ſecuribus. Ante annos aliquot, inquit, dum captiuos vobis veſtros traditurí veniſſemus, perſuadebamus nobis, vtique, cùm amicè adueniremus, amicè quoque nobiſcum actum iri: ſed nos planè fefellit opinio: dum accedimus, aures vndique noſtras non modò ſcloporum glandes ſtridulæ, ſed etiam bombardarum globi miſſiles circunſonuerunt: ea verò tàm inexpectata res nos perterrefecit: receſſimus; atque vt valemus animis, conſtituimus ſcilicet bellicam huc expeditionem vere proximo adornare: fecimus: adfuimus armati: Iogueſium veſtrum cum Huronibus aliquot

cepimus. Decima-ſeptima torques propria erat Honatteniatæ. Adoleſcens is, captiuorum duorum alter, quos Monte-magnij iuſſu reſeruatos diximus, dum emiſſitius ille redijſſet, filius erat anus illius, apud quam maximam partem ærumnoſi temporis apud Annierrononios Iogueſius tranſegerat, anui eidem dono datus pro amiſſo altero filio. Hæc cùm inaudiſſet filium huncce ſuum natu minorem viuere, eam ipſam torquem, quâ vti in patriâ conſueuerat, per Kiotſaëtonem miſit, donandam ei qui filio vitam dediſſet. Ceterùm, vbi is haud procul verſari audiuit Iogueſium, miram præ ſe cupidinem tulit cernendi, compellandíque hominis, atque adeò cum mœſtus ſemper anteà, conſternatúſque fuiſſet, vbi primùm euocatus Iogueſius adfuit, ad hilaritatem derepentè traductus eſt; Adeò vel barbara pectora demulcet comis, humanáque conſuetudo eorum, qui Dei causâ in ſempiternam fratrum ſalutem intenti, eos vbi vbi gentium cum ipſis verſari contigerit, omni officij genere demereri ſtudent. ANNVS MDCXLV.

His ivcvndissimo vtrinque animorum ſenſu peractis, poſtridie excepit conuiuio Monte-magnius tùm Legatos, tùm quotquot ad Trifluuium aderant Hurones, Algonquinios, Montanos, Attikameguios; dein, pridie Idus Quintiles ſua viciſſim munera depromit, ad quatuordecim, ad ſingula deſignans, eundem ferè in modum, quo Kiotſaëton ipſe, quorſum quodque ſpectaret. Addidere ſua Silleriani Neophyti, addidit Vimontius: atque cùm is inter cetera nicotiam donaſſet, vnà cum tubulo, quo ad eos fumos captandos vulgò tùm Galli, tùm populi ij vtuntur, Kiotſaëton, miro in barbaro homine, acumine ingenij; Dum huc venturus exceſſi è patriâ, inquit, ſic mecum ſtatuebam, vitæ à me diſcrimen adiri: ita æquum eſt vobis à me agi gratias, quod lucis huiuſce vſurâ fruor adhuc. Ac muneribus quidem à vobis cumulati ſumus, tectíque à pedibus ad caput: os vnum ſupererat indonatum: illud ſuo munere ne careret, nimirum tubulos hoſce donaſtis vnà cum ſuauiſſimæ herbæ odore iucundiſſimo. Ergo à vobis recedo in tempus minimè longum: ac ſi fortè eueniret vt facto naufragio vndis obrueremur, ipſa tamen, credo elementa, populares noſtros de beneficijs à vobis in nos collatis admonerent: quin, illud mihi perſuadeo,

ANNVS MDCXLV.

anteceſſiſſe iam fauſtum quendam genium, eiuſdémque monitu populares noſtros guſtum aliquem præcepiſſe rerum lætarum, quas ad eos perferimus. Nec diutiùs remorati, ſoluerunt poſtridie, cum adoleſcentibus Gallis duobus, quos conſultò Monte-magnius abeuntibus attribuit, vel vt in partem venirent agendarum canoarum, ferendorúmque onerum, vel vt eâ re teſtaretur, quantopere Annierrononiis confideret. Iámque canoam Kiotſaëton conſcenderat, cùm ad deſpectantes è ripâ Magni fluminis tùm Gallos tùm indigenas conuerſus, quàm maximè potuit voce elatâ; Valete, inquit, fratres mei: iam propinquus veſter ſum: abeo in patriam, fauſta, iucundáque cuncta nunciaturus. Ad Monte-magnium autem; Celebrabitur, ait, cum plauſu tuum nomen, Onontio, longè latéque, per orbis terrarum partes omnes: quippè non modò caput hocce meum refero, quod periculo obieceram; ſed etiam redeo ad meos honore, muneribus, beneuolentiâ à vobis cumulatus. Hîc verò exploſi ſclopi à ſpectantibus indigenis: ex Arce autem, bombardæ maioris feſtus fragor conuentum clauſit. Hæc tamen tàm præclara initia non continuò omnem ſolicitudinem eripuere vel Monte-magnio vel Patribus. Norant iam omnes, expertus propriè Iogueſius erat, quàm non leuiter fidendum infidæ genti foret: factos ad diſſimulationem (ſi qui alij) Iroquios: mutabiles præterea mentes eſſe: in iiſque conciliorum ac conuentuum Euripis nihil eſſe procliuius, quàm vt benè cœpta quælibet paucorum, aut etiam vnius cuiuſpiam homuli ſeditioſa ſtoliditas peſſundet. Dum hæc agitant, & ſcilicet commendant per aſſiduas preces ſummo Deo, conueniunt alij ex aliis expectati diu populi, qui quaſi ex condicto hoc anno longè tardiùs quàm conſueſſent, ſuis quiſque è finibus profecti. Ac rei quidem Chriſtianæ plurimum intererat adeſſe cunctos, ad ea quaſi comitia Triſluuiana: quid enim certi conſtitui poſſet, ſi qui deſiderati fuiſſent eorum, quorum res agebatur? Ergo ad fuere denique ſub Septembris initium, viciniorum plerique, Hurones IV. Idus Septembres anteceſſerant Inſulares diebus aliquot, Monte-magnius ipſe Kebecco redierat, (eò enim ſe receperat interim,) pridie Idus menſis eiuſdem: ſupererant omnium votis expetiti Annierrononij, ſpe

metúque agitantibus ceterorum animos : cum ad XV. Cal. Octobris adfuere in canoâ, eâ ex gente miſſi quatuor : eorum vnus ex ripâ de more vel perorans , vel conſalutans , mire erexit animos, elinguem ſe tamen profeſſus : remum ſolummodò habere ſe , quo Gallum adduxiſſet , cui credita vox gentis totius eſſet , hoc eſt munera miſſa publicè , nomine totius Nationis. Erant hæc ad duodeuiginti è conchâ veneriî cuncta : quæ quorſum ſpectarent , Gallus ipſe , fidus, certúſque Interpres hunc in modum declarauit. Primo quidem ſignificatum Annierrononij volebant, Monte-magnij vocem tonitrui inſtar eſſe : vbi primùm ea apud Annierrononios exaudita eſſet, gentem totam continuò ſecures , armáque proieciſſe tàm vltrà cælum procul, vt brachium nullum deinceps eſſet vſpiam in terris , quod ea iſtinc mouere poſſet. Secundo quandoquidem ſubducta planè ex oculis , éque conſpectu arma eſſent , faciendum vt inter ſe mutuò Galli , Algonquinij , Montani , Annierrononij , Hurones inuiſerent, omni ſuſpicione, omníque metu depulſo. Tertio Anierrononiorum nomine offerre ſe Gallis , Nationibúſque Gallorum fœderatis , culcitram , ſeu ſtoream , in quâ molliter ſe ſternerent, vbi ad eos adijſſent: Annierrononios etenim eoſdem pudore ſuffuſum iri , ſi ad ſe venientes fratres minùs commodè , minúſque honorificè habuiſſent. Quarto , quandoquidem perfrigidæ noctes magnam partem temporis eſſent , ad ſtoream , ignem quoque adijciendum eſſe: eo , ſe pollicéri nunquam defuturum. Quinto, epulas quoque præbitum iri affatim in conuiuijs : ad Gallorum aduentum ahena præſto fore. Sexto , vnguentum offerri in vulnera , quibus nonnunquam Gallorum pedes ad ſe pergentium , ex offenſione ad ſaxa , extantes-ve arborum radices cruententur. Septimo, mitigatum iri laborem ſanè grauem onerum conuectandorum humeris , triginta ipſas leucas (totidem enim numerari à loco vbi neceſſe ſit exſcendere , ad pagos vſque Annierrononiorum.) Octauum ſpondebat, Gallis , ſi copulare inter ſe coniugia animum inducerent, neutiquam vxores apud Annierrononios defuturas. Nono , quoniam in priore conuentu Algonquinij excuſauerant , loqui ſe minùs poſſe , quod Nationis ſuæ primores deſiderarentur ; rogabant Annierrononij hac demùm vice loquerentur omnes , dilucidé-

ANNVS MDCXLV

que exponerent mentium ſuarum vel ſenſa, vel conſilia. Decimum, ad idipſum Hurones inuitabat, hoc eſt ad depromendum quid tandem ſuper re propoſitâ expedire vellent. Vndecimo, aiebant Nationis ſuæ Præfectos, alióſque Principes aliud tum quidem agere nihil, niſi nicotiæ fumos haurire naribus, tubulo nec dies, nec noctes poſito: hoc eſt, præſtolari interim propè inertes, quid tandem Algonquinij, Huronéſque ſuper fœdere, pacéque conſtituerent. Duodecimo aſſeuerabant conſanguineorum ſuorum animas, eorum qui in certaminibus, velitationibúſque mutuis cecidiſſent, tàm altè in intimas telluris partes receſſiſſe, vt nullam vnquam de ijs cogitationem ſuſcepturi Annierrononij eſſent, hoc eſt, omnem omninò vlciſcendarum offenſionum cupidinem è ſuis mentibus exulare. Decimo-tertio denuntiabant, paruiſſe ſe Monte-magnio, iubenti arma poni, abſcondi ſecures: idcircò, omni bellorum cogitatione, curáque valere iuſsâ, æſtatem ſe totam adhuc in choreis, conuiuiíſque conſumpſiſſe. Decimo-quarto, reſcire ſe cupere, & quamprimum quidem, num eâdem ſecuritate æſtatis partem reliquam tranſacturi ſint, hoc eſt, num Algonquinijs, Huronibúſque conſtitutum eſſet legationem ad Annierrononios cum muneribus de pace adornare. Decimo-quinto leuabatur Gallorum defatigatio, eorum qui à Monte-magnio miſſi ad Annierrononios, iuſsíque referre quàm poſſet fieri celerrimè quî illîc res haberent; neutrum exequi ſine graui labore potuerant. Decimo-ſexto rogabatur Monte-magnius ſuâ auctoritate prouideret, reſtitueretur Annierrononijs, popularis quædam femina, capta aliàs in certamine ab Algonquinijs, mox Gallis donata. Decimo-ſeptimo ab eodem Monte-magnio poſtulabatur, ipſe per ſe exploraret Huronum, Algonquiniorúmque animos, iuberétque declarare, pacémne, an bellum adamarent. Decimum-octauum eò referebatur, vt ne in deteriorem partem acciperent Galli, ſi nondum ſibi ab Annierrononijs reſtitutus eſſet Gallus puer quidam, quem apud ſe haberent: venturum mox cum ijs, quos ad ſe Hurones, Algonquiniíque legaturi eſſent.

MEMORAT deinceps Gallus Scriptor munera alia complura, Annierrononij aliûs cuiuſpiam, quem ceterorum maximè conſpicuum vocat, nec ſatis explicat, princeps legationis eſſet

ANNVS MDCXLV.

eſſet nécne: Huronum, ad quatuordecim, Algonquiniorum, Monte-magnij ipſius: nos, vt occurramus legentium faſtidio, vno verbo abſoluimus. Monte-magnius, cui nihil tàm cordi erat, quàm vt pax eas inter Nationes firma conſtitueretur, Annierrononiorum munera tres in partes diſtributa ſic diuiſit, vt Huronibus vna, altera Algonquinijs, tertia Gallis cederet: eximium reſtituit Annierrononijs captiuum illum, quem tàm enixè flagitauerat ab Huronibus, eâ vnâ de causâ, vt morti, cruciatibúſque ereptus, hoſtia pacis eſſet. Nihil vnquam tàm lætum oræ eæ viderant, eo ſaltem ex tempore, quo per Gallos inducta fides erat: per eos dies Nationes eæ inter ſe conſociatæ, coniunctiſſimè vixerunt, agitarúntque conuiuia: donec ad IX. Cal. Octobris, canoas Annierrononiorum Legati conſcendêre, nec ſoli. Attribuit Monte-magnius Gallos duos: ſocios ſe adiunxere Algonquinij item duo, Hurones totidem: Annierrononij viciſſim tres è ſuis obſides reliquere: quò cuncta euaſerint, tradet annus ſequens.

INTEREA Huronum res, haud abſimiles erant, inquit aptiſſimè Scriptor Gallicus, eorum ſorti, qui è naufragio madentes enatant. Conflictati ſunt ij quidem adhuc rebus duris, aduerſíſque: at paulò mitiùs quàm anno ſuperiore. Nam tunc quidem & agmen bellatorum centum interceptum ab Iroquijs propè octingentis ſic fuſum eſt, vt ad vnum omnes cæſi, capti-ve ſint: & cateruæ quinque eorum qui Kebeccum mercaturarum causâ pergebant, Iroquiorum eorundem circumuentæ ſunt inſidijs: euaſit vnica feliciùs, vnáque cum Brébeufio, qui triennium abfuerat, Patribus è Societate geſtientibus reddidit Sacerdotes ex eadem Societate duos, miſſos recens in ſubſidium, Leonardum Garrellum, ex Aquitaniæ Prouinciâ, Natalem Chabanellum, ex Toloſanâ. Præſidio euntibus fuit Gallorum militum manipulus, à Montemagnio miſſorum tùm ad eos tutandos, tùm ad erigendos animos Nationis ſanè exercitæ. Hoc verò anno & prouentus Indicæ ſegetis lætior, & copioſior, è lacubus, amnibúſque piſcium quaſi annona, & quæſtuoſiores mercaturæ locis penè omnibus, & morborum penè vbique graſſantium ſæuities mitigata. Status porrò rei Chriſtianæ is fuit. Mutatæ ſunt in Reſidentias, hoc eſt in domos ſtabiles, ſuíſque affixas locis, Miſ- *Status rei Chriſtianæ.*

ANNVS MDCXLV.

siones quæ priùs fuerant, Conceptionis, S. Ioſephi, S. Ignatij, S. Michaëlis, S. Ioannis Baptiſtæ: ſingulis in pagis conſtitutæ. Ædiculæ laxæ ſatis, éque loco editiore appenſum æs campanum, ad conuocandos de more ad ſacra munia Neophytos, vſurpandáque ea ferè omnia, quæ in Europâ ſacrum miniſterium complectitur, hoc ferè diſcrimine, quod vt noualia longè copioſiùs efferunt, quàm effœta arua, ſic multò maior paſſim fuit ardor nouorum fidelium. Conueniebant quotidie ad ſacrum, quod exoriente ferè Sole fiebat, ne quid priuatæ cuiuſque œconomiæ detrimenti afferret pietas: tum ſub veſpertinum crepuſculum, ad preces publicè peragi ſolitas. Dominicis autem, feſtíſque lucibus vſurpabant omnes quidem ſanctam homologeſim, plerique auguſtam ſynaxim inſuper. Sub meridiem, confluebant denuò in Ædiculam, ad ſacram doctrinam, concionémque: tum recitabant Roſarium, vel ſibi quiſque propriè, vel duos in choros diuiſi: ſæpiùs ſuccedebant alij alijs: ita qui dies in Europâ paſſim à plebeculâ, atque à ruſticanis hominibus in œnopolijs, aleatorum-ve tabernis incredibili Chriſtianæ ſeueritatis probro tranſiguntur, ij à religioſis Neophytis ex primariâ inſtitutione, toti feriabantur Deo. Hinc hoc primùm anno erupit in publicum, Neophytorum ſtudium amplificandæ diuinæ gloriæ: cùm enim adhuc in priuatis ferè conuentibus, vbi ſe dabat occaſio, contìnuiſſet ſe ſe felix ardor, cohibere ſe deinceps nequijt, quin palàm infideles ad ſaniora compelleret. Initium præclaro inſtituto dedit Stephanus Totirius, alumnus Reſidentiæ S. Ioſephi. Is cùm pagus S. Ignatij confluxiſſet totus ad cremandum more barbarico captiuum quendam, qui quot ſpectatores, tot penè carnifices numerabat, infelicis clamoribus ferinam vſtulantium immanitatem non modò non mitigantibus, ſed etiam exacuentibus: cùm diutiùs tetrum ſpectaculum ferre non poſſet Chriſtiana manſuetudo pij pectoris, voce quàm maximè potuit elatâ; *Audite*, inquit, *audite infortunati, atque huc mentes aduertite. Si quid ſapitis, intuemini in deplorati hominis cruciatibus, quæ veſtrûm vnicuique in ſempiternum tormenta immineant. Ecquis tandem ex veſtro hoc numero parem ſe futurum putet, ferendæ in perpetuum indignantis Dei acerbitati, rabiei teterrimorum dæmonum, flammarum atrocitati nuſquam parciturarum*

ANNVS MDCXLV.

ÿs, qui dum in viuis agerent, parere optimi, & ſuauiſſimi Dei legibus recuſarint, ſupremámque illius vim agnoſcere. Hæc tàm noua, & ad eam diem prorsùs inaudita tali in re, ac tempore oratio nimirum perculit animos: id vbi Stephanus peruidet, pergit porrò, &; *Nolite*, inquit, *putare, fratres mei, propoſitum mihi eſſe, miſerum huncce vobis eripere: præterita eſt, ad eum quidem quod attinet, omnis omninò vitæ mortalis iucunditas: mors vna ponere modum poteſt grauiſſimis ÿs, quibus conflictatur doloribus. Sortem veſtram potiùs lugeo, deploróque, quibus tormenta impendeant infinitis partibus formidoloſiora, queis initium veſtra vniuſcuiuſque infortunatiſſima mors, finem nulla vnquam ſeculorum diuturnitas datura ſit.* Quæ vbi præclarâ prolixáque oratione ob oculos poſuerat, illud potiſſimum inculcans, nullum vnquam impiorum ſupplicijs terminum fore; *Nondum tamen*, ſubiunxit, *eo loco veſtræ fortunæ ſunt, vt non ſit integrum, ſi animum quidem induxeritis, atrociſſimos illos cruciatus declinare. Summum illum Deum, cælorum, terrarúmque opificem veneramini, & ad illius decretorum ſeueritatem contremiſcite: id ſi facietis, ne attingent vos quidem vltrices illæ flammæ: ſin fidem capeſſere, dum licet, renueritis, manent vos vtique ardentes illæ fornaces, ignéſque ſubterranei, nullo vnquam conſopiendi tempore: ac tum demum, ſeriùs vos quidem, vobis tamen perſuadebitis, imò luce meridianâ clariùs perſpicietis, veriſſima eſſe quæcunque fides eadem tradit, id quod tutiſſimum erat, amplexos Chriſtianos: meritóque ipſos non ſuâ magis, quàm veſtrâ causâ cohorreſcere: quando ſibi, vobíſque peræque periculum illud immineat, quo nullum ne mente quidem, aut cogitatione informari poſſit grauius.* Hæc, vt fit, diuerſum in modum ab audientibus excepta: plerique pertentati, commotíque imis ſenſibus: nonnullis viſa iſta deliria: Stephanus in occaſionem intentus ſuccurrendi perdito, accedit propius: &, *Vides ipſe*, infit, *mi frater, haudquaquam manus iſtas (ſuas oſtendebat) facibus tædiſ-ve armatas ad tuos artus vſtulandos eſſe: caue quidquam à me pertimeſcas: eâ vnâ de causâ appropinquo, tibi vt benefaciam. Ac tuum quidem corpus hocce, deploratiſſimo ſtatu eſt: breuî illud animus is qui intùs latet deſtituerit, atque iſte demùm vnus paulò pòſt vitæ erit particeps, ſic vt ex eius ſtatu qui erit tum, cùm à corpore ſeiungetur, planè pendeat, quid eodem corpore in perpetuum futurum ſit deinceps, poſtquam longo poſtliminio reuixerit, nunquam*

ANNVS MDCXLV.

deinde emoriturum. Si mecum vnà, agnoſcere ſupremum mundi parentem animum induxeris, eiúſque opem reuerenter implorare; enimuerò is te quoque agnoſcet, téque cuocabit in ſplendidam illam cælorum regiam, cuius incolæ beatam vitam ſempiterno tempore acturi ſunt. Ab hac verò felicitate excluditur quiſquis eum colere recuſat: infelices iſtiuſmodi animas pertrahunt ſecum teterrimi dæmones in ſpecus ſanè tenebricoſas: vtque ſunt illæ ſuâ conditione immortales, ita nullo vnquam tempore finiendis cruciatibus, medijs in rogis ab ijſdem illis carnificibus vexabuntur. Hîc verò tanquam è ſomno expergefactus homo; *Ergóne,* inquit, reſpirans paululùm, quà per cruciatus licebat, *ergóne reſeruatur in cælo vita beata, etiam ijs quos hîc miſeriæ opprimunt omnes? Et iſta quidem nobis canebant Hurones quidam ex ijs quos vſtulauimus, eáque ſe ſe conſolatione ſuſtentabant in flammis, quod transferendi mox eſſent in illud felicitatis domicilium: ſed nimirum nos hæc pro fabulis ducebamus.* Vrget verò Stephanus, inculcátque ipſum illud, extrà omnem dubitationem manere beatam vitam eos, qui per Baptiſmum regenerati, credidiſſent. Et aſſentitur promptiſſimo ſtudio beatus cæli candidatus: Baptiſmum quater quinquieſ-ve efflagitat. Hîc verò maturato opus eſſe intelligens Stephanus, aquam vndique conquirere, Huronum ij, quos auitæ ſuperſtitiones tenebant adhuc implicatos, tumultuari, pérque pertinaciam, iniectam vtique feris mentibus ab hoſte Dei, hominúmque capitali, dictitare, nequaquam ſe laturos vt æternis illis ſupplicijs hoſtis ille Natiõnis totius eriperetur: pergeret porrò ad eos rogos, quos Stephanus memorabat: ſe quidem, ſi quo modo poſſent, acerbitatem illam cruciatuum in ſempiternum prorogaturos: quo quid tandem importunius vel cogitatione fingi poteſt? At Stephanus raptim ferali è pegmate dilapſus, per confertos pergit ad proximam caſam, aquámque affert in vaſe: ſed vix ad deploratum aſpirare licuit, propellentibus hinc inde Barbaris, paratámque lympham effundere conantibus; fuerunt non pauci, qui fuſtem fortí viro impegerint. Quas ille per contumelias, iniuriáſque iter moliens, præſtolantem in flammis Iroquium felici rore perfundit, & tanto quidem tantis in doloribus ſuauitatis ſenſu, vt tanquam eorum oblitus illud vnum deinceps fortunatus Neophytus iterarit, beatum ſe in cælo mox fore.

ANNVS MDCXLV.

IDEM ILLE Stephanus Totirius ſpecimen ardoris eiuſdem edidit ſanè illuſtre, tum, cùm Cruci Chriſti ignominiam illatam non ferens, illam quoquomodo inhibere inſtituit. Erexerant Patres qui Miſſionem procurabant S. Ioſephi, Crucem prægrandem in Cœmeterio, quò, cùm ſenſim fidelium mortes aliæ alias conſequerentur, communi tumulo plus venerationis accederet, Religioſam cerimoniam riſu, conuitióque excepit infidelium ſtoliditas: Blaſphemâ oratione inſectabantur homines ſtulti, popularium ſuorum ſtuporem ſcilicet, qui lignum haud aptiſſimè dedolatum, & cui nihil quidquam ex arte, venuſtatis ineſſet, ſuſpicerent tamen eò vſque, & pro ſacro haberent. Parentum impietatem aliquanto pòſt, vt fit, imitati filioli, Crucem eandem lapidare, & immundo fimo oblinere. Aberat tum fortè Stephanus, Dogicus Miſſionis, hoc eſt, ſacrorum Præſes, ac Præfectus, qui per Patrum abſentiam quicquid à Laico perfici circà ſummi Dei cultum poteſt, promoueret, vrgerétque. In reditu impietatem tantam deteſtatus, ſub veſpertinum crepuſculum in caſæ ſuæ tectum aſcendit, & voce conſultò ad terrorem compoſitâ, ſimillimè atque ij qui è ſpeculâ aduentare hoſtem nunciant, cuncta latè terrore complet. Accurrunt turmatim pagani, trepidíque quid rei eſſet, exquirunt. At Stephanus: *Contremiſcite*, inquit, *fratres mei, contremiſcite: hoſtis quidem externus nullus aduentat in præſentiâ, quod ſciam: at eſt in foribus, atque adeò in penetralibus ipſis grauius periculum. Nimirum violatur Chriſtianorum Cœmeterium, hoc eſt, Deus ipſe laceſſitur: quid nobis fiet? Eum ſi pergetis irritare, vltor vtique aderit continuò, ac niſi liberorum veſtrorum petulantem licentiam coërcueritis, illud prædico, atque antè denuntio, cum filijs parentes quoque communi pœnâ comprehenſum iri, quippè culpæ communis affines. Sacra ſunt, ſi neſcitis, corpora mortuorum: ipſi vos, tametſi fidei adhuc expertes, quantâ tamen veneratione tumulos veſtros proſequimini? an non in nefario crimine ponatis, ſi quis remum è ſepulcri mole ſuſpenſum attigerit? Ædes iſtæ meæ diſturbentur: cædar ipſe, atque adeò occidar, non modò nihil obſiſtam, ſed etiam feram pacatè ac beneuolè: dum ea quæ Deo Optimo Maximo conſecrata ſunt, appetentur, enimuerò ſi quid erit vocis reliquum, totum illud colligam, impedámque ad ſceleris impietatem commun-*

ANNVS MDCXLV.

ſtrandam æquè, & redarguendam: inclamabóque horribile quiddam eſſe, Numen laceſſere. Hîc verò cùm mutire auſus eſſet infidelium nemo, & parentes ſe ipſi deinceps continuêre, & inhibuêre liberorum quiſque ſuorum proteruiam.

PRÆFECTI pagi cuiuſdam, in quo vel maximè viguerant impiæ iuxtà impudicæque ſaltationes, quas per eos qui Magi cenſentur, imperare impuriſſimus dæmon ſuetus erat, ad auerruncandas ſcilicet impendentes calamitates; cùm viderent rem deinceps ſegniùs agi, neque eâ frequentiâ quâ priùs; medendum tanto ſcilicet incommodo rati, priſtinam illam celebritatem reuocare, ſi quo modo poſſint, conſtituunt. Ergo publico quaſi præconio, pagi vias, vicóſque circuncurſant: lacrimabili voce apprecantur, miſereſcat quemque patriæ peſſum-euntis: ſeueritatem fidei nimiam eſſe, quæ nunquam quidquam de ſuarum legum obſeruatione remittat: vnâ ſaltem luce, vnâ nocte Chriſtianorum omnium officia intermittantur. Neque ea foris ceciniſſe ſatis fuit: irrepſerunt etiam in tuguria, atque ad nefariam ſuperſtitionem tùm quemlibet, tùm ſi quem præcipuè in fide quaſi titubantem cernerent, impellere ſunt conati. Non tulit facti indignitatem vir apprimè Chriſtianus (nomen non proditum, neſcio quâ de cauſâ) atque intolerabile reputans, viliſſimo dæmoni eò vſque ſeruire venales impiorum linguas, Dei cauſam à nemine aut agi, aut propugnari; prorumpit ex ædibus, plenúſque Deo Orator ſic propalàm in nefariam ſuperſtitionem inuehitur, vt & Chriſtiani ſe omnes in officio continuerint, & Ethnicorum plerique demirati tàm liberè audere priuatum hominem Præfectis ipſis obſiſtere, infandæ cerimoniæ ſe ſe ſubduxerint.

AT NON VICISSIM ſibi Satanas defuit: incitauit paſſim ad odium, inſectationémque eorum qui fidem ſuſciperent, ipſos illos qui cum ipſis coniunctiſſimè viuebant priùs, nullâ ſimultatis cauſâ, niſi illâ fidei. Oijakonchiaronkius fuit ex pago S. Ignatij, antequàm fidem capeſſeret inter ſuos copioſus idem, & charus vulgò omnibus. Is vbi primùm in Chriſti familiam per Baptiſmum tranſierat, hoſtes expertus eſt eos, quos priùs numerabat in amiciſſimis: & ea quidem fuit odij atrocitas, vt de vitâ ipſi eripiendâ agitatum ſit, atque adeò diſpoſiti ſicarij fuerint, qui cædem perpetrarent. Vbi vis minùs ſuc-

ANNVS MDCXLV.

ceſſerat, ad artes, calumniámque vertuntur: ſpargunt in vulgus Ignatium (id enim Neophyto inditum nomen) vnum eſſe ex numero veneficorum illorum, quos tanquàm catharmata vnicuique tollere de medio liceret, tanquam per eos peſtilentes morbi immittantur primùm, mox prauis, deteſtandíſque artibus foueantur. Nec id latuit fortem virum: ſed cùm viæ non deeſſent tàm aperti declinandi periculi, perſtitit intrepidus: palámque, ac publicè; *Nunc enimuerò mihi perſuadeo*, inquit, *non me errore labi, fidémque meo in pectore agere radices, quando inuiſus meis eſſe cœpi. Si de me necando deliberatio inſtituta eſt, pergant ſanè queis cura demandata eſt cædis faciendæ: neutiquam ad corpus hocce animus adhæreſcit, neutiquam vim vi repellam: qui ſecurim mihi intentarit hoc nomine, quod Chriſtianus ſum, ei ceruicem vltrò obÿciam. Nihil hîc opus diſſimulatione, aut accerſitis ad obtegendum crimen coloribus: quàm ÿ in afferendæ necis voluntatem incumbunt, tàm ego ad mortem excipiendam ſum animo comparatus. Videbunt ipſi minimè expalleſcere extremo illo tempore Chriſtianos: quámque capeſſiuerunt fidem, tantum virium, animorúmque ſufficere, nihil vt recuſent eorum, quæ in vitâ formidoloſiſſima cenſentur.*

HÆC VIR FORTIS: par generoſæ feminæ conſtantia. Eodem ex pago S. Ignatij, Lucia Andotraonia vbi primùm Baptiſmum ſuſceperat, nuncium remiſerat ſaltationi cuidam, myſticæ ſcilicet, ad eum prorſùs modum quo priſca illa Eleuſinia, non ſacra, ſed execranda: quippe ad quam admitterentur lectiores tantùm ſeu viri, ſeu feminæ, cum eo vt omni aſſeueratione confirmarent ei qui cerimoniæ præeſt, arcana ſe prorſùs habituros ea quæ ibi gererentur. Porrò ex eâ vel maximè apta putabatur ſalus patriæ, quod nullum tantæ efficacitatis amuletum eſſe putaretur morbis auerruncandis: atque idcircò & deligebantur illuſtriſſimi quique, & ij ipſi eam quaſi initiationem magni pretij mercabantur muneribus. Ergo cùm Lucia à præclaro conuentu prorſùs abfuiſſet, ex quò Chriſtiana eſſe ceperat, ad eam adit præfectus quidam è primarijs, monétque in aurem, quaſi pro amicitiâ, proſpiceret, ſi ſaperet, rebus ſuis, dum eſſet integrum: conſtitutum quippe eſſe in arcano illo cœtu, quando renueret ſaltationi intereſſe, ipſam proximâ æſtate, dum in agro verſaretur impactâ in caput ſe-

ANNVS MDCXLV.

curi necare, tum excoriato cerebro, auferre capillitium, quò peractæ cædis ſuſpicio in Iroquios deriuaretur. Id tantum infortunij occupare ſi vellet, diſcederet ſanè ab exoticis illis ſacris, ſéque ſuis reſtitueret. *Habeo verò*, inquit, *tibi gratiam, qui tàm fausta nuncias : ceterùm, pergratum ÿ mihi facient, ſi tàm præclarâ de causâ eripient mihi vitam : ego quidem deinceps illud certiùs mihi perſuadeo, quàm vnquàm anteà, Mortuam me mundo, vni Deo viuere debere.* Ita immota perſtitit Chriſtiana Amazon, ſtupentibus Ethnicis : & quando nihil minæ proderant, ad artes, fraudémque conuertuntur. Sparſerunt in vulgus inuidioſos rumores, nunc hos, nunc alios, ex eâdem omnes officinâ, quibus illud plebeculæ perſuaderent, falſa eſſe quæ Galli Sacerdotes credenda obtruderent. Vulgauerunt Algonquinios quoſdam ex perlongo, & difficili itinere reduces affirmaſſe, cùm à recto tramite aberraſſent, deueniſſe ſe in regionem incognitam adhuc : eſſe illîc vrbes frequentiſſimas, quæ non à viuis, ſed à mortuis incolerentur, hoc eſt ab animabus, quæ olim cum corporibus coniunctæ, vitam egiſſent eandem, quam nos hîc decurrimus. Ab ijs didiciſſe Algonquinios illos, fabuloſa eſſe quæcumque de Cælo, Tartaróque tradantur. Animas quidem eſſe immortales, ipſis ſuis oculis cernere, quando in ſe intuerentur, hoc eſt, in tantam multitudinem Mentium, prioribus exutarum corporibus : ceterùm rem ita habere : vbi primùm ex priori illo corpore, tanquàm è cuſtodiâ exceſſiſſent, præſtò eſſe continuò aliud, quod induerent, & expeditius quidem, valentiúſque, in amœniore patriâ : proinde corpora in morte ab Animabus ſic relinqui, tanquam caſam minùs commodam ab ijs qui in commodiorem haud inuiti immigrent, agróſque iam effœtos mutent nouis, qui longè plus efferant, & minore labore ſcilicet. Prædicarunt item, certo certius eſſe viſum in ſiluis ſimulacrum, prodigioſæ cuiuſdam proceritatis, manu alterâ Indicæ frugis ſpicas, alterâ piſcium præferens copiam. Aſſeuerare ſimulacrum illud, ab vno ſe procreatos homines, eoſdémque à ſe edoctos terram colere. A ſe amnes, lacúſque, & æquorum tractus immenſos, oppletos piſcibus, ne quid hominibus ijſdem ad victum deeſſet : ſe enim ipſorum parentem eſſe, licèt nondum pro parente ab ijs agnoſceretur : id ſcilicet euenire infantulis, qui nondum ex incunabulis

ANNVS MDCXLV.

cunabulis exceſſerint, vt cùm iudicij vis nondum in ipſis ſe exeruerit, dignoſcere eos nequeant, quorum toti ſint, quibúſque totam victus rationem acceptam referre debeant: futurum vt cùm hominum animæ è corporibus exceſſiſſent, penitiùs venirent in rei cuiuſque notitiam, illúdque propriè peruiderent, ſibi, quòd viuerent, deberi: tum verò vt ipſæ meritos ſibi honores reddituræ eſſent, ita ſe quoque viciſſim diligentiori ſolicitudine earum in res inuigilaturum, auctorúmque ipſas beneficentiâ: ceterùm falſum eſſe earum vlli deſtinata certo loco ſupplicia, igneſ-ve: flammas nullas ſub terra eſſe: eſſe inania terriculamenta, quæ illinc obijcerentur. Quin ex ipſis quoque Neophytorum Cœmeterijs quæſita mendacio adminicula: neque tàm quidquam terruit credulorum animos. Iactatum, Chriſtianam quandam feminam, earum ex numero quarum corpora in religioſis illis tumulis condita latent, extitiſſe rediuiuam, dixiſſéque, Gallos nequiſſimos eſſe mendaciorum architectatores: animam quidem ſuam, poſtquàm ſeiuncta fuerat à corpore, perductam in cælum fuiſſe, ibidémque exceptam à Gallis; at quo ritu ab Huronibus captiui Iroquij ad pagorum ingreſſum excipi ſoleant, hoc eſt tædas ardentes præferentibus, queis non ſine incredibili doloris ſenſu miſeram vſtulauerint: Cælum totum ignibus flagrare perpetuis: eo loco ſummam Gallorum oblectationem poſitam eſſe in torquendis animabus, nunc his, nunc illis: earum vt copia maior ſuppetat, quibus deinde ad ſuam exſaturandam importunitatem abutantur, maria ab illis traijci, ínque Huronum fines veniri tanquam ad certam prædam, quo more Hurones ipſi nullum non laborem bellicum, nullum non periculum appetant, ſi quem ſecum in expeditionum reditu eâ de causâ ſuſceptarum, captiuum adducant, miris deinde modis cruciandum. Horum ignium pabula Hurones eſſe, Algonquinios, Montanos, eos dumtaxat, qui præclara ſacra illa quæ Galli ijdem inferant, capeſſiuerint: qui ſapientiori conſilio parere hîc ipſis recuſauerint, nouáque repudiauerint inſtituta, eos poſt mortalem vitam hancce excipi certâ quadam ſede, omni deliciarum genere refertâ: ibi bonorum omnium cumulum ineſſe, exulare triſtia quæque, & exoſa hominibus. Addebant, feminam eandem, poſtquam horas ipſas quatuor

ANNVS MDCXLV.

& viginti in grauiſſimis illis cruciatibus fuerat, tàm breui interuallo exactos ſibi annos totos eſſe ratam (quæ doloris exiterat acerbitas) ſuperueniente nocte, ſomno paululùm ſe ſe dediſſe, ex quo confeſtim excitata à quodam eſſet, luctuoſam ſuam illam ſortem miſerato, diſruptíſque catenis quibus vincta tenebatur, eundem illum miſericordem vallem commonſtraſſe in receſſu, altiſſimam illam, per quam è cœlo in terras pateret exſcenſus, indidémque trames tenderetur ad ſedem illam deliciarum, in quâ animæ verſentur Huronum eorum, qui Gallica ſacra nunquam attigerint: viſos ſibi eminùs beatos illos pagos, campóſque, & auditas lætantium, choróſque, aut conuiuia agitantium voces: voluiſſe tamen redire ad corpus tantiſper, dum eos qui aderant, officioſè monere liceret de imminente periculo, déque extremâ infelicitate quæ illos poſt mortem maneret, qui per ſummam inſipientiam Gallis auſcultaſſent, tàm crudeliter, támque indignè fallentibus.

HÆC VERÒ FABVLA vagari paſſim, & quanquam nullo certo auctore, ſic arripi, quaſi de eâ dubitari nefas eſſet. Aiebant pagi S. Ioſephi incolæ, manaſſe rumorem primum ab Chriſtianis ijs, qui in pago Conceptionis degerent: eo in pago ferebant hæc ex pago S. Ioannis Baptiſtæ profluxiſſe: illîc, rem in pago S. Michaëlis contigiſſe: verùm, id odoratos Patres, muneribus ſcilicet corrupiſſe Chriſtianorum fidem eorum, qui ſpectatores ipſi rei tàm nouæ fuiſſent: idcircò, non auſos eos paſſim vulgare prodigium, ſed in aurem dumtaxat paucis inſuſurraſſe: ab ijs paucis accepiſſe ſe: qui porrò ij eſſent, minimè aperiebatur: vno verbo, nullus ex Ethnicis erat, quin id ſibi certiſſimè perſuaderet: è Chriſtianis nonnulli ancipites animo fluctuarunt. Ac ne quid ad faciendam fidem prætermitterent egregij fabulatores, addebant; Mirum nihil eſſe, ſi in cœlo animæ vſtularentur: quippe ſedem eam ignis eſſe propriam, naturæque eiuſdem ignis conſentaneam: illum, dum ardet, non deorſum, ſed ſurſum ferri: ac ſi tàm procul à Sole poſiti, illius tamen æſtate ſæpè tanto cum incommodo ſentimus ardores, dubitari vtique nequire, quin in cœlo, longè viciniori, immenſa excitet incendia, flammáſque abundè ſufficiat, vnde Hurones, à Gallis,

ANNVS MDCXLV.

tàm religiosè scilicet procurati, vstulentur. Ita ad veteres tenebras nouâ in infidelium mentibus accedente tàm falsi quàm ridiculi rumoris caligine, extitit nubes hoc periculosior, quò fidei fundamenta quatiebat audaciùs, sed nimirum; Non sunt adeò hebetes homines, vt obscurato licet, naturali illo lumine, quod cuiusque menti Deus ipse indidit, secernere falsa à veris nequeant, accedente præsertim institutione. Certè ineptus rumor paulatim concidit, præsertim extante nemine, qui rediuiuam illam scilicet mulierem vidisse se, affirmare auderet. Sed vbique sibi constat nequam dæmon, & quibus artibus oppugnauit quondam fideles, ijsdem pergit quotidie Neophytorum tentare constantiam. Nempe eâdem ex officinâ prodijt nefarium inuentum, ex quâ olim fraus Tartarea, quæ Israëlitarum pudicitiæ bellum Balaamo auctore indixit. Ausi infideles Hurones fidelium castimoniæ obijcere laqueos, immissis per conuiuia, impudicis puellis, quæ viros, adolescentésque Christianos vltrò ad flagitium solicitarent, arbitrati eos, si obscœnæ libidini indulsissent, imbecilliores deinde in retinendâ fide fore, quæ tanquam ignis in lignis viridibus, sic in impuris pectoribus haud facilè consistat. Sed (Domino miserante) lapsus paucorum fuit: immoti perstitêre maximam partem generosi athletæ, ac luce clariùs demonstrarunt fœdis illis Satanæ emissariis; Quod pectus diuini amoris flamma occuparit, illud spurcæ libidinis incendia neutiquam persentiscere. Quâ in re Patres id vel maximè delectauit, quod cùm eorum plerique, quorum tentata pudicitia erat, Iosephum, sanctissimum illum iuuenem egregiè imitati essent, reos se tamen pronunciabant, criminisque affines eo nomine, quod nefarijs illis propudijs apti visi essent ad flagitium. Omninò, aiebat ex eo numero vnus, illacrimans, obseruarit teter dæmon recèns, fidem meam remisisse, quando me tàm apertè oppugnat: neque enim luce palàm in pagum vllum hostes nostri impetum faciunt, quem ab armis, propugnatoribúsque aptè instructum norint. Cúmque postmodùm Sacerdoti illi cui se moderandum crediderat, aperuisset singillatim, quemadmodum toto eo in certamine se se adhibuisset; Ante quinquennium, inquit, in Iroquiorum manus veni, hostium tàm truculentorum: illud tamen tibi confirmo, Pater, me non

Neophytorum constantia in fide, & castitas.

ANNVS MDCXLV. tantopere fuiſſe animo perculſum tum, cùm mihi manus iniecerunt, quantopere cohorrui, dum in me proteruæ iſtæ irruerunt.

ET VALVIT ea conſtantia ad permouendas eas ipſas, quæ tàm publicâ offenſione, virorum pudicitiam labefactare conabantur. Seu ab illo quem diximus, ſeu ab alio quodam paris fortitudinis, repulſa quædam cum conuitio, illud ſecum reputare cepit, ſublime profecto quiddam in fide eſſe, quando hæc alumnis ſuis horrorem injiceret voluptatum earum, quibus eiuſdem ætatis alij tàm cupidè inhiare ſoleant. Ergo ad Chriſtianam feminam adit, ex eáque percontatur, num ſeriò ſibi perſuaderet, ſub terris ſempiternos illos ignes ardere, quorum terrorem injicere mentibus Galli illi Sacerdotes tantopere ſtuderent. *Ego verò*, inquit mulier egregiè fidelis, *nihil dubito quin ita ſit: verùm fac rem dubiam eſſe: ea ſola cogitatio; Eſſe fortè ſub terris rogum nullâ vnquam ſeculorum diuturnitate extinguendum, in quem in perpetuum mergendi ſint ij, qui Chriſtiana ſacra amplecti recuſarint, id euincere à te meritò debeat, vt formidoloſos illos ignes, quà licet, declinandos tibi putes. Alioqui, dementes nos, quæ cum in agrum æſtate pergimus, in metu aſſiduè verſamur inſidiarum, quas nobis fortè Iroquij ſtruant: fieri enim poteſt, vt quo tempore nos vel grauiſſimè angor iſte cruciat, de nobis hoſtis nihil cogitet.* Atque hæc oratio tàm altè in perditæ illius animo inſedit, vt depellere deinceps nequierit ſolicitudinem illam, fortè in imis terræ penetralibus ardere ignes illos, in quos vtique ſit quandoque ruitura, niſi fidem capeſſeret, quâ infelicitate nulla maior ne mente quidem fingi poſſet. Quare poſt menſes duos, ad vnum è Sacerdotibus adit, Baptiſmúmque flagitat. At is contemptim; Apage te, inquit, meretricula: laſciuè ac petulanter in flagitij conſuetudine verſaris. Atqui ſtat, excipit, vitam, moréſque conformare meliùs. Terruit me ignis ille Tartareus, de quo tàm ſæpè memoratis: antequàm accederem, quid ipſa poſſem, experiri volui: menſes ipſos duos obſeruaui id quod totâ deinceps ætate, Chriſtiana factura ſum: vnde in me tanta, támque repentina mutatio extiterit, neſcio: illud ſcio, aliam me eſſe eo in genere, vnde mihi vel maximè metuebam. Quod menſes iam duos vſurpo, quid vetet quò minùs deinceps

totâ ætate vſurpem? Dum de flagitio interpellat me adoleſcens aliquis, eum hac oratione repello, Baptiſmum cogito, abi ſanè: quod ſi iam nunc valet ea cogitatio, ad aſſerendam pudicitiam, an non ad illud ipſum plus virium ex ipſo Baptiſmo accedet? Hîc Sacerdos miratus mutationem dexteræ Excelſi, tamen in quintum ſextum-ve menſem nequidquam vrgentem reiicit: eo interuallo caſtè, piéque exacto, admittit demùm ad Baptiſmum, Magdalenæque nomine decorat. Vt ad viros redeam, tradit Auctor Gallicæ Relationis noſſe ſe complures, qui admotis ad artus carbonibus, torribúſ-ve candentibus, ſe ipſi vſtulauerint, ad Tartareos illos ardores reſtinguendos: cùm ſe ſic ipſi interpellarent: Poſsíſne verò infelix, ignes ferre ſempiternos in æſtuantibus illis fornacibus, qui ne flammulam quidem, aut perleuem vſtulationem perferre queas, quæ præ formidoloſiſſimis illis rogis vix picturæ inſtar obtineat. At alius quidam, dignus profectò cuius nomen ad poſteritatis exemplum proditum eſſet, cùm impuram flammam intima depaſci perſentiſceret inuitus, nec ſe ipſe deſtituere poſſet; ſanctâ quâdam actus deſperatione moleſtiſſimæ vexationis abigendæ vllo alio pacto, penetrat vicinum in nemus, nudúſque altis ſe niuibus immergit, artus volutans iuxtà, precéſque ad Deum fundens, tandiu, dum abſceſſit quidem periculoſum incendium, at corpore ſic defecto viribus & calore, vt vix eò vnde profectus fuerat, recipere ſe ſe potuerit: quæ cùm perfeciſſet, nondum tamen ſibi planè ſatisfecerat, incuſabátque ſe verecundans, quod non ſat citò efficax illud quidem, at permoleſtum remedium adhibuiſſet. Hæc verò tantò admirabiliora, quantò eſt gens ea ad fœdam libidinem procliuior: Huronem enim & impudicum eſſe, perinde habere tradunt Annales Gallici ſuperiores.

ANNVS MDCXLV.

EXITVM hîc mihi reperire difficile: & conſulere quidem breuitati, conſilium eſt; tàm præclara virtutum omnium in Neophytis documenta prætermittere religio. Seligamus ergo ſanè adhuc pauca è multis, antè, quàm ad annum ſequentem tranſeamus. Cùm ſub ineuntem huius anni autumnum ad ſuos Hurones poſtliminiò redijſſet Franciſcus Ioſephus Breſſanius, is quem ſuprà vidimus à Batauis redemptum; accurrere ad eum turmatim pij filij, & mutilos digitos reue-

ANNVS MDCXLV.

renter exoſculari. Nihil admodùm eo tempore accidit, quod maiores fecerit animorum apud Hurones motus: aiebant alij; Deum profectò ſummo quodam amore, ſummáque obſeruantiâ dignum eſſe, quando ad eius notitiam iuxtà, & amorem ingenerandum hominum ignotorum animis, alio ex orbe Sacerdotes per mille mortis pericula, pérque cruciatus morte ipsâ infeſtiores, penetrare non dubitarent: alij, extrà omnem dubitationem beatam illam vitam extare, infinita olim in ſecula prorogandam, de quâ inſtitutores ijdem ſui traderent, quando per tædas, flammáſque Iroquiorum, ad ſe tenderent, viæ ad eandem felicitatem commonſtrandæ, tradéndæque rationi, quâ ſempiterni illi ignes, quos itidem aſtruerent, vitarentur? Exclamabant alij, tametſi analphabeti eſſent, tamen in mutilis illis articulis legere ſe, vnde, ſi qua fortè circà fidem in animo derepente dubitatio exiſteret, petitiones omnes alias Satanæ eluderent: neque enim ſe dubitare vllo pacto poſſe, quin quæ traderet, haberet perſuaſiſſima is, qui cùm nullam non Iroquiorum diritatem eſſet expertus, ſuſtinuerit tamen ad ſe redire poſtliminiò, nihilo languidiùs, ac ſi nihil illi antè aliud occurriſſet, niſi meræ deliciæ. Agedum, aiebant, profer modò tuas iſtas cicatrices, Pater: eæ longè efficaciùs perſuadent nobis quæ prædicas, quàm lingua tua vllo vnquam tempore factura ſit, poſtquàm noſtrum idioma perdidiceris, Adorandum nobis vtique eſſe Deum illum, cuius causâ vitam tot diſcriminibus, acerbitatibúſque obieciſti: eâ enim profectò ſpe duceris, fore vt is aliquando & vitam tibi reſtituat illam, cui minimè pepercisti, & digitos, quorum vſtulationem tantâ alacritate perpeſſus es: Nimirum vel apud Barbaros *validiora ſunt exempla quàm verba:* ac tum demùm additur Eccleſiaſtarum orationi pondus, cùm ipſi factis, moribúſque præ ſe ferunt, perſuaſiſſima ſibi eſſe quæ proponunt auditoribus. Eorum porrò è ſpectatorum numero fuerit nécne, Neophytus is, de quo deinceps memorant, non comperio: perilluſtre certè minimè nutantis fidei ſpecimen edidit, eíque ſuppar, quod dignum æternâ memoriâ putarunt vitæ ſancti Ludouici Gallorum Regis Scriptores. Sub exeuntem annum quem exequimur, quintum & quadrageſimum huius ſeculi, monuerant Patres ad III. Cal. Februarias defe-

ćturam Lunam insigniter. Et prænunciationi respondit euentus: post horam nocturnam decimam, vt numeramus Galli, hoc est vnâ & alterâ ante noctem dimidiam, initium factum defectioni. Vt in re insolenti concurritur vndique: & in pago quidem Conceptionis frequens turba Paulum Raguenellum circunstat, super eâ re eruditè disputantem. Domi se se intereà continuit ille quem dico, quódque tempus alij suspiciendæ rei sanè præclaræ tribuerunt, illud ipse totum in precatione posuit. Postridie, sciscitantibus, vt fit, amicis, vicinísque, quídni ipse quoque adfuisset raro spectaculo? *Quoniam*, inquit, *illud mihi tunc venit in mentem, non nos à Deo inuitatos ad contemplandas siderum defectiones: illud verò Deum eundem spopondisse, se propensiorem in eos fore, qui plus temporis in orando posuissent.* Atqui, infit ex circunstantibus alius quispiam, illò ego eâ de causâ perrexi, vt magis magísque in animo meo excresceret pia credulitas, fore vt tàm certò eueniant olim ea, quæ nunc de corporum nostrorum ad vitam reditu tradunt, inculcántque fidi Institutores, quàm certò extitit illa Lunæ defectio, ab ijs tanto antè & prouisa, & denunciata. *Ego verò*, ait præstans Neophytus, *tàm certò mihi persuadeo verissima esse tùm quæ Deus ipse per se reuelauit, tùm quæ per Ecclesiam credenda proposuit, vt è Lunâ nullum mihi credendi incitamentum petendum ducam. Equidem parùm consentaneum iudico, si nobis vera esse persuademus quæ de Gallicarum vrbium amplitudine, déque Regni opibus referuntur ab ijs qui indidem aduenere, etiamsi nihil horum vnquam oculis vsurpauerimus, tàm procul positi; non itidem vera esse censeam ea quæ de sempiternâ felicitate beatis in cælo repositâ Deus ipse monuit, déque futurâ corporum nostrorum resurrectione. Omninò illud liquet, ijs qui ista tradituri hus penetrarunt, esse eadem exploratiora, quàm quæ ipsi in Galliâ oculis viderunt suis: quando nullâ aliâ de causâ patrium solum valere iusserunt vnáque parentes, consanguineos, & quidquid in vita suaue, iucundúmque esse potuit, nisi vt beata illa vita olim fruantur ipsi, & nos, alióque in eiusdem felicitatis consortium pertrahant.* Ita sicut sanctus Rex negauit velle se oculis intueri puerulum illum, qui in manibus Sacerdotis ad aram sacrificium peragentis, ab astantibus conspiciebatur, quòd diceret credere se extrà omnem dubitationem, Christum IESVM Eucharistiâ con-

ANNVS MDCXLV. tineri, non quia cerneretur, ſed quia rem ſic habere Seruator ipſe mortalium iureiurando confirmaſſet; ſic vir egregiâ fide idcircò corpora noſtra ad vitam olim excitatum iri planè ſibi perſuadebat; non quia illa Lunæ defectio eodem illo momento cepiſſet, quo prædixerant Patres; ſed quia id nobis paſſim ſacris in literis Deus ipſe inculcaret: quâ in re illud prætereà illuſtrem in modum deprehendimus, ſemper ſibi conſtare Spiritum Dei. Sed ad annum ſextum & quadrageſimum tranſeamus.

ANNVS MDCXLVI. KEBECCI LÆTA OMNIA ſub illius initium fuere: nam & per pactas illas inducias, ab Annierrononijs ſecum Algonquinij, Montaníque Neophyti, egregiè ſancta munia obibant, & vtræque Sanctimoniales in opus fidei, charitatíſque incumbebant ſtrenuè, & Annierrononij ipſi Legati, cum Huronibus duobus, Gallóque comite (Guillelmus Coſturæus is fuit, de quo multa ſuprà) tempeſtiuè reduces, Gallis, Algonquiniíſque permixti venationi operam dederunt. Quippe cùm ad Montem-regalem ſub exeuntem Februarium apparuiſſent, necdum liceret vltrò, citróque ferri per amnem glaciales moles infeſtæ magnitudinis paſſim voluentem; nec Kebeccum ipſi deſcendere poterant ad Monte-magnium, nec ad eos aſcendere Monte-magnius. Ita menſes duos partim ibidem in ſtatione Montis-regalis, partim in vicinis ſiluis, ſaltibúſque exegere ſic, vt ſæpè ab Algonquinijs, Montaníſque inuitati ad conuiuia fuerint, ſæpè ſub eodem quo ipſi tecto pernoctarint, ſi tectum tamen tuguria vbique ventis peruia dici poſſunt. Sed interuenere interea aduerſa, vt ferè fit, ſecundis, ex morte, ſi humana ſpectares haud ſanè opportunâ Noæi, Enemondíque, columinum duorum îjs locis naſcentis Eccleſiæ. Prior, dum in Apoſtolico munere verſatur, medijs in niuibus ſolus, ab omni prorsùs humano deſtitutus ſolatio, animam egit III. Cal. Februarij ex Trifluuio profectus cum Gallis militibus duobus, Hurone vno, ad Richelæam ſtationem pergebat, Præſidiarios Gallos Eccleſiæ ſacramentis impertiturus fauſtâ, quæ imminebat luce, Purificatæ Virginis. Altâ rigebat glacie lacus, amnéſque omnes: vbique autem per continentem extabat nix pedes tres, quatuor-ve, vt ijs locis quotannis ferè hybernis menſibus vſu venit. Leucas duodecim

Noæi, Enemondíque mors.

abeſt

ANNVS MDCXLVI.

abeſt à Trifluuio Richelæa ſedes: huius interualli partem penè dimidiam ægrè per niues iter moliti conficiunt. Quippe cum reticulis innectendæ plantæ ſint, ne pedem humi ad ſingula veſtigia figere cogare, labore incredibili, progreſſu nullo; ijs qui minùs aſſueuere, tanquam compedibus irretiti, vix ingredi initio poſſunt. Et peritiam quidem iam nactus aliquam Noæus erat: at Galli comites & reticulis impliciti, & ſarcinularum quas geſtabant onere grauati, planè tardiùs ingrediebantur, quàm incenſa Noæi charitas vellet. Ergo poſtquàm partem primæ noctis cum ijs ſub dio exegerat, ſtratis ad ſomnum qualemcunque comitibus, ipſe præfatus ſe ad ſtationem properare, quò Præſidiarij mitterent aut ex ſuo numero, aut ex indigenis qui occurſum venirent, oneráque inter ſe partirentur; ſuis modò poſtridie veſtigijs inſiſterent, quæ alta nix, impreſſa commonſtratura eſſet; dat ſe in viam, vt erat expeditus, ne ſumpto quidem igniario, vnde foculum, ſi neceſſe foret, eliceret, panis tantùm fruſtulum cepit cum prunis ſiccatis perpaucis, ad exigendum poſterum diem, quæ vtraque intacta poſtmodum in demortui perâ reperta ſunt. Ergo vadit ſolus per illam vaſtitatem: lacúmque S. Petri, qui Trifluuium inter, Richelæámque ſtationem occurrit, traijcit pede, concretum quippe altâ illâ glacie quam diximus: & quandiu quidem Luna affulſit radijs, rectà perrexit quò iter intendebat, locorum peritus: verùm, breui mutatâ cæli facie, eripuerunt proſpectum omnem nubes denſiores, tum nix copioſiſſima ſubſecuta. Ita, cum nihil eſſet in promptu, vnde dirigere iter poſſet, aberrauit à recto tramite, pérque eos noctis infeſtæ horrores longiùs ad Septentriones progreſſus quàm oportuerat, trans Richelæam ſedem, vt compertum deinde, euaſit imprudens, & vbi locorum eſſet, ignarus. At milites Huróque, vbi diluxerat, cœptum iter proſecutj, hærere attoniti, quod nuſpiam Noæi veſtigia apparerent; quippe quæ recentis illius niuis cumuli deleuerant: eorum tamen vnus cùm ſemel ad Richelæam ſedem ijſſet, nauticæ pyxidis, quam ferebat, indicio vtcumque locum versùs iter dirigit: ſed tot inter incommoda viæ, faſciúmque ſanè grauium, eò peruenire eâ quidem luce non licuit. Pernoctandum fuit in Inſulâ S. Ignatij, quam vocant, haud procul eo loco, vbi

ANNVS MDCXLVI.

tum Noæus verſabatur: ſed cùm neque ipſe de ijs, neque de eo viciſſim illi quidquam comperiſſent, fruſtra id fuit. Mirati tamen neminem ex præſidio ad ſubſidium accurriſſe, angebantur mirum in modum animis: cùm eâ in deſtitutione, vbi demùm loci verſaretur, agnoſcens Huro, atque adeò ſtationem haud procul inde diſtare, exploratum habens, progreditur, ad locúmque peruenit. Hîc verò omni ex parte ſolicitudo intendit, deſiderato Noæo. Cùm percontatus eſſet Huro, numnam Pater veniſſet, pernegantibus cunctis, animos vehemens inceſſit ſuſpicio periculi: neque enim, ſi non error viæ interceſſiſſet, fieri potuerat, quin multis horis ante lucem profectus, leucas ſex emenſus eſſet. Sed quid noctu facerent? expectanda lux fuit: hæc vbi primùm oriri ceperat, dimiſſi hac illac qui quærerent, è Præſidiarijs militibus. Et Galli quidem duo, quos Huro anteceſſerat, facilè reperti: Noæum autem qui requirebant, inclamabántque, Meridiem versùs progreſſi, ſub veſperum defatigati æquè, ac mœrentes rediere, nullo quoquam indicio viri: ita nox hæc quoque inter angores, complorationéſque exacta. Poſtridie (fuit ea lux Purificatæ Virgini ſacra) Gallus miles ad inueſtigandum ſanè habilis ex Huronibus quatuor qui ibi tunc erant, aſſumptis ſecum duobus, omni ope, & operâ indagare locos circà omnes inſtituit, ſi quid olfaceret. Et veſtigia quidem relegens militum duorum, qui cum Noæo profecti erant, ad locum peruenit, vbi noctem illam primam cum ipſo egerant: tum Hurones verſati imprimis in veſtigijs dignoſcendis non ferarum modò, ſed hominum etiam, per altas niues tamen aliquid aſſequuntur, flexúſque perplexos, ac ſinuoſos veſtigant, queis iter ipſe ſuum ijs in tenebris impedierat, tantúmque perfecere, vt ad locum peruenerint, in quo noctem ſecundam duxerat. Scrobem ſibi veriùs quàm cubile in niue excauârat, ramuſculis ex abiete ſubſtratis: ibi pernoctauerat: nam ſomnum quidem capere quî potuerit, enectus vt erat glacie, nullo ignis fomento, & ieiunus iam biduum. Vt vt id fuit, ex ijſdem veſtigijs deprehendêre fidi indagatores, eum proximè ſtationem illam ad quam pergebat, peruenisſe, pérque conglaciatum fluuium ingredientem, vltrà perrexiſſe, ſeu tàm denſa nix foret, vt Arcis conſpectum ſubduxerit oculis,

ſeu obtuſiori iam acie vel ex inediâ, vel ex continuato candore niuium, videre ipſe nequierit quod in oculos vltrò incurrebat. Ita vbi locorum eſſet, neſcius, tetendit porrò ad *Promontorium* vſque *Cædis*, quod vocant, trans Richelæam ſtationem, leucam vnam: tum, tres prætereà leucas progreſſus, fame denique confectus, frigoréque, conſtitit inter riuulos duos, contrà *Inſulam planam*, quam nominant. Ibi corpus ſerui Dei repertum, frigore, glaciéque rigens in circulo, quem ſibi ipſe circunſcripſerat, niuibus hac illac in orbem diſiectis, diſſipatíſque: & galero, reticulíſque poſitis. Credibile eſt ipſum, quò religioſiùs beatam animam exhalaret, procubuiſſe in genua: in ipsâ autem morte, corpus in niuem ſuo ipſius pondere reclinatum fuiſſe: eo enim repertum ſtatu, apertis oculis, in cælúmque ſublatis, brachijs autem cancellatis circà pectus, quò duriſſimâ in Cruce moriens, Crucis figuram ipſo externo habitu exprimeret. Perculit lugubre iuxtà, ac pium ſpectaculum, tùm militem Gallum, tùm Hurones comites: & Gallus quidem continuò venerabundus, demittit ſe in genua, precéſque fundit, ſeu benè precaturus felicibus ſanè manibus, ſeu ſe ipſe religioſi Sacerdotis, fortè iam tum Deo fruentis precibus commendaturus. Tum ne qua deinde de loco dubitatio oriretur, cultello Crucem efformat in vicinæ cortice arboris: exanimes autem artus ſtoreâ inuoluit, quam tulerat, & vehi impoſitum tumultuariò coagmentatæ, per niues cum comitibus ad Præſidium trahit: illinc ad Trifluuium tranſlatum corpus eſt. Funus ſummo pietatis ſenſu frequentauerunt quotquot vel Galli, vel Canadenſes ibidem ad Trifluuium tum erant, animis mœrorem inter, admiratiónémque alternantibus: non enim non dolere poterant mortem viri, qui totum ſe alijs impendens, ſibi nihil ſui reſeruaſſet: admiratio autem, partim ex caſu inopinato oriebatur, partim ex celſiſſimâ virtute demortui. Ortus erat ex pago Campaniæ Prouinciæ (*Villerium in Pratis* vocant) leucas circiter ſeptem Remis diſtante (eſt hæc vrbs Prouinciæ caput) patre nobili. Puer, inter Regis Chriſtianiſſimi ephebos egit aliquandiu: & propter præſtans formæ decus, ad flagitium ſolicitatus eſt haud ſemel ab impudicis mulieribus: ſed peculiari quodam patrocinio Virginis Virginum, annos ipſos triginta

ANNVS MDCXLVI. in ſeculo, tres & triginta in Societate IESV illibatum virginitatis florem ſeruauit. Seuerior ſibi, indulgentiſſimus alijs, quæ vilia, deſpicabiliáque videntur vulgò, numerabat in rebus ſublimibus; quæ ſplendida, in obſcuris. In Miſſione Nouæ Franciæ laborauit annos ipſos ſedecim, vbique ſibi par, hoc eſt, in ſummo ardore iuxtà, & ſummâ deſpicientiâ ſui. Cùm obſeruaſſet ipſe, non ſe tantum valere memoriâ, vt Concionatoris partes obire pro dignitate poſſet, quippe qui vernaculum gentis idioma haud percalleret, indidem ex fluxâ memoriâ; totum ſe dedit vilioribus miniſterijs, quæ duriora eadem, & aſpernabiliora. In ſummâ difficultate annonæ, quæ aliquando Kebecci tùm Gallos reliquos, tùm Patres Societatis IESV vexauit, ipſe pro virili tantæ penuriæ opem laturus, per nemora, ſaltúſque quæritare radices: piſcari autem longo, diuturnóque vſu tàm aptè didicerat, vt ſuâ illâ induſtriâ fratres ſuos mirè recrearet. In Religioſâ obedientiâ religioſiſſimus fuit: ad nutum Superioris nihil non ſuſcipere, nihil non ſuſceptum relinquere paratus: quo in genere ſi quid vel leuiter peccaſſet, erumpebant continuò lacrimæ bono ſeni, tanquam benè morato adoleſcentulo, qui parenti aliquâ in re diſplicuiſſet. Fuit in Societate aliquis, qui ingraueſcentem Noæi ætatem miſeratus, optimâ quantum augurari licet mente, auctor fuerit repetendæ Galliæ: ibi enim commodiùs, quietiúſque extremam ſenectam acturum: at vir ſui minimè amans: *Noui*, inquit, *locum hîc à me occupari operarij gnauioris, vtilioríſque: nec me latent anguſtiæ rei domeſticæ: parebo proinde, ſi iubebor, onúſque releuabo: verùm, percuperem in acie occumbere. Nec verò non probo eorum inſtitutum, qui cùm vernaculi idiomatis peritiam aſſequi nequierint, Galliam repetunt: mihi, nihil optatius, quàm vt, ſi licebit, vitam hîc ponam in ſuſcepto inſtituto opitulandi, quoad eius facere potero, tùm indigenis, tùm ijs, qui eis ad fidem alliciendis dant operam.* Et quod tàm ſanctè concupierat, aſſecutus eſt tandem: obtulit ſe ipſe ex mente Apoſtoli, *hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem*: Deus autem holocauſto delectatus eſt. Obijt, vt creditum, luce ipsâ Purificatæ Virginis, quam & propitiam ſemper expertus fuerat, & ſingulari ſtudio venerabatur. Ei demerendæ, ieiunium Sabbati Hebdomadâ quaque obſeruabat: quotidiè recitabat Of-

Rom. 12.

ficium de Immaculatâ eius Conceptione breuius: de eâ autem quoties ſermonem inſtituebat (inſtituebat verò perfrequens) incenſiſſima ſemper eius erat oratio. Vbi obierat, è Præſidiarijs militibus nonnulli vitæ, vt procliuie eſt, licentioris, ſtimulos vellicantis mentis ferre diutiùs nequierunt: ad homologeſim à nonnullo quoquam impulſi accurrêre, quod dicerent non poſſe ſe obſiſtere diutiùs Noæo intùs vrgenti, & ad medicinam animorum vulneribus faciendam incitanti. ANNVS MDCXLVI.

AT ENEMONDVS Maſſæus, vt ne diu ab illo ſeiungeretur, quo cum hîc coniunctiſſimè vixerat, diem extremum obijt in Sillerianâ S. Ioſephi Reſidentiâ, IV. Idus Maias, annos natus duos & ſeptuaginta, poſtquàm maximam partem annorum duorum & quinquaginta, quos in Societate IESV egit religioſiſſimè, duriſſimâ in Miſſione exegerat. Lugduni natus, honeſtis parentibus, inde à primâ pueritiâ ſeuerioris virtutis ſtudia capeſſiuit. Nam cùm eſſet à naturâ præferuidus, iam tum, ſi quid per iracundiam impotentiùs fecerat, dixeratve, ſæuiebat in corpus ſuum, pœnáſque noxæ illius vltrò à ſe repoſcebat. Mox, cùm de S. Franciſci Xauerij exantlatis pro Chriſto ærumnis, laboribúſque inaudijſſet, motus animi aliquot interiores perſenſit, aut cruoris eadem de causâ fundendi, aut vitæ ſaltem animarum causâ longinquâ aliquâ in regione exigendæ. Et ſacrâ flammâ paulatim increſcente, ambijt Societatem, in eámque poſtmodùm admiſſus eſt: verùm, haud diu cum tyronibus egerat, cùm oculorum acie eſſe illum debiliori deprehenſum eſt, atque adeò de eo dimittendo deliberatum. Perculit obſcurus rumor mentem ſimplicem, candidámque: ad Auguſtiſſimæ Deiparæ opem confugit non nouus cliens: obſecrat cum lacrymis, adeſſe ſibi ne dedignetur: ac ſi quidem gratum Deo eſſet obſequium ſuum in Societate IESV, ad quam ex eius inſtinctu adieciſſet animum, oculis mederetur laborantibus. Nec fruſtrà conceptæ preces. Librum continuò minutis exaratum characteribus cùm cepiſſet, quid poſſet tentaturus, perfacilè lectitat, cunctis mirantibus: ipſe interiori quadam delibutus ſuauitate, ex felicibus primordijs ſperare meliora. Et accidit aliud haud ita diu pòſt, vnde ſpes ea mirum in modum confirmata: inter inſtituta Societatis alia, illud numeratur, vt periclitandis tyronibus bien-

ANNVS MDCXLVI.

nio illo, quo ad religiosæ disciplinæ seueritatem informantur, in Domibus Probationis, peregrinationem quisque obeat ad destinatum locum: seu vt ad itinerum molestias, quæ tàm multæ, támque variæ posteà occursuræ sunt, discant iam tum assuescerè, seu vt extrà septa domestica, specimen sui præbeant, demonstréntque quàm modesti deinceps, quámque graues in communi hominum consuetudine futuri sint, seu, quod habet examen ipsum S. Ignatij, vt cùm primi Ordinis Patres tàm acerba, támque dura plurima pertulerint: nonnihil quoque alumni filiíque tantorum parentum tolerent, vnde aliqua fiat, ex mente Apostoli, æqualitas. Ergo missus cum alijs duobus, vt mos fert, Enemondus, alicubi (neque enim notatum locum reperio) à Sacerdote vel natalium splendore, vel pietate perillustri, acceptus est peramanter, & cum peculiari quadam obseruantiæ significatione. Non tulit inopinatum studium sui, Enemondi seueritas, quæ non lautitias, sed Crucem quæreret: quæque res aliorum animos ferè exhilarat, ea perspicaciorem iuuenis mentem metu contraxit, illud secum reputantis, quando Christi IESV vita tota aspera fuisset, nec minùs contumelijs distincta, quàm doloribus; ominosum vtique esse, vitam religiosam aliter ordiri: proinde esse longè conducibilius haberi duriter, cúmque contemptu, quàm tàm humanè, támque honorificè excipi. Eo in angore ad Augustissimam Patronam suam eandem, matrémque benignissimam adit, de more per preces, enixéque flagitat, verteret eam viri comitatem in austeritatem, obseruantiam in neglectum: id verò sibi pro minimè dubio indicio fore, suæ in Societate IESV perseuerantiæ ad extremum vsque spiritum. Et ecce tibi (rem permiram sanè) derepente nullâ aliâ de causâ quæ agnosci potuerit, frigescere continuò superior ardor ille optimi Sacerdotis: verba, quod aiunt, in ore exarescere, vultus contrahi: &, quod extremi neglectus est, peregrinos per domesticum famulum dimittit insalutatos. Hîc verò gestire gaudio Enemondus, nihílque sibi deinceps metuere, quod ad susceptum vitæ genus attineret. Nec sanè deinceps ærumnæ defuerunt: sacris initiatus Ordinibus, Petro Cotono tum in aulâ versanti, & apud Christianissimum Regem Henricum IV. Confessarij, Concionatoríque munus obeunti, attribu-

tus ſocius, homo laborum amator, inuiſum vitæ genus haud diu tulit : nullum non mouit lapidem, vt cum Petro Biardo in Nouam-Franciam proficiſcente, pergere liceret eò, vbi mediâ in vaſtitate ſiluarum, dura abundè occurrerent. Et voti compotem factum vidimus anteà, ſi modò voti compos fuiſſe dici poteſt, qui bis in Galliam Anglorum iniuriâ reiectus fuerit : illud certè incredibilem quendam animi ardorem indicat, quòd tàm indignum in modùm ſemel iterúmque habitus, eodem tertiùm tendere ſuſtinuerit, ad extremum vſque ſpiritum deinceps eâ in barbarie perſtiturus. Quo tempore quemadmodum mores ipſe ſuos, ac ſtudia compoſuerit, ex ſchedulâ, quæ inſcienti erepta eſt (neque enim eius tuliſſet modeſtia, vt cum quoquam eam communicaret) agnoſci poteſt, ad verbum è Gallico idiomate conuersâ.

SI IACOB, inquit, *annos quatuordecim pro Rachele ſeruiuit, quantò æquius eſt me Domino meo vnum & alterum ſeptennium ſeruire pro Nouâ Franciâ, infinitis condecoratâ Crucibus, ſummè vel diligendis, vel adorandis ? Omninò tantum bonum, tàm ſublimis prouincia, tàm celſa vocatio, vno verbo Canadenſis Miſſio, eiúſque deliciæ in Cruce conſtitutæ, obtineri nequeunt, quin animum ad Cruces compares : quamobrem ſic ſtatuere tecum debes, obſeruanda tibi prorsùs eſſe quæ ſequuntur.*

I. Nunquam niſi duriter cubabis, hoc eſt, ſine linteis, ſine culcitrâ, ſine ſtoreâ : hæc tamen retinenda in cubiculo : quò, dùm iſta perages, videat nemo, niſi is quem latere nihil poteſt.

II. Lineo induſio nunquam vteris : collare duntaxat adhibebis.

III. Nunquam ad Altare ſacrificaturus accedes, niſi coopertus cilicio : illud videlicet refricabit tibi memoriam Domini tui patientis, conuenienter inſtitutioni Euchariſtici ſacrificij, quod ipſe memoriale illius alterius eſſe voluit.

IV. Quotidie voluntariam verberationem ſuſcipies.

V. Quoties continget vt ad prandium accedas non priùs inſtituto examine conſcientiæ, quæcunque demùm occupatio obſtiterit; nihilo plus cibi capies, neque alius generis, quàm diebus quibus ieiunatur, ſumere veſpere licet.

VI. Nihil vnquam guſtatui tuo concedes, quod per delicias appetat.

VII. Triduum quàque hebdomadâ ieiunabis, ſic, vt aduertat

ANNVS MDCXLVI.

nemo, præter eum quem celare non debes : vt ferè prandes post alios, non erit tibi difficillimum tegere leues hasce mortificationes.

VIII. Si vel verbulum tibi fortè exciderit contrà charitatem, clàm linges, sorbebis-ve sputa aliorum.

Hanc normam, regulámque tenuit constantissimè Enemondus Massæus : quæ si vbilibet pro seueriſſimâ haberi possit, quid censendum de locis ijs, in quibus longè maior est penuria rerum, etiam necessariarum ? sed nimirum *Non in solo pane viuit homo* : vocante Deo, arduum nihil, aut si arduum, iucundum planè : ac si Moses, Eliásque quadraginta dies ipsos cibi planè expertes transigere potuerunt, potuit vtique Dominus Deus seruo suo in illâ propè inediâ tantum virium suppeditare, quantum necesse erat ad tot, támque graues labores perferendos, quibus Apostolica illa vita nunquam vacat. Ceterùm, tàm absolutum, támque beatum castimoniæ decus illi Regina illa Virginum è cælo conciliauit, vt asseuerent viri è Societate sanè graues, eorum quæ intùs in mente famuli Dei transigerentur, conscij, eum stimulos illos carnis minimè persensisse, quibus vulgò alij, vel cum Apostolo Paulo vexantur.

Matt. 4.

INTEREA solutâ glacie, liquefactísque niuibus, ad Trifluuium Monte-magnius perrexit. Præstolabantur Annierrononij Legati, securi, vt diximus : nisi si fortè solicitudine adhuc aliquâ pertentabat eorum mentes necdum expiata cædes trium è Sillerianâ S. Iosephi Coloniâ Christianorum, qui autumno superiore, paulò postquàm ipsi discessérant, per summam crudelitatem fuerant trucidati. Vix enim ceperant Algonquinij Montanique respirare ex tàm diuturno metu, cùm affertur derepentè, vnum è primarijs Neophytis S. Iosephi, cum adolescentibus duobus necatum insidiosè fuisse : Franciscum autem Xauerium Nenaskymat letale vulnus accepisse, eiusdem vxorem parte ablatâ capillitij, cutísque capitis, pro mortuâ derelictam. Et Franciscus quidem paulò post Kebecci obijt, in Nosocomio, omni Christiani officij genere procuratus : vxor, denique consanata reualuit : ab vtroque autem rescitum, sicariorum idioma dissensisse prorsùs ab Annierrononiorum idiomate : quod nisi ita fuisset, vehemens animos Algonquiniorum, Montanorúmque incessisset suspicio,

ab

ANNVS MDCXLVI.

ab Annierrononijs haud bonâ fide ſecum actum. Et confirmatum quidem eſt deinde à Legatis, Soκoquioïos fuiſſe, qui per nefariam libidinem vlciſcendorum ſuorum, quâ peſte nulla miſeris in regionibus tetrior; inſontes, nihílque de ſe malè meritos oppreſſiſſent, quod ante biennium populares ipſorum duo Iroquijs permixti, in tumultuariâ velitatione cum Montanis cecidiſſent; alius quidam ab Algonquiniis vulneratus eſſet: quanquam poſtremum hunc pretio redemptum Soκoquioiis reſtituerat Monte-magnius. Sed vix, ac ne vix quidem fieri poteſt, vt ſtirpitùs ſuſpiciones euellantur ex mortalium præcordijs, ſi quid increpuit quod conferri poſſe videatur in eos, quibuſcum diuturnas ſimultates inimicitiaſ-ve geſſere. Nonis ipſis Maijs admiſſi Legati ad colloquium: ritum iterare prætermitto, ne tædium ſubrepat: rem in pauca contraham. Ipſo initio Kiotſaëton Annierrononiorum Legatorum princeps cantionem exorſus eſt gratulatoriam: hac miris tollebat laudibus moderationem Monte-magnij, qui à ſuis ceruicibus recèns Algonquiniorum, Montanorúmque depuliſſet ſecures, impingendas fortè ex opinione, falsâ quamuis, cædium illarum auctores Annierrononios fuiſſe. A quibus quantopere illi abfuiſſent, cùm compertum ſatis eſſet, hoc tamen munere (& illud ſimul proiecit in medium) cupere ſe ſimul ſiccare lacrimas conſanguineorum, affiniúmque, ſimul cædis locum mundare, recentémque abſtergere cruorem: ceterùm, nefarium facinus in publico Annierrononiorum conuentu communi Præfectorum omnium ſuffragio improbatum fuiſſe, faceſſere iuſſis Legatis, qui cæſorum capillitia cum appoſitâ ad infringendam pacem oratione afferebant. Tum, quoniam de Annæi Noæi obitu inaudierant, de more gentis ſolandos ſibi putauit Patres: torquéſque è conchâ veneriâ promens aliquot, adſtantéſque è Societate compellans; En, inquit, vnde calefiat locus, vbi ſodalis veſter egit animam: vos munuſculum in ſinum conijcite, lugubribus illis imaginibus è mente depellendis. Ab eodem complura alia munera prolata, partim ſignificando gaudio de pace firmatâ, partim monendis Huronibus per iter cauerent ſibi nihilo ſolito ſegnius, dum Onontagneronnoniorum, Sonontʒerononiorum, aliorúmque populorum aliquot perforatæ aures eſſent, hoc eſt, dum illi

Annierrononij Legati ad colloquium admittuntur à Monte-magnio.

ANNVS MDCXLVI. quoque in fœderis, pacíſque communionem veniſſent. Obtulit denique eiuſdem conchæ veneriæ numerum ingentem, tùm ad luculentum ignem excitandum ad Trifluuium, tùm ad ligna vnde foueretur: cùm enim in publicis conuentibus nicotiâ abutantur perpetuò, cuius ad fumos excipiendos, neceſſarius ignis ſit, idem prorsùs apud eos populos eſt, ignem fouere accenſum, ac locum paratum tenere ad iſtiuſmodi conuentus. Biduò pòſt, Annierrononios viciſſim Monte-magnius per Gallum interpretem (Coſturæus idem fuit) remuneratus eſt: inter cetera, ab ijs inſtitit vt Tereſiam reſtituerent, quæ frugem Indicam eorum more aptè coctura eſſet, iam gnara, quoties ad Gallos amicos, fœderatóſqne viſendos redirent ipſi deinceps: quâ in re Monialium S. Vrſulæ votis obſecundabat Monte-magnius; ijs enim ſemper curæ fuit, omni ope & operâ eniti, vt ſi quo modo fieri poſſet, captiua ea ipſarum olim alumna reſtitueretur, ne tamdiu ſacramentis careret, aliíſque præſidiis, quibus ad æternam vitam promerendam vtimur Chriſtiani. Hæc eſt autem illa Tereſia, de cuius ardore fidei, nos ſuprà, & infrà iterùm: quæ vbi, quando-ve capta ſit, haud proditum inuenio. Addidere quoque dona ſua Algonquinij, Montaníque, per Ondeſſon: hoc eſt, per Coclitem Inſulæ, ſic à Gallis dictum, de quo item nos ſuprà: illud inculcarunt imprimis, curaturos ſe quam-diligentiſſimè, ne ſtabilitam pacem infringerent primi. Et Kiotſaëton poſtquàm hæc maximè probauerat, Hurones quoque munerans, primùm gratias egit, quod Annierrononios captiuos (de quibus anno ſuperiore) humanè habuiſſent: illud tamen obiter admonuit, conſultiùs eos facturos fuiſſe, ſi quem ex ijs, Iroquiorum populis aliis dono miſiſſent: ſic enim fortè futurum fuiſſe, vt ipſi quoque de pace ineundâ cogitationem ſuſciperent: nec deſperare ſe, quinid aliquando ſuccederet: interea Hurones in reditu cauerent ſibi. Tum ſignificauit, adituros ad ipſos, Annierrononiorum aliquot, officii, amicitiæque causâ; proinde curarent præſto eſſe, vnde hoſpites lautè opiparéque exciperent. Concluſit conuentus celebritatem ſanè lætam, epulum datum à Monte-magnio Annierrononijs, in tugurio vnius ex Algonquinijs Præfectis, muneribus additis duobus: horum altero, debere ſe ipſis Monte-magnius profi-

ANNVS MDCXLVI.

tebatur, quod Sokoquioios reiecissent, neque adduci potuissent ad cæsorum accipienda capillitia; altero significabat missurum se cum ipsis in patriam, Gallos duos: hos intrà triduum ad iter comparatos fore: atque ad eam mentionem, addere suos quoque pari numero Algonquinij statuerant.

P. Iogueſij reditus ad Iroquios.

NEC DEFVERE sibi Patres Societatis, quin præclaram, quantum quidem humana coniectura ferebat, occasionem inferendæ in miseras Nationes fidei, ardentissimè arriperent. Adeunt ad Monte-magnium, exponúntque cum debitæ obseruantiæ significatione; Quando res eo loco esset, vt pace inter eas gentes initâ, mittendos ipse censeret, qui loca per se lustrarent, cognoscerémtque de eorum populorum statu (quæ partes vigilantis Proregis essent) pari saltem studio enitendum sibi, vt Christi IESV Seruatoris, Restauratorísque mortalium negotium agerent, hoc est, inuigilarent in salutem animarum, quas tanti ipse fecisset, vt nec suo parcendum putasset cruori, quò eas sempiterno ereptas exitio, in cælum ad beatam vitam transferret. Adesse Isaacum Iogueſium, locorum, vt nosset ipse, peritum, nec prorsùs ignarum idiomatis: si videretur, profecturum cum Gallis. Delectauit & Monte-magnium, & Annierrononios Legatos Patrum consilium: nec abnuit is de quo agebatur, Isaacus Iogueſius, postquàm Annierrononiorum importunitatem expertus erat, eorundem humanitatem periclitari: ac tametsi suspecta viro erat barbara leuitas, tamen expeditus continuò ad iter se stitit. Visum Monte-magnio, Bordonum quoque mittere, Gallum hominem, grauem, maturúmque: is magno animo morem gessit, vxorémque, ac liberos posthabens officio, haud grauatè adijt pericula illa, quæ metum saltem nec de nihilo, inijcere fortissimo cuique solent. In procinctu, Algonquinij, quibus Iogueſii salus cordi esset imprimis, tùm Patres alios, tùm cum ipsum monent, viderent etiam atque etiam, dum integrum esset, num expediret initio supersedere mentione fidei apud gentem barbaram in paucis: nihil enim esse quod tantopere animos abalienet sub primos congressus quàm scita fidei, Christianásque leges, quæ videantur indictum bellum habere cum rebus quibuscunque, quæ ad mulcendos tenendos-ve sensus attineant: & quoniam vestis ipsa So-

ANNVS MDCXLVI.

cietatis, illa eadem, muta licet, ac ſilens loqui videatur, deliberarent ijdem inter ſe, nùm ſatius eſſet talarem illam togam miſſam facere ad tempus. Nec reiecta vel opportuna, vel amica oratio: conſenſu itum eſt in eam ſententiam, quando paſſim apud hæreticos vt religioſa inſtituta, ſic veſtem Sacerdotes Societatis diſſimulant, quò *omnibus omnia fiant*, ex inſtitutione Apoſtoli; mutaret ſanè veſtem Iogueſius, dum certius firmiúſque aliquid apud Annierrononios conſtitueretur. His eum in modum ordinatis, proficiſcuntur omnes, poſtridie Idus Maias: biduo pòſt, ipſo ſacræ Pentecoſtes peruigilio, canoas conſcendunt, Iroquiorum flumine inuehendi: agmen ductabant Annierrononij quatuor. Tenuit nauigatio dies decem: hac peractâ, terreſtre iter ſuſcipiendum fuit, moleſtum ſanè, atque impeditum: ad difficultatem enim locorum ſalebroſorum vtique, accedebat onerum vectio, tàm grauium, eorum vt partem quæ ad ſe propriè pertinebant, in ripâ Algonquinij reliquerint, latebrâ, vt mos eſt, aptè quæſitâ. Annierrononij autem aliquantò pòſt, ab itinere diuertere eâdem de causâ coacti, ad amnis portum deflexere, Oſſaragnen nomine, percelebrem piſciculi cuiuſdam copiâ, halecum noſtrorum haud abſimili: huius piſcatio cùm multos eò alliciat, ſperabant, nec temerè, ibidem ſe canoarum aliquot nacturos ſubſidium: nec opinionem fefellit euentus. At Dominus Deus viſus aliud ſecutus eſſe: ad Tereſiam videlicet, quæ ibidem cum captiuis alijs verſabatur, ductabat Iogueſium: hæc aliquot iam annos ſacramentis deſtituta, præſidiíſque Eccleſiæ omnibus, fidem retinebat tamen: quare (vtrius maiori animi iucunditate neſcias) geſtientis in Domino Confeſſionem excepit miſſus diuinitùs Sacerdos, ſalutaribúſque confirmatam monitis benè ſperare iuſſit: illud inculcans identidem, nihil neque ab Algonquinijs, neque verò à Montemagnio in gratiam Magiſtrarum earum quibus Kebecci dediſſet operam, prætermitti, vt in libertatem quamprimùm aſſereretur, & verò eâ de re ſe quamprimùm cum Annierrononijs acturum: interim religioſè Deo confideret.

HAC TAM piâ procuratione lætior, cum ſuis denique ad XV. Cal. Iulias Oneꝛgigren tenuit: pagus is eſt citimus Annierrononiorum. Ibi loci commorandum biduum fuit, exci-

piendis concurrentium vndique indigenarum gratulationibus: Et ad Iogueſium quidem quod attinet, cùm ab alijs ibidem aliàs truculentè, ab alijs humane acceptus fuiſſet, qui in immerentem deſæuierant, diſſimulare; qui benè de calamitoſo meriti erant, inceſſere omnibus lætitijs, nullúmque finem facere gratulandi, quod vbi ante biennium tàm indigna multa, támque acerba fuiſſet perpeſſus, ibi honore auctus, & auctoritate cum Primarijs, Præfectíſque, Gallorum Legatus ageret de re vnâ omnium grauiſſimâ, maximíque momenti. Ad ea quaſi comitia acciti pagis ex omnibus Præfecti, cùm intrà paucos dies conueniſſent: munera quidem Bordonus obtulit vnà cum Iogueſio: Iogueſius ſolus, poſtquam omnes conticuerant, animis iuxtà & auribus intenti, ſi vnquam aliàs, hunc in modum exorſus dicere. *Neque vobis (credo) Annierrononÿ, neque verò mihi veniſſet in mentem, tum, cùm hîc antè biennium vobiſcum verſabar, fore, vt tàm non diuturno pòſt interuallo temporis, adeſſem rurſum, de re vnâ omnium vobis, nobíſque optatiſſimâ eâdem & iucundiſſimâ placidè vobiſcum publico in conuentu acturus. Sed, nimirum; Eſt id inſtitutum ſummi illius rerum omnium Procreatoris, de quo obiter vobis mentionem feci non ſemel, vt antè quàm ſeruos ſuos euehat, illos ferè deprimi ſinat, plerunque rebus etiam exerceri duriſſimis. Nec verò idcircò memoriam illius temporis repeto, quod cuiquam ſuccenſeam aut veſtrûm qui adeſtis, aut iuuenum. Fortunæ fuerit, quod veni veſtras in manus, humanitatis amitæ meæ (anum intelligebat, à quâ tàm humanè fuerat habitus) quòd euaſi: illud ſaltem per eas ærumnas conſecutus ſum, vt veſtri idiomatis peritiam qualemcunque adeptus, nunc vobiſcum citrà interpretem agere poſsim, & quæ à Monte-magnio Gallíſque, fidei meæ credita, commiſſáque accepi, per me exponere. Videtis ipſi (quæ eſt ingeniorum veſtrorum perſpicacitas) videtis, Annicrononÿ, quantopere veſtra interſit, pacatè, quietéque agere cum Gallis. Minimè dubito quin à Batauis ipſis, fœderatis veſtris, amicíſque, inaudieritis ſæpenumerò, quis quantúſque ſit ſplendor Francici nominis, quæ Regis Chriſtianiſſimi maieſtas, quæ regni amplitudo, quæ copiæ, quæ vires: illud vere aſſeuerare poſſum; Nullum eſſe felicius regnum totâ Europâ, hoc eſt, eâ in plagâ orbis terrarum, in quâ penè ſolâ vigent res eæ, quæ vitam beatam continent, ſi qua in terris vita beata eſt: rerum omnium cæleſtium, ſublunariúmque notitia, artes*

ANNVS MDCXLVI.

omnes, celebritates vrbium, nitor, cultúſque veſtium, ædificiorum publicorum, priuatorúmque moles ſanè magnificæ, vrbanitas, comitas, elegantia: &, quod omnium caput eſt, ſupremi illius Dei, qui Solem, ſideráque condidit, cognitio, cultus, & obſeruantia. Id adeo ipſi per vos comperire poteritis, ſi id quod perfacile fuerit, conſtitutâ, conſtabilitáque pace, venietis in Galliam: vix pedem è naui extuleritis, cùm mirabimini profectò tantam frequentiam, &, quod popularis quidam veſter qui antè annos aliquot ſummo noſtro dolore Lutetiæ Pariſiorum obÿt, dicere ſolebat ludens; In Galliâ nihil niſi vrbes eſſe, prædicabitis. An non igitur præſtat, cum tali, támque illuſtri gente concorditer viuere, quàm bella continenter gerere cum ÿs, qui indidem veſtras in oras ſubmittuntur? Atteritis eorum res, ſat ſcio: at quo pacto ſilex ſilicem: dum atteritis, ipſi viciſſim atterimini. Equidem tametſi carere ipſi facilè vobis poſſunt, tamen & cupidiſſimè Legatos veſtros excepere, & humaniſſimè habuerunt: adſunt ipſi, qui refellant ſi quid ſecus dixero, quàm veritatis ratio ferat: nec dubito quin iam vobis ſignificauerint, quanta ſit Gallorum ſuauitas, quantæque beneuolentiæ demonſtratione demereri tum illorum, tùm veſtra per illos ſtudia conati ſint. Ardet iam, ardet, Annierrononÿ, ad Triſtuuium ignis Concilÿ ſanè luculentus: patent Gallorum ædes: menſæ ſunt apparatæ: & quando Algonquiniorum, qui nobiſcum iamdiu fœdus icerunt, capita à feris Sokoquioÿs oblata tàm conſtanter reiecciſtis, illud ſibi Galli, Montani, Algonquiniíque perſuadent nullâ deinceps arte, nullâ fraude diremptum iri communem ſocietatem, quæ tàm feliciter coaleſcit. Ea vt arctiùs colligetur, orant Galli, dimittere ne grauemini puerum illum è gente ſua (quis fuerit, haud comperi) qui apud vos iam aliquandiu captiuus agit, orant Hurones, Tereſiam ſibi ſuam reſtituatis: Algonquinÿ autem, quoniam Annierrononicè neſciunt, precati ſunt à me, vobis vt ſuo nomine exponam, habuiſſe ſe quidem, vbi ex Triſtuuio profecti ſumus, dona plura quæ offerrent, ſed itineris difficultatem coëgiſſe partem eorum haud exiguam in via relinquere, repræſentandam vbi primùm licuerit: conſtat certè (nec veſtri Legati inficias eunt) adoleſcentum duorum, quibus perferendorum eorum demandata cura erat, alterum grauiter ſaucium non modò onus vectare nequiſſe, ſed vix ac ne vix quidem moliri iter potuiſſe.

VBI PERORAVERAT, præter munera illa deprompta initio communiter, tria adhuc addidit Iogueſius, vnum in

vincula Galli pueri diffringenda, alterum, in liberandam Tereſiam, tertium in familiam Annierrononianam propriè (Lupi dicitur) eam ipſam ſcilicet, quam perhumanam in ſe priùs expertus fuerat, quò eius ſemper focus in Gallorum gratiam luceret, quotieſcunque aduentarent: quæ cuncta magno plauſu, & ſingularis cuiuſdam propè tripudij ſignificatione ſunt excepta. Ac maiori quidem pompâ, apparatúque verborum reſponderunt Annierrononij ijs, quæ de Gallis, Galliáque memorauerat Orator: videlicet ſe gentem illuſtriſſimam tanti facere, vt non modò perlubenter cum eâ, Monte-magnio ſequeſtre, pacem conſtituiſſent; ſed etiam, quoniam ſic placere ſignificauerant, cum Montanis, Algonquiniíſque, quibuſcum auita propè bella ad eam diem geſſiſſent. Ac Gallum quidem puerum, Iogueſij Bordonique in poteſtate eſſe: abducerent ſanè ipſum, vt luberet: Tereſiam, nuptam quamuis vni è ſuis popularibus, reſtitutum tamen iri, vbi primùm redijſſet: quod vtrumque vt ratum, fixúmque eſſe ſibi perſuaderent noſtri, torques duas oblongas è conchâ veneriâ dono dedere. Quoniam autem animaduerterat Iogueſius, adeſſe in conuentu Onontaërronnonios aliquot, vtendum ratus præclarâ occaſione etiam cum ipſis ineundæ amicitiæ, & hos quoque muneratus eſt, addens verbo, Gallorum conſilium eſſe, ad eos pariter adire in patriam: præmittere ſe donum illud, quò ne ijs adeſſent improuiſi poſtmodum: ceterùm, vias tres Gallis ad ipſos patere, per Annierrononios, per S. Ludouici Lacum, per Hurones. Hîc verò ex ſenioribus Annierrononijs, aliqui minùs delectati ſeu locorum peritiâ tantâ in Iogueſio, ſeu conſilio Gallorum, de adeundis Onontaërronnonijs, quaſi quicquid ipſis ex Gallorum amicitiâ acceſſurum eſſet, eſſet deperiturum ſibi; excipiunt, vnam ad Onontaërronnonios tenendam viam eſſe, illam videlicet quam ſtrauiſſet Montemagnius: duas alias periculis patere ingentibus: per illud iter occurrere aliud nihil, niſi homines ore tetrâ picturâ deformato, armatos claua, ſecuríque, nihil niſi cædem meditantes: per ſuos autem ipſorum fines iter deinceps expeditum eſſe, tutum, planum. Pergit tamen Iogueſius, haud decorum Gallo nomini eſſe ratus, non poſſe eos qua luberet, ad vlteriores illos populos tendere, inconſultis Annierrononijs (an aptè ad

ANNVS MDCXLVI.

ANNVS MDCXLVI. tempus, ſtatuere haud auſim) illud quidem procliue creditu, pupugiſſe firmitudinem illam conſilij, eos qui repugnare viſi erant. Et acceſſit aliunde ſuſpicio, quam tamen è-veſtigio purgauit Iõgueſius: habebat in arculâ reculas neſcio quas, ad vſum longinqui itineris eiuſdem, & perincommodi: hæc arcula obſerata cùm eſſet, animaduertit toruos obtutus Annierrononiorum aliquot in eâ eſſe defixos, & ſubodoratus id quod erat, metuere ipſos ne qua peſtis intùs lateret, regioni toti exitioſa futura; referans coràm, oſtentánſque ſingula; En, inquit, quid monſtri eſſet occluſum: in vſus quotidianos hæc paucula paraueram. Porrò per eos dies ſic ſemper Seruus Dei demandatæ ſibi à Monte-magnio prouinciæ ſeruiuit, vt illud publicè obſeruans, quod Montani, Algonquiniíque monuerant, ne ſub ea initia mentionem vllam proſeminandæ fidei faceret, clàm, vbicunque ſe daret occaſio, ageret rem animarum. Adijt caſas frequens, eas præſertim in quibus ægroti aliqui erant: baptizauit aliquos paulò antè, quàm efflarent animam, ſingulari diuinæ in eos benignitatis documento, quibus in cælum euehendis, tàm opportunè ſubmiſiſſet qui panderet ianuam: captiuorum autem aliquot Huronum, Algonquiniorúmque excepit Confeſſiones: hos enim, credo, intelligit Gallicæ Auctor Relationis, dum Iogueſio Chriſtianos ibi loci nonnullos repertos ait. Quæ dum ſedulò peragit, inſtare vltrò Annierrononij apud eum, Bordonúmque, diſceſſum vt maturarent: quippe profectum manipulum Iroquiorum ſupernatum, ad Hurones, qui deſcenſuri ad Gallos eſſent, excipiendos inſidijs: manipulum eundem perrecturum deinde porro ad Monte-magnium vſque, tum bellatores, poſtquam præter Arcem Richelæam tranſiiſſent, per amnem Iroquiorum in patriam redituros. Nec verò metuere ſe, ne quid nocumenti Gallis afferrent, etiamſi in eos, vt fieri poſſet, inciderent per iter: illud haud poſſe præſtare, vt Algonquinios comites, incolumes eſſe ſinerent: ſi quid ſecùs quàm cuperent, euenisſet, pacem fortè turbatam iri. Atqui miror magnopere, infit Iogueſius, ſinere vos, Irõquios illos ſupernates per veſtros fines impunè graſſari, cædéſque, vt libuerit, obuiorum quorumcunque perpetrare, graui veſtro probro, ac propè infamiâ. An non enim iniurium vobis eſt, audaces neſcio quos

iuuenes

iuuenes è ſuperioribus illis otis, quotieſcunque libido ſuggeſſerit armatos per attributas vobis ſedes volitare, non minùs fortè veſtris clàm, ſi quid rixæ, vt procliue eſt, interceſſerit, quàm nobis, hoc eſt exteris quibuslibet, palam infeſtos futuros? Quidni verò Catadupa veſtra occupatis, intercludendo exitui? Hîc cùm frigidè Annierrononij excuſarent, curaſſe ſe iam monendos eâ ipsâ de re ſupernates illos, inſtat Iogueſius, vrgétque: &; Ergo hac denunciatione contenti eſtis? inquit, an non animaduertitis fore vt in vos conferantur latrocinia, cædéſque, quotquot ab ijs intrà veſtros limites fient? Atque hîc porrò viſi animaduertere quantopere ſua intereſſet, proteruam illam finitimorum licentiam coërceri: atque adeò polliciti ſunt, ſeriò ſe prouiſuros, ne talia vſurparentur deinceps.

NEC TAMEN prætereà diſtulit Iogueſius cum comitibus proficiſci: partim terreſtri itinere, partim vt antè, nauigiolis vaſtitatem eam emenſi, ſub exeuntem Iunium Trifluuium incolumes tenuerunt. Nihil potius Iogueſio, Bordonóque fuit, quàm vt ex fide exponerent Monte-magnio, quid geſtum eſſet: ac ceteri quidem in magnas ſpes venere rerum deinceps & lætarum earundem, & percommodarum mercaturis, quæ ferè compendia homines rei familiaris curis impliciti ſequuntur: Iogueſius, ſeu gnarus pridem quanta eſſet gentis mobilitas, ſeu, quod facilè mihi perſuadeo, ex inſtinctu quodam interiori, haud ignoto ijs qui Deum in ſpiritu & veritate vel quærunt, vel adorant; nunquam animo planè conquieuit, id quod haud ita diu pòſt euenit, vtique præſagiens, nec pacem illam diuturnam fore, & ſe à perfidioſis Barbaris interemptum iri. Et in hanc quidem ſententiam, paulò antè quàm ad Annierrononios tertiùm rediret, ad multos ipſe ſcripſit, atque adeò ad me propriè: attexam hîc partem Epiſtolæ, quam dedit illo ipſo tempore in Galliam, ad vnum è Noſtris, quicum coniunctiſſimè vixerat. Poſtquam paucis expoſuerat quo loco res poſt eam conſtitutam pacem eſſent; *Faciendum putant*, inquit, *ij quorum ex nutu pendemus, vt Sacerdos è Societate aliquis eò mittatur, qui videat num quid expediri poſſit ad erudiendos eos populos. Nihil dubito quin in me conjecturi ſint oculos, qui vernaculi Iroquiorum idiomatis notitiam aliquam habeam: atque adeò*

ANNVS MDCXLVI.

vides quantopere vestris egeam orationibus, futurus in medio Nationis barbaræ sic, vt & sacrificio, & sacramentis planè carituras sim, atque adeò vix locum, tempus-ve nacturus orandi. Accedit, quod si quid fortè inter Annicrononios, Gallósque, & Montanos, Algonquiniósque turbabit, culpa omnis in me conferetur: aut ad me saltem accurretur, tanquam ad earum omnium Nationum sequestrem. Quid hîc autem ego porro? In Deo collocatæ sunt spes meæ omnes, qui ad ea perficienda quæ decreuit, nihil operâ nostrâ indiget: illud modò accurare debemus, vt fideles simus fideli, nec fidem fluxam geramus: cauentes magnopere, ne nostrâ mollitudine illius opera corrumpamus. Spero id te mihi tantum boni tuis precibus à Domino Deo conciliaturum, effecturúmque eâ operâ, vt post vitam Religiosam tàm fractè adhuc actam, inchoem demum ipsi seruire melius. Mihi crede: de ista Missione dum cogito, sic ipse reputo mecum; Ibo, & non redibo (voces has ipsas Latinè perscripserat:) *sed me vtique fortunatum, si quo loco inchoaui, ibidem consummabo sacrificium, si, quas guttulas sanguinis ibi fudi, eæ tanquam primitiæ fuerint illius copiæ, quam è toto corpore perlubenter sim missurus. Denique populus iste Sponsus sanguinum mihi est: hunc mihi despondi sanguine meo.* (Et hæc paucula Latinè scripta ab eo erant.) *Communis Dominus IESVS Christus, qui suo illum sibi cruore comparauit, aperiat eidem (precor) Euangelij sui ianuam, itidémque vicinis & fœderatis quatuor Nationibus, Vale, Pater in Christo charissime: precarèque à Deo, me intime sibi coniungat.*

P. Iogueſij cædes immaniſſimæ.

HÆ TAM formidolosæ imagines cùm menti assiduè obuersarentur, non tamen cunctatus est: sed studiosè conquisitis qui ducerent, quíque comitarentur, ad VIII. Cal. Octobris ex Trifluuio profectus est cum Iroquijs aliquot, qui ibidem post initum fœdus substiterant, &, (in quo vno acquiescebat,) cum Ioanne Landæo, Gallo iuuene: adiunxere se se alij quidam; Algonquinij, necne, incertum reliquit Gallica Relatio: quicunque fuerint, parùm fidos se se adhibuere: etenim Iogueſium medio in itinere destituerunt, quanto incommodo, coniecturâ assequi possumus: nam nihil præterea certi de totius funesti itineris ratione compertum. Illud per Batauos rescitum, cùm ad pagum primum perfidiosæ Nationis peruenisset cum socio, XVI. Cal. Nouembris vtrumque immanissimè exceptum, contusúmque pugnis, & fustuario.

ANNVS MDCXLVI.

Quæ tàm inſperatæ mutationis cauſa extiterit, haud ſanè liquet ſcripſit ad Monte-magnium Batauus Præfectus, cùm ab iiſdem Batauis, quibus & notus, & charus Iogueſius erat, inquiſitum eſſet perdiligenter, quæ tandem tàm mala mens Annierrononios poſt ictum recèns fœdus, pacémque firmatam, ad nefariam cædem impuliſſet, aliud nihil extorqueri potuiſſe, niſi Iogueſium nuper in ſarcinulis quas apud ſe depoſuiſſet, maleficium aliquod, genium-ve malum reliquiſſe, qui ſuas corrupiſſet ſegetes. Et ſuſpicionem firmauere captiui Hurones aliquot Ethnici: ij cùm minùs lætas eo anno Huronum ſegetes viderent, facilè homines de cetero otij impatientes, amatores certaminum, bellorúmque, impulerunt vt crederent, in capſulâ illâ, de quâ diximus, latuiſſe maleficium: præſertim cùm mentirentur audaciùs, ſuis quoque agris importatam per Gallos exitioſam peſtem aliquam, quæ ſegetes omnes ſuas perdidiſſet: propoſitúmque ijs prorsùs eſſe gentem vtramque, Huronum, & Iroquiorum exſcindere. Fauit miſeræ coniecturæ, quòd capſulam eandem Iroquio cuidam aſſeruandam Iogueſius commiſerat, ad reditum vſque, quaſi Pandoræ pyxidem ſcilicet. Porrò, ſeu ea cauſa fuit, ſeu quæſitus ferinæ importunitati color, antè quàm in caſam vllam pedem intuliſſent, ambobus veſtes detractæ, &, proh pudor! ipſum induſium: obiectum modò vile ſubligaculum eſt, quo verenda contegerentur, Iogueſio mirante illo quidem, at minimè indignante: ſic enim profectò ad extremum vſque ſpiritum ſe ſe geſſit fortis athleta, vt conſtantiſſimè charitatem proximi retinuerit, qui ex charitate ea cuncta appetiiſſet: & qui ſuperiori illo tempore tàm diuturnam vexationem placidiſſimè pertuliſſet, egregiè vtique ſibi conſtitit in extremo vitæ actu. Procliue creditu eſt, nihil ab eo fuiſſe prætermiſſum, vnde inſanè furentes mitigaret: propoſitum initum recèns fœdus, datam dexteram, præclaras pollicitationes, Monte-magnij Gallorúmque reuerentiam, ſuperiores neceſſitudines: ſed nihil euicit, niſi ſi illud viri obſeruantiæ datam, vt neque ipſe cremaretur, neque ſocius: denunciatum quidem certè, poſtridie eſſe moriendum, non lentis in ignibus quidem, ſed moriendum tamen. Conceſſum exiguum interuallum, quemadmodum illuſtres captiui exegerint, nouit

ANNVS MDCXLVI.

is cuius causâ ea in pericula venerant : ambigere queat nemo, quin Landæus per sanctam homologesim sempiternis suis rationibus sapienter consuluerit, in amici Sacerdotis copiâ : Iogueſius, si vnquam aliàs, diuinam implorans opem, vitámque suam offerens millies, nullum eius noctis momentum, nullum consecutæ diei elabi passus est, quin fructuosè collocaret. Nunc sibi, nunc inimicis infestissimis propitiare conabatur Deum: ac tametsi fortè nonnullos præsentiscebat angores, homo à naturâ timidior: tamen contrà firmiter nitens, mortem constantissimè excepit. Postridiè ad feralem cœnam ire iussus, in casam quæ indicabatur, vix pedem intulerat, cùm à Barbaro post ostiolum latente, securi petitur : & tantâ vi impactum ferrum est, vt illicò corruerit exanimis, beato vulnere translatus momento ad vitam, vt augurari quidem licet, feliciorem. Caput ademptum illicò, &, quod se facturos Barbari interminati erant, pro vallis, quibus pagus cingitur, propositum ad Gallorum, si qui aduenirent terrorem. Postridie mane Landæus pari mactatus carnificinâ : vtriusque corpus in profluentem proiectum. Fuit Landæus Dieppensis : iuuenis fortissimo animo idem, & præcellenti virtute : huius adeò iudicium fuit, perrarum vtique eâ potissimùm in ætate, quod cùm pericula secum reputaret, in quæ se, anceps illud iter cum Iogueſio suscipiens, induebat, palàm ac publicè contestatus sit in discessu è Trifluuio, vno se actum desiderio Domino Deo famulandi, adire eas oras, vbi mortem se se manere intelligeret. Considerata fortitudo, & incensa iuuenili in pectore charitas! At Iogueſius Aurelianensis, confirmatâ in Societate annos iam multos virtute, in Nouam-Franciam missus erat. Temporis spatium illud, vt ærumnarum, sic meritorum, ferax imprimis, quemadmodum posuerit, facilè quisque intelligat, vel ex ijs quæ ex eius autographo anteà allata sunt, vel ex hisce postremis : attexam tamen prætereà, quæ ex duobus Sacerdotibus è Societate cognita, de eodem Gallica Relatio momorat. Horum alter, apud quem generalem Confessionem Iogueſius instituerat totius illius temporis, quo ex Huronum finibus profectus, in Iroquiorum manibus primùm fuit, mox per Batauos reuectus in Gallia m est; assueuerat toto eo tàm formidoloso interuallo noxam omnium

grauiſſimam quas mens integerrima contraxiſſet, fuiſſe gaudium aliquod de morte, quam tum ſibi imminere meritò putabat, eo nomine, quod per ipſam breui liberandus eſſet omnibus ærumnis, quæ plurimæ grauiſſimæque in momenta ſingula perferendæ erant. ANNVS MDCXLVI.

ALTER quicum partem haud exiguam egit Iogueſius anni poſtremi ſuæ mortalitatis, ſuſpexit in viro id ætatis, candorem animi eximium, ſimplicitatémque penè puerilem, quâ vel mentis ſinus ad homologeſim excuteret quam-exactiſſimè, vel ea percontaretur, quaſi diſcendi ſtudio, quorum ſe magiſtrum profiteri aptè potuiſſet. Rogabat videlicet, quemadmodũ inſtituenda eſſet mentalis Oratio: quemadmodum peragenda, ſecundùm ſacrificium, Actio gratiarum: quemadmodum obeundæ ſimiles mentis exercitationes: quâ in re duo ſibi viſus eſt proponere: alterum, vt occuleret ſenſa præclara, quæ Deus famulo ſuo ſuper ijs impertiebatur: alterum, quod mirâ quadam ſui, rerúmque ſuarum deſpicientiâ, longè meliora, præſtantioráque eſſe ſibi planè perſuadebat quæ ab alijs, quàm quæ à ſe proficiſcerentur. Maximam diei partem coram IESV Chriſto ſacrâ in Euchariſtiâ latente exigebat, ſacrificiiſque intererat religioſiſſimè, quotquot ibidem loci peragerentur, eo, vt aiebat conſilio, vt & iacturam illius temporis reſarciret, quo tandiu diuino illo munere caruerat, & anteuerteret illud, quo eodem eſſet carituras: quæ cùm quotidiana eſſent, querebatur tamen frigere ſe in aſceticis. Idem ille Sacerdos quicum verſabatur, cùm vrgeret Dei famulum frequens, vt vteretur fomentis, quæ nec religioſa ſeueritas reſpuit in tempore, ad vires corporis ſeu fouendas, ſeu redintegrandas: nihil aliud ferebat reſponſi ab egregio ſui inſectatore, niſi illud; Abſit verò à me, vt hîc corpori quidquam indulgeam, cuius deſiderio naturalis ad mollia procliuitas cogat poſtmodùm, dum denuò verſabor apud Iroquios, oculos huc, mentem-ve reflectere: ſi vnquam aliàs, nunc vel maximè contentus ijs eſſe decreui, quibus ad tuendam vitam carere planè nequeo. Quin, apud illos ipſos cùm eſſet, etiamſi ad victum ſuppeteret nihil, præter inſipidam pultem illam, ex fruge Indicâ, aquáque; adduci tamen potuit nunquam, vt vidimus, vt vel pauxillum deguſtaret carnium earum,

ANNVS MDCXLVI.

quibus affatim Ethnici veſcebantur, eò nomine quod immolatæ tetro dæmoni eſſent: cùm tamen fas ſæpè fuiſſet, inquit Auctor Gallicus, illud S. Pauli vſurpare, *Nihil inquirentes propter conſcientiam*: ſed non quid liceret, ſed quid eſſet magis è diuinâ gloriâ, ſpectabat vir Dei. Indidémque cùm à Batauis, ad quos adibat identidem cum Iroquijs cuſtodibus, obtruderetur latex ille ex aduſto vino, quo paſſim Barbari ad ebrietatem abutuntur; temperauit ſibi ſemper, nec adduci potuit vnquam vt vel guttulam deguſtaret, ne occaſionem inde comitum quiſquam arriperet in eam ipſam potionem licentiùs ſe ſe effundendi. Inuictæ verò conſtantiæ documentum edidit aliquando, eidem aſſerendæ gloriæ, obſeruantíæque ſupremi Numinis. Somniauerat Iroquius quidam per morbum, ad recuperandam valetudinem valituram choream, cui Ondeſſon, hoc eſt Iogueſius intereſſet, cum libro precario, quo ritu Galli orare conſueſſent. Nec grauatè eò virum adduci poſſe, Barbarorum plerique ſibi perſuaſerant, qui nullo ſuo incommodo, vt interpretabantur, ægroto poſſet gratificari. Ergo ad eum adeunt, rogántque pro virili, conferat quod ſuum ſit in rem tàm iuſtam, & ſcilicet perhonorificam futuram ei ipſi, cuius opem flagitabant, quando ægrotus, ſi reualeſceret, ſecundam valetudinem eſſet ipſi acceptam relaturus. At ſeruus Dei renidens, primùm, ſomniorum fidem temerariorum, oratione eleuare: mox, cùm vrgerent Barbari vehementiùs, poſtquam eò ventum erat, vt communi conſilio inuitum in ægroti caſam deportare conſtituiſſent; agilitate ſibi pedum conſulere, fugámque capeſſere. Inſequuntur miſſi iuuenes, currentémque aſſequi conantur: at fruſtrà: ad eius velocitatem, ſuam nihil eſſe, ſtupentes compererunt: ex quo, illud obiter perſpiecre licuit, charitatem vnam inieciſſe Iogueſio compedes, quandiu illîc remanſit: centies enim, ſi animum induxiſſet, fugâ ſe ſe clandeſtinâ ſubducere potuiſſe. Poſtquam autem moleſtus ille æſtus inſanientium deferbuerat, domum ſe recepit Iogueſius victor: &, quæ Domini Dei prouidentia fuit, choreæ mentionem miſſam fecere omnes. Neque tamen mirari deſiere Barbari excelſitatem illam mentis, quoties agebatur religio: vt illud identidem vſurparent; *Nefas profectò fuiſſet vitam tibi eripere, Ondeſſon: adeò te intrepidè,*

ANNVS MDCXLVI.

captiuus licet, non modò pro libero, ſed etiam pro domino geris, quoties tibi ſic facto opus eſſe perſuaſiſti: ac ſi noſtrâ in patria & ſolus, & captiuus, tamen nobis omnibus reſiſtis; quid te facturum autumemus, ſi liber cum tuis verſarere? Omninò nihil eſt quod à te quidquam gratiæ ſperemus Iroquij. Hallucinabantur tamen infelices: nam eo ipſo tempore conſulebat animarum, quoad eius facere poterat rationibus: & fuit, cùm ad ſaltationem quandam ſpectandam inuitatus, alio quopiam in pago peragendam, perrexit ille quidem cum agmine: verùm, vbi primùm ad locum deuenerat, clàm ſe inſanæ vociferationi, ſuperſtitioſæque choreæ ſubducens, adit ad caſas, in earúmque vnâ infantulos offendit quinque, animam iam propè agentes: hos interpellante nullo, cùm omnes ad præclaram celebritatem confluxiſſent, Baptiſmo impertitur, póſtque triduum diſcit, omnes viuere deſijſſe: quo lætitiæ ſenſu, norunt qui experti ipſi ſunt, quam iucundum ſit, quámque ſuaue, filios Deo parere. De illius exitu, qui nefariam cædem perpetrauit, dicemus anno conſequenti.

NON AVTEM in innocentis viri nece impius conquieuit furor: imò verò magis efferatus eſt. Videlicet is mos eſt eorum, qui iniuriam vltrò intulere: cùm intelligant violatos à ſe alios, ne à ſe pœnæ exigantur ſceleris, occupant, quoad licet, & quicquid cladis poſſunt, important. Ad XV. Cal. Decembris ex inſidijs intercepere Annierrononij haud procul Monte-regali Hurones tres: ſic enim reſcitum ab Iroquio captiuo, de quo infrà: pridie autem Calendas eaſdem, graſſati ſunt ibidem in Gallos duos, qui paulò longiùs ab Arce receſſerant: hos interemptos ab ijs fuiſſe, illius eiuſdem captiui indicio compertum pòſt: affirmauit ſiquidem, neutiquam eos apud Iroquios comparuiſſe: allata modò fuiſſe capillitia: Huronibus autem illis condonatam vitam. Interceptis ad eum modum itineribus, res Huronicæ hoc anno obſcuræ remanſerunt: refert tantùm Hieronymus Lalemantius, ad Prouincialem Franciæ ſcribens, Stephanum Charletum; literas ſe à Noſtris qui vineam illam Domini colebant, per Boreales neſcio quos accepiſſe, quibus literis ſignificabant naui operarij, inter tot res tàm aduerſas, Neophytorum tamen fidem conſtantiámque, ſi vnquam aliàs, eluxiſſe: baptizatos quingentos,

ANNVS MDCXLVI. & quod excurrit: reſtitutas Miſſiones aliquot, nouas inſtitutas: Euangelij ſonitum ijs in regionibus magis, magiſque clareſcere, ſenſimque peruenire ad remoriſſimas quaſque Nationes. Quæ tàm præclaræ ſpes etſi deinde interceptæ ſunt, vt ex Tragicis caſibus liquebit, qui ad finem vſque operis proponuntur leinceps; videtur tamen Dominus Deus non tàm miſeras Gentes ſuâ velle benignitate deſtituere, quàm planum facere, altiſſima eſſe ſua conſilia, nec eorum rationes mortalium quemquam ſcrutando, rimando-ve poſſe aſſequi: hæc verò ex rerum conſecutarum decurſu innoteſcent.

ANNVS MDCXLVII. ERGO VT ad Annierrononiorum importunitatem redeamus, III. No. Martias anni ſeptimi & quadrageſimi ſuprà milleſimum ſexcenteſimum, cùm ex Trifluuio profecti eſſent Algonquinij duo, feminæ totidem, ad alcen conuectandam, quam cæſam Huro in nemoribus, loco quinque, ſex-ve leucas diſſito reliquerat; infelices venatores in agmen incidêre hoſtium: ab ijs Annierrononij didicere, quo ſtatu Trifluuianæ res eſſent, qui Algonquinij, quò venatum perrexiſſent, quot Galli eſſent in præſidio, quæ copia rerum ad victum, pugnáſque neceſſariarum? Cùm cuncta apprimè reſcijſſent (quæ fuit captiuorum vel formido, vel inconſulta loquacitas, qui tàm graue infortunium crearint ſuis:) poſtridie, qui Cineralium dies erat, cùm Galli propè cuncti ad ſacram Ædiculam conueniſſent, pio cinere inſpergendi; Barbari progreſſi ex inſidijs, vt aſſolent, irruerunt in domos duas haud procul ab Arce, in quas tanquam in locum tutiorem quicquid reculatum habebant, contulerant Gallorum plerique, veſtem, ſtragula, nitratum puluerem, plumbeas glandulas, ſclopos ipſos, & ſi quid iſtiuſmodi. Vt nullus erat vel qui prædones arceret, vel qui moneret Gallos; nullo periculo prædam auexere haud ſanè exiguam, quantam homines vix quindecim efferre humeris potuiſſent: & nullo diſcrimine ditati affatim, vbi nihil corradendum ſuperfuit, abſceſſere. Vbi perfecta res diuina erat, egreſſi Galli vident attoniti quid geſtum eſſet: &, quod mirere in bellatoribus, vox erupit nulla, quæ non ſummæ pietatis, religioniſque index eſſet: temperauit ſibi egregie quiſque ſpoliatorum: aliorum in contubernales ſuos charitas mirè enituit: fuit qui cùm veſtes haberet binas, vnam

nec

ANNVS MDCXLVII.

nec grauatè donarit: alius cum vxore vehem onerauit partim lineis, partim laneis item veſtibus, ille virilibus, hæc muliebribus: tùm ad nudatos illos cum eâdem adijt, modeſtè excuſans quòd plura, melioráque non ſuppeterent, quæ offerret: vno verbo prodidit vnus è Societate Sacerdos, qui aderat, nunquam ſpeciem pulchriorem vidiſſe ſe ardentiſſimæ illius charitatis, quam in primitiuâ Eccleſiâ viguiſſe, tùm aliundè, tùm certiſſimè, illuſtriſſiméque ex ſacrarum literarum monumentis conſtat. At prædones prædâ in tutum aſportatâ, duos in manipulos diſceſſere, incautos Algonquinios intercepturi; locum in quem deinde re peractâ conuenirent, condixerant fluuiolum ex Lacu S. Petri manantem. Algonquinij interim icti fœderis fide ſecuri, ſoluto animo, liberóque, venationi operam dabant circà Magni amnis ripas; ad Meridiem alij, alij ad Septentriones. Nec difficillimè ad eos hoſtis peruenit, cognito de captiuis, quà inſtituiſſent iter: impreſſa quippe veſtigia ſignificabant niues. Et qui ad Septentriones quidem tetendere; in caſis, virorum deprehendêre neminem, profectis ad venandum planè omnibus: ita nullo negotio feminas pueróſque vinxerunt, nullo prorsùs dimiſſo: tum, ex ijs decem, virorum perſecuti veſtigia, ad locum vbi deuenerant, Simonem Pieſcaretum vident, ſolum, & tanquam extrà omnem aleam imminentis periculi vllius, ad caſam ſe ſe placidè referentem. Vt viri bellicam fortitudinem exploratam habebant, decem cum vno apertâ vi confligere non auſi, arte adoriuntur: accedunt diſſimulanter tanquam amici: & quaſi viciſſim ac ſincerè cum amicis res eſſet, ita Simon gaudium de occurſu præ ſe ferens, de earum gentium more canere occipit lætum quiddam. At perfidi vbi cominùs adfuere, vnus è decem immerentis renes enſe traijcit: quo letali ictu concidit derepentè exanimis: vir excelſi animi idem, & probatæ, conteſtatæque virtutis. Reuulſum cranium cum capillitio inhumani ad caſas detulere continuò: tùm inſecuti ceteros, incautos, palantéſque nullo negotio cepere. Nec arduum certamen eos manſit, qui ad Meridiem excurrerant: non quod non res eſſet futura cum viris præſtantibus: ſed quod ex improuiſo ferus hoſtis ſuperuênit. Numeroſum agmen erat, virorum, mulierum, infantulorum. Agmen ducebat

Annierrononiorum perfidia & immanitas.

ANNVS MDCXLVII.

Ioannes Tavtſkaron, Præfectus bellicâ fortitudine inſignis: comitabantur Præfecti alij aliquot, quiſque cum turmâ: Chriſtiani complures erant, Catechumeni nonnulli, quidam Ethnici prorsùs adhuc. Et tunc quidem Chriſtiani Catechumeníque ab oratione ſurgebant, quam inſtituerant ſupplices antè, quàm caſas refigerent, interiùs in ſiluas penetraturi. Ibant nullo ordine, vt in tuto: Huronem tamen reliquerant in poſtremis, qui quaſi agmen clauderet. Hunc à tergo adorti primum Annierrononij, vt antecedentium ſubſequebantur veſtigia, tumultus aliquid exciuere: ad eum obuerſa Maria, Ioannis Baptiſtæ Manitvnagvch vxor, virum lento gradu prægredientem clamore incitat, monétque quantâ poſſet celeritate accurreret ad eos, qui in primo agmine erant, inſtánſque denunciaret periculum: at is gradum vltrò contrà reflectere, & non fugiendum, ſed pugnandum ratus, Annierrononium quidem necat, at paulò poſt à multis vnus appetitus occubuit. Eo cæſo, hoſtis vndique circunfunditur, antè quàm quidquam aptè expediri ad reſiſtendum poſſet. Bernardus tamen Oüapmangvch, quem primum ex hoſtibus obuium habuit, confecit: verùm ipſe ab alijs interemptus eſt continuò, neque agnitus à popularibus, neque agnoſcens populares: Annierrononius cùm eſſet, aſſueuerat pridem cum Algonquinijs, à quibus captus inde à primâ adoleſcentiâ fuerat, cum germano fratre, exitu ſanè diſpari: nam Bernardus quidem cum Algonquinijs ætatem reliquam egit, & ſcilicet apud eos fidem cum Baptiſmo ſuſcepit, egregiéque excoluit, tùm bellicâ laude, tùm Chriſtianâ potiſſimùm præſtans: alter ab ſuis Annierrononijs captus in certamine denuò, in patriam reductus eſt, ac baptizatus licet, iſti impreſſioni interfuit. Mores quippe mutarat impius, cúmque lupis vlulare didicerat. In eius fortè manus venit Maria: hæc vbi agnouit Petrum Achkameg eſſe (Petri nomen in Baptiſmo ad gentilitium adiunxerat) quærit ex eo ſtatim mulier ſanè fortis, an non apud Annierrononios Sacerdos quidam è Societate eſſet? nempe rerum oblita ceterarum, illud vnum ſpectabat, quemadmodum per ſanctam homologeſim magis magíſque mentem expurgaret, ac ſi ſacramenta alia Eccleſiæ impiâ in regione deeſſent, illud iteraret crebrò. Sed perculit iam afflictæ animum

perfidioſi apoſtatæ oratio: Antequam hæc expeditio ſuſciperetur, inquit, interfecti Galli ſunt qui ad nos venerant: actum primùm intellexere miſeri Algonquinij, violata ab Annierrononijs iura omnia, fluxæque fidei homines pactum tàm pompaticè nuper fœdus oblitos, eorum ſanguine, qui ad eos tanquam ad amicos placidè, beneuoléque adierant, manus imbuiſſe. Atque hîc, cùm ſuſtinendo certamini impares ſe ſe cernerent, deditionem ceteri fecere, miſerati potiſſimùm imbellem turbam, in quam, ſi diutius reſiſterent, ne dirus victor ferociùs ſæuiret, metuebant. Sed nihil eâ præuiſione profectum: ſtatim atque arma poſuerant, vinciríque ſe ſiuerant ij, quos ad fugam habiles flos ætatis reddebat; exercere continuò cæcum furorem immanes carnifices in ſenes, in pueros, infantulóſque, & in feminas eas, quas minùs ſubſequi poſſe per virium imbecillitatem intelligebant; lancinare, vſtulare, trucidare; ijs autem quos duci in triumphum poſſe rebantur, vngues auellere. ANNVS MDCXLVII.

NEC TAMEN ad hanc lanienam, animis fortes pugiles ceciderunt: Ioannes Taʋtſkaron ad Chriſtianos, Catechumenóſque conuerſus; *Agite*, inquit, *fratres mei, erigite animos: retinenda his in malis fides: vſurpanda, ſi vnquam aliàs precatio. Non magnopere diuturni futuri ſunt noſtri cruciatus: breui hoſtium noſtrorum tumor intercidet: cæli autem lucida ſedes nos in perpetuum beatos incolas excipiet. Quare, nemo in fide titubet: ſi ærumnoſi ſumus, non idcircò continuò deſertos nos putare debemus à ſummo illo rerum omnium Inſpectore eodem, & æquiſſimo æſtimatore: procumbamus in genua cuncti pariter, precemúrque ab eo, vires nobis robúrque ſufficiat in cruciatibus.* Ad eam vocem illicò non Chriſtiani modò, Catechumeníque ad vnum omnes, ſed Ethnici quoque demiſere ſe ſe: præeuntéque vno Chriſtianas precationes elatâ voce, iterarunt cuncti magno animo, diſtinctiſſimèque ſacrum carmen: tum pios modulos addidere, ſolamen ex conſilio Apoſtoli, ex hymnis ſpiritualibus religioſè captantes. Stabant intereà, ſpectabántque ſtupentes Annierrononij: vnus modò ex impiâ turbâ cùm cachinnaretur, conuersâ Maria ad Petrum Achkameg; *Age*, inquit, *denuntia ſodes, tuis, ne tàm religioſum inſtitutum pro deridiculo habeant: Nobis in more poſitum, Deum per preces colere, cæleſtémque illius opem*

ANNVS MDCXLVII.

implorare : animaduertet is quandoque, procul dubio, in ſui contemptores. Hîc verò cùm ex eodem, qui interpretem agebat, cognouiſſet impia cohors, quid mulier diceret, ſolui cuncti in riſum: Petrus, ſtimulante conſcientiâ facinoris, caput tacitus ac ſilens demittere. At nihilo ſeciùs virili animo feminæ perſtare: quos infantulos geſtabant ſinu, horum frontem Cruce conſignare, quæ puerulos trahebant, iubere, ipſi ſignum ſalutare efformarent: & quandiu iter tenuit, nemo vnus fuit Chriſtianorum cuiuſlibet ætatis, quin antequam cibum caperet, ductâ Cruce benediceret: cúmque ablata prorsùs eſſent roſaria, ſupelléxque cetera pietatis, digitis tamen quiſque ad recitandam Coronam B. Mariæ vtebatur, ſtatum numerum Angelicæ orationis, Dominicæque precationis implendo. Eo ipſo in itinere documentum contrà edidere pluſquam ferinæ immanitatis homines importuni. Vulneratus erat grauiter in certamine, Algonquinius quidam, ſic, vt ingredi non valeret: verita eius conſanguinea, Chriſtiana mulier, ne ab hoſte prorsùs necaretur, ſi ſubſequi minùs poſſet, in vehem hominem tollit, tumultuariò compactam, inuolutúmque vt potuit, conſtituit ipſa trahere per niues, rarâ charitatis ſpecie. At vbi aliquantum itineris confectum erat, veriti Barbari ne properantes retardaret pondus, vt rebantur inutile, aut etiam noxium; viuum miſerum cremant in oculis captiuorum: quo cuiuſque ſenſu, æſtimari facilè poteſt, dum vel ex Chriſtianâ miſericordiâ infelicis vicem dolent, vel impiam carnificinam deteſtantur, vel flammas eaſdem ſibi metuunt. Addidere ij ipſi à quibus hæc reſcita, poſtquam deinde ex impiorum finibus profugerant, ab Annierrononijs ijſdem, ſuffixum Cruci fuiſſe quadrimum infantulum per Baptiſmum conſecratum iam Deo, corpuſculo diſtento in prægrandi cortice, tum in teneros pedes, ínque manus adactis bacillis præacutis. Nouum crudelitatis genus, & anteà nunquam vſurpatum, niſi à perfidis Iudæis, quibus id criminis meritò affingitur. Sed nimirum qui teter dæmon eos olim egit, in Crucem IESVM Chriſtum Seruatorem mortalium vt agerent) idem immanes Barbaros impulit ad tantum conſciſcendum ſcelus.

CAPTIVI ALII cùm primum ad citimum Annierrono-

niorum pagum peruenere, excepti ſunt ſanè truculenter: per inſanas vociferationes inſultantium hoſtium, per fuſtuarium, admotáſque corporibus tædas ardentes, in ferale pegma tracti ſunt, viri ſeorſium à feminis, veſtibus detractis ad ignominiam: hîc ingeminata verbera, vulneráque: tum vbi ſe affatim exſaturarat ferina immanitas, circunducti per tres Annierononiorum pagos: poſtremò, de ijs ſic conſtitutum, vt feminæ quidem viuere ſinerentur; item pueruli duo haud dum ad iaculandum habiles: viri adoleſcentulíque diſtributi per pagos, mox cremandi. Qui preces præiuerat, quaſi grauioris criminis reus ſcilicet, diriùs cruciatus, mirabilem conſtantiam præ ſe tulit. Religatum ad palum, Tartarei carnifices vſtulare ad Solis occaſum cepere, tum meditatâ crudelitate noctem totam ſic vexauerunt, vt à pedum plantâ ad vmbilicum vſque progreſſi, partes corporis ſuperiores non attingerent, reſeruatâ videlicet reliquâ carnificinâ ab vmbilico ad caput, in diem conſequentem, cuius diei ſub veſperum cùm vires demùm fortiſſimum athletam deficerent, corpus totum in rogum coniecere. Hoc verò toto interuallo horarum quatuor & viginti neque clamorem vllum ſuſtulit, neque indicium vllum edidit animi fractioris, vir digniſſimus, cùius nomen poſteritati traderetur: ſed illud videlicet exceperunt pridem Faſti perenniores. Suppar extremæ barbariej exemplum editum in Algonquinio adoleſcentulo, annum circiter decimum-ſextum ætatis agente: is cùm formâ præſtaret, & decorâ vultus, artuúmque conformatione, quæ vel in geſtu, motúque corporis mirè raperet intuentium ſtudia; ad crudelem pompam amictus eſt veſte, vt in eâ barbarie, pulcherrimâ, ornatúque cetero, tum iuſſus ſpatia aliquot conficere: quæ dum peragit mirâ quadam venuſtate, & propè elegantiâ, flexi nonnulli de donandâ vitâ agitarunt, ſed euicit plurium importunitas: ita & ipſe viuus crematus eſt. ANNVS MDCXLVII.

E IOANNIS Tavtſkaron agmine caſu Algonquinij quinque, cùm alij aliò perrexiſſent, ab hoſte minimè deprehenſi, ad Trifluuium rediere: es ijs duo cuncta luctu iuxtà, & formidine complerunt, audita à ſe tripudia memorantes victoris hoſtis. Et indigenæ quidem ſortem deplorare hic huius, illius ille, vt captorum quiſque ſecum arctiori neceſſitudinis vinculo iun-

ANNVS MDCXLVII.

ctus erat; Galli omnium, vel quod grauis per se iactura erat, vel quod ea Annierrononiorum perfidia spes infringebat otij, pacísque. Patres è Societate lugebant tot, támque præstantes columnas Surgenti Ecclesiæ ædificio, tàm (si humano quidem modo ista expenderes) haud tempestiuè subtrahi: sed nimirum in altissimis diuinæ Prouidentiæ consilijs acquiescebant. Solabatur mœrentes illud potissimùm, quod egregiè ad extrema quæque illorum quisque se se comparauerat, & cum præsensione quidem aliquâ tristis euentus. Simon quidem Pieskaretus institutoribus in fide suis vale-faciens; Mihi verò videor, inquit, ad mortem proficisci: verùm, illius cogitationis acerbitatem diluit hæc altera, me, Ecclesiæ cùm sim filius, post obitum in cælum euolaturum. Bernardus autem Oüapmangych bis ante discessum homologesim iterauit: cúmque ex eo quæreretur, cur tàm exactè Confessionem obiret; Quoniam, inquit, in siluas euocor ad necem: vos vestris me precibus apud Deum iuuatote: neque enim huc reuertar: date modò glandem plumbeam, quâ traijciam Iroquiorum primum, qui in me infestus feretur. Et data glans est: &, vt animo destinarat, ita eâ traiecit infestè irruentem Iroquium. Atkitychi, item Neophytus apud Sacerdotem eundem fibrinarum pellium fasciculum depositi; &, Da has, inquit, meo nomine huic quem nosti (certum aliquem ex amicis nominabat) dum hîc aderit. Quid, infit Pater; an non pelles eæ, tuæ sunt? sunt verò (excepit) sed breui haud futuræ sunt: iam me ipse inter mortuos numero.

VT AVTEM ad captiuos reuertamur, memorabilis fuga mulierum quarundam, ex ijs, quibus concessum diximus esse viuere. Ad VI. Id. Iunias adfuit ad Montem-regalem Maria, Ioannis Baptistæ Manitynagych vxor, in canoâ, quam sola agebat, per incredibiles ærumnas longum, & difficile iter emensa, & propè per miraculum erepta crudelitati non Annierrononiorum modò, à quibus crematus vir erat, sed Onontaerronnoniorum, hoc est Iroquiorum superiorum, apud quos aliàs captiua aliquandiu egerat. Ab eorum quibusdam, qui ad pagum Annierrononiorum ierant, vt fit, eum, in quo Maria iam sui secura degebat, ignita est: ij cùm profugam viuere nefas ducerent, nefarium consilium iniere de miserâ reducendâ,

cremandáque. Seducunt incautam ſub veſperum, extráque pagum colloquium ſenſim trahendo, pertrahunt: vbi ſolam vident, partim blandâ oratione, pollicitationibus permixtâ præclaris, partim minando monent, redeundum eſſe in eum pagum, vnde ſe priùs ſubduxiſſet: ibi humaniter habitum iri, nec quidquam defore eorum quæ apud Annierrononios eſſent. Intellexit continuò mulier, eò ſe progreſſam, vnde vix ac ne vix quidem retrahere pedem poſſet, ſine certiſſimo vitæ diſcrimine: ità diſſimulandum rata in tempore, ſecuturam verò reſpondet, & quò ducerent ituram. Ergo iubent in ſiluâ pernoctare: poſtridie mane ſe ſe adfuturos. Nec hîc quidem fefellere: repertam, viam ſecum carpere cogunt Onondaguen verſus (pagi nomen eſt Onontaerronnoniorum in quo ipſi collocatum domicilium habebant) & quoniam tranſeundum per pagum illum erat, in quo agebat Annierrononius is, qui mulierem ceperat, & cuius, iure belli eſſe ducebatur; veriti Barbari, ne ſi agnoſceretur, ab illo eodem à quo capta erat, aſſereretur; dant infelici eſculenti quidpiam, vnde cœnitaret, iubéntque in ſiluâ denuò pernoctare: poſtridie iter ſecum perſecuturam. Cùm diſceſſiſſent, per noctis ſilentium, Maria cùm ad pagum acceſſiſſet propiùs, inaudit inſanas Barbarorum vociferationes cachinnóſque, vni cuidam popularium ſuorum inſultantium, quem cremabant: cohorreſcénſque ad tanti cruciatus atrocitatem, tormenta ſibi profectò eadem imminere, induxit in animum, vbi primùm Onondaguen peruenisſet, nec prorsùs temerè, vel quod compertum haberet, vix vnquam immanem gentem ignoſcere fugitiuis: vel quod paulò antè, voces exceperat iuuenum quorundam, ſciſcitantium inter ſe per iter, quænàm tandem pars corporis illius fugitiuæ eſu ſuauiſſima futura eſſet? quærentíque reſpondentem alterum audierat, omnium delicatiſſimos pedes ſibi videri, ſub cinere fauilla-ve lentè toſtos. Quæ cùm verſaret animo, tentare prorſùs omnia conſtituit, ad tantam declinandam acerbitatem, &, quà licebat, per noctis tenebras ſe ſe ſubducere. Et quoniam minimè dubitabat, quin poſtridie manè truculenti Barbari, vbi ſe eluſos à feminâ vidiſſent, perrecturi eſſent verſùs Trifluuium, vnde profecta erat; deflexit à recto itinere, vt erat locorum perita, deuenítque eò, vnde conſpi-

ANNVS MDCXLVII.

ANNVS MDCXLVII.

cere pagum posset, Onondaguen, haud ignotam sedem sibi: eius in viciniâ, quà densissimæ cedri, abietésque erant, dies ipsos decem, noctes totidem delituit inter niues, nullo ignis fomento, veste autem pertenui, támque curtâ, vt neque crura, neque brachia contegeret: & quoniam nihil omninò ad cibatum suppetebat, nocte è latebrâ emergebat, agrósque adibat vicinos, si quas fortè spicas Indicæ frugis nanciscceretur, à messoribus præteritas: harum cùm modulum aliquem reperisset, victitauit interim: sed terrebat metus longioris itineris, (quod deinde mensium duorum fuit) multò magis autem conspecti penè quotidie Barbari, qui illac vltrò citróque ferebantur; atque adeò illi ipsi à quibus rapta erat. Nihil tamen tantam obiecit formidinem, ac Iroquius quidam prægrandis, qui securim humero gestans, ad semianimem ibat rectà, nescius ille quidem. Hunc vbi Maria conspicit cominùs, ad Deum scilicet per preces confugere, quo sanctissimo, firmissimóque præsidio vsa tàm formidoloso eo tempore semper est: &, quæ fuit diuinæ clementiæ suauitas, vbi primùm se in genua demittere ceperat, abscessit derepentè aliò Barbarus, in nemúsque penetrat. Hos inter angores, metúsque qui in momenta singula alij alijs succedebant, sic secum ipsa mulier ratiocinari, ex diuinarum legum hoc quidem in genere, ignoratione: Quò te reseruas infelix? Actum est vitâ tuâ, quoquò te conuerteris, emoriendum, cui neque quidquam ciborum adsit, & tantum viæ emetiendum sit, antè quàm ad tuos peruenias. Et ad pagum quidem hunc si perrexeris, viua cremabere: si iter ad tuos capessiueris, incides in Annierrononiorum quempiam, à quo è fuga retracta, ignes non effugies: præstat itaque mortis genus deligere minùs atrox, vitæque huic, inserto collo laqueo finem imponere. Vt constituerat, ita facere apparat: zonam religat supernè ex arbore: inferiori in parte, fluentem nectit nodum, qui vbi caput inseruisset, pondere degrauante corporis, magis, magísque stringeretur, atque adeò pendulam interclusâ animâ necaret: tum infelicem arborem scandit, laqueóque quam aptissimè potuit, composito, deorsum se se librat. Sed letalis conatus minùs successit: diffractâ zonâ ruit attonita: nec tamen ab incœpto destitit pertinax: nodum nectit denuò, denuóque se se ex arbore

ANNVS MDCXLVII.

arbore librat, reſte, vt ſibi videbatur, diligenter exploratâ priùs: at ne tum quidem, miſerante Deo, plus perfecit: ſuopte pondere relapſa ad terram eſt. Hîc verò ſaniores cogitationes ſuſcipere mulier, factum mirans. Quid ſi, inquit, cordi Deo non eſt, me nunc emori? omninò, quantum quidem aſſequi coniecturâ poſſum, me relinquere in viuis decreuit. Atqui cibaria in iter non ſuppetunt: at, an non ipſe ſuppeditare, ſi libuerit, mille modis poteſt? Eamus ſanè, & quà ducet ipſe pergamus. Hæc elocuta, vadit per ſiluarum vaſtitatem, quà ex Solis poſitione, in quem interdiu, tanquam in gnomonem intuebatur, tendi putabat in patriam, haud procul ab Huronum finibus: ſed, quod procliue fuit, perrexit aliò, nec infeliciter: quippe tandem poſt bimeſtre ſpatium, eò peruenit quò diximus. Et primis quidem diebus decem, collectitiis ijs ariſtis vtcumque miſeram famem ſolata eſt: niuale illud frigus vnde depelleret, nihil ſuppetebat. Aliquot deinde dies ſic exegit, vt vel ſcalpendâ humo, ſilueſtres radices inueſtigaret, vellerétque, vel digitis dentibuſ-ve cortice arborum exteriori detracto, librum interiorem manderet: donec progreſſa, certo loco, in quo caſam proximè fixerant Iroquij venatores, ſecurim reperit, quam per imprudentiam reliquerant: ea ſaluti fuit. Nam & ex ligno induſtria mulier concinnauit ipſa ſibi vnde ignem, perinde atque ex ſilicum affrictu eliceret; eo ſe reficiebat noctes totas, interdiu, prorsùs abſtinebat, ne vagam fumus proderet: quinetiam ſub auroram ſtudiosè extinguebat, ſi quid ſupererat calentis fauillæ, ne quid emanaret. Vbi ad fluuiorum ripas peruenit, cibum quoque, quem teſtudines præbebant, nanciſci cepit. Menſe toto per eas exacto ærumnas, quæ fidem quoque ſuperare credi poſſent, niſi quæ pertulit, ipſa memoraret, Iroquios venantes cùm vidiſſet, ipſa ab ijs minimè deprehenſa, animaduertit canoam ab ijs in vicini amnis ripâ relictam, dum redirent. Illam conſcendit fortis femina, abducítque: verùm, quoniam amplior erat, quàm vt commodè agitari ab ſolâ poſſet; vbi ſe in eum locum proripuerat, vnde peruenire ad eam eluſi venatores minimè poſſent, eandem ſic coagmentauit, vt iam breuior circumageretur longè facilius. Tum ex fluuiolis ſecundo curſu delapſa in Magnum amnem S. Laurentij, agnouit demùm & abeſſe ſe

Captiuarum aliquot feminarum fuga.

ANNVS MDCXL VII.

à patriâ longiùs, & multò commodiùs ſecundo flumine ad Gallorum ſtationes accedere poſſe, quàm aduerſo remigare ad ſuos. Ita canoâ permiſsâ alueo, quà ſponte labebatur, luſtrat interim circumpoſitas inſulas, ac venationi aſſueta dudum, fibros capit, &, quod mirere, ceruos etiam, hac arte, vt compulſis in amnem, ipſa ex canoâ immitteret, extantiáque capita contunderet ſecuri: tum confectos extrahebat ex aquâ; figebat quoque piſces grandiores, tanquam enſe, ſic ligno longiore præacuto. Tandem Montem-regalem tenuit: exceptáque perhumaniter eſt tum à Præfecti vxore, lectiſſimâ feminâ, tum ab alijs matronis ex Galliâ: verùm obuerſantibus adhuc animo tàm triſtium rerum, tàm multarum imaginibus, luctu, mœroréque confecta, lacrymas fudit diu: poſt, ad Socerdotem è Societate conuerſa, à quo prius inſtituta erat in fide, narrauit quàm aſſiduè preces fudiſſet ad Deum, cuius opem tàm benignè eſſet experta: expiatáque mente per homologeſim, cibum vitæ tanto interuallo reguſtauit.

HANC SVBSECVTÆ deinceps aliquot, aliæ ex alijs, vt quæque ex hoſtico euadendi captatam opportunitatem nacta erat. Ad XII. Cal. Quintiles ibidem ad Montem-regalem ex aduersâ parte fluminis auditæ voces opem inclamantis cuiuſpiam: ſed quod eâ fraude abuſi ſæpè erant Iroquij inſidiatores, in eos qui ad opitulandum accurrerant, perfidiosè graſſati; idcircò fluxit prope triduum, antè quàm accedere vllus vellet, curaret-ve. Tandem auſi quidam ſenſim è flumine accedere, vbi Catechumenam feminam eſſe cognôrant, antè ijs verſatam locis; defectam viribus imponunt in canoam. Nihil ei potius fuit, vbi traducta ad ſtationem erat, quàm vt requireret, num adeſſet è Societate Sacerdos is, qui Catechumenos, Neophytóſque inſtituere ibidem conſuèrat. Et erat ille quidem antè oculos in aliorum coronâ: verùm, ex longiori inediâ, emoto cerebro, minimè agnoſcebat præſentem. Ita, obiecto ſenſim cibo, fomentíſque alijs adhibitis, inſtaurandis illius viribus tantiſper data opera: ipſa poſtridie, iam ſui compos finem nullum facere accerſendi, inclamandi-ve Sacerdotis. Cùm & ipſe aſſereret adfuiſſe ſe etiam ſuperiori die, & alij rem ita habuiſſe confirmarent, Atqui ego minùs aduerti, inquit: neque verò memini te à me viſum: vt vt id fuit, ve-

niam precor: ſic enim mecum ſtatuo, idcirco ſiuiſſe Dominum Deum, me in hoſtium manus venire, quòd anno ſuperiore obſtinatiùs reſtiti ſalutaria monenti, impellentique ad Baptiſmum. Et ego quidem tametſi nondum tanti boni particeps, tamen preces aſſiduè ad ſummum rerum omnium Procreatorem fudi, pollicitáque ſum, me, vbi primùm integrum foret, flagitaturam enixè, quod tàm pertinaciter antè reſpui. Tum ordine exponens quemadmodum euaſiſſet; Biduum tantum erat, inquit, ex quo partum fuderam: ea res ſaluti fuit: cùm enim altero biduo antè, captiuæ duæ noſtro è numero ſe ſe proripuiſſent, furentes Annierrononij iactare, ſi qua deinceps è nobis fugiſſet, cunctas trucidaturos. De me nulla tum erat ſuſpicio, ob partum tàm recentem: ita cùm obſeruaret nemo, per ſpeciem lignatum eundi, ſubduxi me cum filiolo: is paulò pòſt efflauit animam, quòd me lac deficeret. Ego, expeditior iam licèt, tamen vix ac ne vix quidem peruenire hûc potui: diſcrimina autem adiui tùm alia, tùm hoc potiſſimùm, quod cùm ad S. Ludouici Catadupa peruenissem, nec ſuppeteret canoa, lignis aliquot vtcunque compactis, torrenti me credidi: ſed me breui deſtituit diſſoluta ratis: hauſtáque gurgite fuiſſem compluries, niſi Deus adfuiſſet: nam & in imum demerſa ſum aliquoties, & raptante vortice, ad ſcopulos, ſaxáque extantia, propè alliſa. Ceterùm addebat, nihil iſtâ captiuarum vitâ miſerius: cùm lues popularis gentem Annierrononiorum etiamnum depopuletur, quotidiana funera erant: atque adeò ex more in luctu ferè agitandum fuit: ſed inter ærumnas infinitas nihil ærumnoſius, quàm importuna illa Barbarorum hoſtium crudelitas, quæ inuitas, reluctantéſque adigebat ad vſtulanda corpora eorum è noſtris, quos ipſi cremabant. Vno verbo cùm nihil eſſe videretur, cur deinceps differretur Baptiſmus, vt Iroquiorum manus effugerat, ſic dæmonum erepta ſeruitio, in libertatem filiorum Dei per lauacrum regenerationis aſſerta eſt. ANNVS MDCXLVII.

ADVENERE poſt quatriduum duæ illæ, quas biduo ante ſe, effugiſſe dixerat, ambæ nuptæ, ambæ Chriſtianæ: hæ ex aduerſâ itidem parte fluminis ad ſtationem eandem traductæ, pòſt paulò donatæ veſte & canoâ, ad viros ſuos Sillerium deſcendêre. Poſtremò ad XVII. Cal. Sext. adfuit ad Tri-

ANNVS MDCXLVII.

fluuium alia, tàm extremâ confecta macie, vt ad pellem nihil præter ossa adhæresceret: caui oculorum orbes, genæ nullæ: ad maxillas labra consuta. Memorabat hæc, à captiuâ alterâ Annierrononiam diritatem formidante, mentionem iniectam sibi de nece voluntariâ: quem furorem cùm detestaretur, atque adeò infaustam sociam à tàm prauâ mente deducere conata blandâ oratione esset, Medeam tamen illam nihilo seciùs, primùm, filiolum suum, trucidatum ad hostium pedes abiecisse, mox, cùm laqueo inseruisset caput, manu altera restem quantum quidem vires sinebant, adduxisse, quo præfocaretur, alterâ iugulum cultro secuisse: documento sanè funesto, quantopere interfit vocanti Deo parêre. Annos multos impotens mulier non modò Baptismi mentionem omnem reiecerat, sed etiam insectata atrocissimo odio erat Christianam fidem, semper iracundiâ æstuans: ita minùs mirum, si Deum tandiu aspernata, diuinâ deinceps ope caruerit. At Christiana tametsi libertatem quoque ipsa spirabat, tamen ab eo alieniſſima furore, niti Deo, & opportunitatem præstolari fugæ. Et obtulerat illa se quidem sæpiùs, si sola esset: sed cùm filiam haberet pariter captiuam, nuptam iam viro Annierrononio (neque enim ijs in regionibus dubitant viri cum captiuis feminis copulare matrimonia, si forma adsit præsertim; quin, vxores tales præoptant, quippe morigeras magis) ab eâ auelli non poterat. Ergo communicat cum eâ consilium suum: miserrimum vitæ genus esse, quod ducerent, nihil luctuosius, quàm assiduè cum ijs versari, quos parentum suorum, cognatorum, affinium cruore respersos adhuc viderent: si quid sibi crederet, tentaturas fugam: affore afflictis benigniſſimum Deum, cuius præsertim causâ obijcerent se se discrimini, eo scilicet consilio, vt Christianæ, ad Trifluuium, Sillerium-ve, reuiserent institutores suos, obirent sacramenta, sacrificio interessent. Cùm non abnueret filia, dictum tempus profectioni ad noctem mediam proximam. Vbi statum tempus aduenerat, egrediuntur ex condicto, à nemine deprehensæ, viatico nullo, in tàm longum, támque perplexum iter, nisi panum quinque subcineritiorum, atque adeò perexiguorum: hos mater parauerat: filia instruxerat se se cultro, perneceſſario vtique multos ad vsus, si vti licuisset: sed breui filia à matre seiuncta est. Nam progres-

ANNVS MDCXLVII.

ſæ quantâ maximâ celeritate potuerunt, noctis partem reliquam, diémque deinceps totum, ad veſperum vſque; dum ſibi gratulantur opportunitatem, ad quietem captandam aliquam reſidendi; ecce tibi Annierononios aliquot vident eminùs haud viſæ ipſæ. Sed incidit tamen formido, vt fit, tàm præceps, vt in vnum illud intentæ, ne deprehenderentur, in denſiſſimum ſeſe nemus penetrarint, per ſentes, rubóſque, & diuerſæ ſcilicet: quem errorem cùm non nili diu pòſt miſera mater deprehendiſſet, ſubſequi filiam rata, vbi à tergo reſpicit, nullam videt: cúmque vociferari minùs tutum eſſet, itineris partem relegens, luſtránſque oculis omnia, nullum tamen eius veſtigium deprehendit. Quid faceret tali loco, ac tempore? redire ad pagum, aliud nihil erat, quàm ad certos rogos proficiſci, & incerto quidem euentu: quî enim ſibi perſuaderet, eò repedaſſe filiam? conſultius viſum, cœptum iter perſequi. Ergo vadit mœrens, luctúque perdita: pérque graues Solis ardores æſtuans, ad ceteras ærumnas illam quoque pertulit, quod infinitis muſcarum morſiunculis toto corpore patens, tota cruentabatur: quâ in deſtitutione vt eſt naturâ ſolers neceſſitas, illud excogitauit, vt ex fronde tibialia, manicáſque vtcumque conſuerit. Filiam vltrà non vidit: ſed ſqualore mœroréque confecta, ſola tandem tenuit Triſluuium, pérque ſacram homologeſim mente ſerenatâ, per auguſtum Chriſti IESV corpus corroborata, priſtino ſe Chriſtianæ vitæ tenori reddidit.

SED NIHIL hoc in genere admirabilius, ne ſecula quidem fortè ſuperiora viderunt, quàm labores ſanè perplexos Algonquiniæ feminæ cuiuſdam, nondum Chriſtianæ, ſed quæ, quantum conijcere quidem licet, Baptiſmo deinde eluta eſt. Hæc cùm capta à perfidioſis Annierrononijs eſſet vnà cum virorum agmine, dum initæ pacis fiduciâ ſecuri venantur; poſtquam dies iam decem cum ijs egerat, non ſine grauiſſimo mentis angore; nocte quadam altiſſimo ſopore depreſſis hoſtibus, quotquot erant, quatuor licet innexa funibus, qui ex palis totidem apti erant cancellatis, ínque quincuncem humi depactis; vt in omnem intenta fugæ occaſionem erat, brachiorum primùm alterum expedit, vt paulò laxius retinaculum erat; tum alterum haud ægrè, mox pedem vtrumque

ANNVS MDCXLVII.

ſoluens ; iam libera per ſtratorum corpora foras ſe proripit: cúmque euadere deinceps tutò poſſet, hoſtis propè ſui, vel potiùs furoris impotens, ſecurim, quam caſu in tugurij limine offenderat, toto virium niſu librat in caput Annierrononij, qui ibidem in limine iacebat. Excitatur ad ictum tàm luculentum miſer, & ſcilicet lacrymabili gemitu excitat alios: ab his cernitur ſuo ipſius propè natans in ſanguine. Nec mora: trepidè quæritur auctor vulneris: ſed cùm nullus compareret, ſecuris tantùm ſaucij reſperſa cruore relicta eſſet, accurrunt ad locum in quo captiuam religauerant: verùm, abdiderat iam ſe in truncum excauatæ arboris, quam latebram antè conſultò inueſtigauerat, probauerátque: mox, cùm omnes vnam, eandémque in partem effusè currentes cerneret, ipſa in aduerſam ſe proripit, & quantum curſu poteſt, tantum viæ ad lucem vſque emetitur. Vbi diluxerat, reduces Barbari conſtituunt omni diligentiâ inueſtigare quà fugeret, diuerſíque loca latè circa, omnia explorant. Cùm veſtigia deprehendiſſent anteeuntis, biduum totum ſecuti, tantumnon aſſequuntur, hoc eſt adeunt proximè ad ſeceſſum in quo latebat: quorum ſtrepitum vbi hauſerat auribus, immigrat illicò in vicinum ſtagnum, & ſub aquâ deliteſcit ſic, vt identidem ad ducendam animam caput exereret: donec defeſſi quærendo venatici non canes, ſed prædones, ſpe denique omni abiectâ captiuæ recuperandæ, remeauere ad ſuos. Tum verò pergit quà ceperat, ſola, omníque planè cibo carens, niſi ſi quid agreſtium fructuum occurrebat, quod racemaret carptim, & dies totos triginta quinque progrediens, traiecit nando fluuios minores aliquot, dum ad ripam Magni-amnis allapſa, ratem ipſa ſibi compoſuit ex lignis, quæ inter ſe arboris cuiuſdam lentiori cortice, quo ad funes vulgò indigenæ vtuntur, ſic commiſit, vt partim nauigans, partim exſcendens, illud vnum ſibi proponeret, ad aliquam Gallorum ſtationem deuenire, quarum profectò aliquam ad eiuſdem Magni-fluminis ripas nacturam ſe norat, nullo de cetero commercio vſa vnquam cum Gallis, quâ ex gente neminem vſquam fortè viderat: ità alueo permittebat ſe ſe. Mirum tamen, quemadmodum in tot aquarum diuortijs tàm immenſis, rectum quaſi tramitem inſiſtere potuerit: præſertim cùm varijs locis ita ſe amnis diſtendat, vt

ſi medium tenueris, vix domum vllam agnoſcere queas earum quæ ſunt per interualla ad ripas conſtitutæ. Seu caſu porro, ſeu, quod vero ſimilius, ratem agente Cuſtode Angelo, poſtquàm Lacum S. Petri traiecerat, haud à Trifluuio procul, Huronum piſcatorum canoam videt. Cùm eminùs dignoſcere ſatis nequiret, amici an hoſtes eſſent, relictâ rate, in vicinum ſe nemus ſubducit, viæ reliquum per noctis confectura tenebras vel ex metu, vel ex verecundiâ. Ergo pergit ſub Solis occaſum, ac per fluuij marginem ſenſim progrediens, ſimul Trifluuianam Arcem videt, ſimul ab Huronibus aliquot cernitur. Vadunt illi continuò, ad eámque accedunt protinùs: ipſa ſe denuò in ſiluam penetrat, quà denſiora fruteta erant, vetátque adeuntes ferri propiùs, nudam ſe eſſe vociferans, quippe cùm ex hoſtium manibus clàm eſſet dilapſa. At horum vnus ſtatim aliquid vnde corpus vtcunque obtegeret, iacit eminùs: dum ipſa decori vbique retinens, iam amicta proſilit, benignéque accipitur, ad VII. Cal. Sext. Quid eâ deinceps factum ſit, non tradit tumultuaria Relatio: cùm tamen & conſultò ſtationem Gallorum ab eâ veſtigatam antè prodiderit, pòſt, tantam ergà ſe Gallorum eorundem charitatem, tantum ſtudium demiratam addat; quis non ſibi perſuadeat, feminam haud contumacem quorum mores ſuſpexerit, horum auguſtas religiones ſuſcepiſſe? à quibus haud dubium quin inſtituta ad fidem continuò fuerit, atque adeò ad Baptiſmum deinde, vbi opportunum viſum e at, admiſſa. Felix mulier eadem, & ſanè fortis, quæ auſu planè mirabili, tàm præſens diſcrimen per tàm innumerabilia diſcrimina effugerit. Omninò ſi tali tempore apud hoſtes tàm barbaros maneret, funeſtis implicita & ſuperſtitionibus, & vitijs, in ſempiternum perierat: ſed *Nouit Dominus qui ſunt eius:* adéſtque pluſquam paternâ prouidentiâ *in opportunitatibus, in tribulatione.*

ALIQVANDIV pòſt, cùm viginti circiter Annierrononij prædones Magno-amne inuecti canoas aliquot fœderatorum Algonquiniorum infeſti inſequerentur, Galli, qui fortè ex ripâ ſpectabant, lembum conſcendunt continuò, & quantâ maximâ remorum contentione fieri potuit, ad immanes hoſtes properant. Ii cedere quidem flumine, at non tamen dare ſe in fugam. Factâ exſcenſione, momento lignis grandioribus

Annierrononij Prædones à Gallis oppugnati fugâ ſe noctu proripiunt.

ANNVS MDCXLVII.

aptè ad propugnaculum inter ſe conſertis Gallos opperiuntur, canois præterea ſuis vtcunque tecti. Ruunt Galli confeſtim in perfidos, vrgéntque oppugnationem. At reſiſtunt viciſſim homines ad bellandum, ſeu latrocinandum potiùs facti pridem, ſclopíſque prægrandibus ſternunt è Gallis duos, ſex ſauciant. Tandem tamen, cùm nox ingrueret, cerneréntque poſtridie impares ſe fore certamini vtique à Gallis redintegrando, & numero fortè maiore, poſcunt noctis illius inducias. Cùm conceſſæ eſſent, ipſi ſilenter per amicas tenebras ſubducere ſe ſe, & munitiunculam cum qualicunque inſtrumento deſerere. Poſtridie ſub Solis ortum Galli dum pugnam inſtaraturi proximè eſſent, circunſpicerémtque quò vertendus impetus eſſet; neque quidquam exaudiunt, neque hoſtem vllum vident. Gnari tamen quantâ vbique cautione agendum ſit cum hoſte, maximè cum eo, quo neque ad fraudem tectior, neque expeditior ad fugam vllus vſquam ſit; circunſpectant priùs omnia, dein accedunt: ac tum demùm vident fugitiuos prorsùs abſceſſiſſe. Pergunt ergo ſi quem fortè palantem adhuc reperiant: & ecce tibi vnum deprehendunt in cauæ arboris trunco latitantem. Tanquam ad feram, ſic ad infelicem accurrunt omnes, iubéntque prodire continuò: cùm paruiſſet, rogant cur conſiſtere maluiſſet, quàm recedere cum alijs? Cauſam voluntariæ tarditatis attulit, quod cùm germanus frater luculentum vulnus accepiſſet, manendum vltrò ſibi putaſſet ad ferendam opem: ceterùm, è ſuis oppidò ſauciatos ſeptem; duos, ſuâ quidem ſententiâ cæſos ibidem occubuiſſe: horum tamen neutiquam reperta corpora: auecta putarunt Galli à recedentibus, quò patrio more deinde cremarentur. Ipſe ad Trifluuium deductus continuò, mox Kebeccum auectus ad Monte-magnium: qui de illo pro poteſtate ſtatueret. At is ſecum reputans quàm nihil ad ferociſſimas Barbarorum mentes mitigandas valuiſſet ſuperior humanitas, comitáſque; atque vt medicâ in arte, ſic in ciuili adminiſtratione, adhibendum ferrum, ignémque, dum ſuauiora remedia reſpuit morbi pertinacia; hominem permittit Algonquinijs, cum eo, vt tria tamen in pœnis de illo exigendis vitarent: primum, ne tandiu miſerum cruciarent, quandiu ſolerent antè vulgò: alterum, ne nudarent corpus ad ignominiam: ab eâ enim fœditate

Greg. Huret f.

Preciosa mors quorundam Patrum é Societ. Iesu in noua Francia. 1. P. Annas Denoüe Campanus, Caritatis officia exercens, frigore enecatur. 2. Febr. 1646. 2. P. Isac Iogues Aurelianus, christum ad Hiroquæos portans, Dæmonem attulisse creditus, securi percutitur. 19. Octo. 1647. 3. 4. Duo iuuenes galli, eius comites, truncantur. 5. P. Anton. Daniel Deppensis, gregi suo, Vitam seruare volens, interficitur. 4. Iul. 1648. 6. 7. P. Ioa. de Brebeuf dioc. Baiocens. et P. Gabriel Lallemant parisinus, flammis, candentibusque igni securibus ad collum appensis, ecausti: aquâ ebulienti, in Baptismi contemptum perfusi, exfectis, deuorat. isque Carnibus, intercunt. 16. hic 17. mart. 1649. 8. P. Carol. Garnier parisinus, Pastoris officio fungens, sclopis impetitur. 7. Decemb. 1649. 9. P. Natal. Chabanel dioc. Mimatens. ab apostata, sub idem tempus, in profluentem dejectus est. 10. Ioseph Onahare, iuuenis Algonquinus, a christi laudibus cessare nolens, tribus diebus, totidemque noctib. cruciatur. ann. 1650. Vernotempore.

ditate Christianos oculos abhorrere debere: tertium, ne quâ parte eius carnium ad esum abuterentur: id enim non hominum sed canum esse. Plura de supplicij genere non tradit Scriptor Gallicus: sed quando eas cautiones à Monte-magnio adhibitas refert, illud haud obscurissimè innuit, crematum captiuum fuisse, idipsúmque, quod subijciam, adstruit; illud tamen Christianè accuratum, vt per breues cruciatus ad sempiternam felicitatem euolaret. Traditus est Sacerdotibus Societatis ad necessariam institutionem: quæ dum peragitur, apparuit breui dexteræ Excelsi mutatio. Homo antè non magis à fide, quàm ab humanitate alienus, inexpectatam quandam docilitatem afferre: mox contestari, & assueratione omni confirmare, credere se quæ proponerentur: & dolere de admissis totâ ætate peccatis: ac quandoquidem docetis, inquit, nostrûm vnumquemque ad diuinæ iustitiæ tribunal quandoque appariturum, si fallo, ac si aliud oratione promo, aliud recondo pectore, tunc mihi vitio vertite. Interea cùm Præfectus cui permissus à Monte-magnio erat, cum eóque Galli ex illo multa scisciterentur, inter cetera illud quæsiere, qui vocaretur is à quo Isaaci Iogueſii socius interemptus esset? atque is nihil ambigens nomen prodidit. Vrgent, instántque, nomen item ederet illius, qui immerenti Sacerdoti securim impegisset? hîc verò demissis ceruicibus conticuit: quâ ex reticentiâ haud obscurè deprehensum, tàm indignam cædem ab eo perpetratam fuisse. Accessit vehemens ab Hurone indicium, qui indidem ex Annierrononiorum pago effugerat: siquidem captiuum intuens, quem vidisset ibi loci multoties; Quid te verò, inquit, expectare à Gallis conuenit, qui virum tàm ipsis charum mactaueris? Rogantibus deinceps de mortis genere Iogueſij eiusdem, ita semper respondit, vt extenuaret: neque nudatum eum, neque fustuario tunsum fuisse: ex Annierrononiorum pagis tribus, duos minimè ad deliberationem vocatos, in eóque ipso vbi cæsus est, eam quam amitam Iogueſius de more vocitabat, cuiúsque beneficam humanitatem tandiu fuerat expertus, restitisse. Veritus est (credo) Gallicus Scriptor inhumanitatis notam in Monte-magnio, si captiuum Algonquinijs, Montaníque expressisset permissum ad rogos: idcircò mortis genus quasi reticuit. Ait tantùm, captiuum

ANNVS MDCXLVII.

eundem ritè procuratum ab animo, medijs in cruciatibus inclamaſſe IESVM multoties: iuſſúmque canere, nihil triſtibus modulis extuliſſe arrogantiùs, contrà quàm non Chriſtiani tali loco ac tempore ſoliti erant, nullo conuitio læſiſſe torquentes: paucula tantùm ingeminaſſe in hanc ſententiam, *Antaïok* (nomen apud eas Nationes vulgare fuit Ioannis Amioti, Galli iuuenis à quo captus erat) *Antaïok id mihi præſtitit, vt in cælum euolem, gaudeo.* Hoc fine vitam & mortalem & captiuam concluſit vir beatus, ex eorum vtique numero, quos Dominus Deus per ignem educit in refrigerium. Paulò pòſt, per aquam eodem ſubſecutus eſt, vt eius pietas integritáſque ſuadet, is cui acceptam felicitatem ſuam proximè moriturus referebat, Ioannes ille Amiotus, omnium conſenſu non minùs Chriſtiani officij laude cumulatâ, quàm militari gloriâ illuſtris. *Conſummatus in breui expleuit tempora multa:* &, quæ altiſſima Dei iudicia ſunt, eo leti genere ſublatus eſt, quod non potuit non cunctis luctuoſum videri. Dum ad Trifluuium, Magnum amnem in lembo traijcit cum Franciſco Marguerio, item Gallo, vi repentinâ tempeſtatis abſorptus eſt, antè quàm opem ferre vllus quiuerit. Subita quidem mors: at non improuiſa: ſemper enim candidiſſimus iuuenis ſic erat animo comparatus, vt non crimina modò, ſed etiam delicta incredibili ſtudio declinaret. Apud Patres Societatis in Reſidentiâ S. Mariæ educatus, inde tùm alia præclara, tùm ſenſum pietatis inſignem in immaculatum ſponſum immaculatæ Virginis hauſerat: ab eóque viciſſim pro illuſtri munere tulerat inſigne caſtimoniæ decus. Solicitatus pluries, vt Ægyptius ille quondam Ioſeph ſemel, à flagitioſis mulieribus, pallium reliquit in laſciuarum manibus, ſemper caſtus, ſemper integer, ſemper, quod eâ ætate, iiſque locis permirum, ab omni letali culpâ intactus, ſi fides habenda ijs, qui arcanorum nitidiſſimæ mentis erant apprimè conſcij. Quo tempore caſtigatiſſimæ vitæ filum abrupit mors immatura, amori operam debat, at legitimo, matrimonium proximè copulaturus: ſed eam continentiam adhibebat in viſendâ, alloquendáque eâ quam vxorem legebat, vt dictitarent per Chriſtianum iocum, optimi adoleſcentis ſodales, ipſum Angelorum more procum agere. Hinc illa in iuuenem amantiſſimi Dei prouidentia

Ioannis Amioti mors, & laudes.

Sap 4.

planè ſingularis, quam expertus eſt toties. Semel quidem cùm venatum excurriſſet, neſciens planè quid lateret, derepentè formidine diriguit, contrà quàm ſoleret: confidens enim erat imprimis, at prudens idem, & cautionis adhibendæ vbique, perſtudioſus. Cùm ſe ipſe miraretur increpitans, progredi tentauit multoties, nec progreſſus eſt vllo modo: in orbem ſe circumagebat potiùs, quàm viæ quidquam deſtinatæ conficeret. Obſtupeſcens, ad Patronum denique ſuum, S. Ioſephum ſe ſe conuertit: mox Huronem comitem appellans; Regrediamur ſanè, inquit: latet hîc periculoſum aliquid. Et ſic res habebat prorsùs; poſtridie Algonquinij aliquot dum illac iter habent, in inſidiantium Iroquiorum manus venere. Vt autem ſe debere intelligebat S. Ioſepho plurimum, ita viciſſim effuſiſſimè accurabat quicquid ad meritiſſimum Patronum honorandum veniebat in mentem. Cùm aſſiduè obijceret ſe ſe dimicationibus ijs, quas penè quotidianas ſuſcipere cogebant infidi Iroquij, declarauit Patribus Societatis, velle ſe vt ſi in certamine aliquo iſtiuſmodi occumberet, quæ ligna materiémque ceteram apparaſſet ad extruendam ſibi domum, ex ijs excitaretur ſacellum S. Ioſepho: ac voti ſponſione ſe ſe prætereà obligarat, nemini, qui per S. Ioſephum obteſtans, quidpiam à ſe petijſſet, negaturum. ANNVS MDCXLVII.

DE FIDEI apud Algonquinios, Montanóſque progreſſibus nihil dicam: non quod noua deſint, ſed quòd ſint eorum perſimilia, quæ memorata ſunt annis ſuperioribus. Attexam hîc modò duo ad diuinam gloriam multùm ſpectantia: alterum, facem Euangelij hoc anno finitimis quibuſdam illatam Nationibus: alterum grauem Dei manum in fidei vel hoſtes, vel deſertores incubuiſſe. Ad Abnaquioios, quos ad cæleſtes ſatus excipiendos Carolus Meiaſkvat paulò antè pro virili comparauerat, miſſus eſt Gabriel Druilletius, è Societate Sacerdos, bonæ gentis accerſitu, vel potiùs flagitatione. E Sillerianâ ſede cum eorum agmine profectus ſub exeuntem Auguſtum anni ſuperioris, ipſos penè menſes decem cum ijs exegit. Quanta pertulerit, præterquàm quod ex ijs quæ variis locis memorata à nobis ſunt, de grauiſſimis Euangelicorum operariorum laboribus cognoſci poteſt; inde propriè coniectura ducatur, quod hyemem totam circuncurſando tranſegit, inſti-

Fax Euangelij finitimis Nationibus illata.

ANNVS MDCXLVII.

tuendis Catechumenis, ſolandis, iuuandiſque ægrotis, diſcendo idiomati: in quo tantopere tàm breui profecit, vt mirati ſint non Galli modò, ſed indigenæ quoque: in tantâ abſtinentiâ, vt tametſi carnes ex venatu identidem abundè ſuppeterent, ab ijs tamen toto Quadrageſimæ tempore ſe ſe continuerit, modico demenſo frugis Indicæ contentus. Ergo cùm vernaculam linguam arripuiſſet, inſtituere cepit pro magiſtrali auctoritate eos, quos IESV Chriſto parturiebat: quæ vt fructuoſiùs ptocederent, ab ijs flagitauit tria, tulítque: Vt continerent ſe ſe tùm à vino, tùm verò potiſſimùm à letali illo potiùs, quàm vitali latice, quem ab Europæis propinari incautis ſolitum ſæpè diximus: hoc verò in Abnaquioijs magis metuendum, quod ijs vſus multus eſt cum Nouæ Angliæ incolis: Vt concorditer inter ſe viuerent, miſſáſque facerent ſimultates; & id proceſſit è ſententiâ, cùm ſi quem quis vel verbulo violaſſet, haud ægrè ad petendam veniam adduceretur. Vt nuncium remitterent tùm ineptæ ſuperſtitioni, quâ rerum ſuarum exitus ſecundos, aduerſóſque tantopere pendere cæci populi ſibi perſuadent ex ſortibus; tùm toti, ſi quod erat, cum antiquo veteratore commercio, hoc eſt cum tetro dæmone, quem & ipſi Manitv appellant. Et hîc quoque paruerunt mirâ quadam ingenuitate, vel abiectis, vel etiam Catechiſtæ traditis ſacculis, quibus res tanti ſcilicet pretij continebantur. Quin, ex ſagis ipſis, vel Impoſtoribus potiùs fuere qui tympana cremarint ſua: ita excluſæ inſanæ vociferationes, quibus noctes, diéſque perſtrepere earum gentium caſæ ſolent. Quanquam nonnulli ex eis, peruicaciores, conſuetos rumores ſpargere inſtituerunt, Qui aurem Gallo neſcio cui præbuiſſent, iiſque quæ traderet aſſenſi eſſent, illis infeliciter caſura omnia: ipſum adeò Patriarcham (Patrem eâ nomenclaturâ deſignabant, voce à Gallis temerè auditâ per Catachreſim ſanè grauem abuſi) atque adeò eos omnes qui cum eo forent, ab Iroquijs captum iri. Hæc ſub eos dies maximè canebantur, quibus refixis quindecim, quæ circà erectæ erant, caſis, diuellendum neceſſariò contubernium erat ad venationem capeſſendam: lectus tamen lacus ingens eſt ad Kinibeki fluuium, quò peractâ venatione, denuò conuenirent cuncti. Sed (quæ fuit Domini Dei ergà ſuos clementia) inſanas va-

ANNVS MDCXLVII.

ticinationes elusit euentus: nam nec in Iroquiorum manus vllus ex eo agmine venit, cum quo Druilletius totum illud exegit tempus; & abundè suppeditauit venatio, vnde alerentur cuncti. Valuit itidem non mediocriter ad fidem abrogandam mendacibus, quod cùm Druilletij hospitem, qui in morbum inciderat, vel reualiturum nunquam pronunciassent, vel, si è morbo emersisset, non tamen ad vernum tempus victurum; quippe vel forte, vel Iroquiorum manibus vitam ereptum iri homini audaci, qui atratum nescio quem suos ad fines perduxisset, contrà prorsùs euenit: cùm ter intrà eos hybernos menses ægrotasset, ter reualuit: neque vsquam Iroquius vllus comparuit. Druilletius autem cùm Baptismum impertijsset vel infantulis, quotquot animam agentes reperit, vel ægrotis alijs, quorum conciamata vita esset (quanquam horum aliqui reualuerunt) alios qui certatim se se ad beatum lauacrum obtrudebant, reijcere in annum sequentem maluit, quàm in re tanti momenti vltrà in præsens progredi. Ita auctus meritis, filiolísque in Christo suis percharus, eò vndè profectus erat, se recepit ad VII. Cal. Quintil.

AT ATTIKAMEGVII ad Trifluuium descendêre, trepidè illi quidem primùm, quòd cùm latè rumor percrebuisset non modò Algonquinios multoties captos, lancinatósque ab Iroquijs, sed etiam hostem eundem exitium Gallis moliri, nesciebant quo in statu res Trifluuianæ essent. Ergo sapienti consilio, postquam biduo à Trifluuio abfuere, vxoribus, liberísque loco tuto relictis, ipsi taciti ac silentes in canois sensim progressi, explorant qui locum habeant incolæ, Gallíne, vt priùs, an truculenti Iroquij. Cùm constare cuncta suis ipsi oculis perspexissent, tum verò lætitijs omnibus incessere: accurrentésque ad amicos, amicissimè nunciant, idcircò se adesse, vt pro more, rationes animorum suorum putent cum Patribus: vxores suas in secessu præstolari: ad eas aduehendas redire se raptim: mox cunctos adfore. Nec procrastinauere diutiùs: adfuere illicò quotquot erant: suóque accessu mirum in modum Christianorum Algonquiniorum animos partim exhilarauerunt, partim stupore defixerunt. Quippe cùm persuasum haberent, nacturos se homines rudes, mysteriorúmque iuxtà, & precationum ignaros, alia omnia suis ipsi &

ANNVS MDCXLVII. oculis, & auribus hauſerunt. Quo primùm veſpere aduenerunt, perculit non indigenarum modò, ſed Gallorum etiam aliquot, qui ſpectatores intererant, religioſa candidæ gentis pietas, præclarúmque inſtitutum orandi in commune. Aberat tum fortè Catechiſtes, vt in Arce conſtitutum domicilium habebat, è quâ exire tali tempore, hoc eſt per noctem, minùs liceret: poſtridie cùm ad eos adijſſet, vbi primùm licuerat, ſecundùm perofficioſam ſalutationem, mutuáſque mutui ſtudij ſignificationes, è Gallis vnus magnopere vel deprædicare, vel commendare quod vidiſſet, audiſſétque: quæ qualia eſſent comprobaturus per ſe Sacerdos, iubet optimos Iſraëlitas in quibus dolus non eſſet, peragere ſpectante ſe quæ eo in genere conſueſſent. Et continuò Paulus Oüetanus rat Præfectus, Dogicum inclamans; Age, inquit, Michaël, quando iubet Pater, preces præito ad eum planè modum, quo ſingulis noctibus ſoles, antè quàm ſomnum capiamus. Dictum, factum: illicò Michaël procumbit in genua: illicò ſequuntur cuncti: ipſe IESV Chriſti Crucifixi effigiem, alij Roſarium quiſque ſuum capeſſunt manu: ille ſolitam Precationum formulam verbatim exequitur, voce elatâ: hi verbatim item cuncta reddunt, ſimplici tenore, qui & ab affectato lenocinio aurium, & ab negligenti oſcitatione æquè abeſſet. Hîc verò mirari vehementer Catechiſtes, ac propè percelli animo, non tàm ad inflammatam pietatem precantium, quàm ad precationum ipſarum formulam mutatam in melius: cùm enim eam ipſe inornatam, incomptámque tradidiſſet, vt euenire ferè ſolet ijs, qui linguam nondum percalluere eam, in quâ quæ tradunt concipienda ſint, vix ſui quidquam in ijs agnoſcebat: præſertim cùm ad eas quas tradiderat primùm, ipſi per ſe complures adiunxiſſent, ad IESVM Chriſtum, ad auguſtiſſimam Deiparam, ad S. Ioſephum, ad Cuſtodes Angelos, ad Sanctos eos, quorum ſibi in Baptiſmo indita nomina eſſent: atque eas quidem, ait Scriptor Gallicus, apparebat non ex humanis documentis, ſed ex ſublimioribus quibuſdam fontibus profluxiſſe. Precationi ſucceſſere ſpiritualia Cantica: vbi orſus fuerat Præcentor modulos, illos eoſdem reddebant ſinguli, defixis vno eodémque in loco luminibus, ſic, vt nullus oculorum aciem animaduerſus ſit hac illac-ve

torquere, tàm præſtanti documento modeſti, & quieti ſpiritus in religioſiſſimis Neophytis, quàm graui probro Chriſtianorum eorum, qui quaſi hæreditario quodam iure fidem ad ſe tranſmiſſam longâ ſeculorum complurium ſerie colunt, ſi colere tamen dicendi quod negligunt plerique tantopere. Ergo attonitus Sacerdos, nihil prorſùs addendum de ſuo putauit, ad ſtatas quidem precandi formulas: in illud potiùs incubuit, vt crebrâ cohortatione magis magíſque in amorem Dei inflammaret pias mentes. Et enituit ardor tùm aliàs ſemper, tùm verò potiſſimùm in conuentu Nationum variarum, quæ eódem ad Trifluuium exercendis de more mercaturis confluxere: Chriſtiani complures erant, Hurones præſertim, Ethnicorum tamen numerus maior. Ea cogitatio nonnihil commouit Attikameguios, incertos, ancipitéſque animi, num quâ cerimoniâ exigere Dominicum diem in patriâ iam conſueſſent, eandem vſurparent ſacrâ eâ luce, quæ inſtabat; an diſſimularent potiùs. Metuebant videlicet ne ſcommatis ſannísque inſanorum ipſi paterent, ne-ve homines deliris ſuperſtitionibus prorſùs addicti, auguſtos ritus cauillarentur. Vicit tamen pudorem Religio, metum fiducia Dei: pridie Dominici diei iubet Præfectus excitari caſam ampliorem, quæ vni precationi attribueretur, hoc eſt, in quâ habitaret nemo, quomodo noſtra à nobis Oratoria haberi, Patrum iam vſu perſpexerant. Ad mandatum, iuuenes quidem ad cortices, feminæ nuptæ, innuptæque ad abietum ramos accurrunt: ſenes aggeſtam materiem in ædificij opus coagmentant: ita re breui perfectâ, iubent ſeniores, quem quiſque veſtitum pretioſiſſimum, vt in eâ tenuitate, haberet, eam poſtridie ad cohoneſtandam precationem aſſumeret. Morem gerunt omnes, veſtéſque, an chlamydes? induunt ex pellibus ſanè nitentibus animantium variarum: ad hæc autem, viri vultus, oráque pingunt, feminæ munditias adhibent ſuas, torques præſertim ex conchâ veneriâ. Vbi felix dies illuxerat, adſunt omnes cum pompâ; ad Oratoriúmque confluunt. Mirari verò tùm Hurones, tum alij, ſciſcitaríque inter ſe, quòtandem inſolens pompa ſpectaret? At breui ſatisfecit Paulus idem: ad ſpectantes quippe conuerſus: Nolite mirari, inquit, conſilium noſtrum: ſic aſſueuimus ex quò capeſſiuimus fidem, con-

ANNVS MDCXLVII.

uenimus Attikameguij feſtis diebus, ad colendum, venerandúmque Deum, qui cuncta procreauit, hoc quem ſuſpicitis, cultu. Itaque nemo Baptiſmi expers in cœtum noſtrum irrepat: indignationem enim ipſe in ſe ſummi Dei ſuo infortunio concitaret. Hîc verò attoniti conſiſtere omnes: ex Huronibus tamen vt Chriſtiani nonnulli erant, vbi intellexere feſtam eam cerimoniam, toram ad precationem referri, vltrò Cruces, Roſariáque promunt, Chriſtianóſque ſe quoque eſſe denunciant. Hos Præfectus priſcâ illâ charitatis ſignificatione amplexans, lætus lætos in Oratorium inducit: tum ſuo quiſque idiomate Cantica, precéſque ad ſupremum rerum omnium fundunt parentem, iucundo ſanè ſpectaculo: hoc enim primùm die quæ nemora occupata à tetris dæmonibus adhuc erant, auguſtâ cerimoniâ reſonare diuinâ pſalmodiâ cepere. Stupebant interim Barbari, auitis adhuc impliciti ſuperſtitionibus, eminúſque reſpectantes, ſuſpiciebant tùm habitum oris, corporíſque totius, ad caſtigatiſſimæ modeſtiæ leges planè exactum, tùm multò magis orationem, ſenſúſque præclariſſimos de rebus ſanè ſublimibus, hoc eſt de fidei myſteriis: víxque perſuadere ſibi poterant, homines paulò antè non minùs quàm ſe rudes, tantum tàm breui temporis interuallo videre potuiſſe. At Chriſtiani ijdem, vbi peracta cerimonia erat, eâdem arctiſſimæ neceſſitudinis ſignificatione, tanquam ad priſcam agapen, ſic ad tenues epulas inuitare alij alios, quos vnquam neque norant, neque viderant priùs. Adeò deuincit copulátque animos fides: vt ex pronunciato Apoſtoli, *Non ſit in Chriſto Iudæus, neque Gentilis, neque Barbarus, neque Scytha.* Col 3.

Iuſtitia Diuina ſeuerttas in fidei hoſtes.

DVM HI inter ſe concordiſſimè, & integerrimè viuunt, in perturbatores fidei Iuſtitia Dei vindex ſeuerè ſanè animaduertit. Kapimichats quidam erat iuuenis præclaris dotibus vel corporis, vel animi. Is cùm vxorem duxiſſet Chriſtianam virginem, nondum ipſe Chriſtianus, victus aliquanto poſt inſano alterius amore, hanc ſuperinduxit, ex damnato inſtituto polygamiæ, quæ tandiu apud miſeras gentes viguerat. Non defuere monitores & fidi, & aſſidui, qui quantâ offenſione pellicem veriùs, quàm vxorem foueret domi, inculcarent: at is cùm probare quæ audiebat, videretur, non tamen abſiſtebat

ANNVS MDCXLVII.

ſiſtebat flagitio. Poſt menſes aliquot, cùm venatum perrexiſſet, ſub noctem, dum ſe domum recipiens, præter Inſulam S. Ignatij tranſit in canoâ (eſt hæc contrà Richelæam ſtationem poſita) iuuenis alius eius amiciſſimus, qui itidem venationi operam dabat, opperiebatúrque prædam aliquam ex inſidijs, vrſum ratus, alcen-ve inuehi fluuio, ſclopum diſplodit canoam versùs, geminâque glande plumbeâ miſerum traijcit. Hîc verò inclamat infelix, mortuum ſe quiritans: cuius vocem cùm amicus agnouiſſet, canoam & ipſe conſcendit properè, ſemianimem ad ripam agit: veniam precatur cum lacrymis: non in amicum ſe, ſed in feram ſclopum diſplodere putaſſe: atque vt nonnullam fidei cognitionem hauſerat, ad inclamandam diuinam opem incitat. Sed fruſtrà: breui cum ſanguine qui plurimus duplici è vulnere prorumpebat, egit deploratus ream animam: hoc formidoloſiore vlciſentis ſcelus Dei documento, quod potuit is qui letalia corpori vulnera inflixerat, per Baptiſmum animæ eidem conſulere: ſed vel in iſtâ perturbatione effugit tàm ſalutaris cogitatio, vel ne tum quidem fortaſſe ſaucius vti beneficio voluit, quod ſemper neglexerat, vt Dei, ſic ſui vel extremo illo tempore hoſtis deſperanter pertinax.

SVPPAR HVIC Chichontibick, homo hinc ferox, audáxque, illinc fœdæ libidinis mancipium. Cùm aliquando Sacerdotem è Societate inaudiſſet, de Dei in improbos ſeueritate diſputantem, adeò cohorruit, vt familiarium quempiam appellans; Percellit me, inquit, prorsùs iſte Gallus aduena: ſi perget, vitam quoque ipſam mihi adimet. Quis non crederet, facturum hîc hominem rationis participem id quod procliue erat, vt crederet Deo, per ſuum Interpretem vocanti, fidémque, ac fidei ſubſidia amplecteretur, per quæ eriperetur atrocitati illi, cuius ad mentionem exanimabatur, ſempiternorum ſuppliciorum? Sed nimirum, illud verè canitur; A Solis æſtu ceram liqueſcere, obdureſcere magis magíſque lutum. Pharaonem, Pharaoníſque aſſeclas imitatus, rebellauit: neque modò non capeſſiuit fidem, ſed etiam eam deinceps, furore præceps, atque inſaniâ exagitauit; At non diu: vix ſceleſtè bellum religioni indixerat, cùm morbo derepentè corripitur tàm vehementi, vt ne ipſe quidem dubitare po-

ANNVS MDCXLVII

tuerit, quin immiſſus eſſet ab eo, cuius ſumma vis eſt, & poteſtas. Sed ne verberatus quidem, à contumaciâ diſceſſit: ſpurco ore impius maledicta, conuitiáque in Deum ipſum torquere auſus eſt: cúmque vrgerent paſſim quotquot impia dicta excipiebant auribus, reſipiſceret porrò, precaretúrque à violato Numine veniam: homo perditus contrà nequiter conſtare ſibi, in eóque totus eſſe, vt dictitaret, Diſciplinam illam profectò execrandam eſſe, quæ vitam eriperet mortalibus. Exitus is fuit, vt continuò Tartareâ quadam rabie percitus occubuerit. Vxores duæ (nam & hunc polygamia perdidit) nondum Chriſtianæ, vt viderunt exanimem, tanto metu perculſæ ſunt, vt è-veſtigio Catechumenas profeſſæ ſint, alieno exemplo edoctæ quàm inſanum ſit, quantíque periculi plenum, bellare cum Deo.

HOS SECVTVS fidei iam ſuſceptæ deſertor impius. Is cùm aliquandiu Chriſtianum profeſſus eſſet, ſtulto tumore elatus ex impoſito recèns *Ranæ* nomine, quod Præfectis antè aliquot inditum erat (Oümoſatiſcychic priùs vocabatur, præclaro Ioſephi prænomine in Baptiſmate deinde auctus) quaſi cum inani appellatione præſtantiores dotes acceſſiſſent, fidei eiuſdem odium ſanè atrox concepit animo, eandémque ſcilicet probris, & maledictis lacerare cepit. Sæuierat autumno ſuperiore lues quædam popularis, cuius vi paſſim omnes in extremum vitæ periculum adducebantur, hoc tamen diſcrimine, ſanè ad illuſtrandam fidem peridoneo, quod qui diuinam opem ſupplices, demiſsíque implorabant, ij penè per miraculum reualeſcebant è morbo; qui neglexiſſent, è viuis tollebantur: id verò plurimum & Chriſtianos ſolabatur, & commouebat Ethnicos. At homo furialibus actus intemperijs, contrà quàm alij vulgò omnes vel ſentiebant, vel loquebantur, morbum quidem Chriſtianæ Religioni, remedium Satanæ tribuere. Nimirum eodem ex fonte hauriebat, vnde proterui quondam Chriſti IESV inſectatores, *In Beelzebub Principe dæmoniorum* ab eo eijci *dæmonia* blaſphemè mentiebantur. Fructus fuit is, vt ipſum quoque breui lues eadem ſterneret: at non modò ad cæleſtem animaduerſionem non reſipuit, ſed etiam deſipuit furioſiùs. Nam cùm è Societate Sacerdos, caſas ſub veſperum de more circumiens, ad eam

Luc 11.

peruenisset in quâ iacebat infelix Apostata, eum ex improuiso adortus, Quid hîc tu verò, inquit, quid vis? quid quæritas? an non toto orbe vulgatum est, vos vestris precibus homines interimere? an non illud compertum, quotquot vobis auscultant, eos intrà paucos dies emori? Et ad contumeliam verborum adiunctis minis, nihil non egit apud circunstantes, vt à fide desciscerent, auréque salutari institutioni occluderent. Insanientis blasphemam orationem retundere aggressus est Sacerdos: sed cùm furere propè impium videret, atque adeò spem nullam esse hominem ad saniora suscipienda consilia adducendi, postquam casæ eiusdem Fideles aptâ oratione communierat, excessit silens. At fanaticus sub noctem quæ lucem eandem excepit, epulum sanè funestum dat tùm alijs compluribus, tùm iis vel maximè, quos se vel à fide suscipiendâ reuocasse, vel ad susceptam deserendam traxisse rebatur: professúsque, atque adeò contestatus, non sibi positam spem recuperandæ valetudinis in fide, sed in patrijs ritibus (hoc est in vesanis superstitionibus, de quibus memoratum à nobis multoties) conualiturum se denique iactauit, si tria præsto forent: si daretur sibi canis, cui nomen viri alicuius illustrioris imponeretur: si adoptitius filius sibi accerseretur, cum cognomine Oüisante (vocem imitari voluit, quâ sanitatem Galli alijs vel gratulamur, vel optamus: sed quod V. consonante idioma careat, idcircò haud aptè eam edere potuit) si Pamphagia institueretur. Vt mixtus conuentus ex Christianis Ethnicísque erat, Christiani quidem ad impiam delirationem obmutescere, Ethnici parere insanientis ægroti ineptijs. Intrà noctem eandem tria illa perdiligenter accurant: & quæ fuit vis persuasionis, postridie mane Thraso quasi è morbo prorsùs emersisset, dat se in publicum, ceu trimphum de Christianâ fide ducturus. Sed vix progredi ceperat, cùm febre seu nouâ, seu latente adhuc in præcordijs corripitur tàm vehementer, vt spumas tanquam aper ageret, vel potiùs tanquam Energumenus. Ergo accurrunt confestim familiares: veritíque ne quem fortè contunderet, trucidaret-ve, vinctum stragulo cooperiunt. Quæ dum trepidè geruntur, aduolat ad Patres continuò Christiana mulier, quóque loco infelix esset, denunciat. Accurrit continuò Chirurgus: subsequuntur Pa-

ANNVS MDCXLVII.

tres : at vtrique fruſtrà : dum ſtragulo ſubmoto parat Chirurgus, quid rei eſſet explorare, mortuum reperit, ſpumas ex ore vomentem adhuc, ſimillimè atque ij, qui injecto laqueo ſuffocati ſunt. Caſus ſanè inſolens non Gallos modò, ſed Barbaros ipſos vehementer perculit: & qui penitiùs, ſaniúſque in Tragicam cataſtrophen eam inſpexere, obſeruarunt iuſtiſſimam animaduerſionem punientis Dei fuiſſe : impium caput aliquandiu antè pollicitum ad Richelæam ſtationem ſe in epulo quod daret, denunciaturum conuiuis , conſtitutum ſibi eſſe capeſſere fidem, per ſacrilegam impudentiam alia omnia feciſſe, eodémque in epulo declamaſſe contrà fidem. Neque verò diu ſceleſto tantam audaciam impunè fuiſſe: ſiquidem continuò actum in rabiem: & Sacerdotem quidem è Societate accerſiſſe; at non ad expiandum crimen, ſed ad adhibendas minas: quando eius precibus tantum mali ſibi conciliatum eſſet, ſi emoreretur, funus ſuum aliquo alio funere auctum iri. Et Sacerdos quidem appoſitâ oratione furentem mitigare ſtuduit, flexítque contumacem eò vſque , vt iam compos ſui, preces ipſe quoque ad Deum funderet : euentu tàm proſpero , vt Patre miſericordiarum proterui vel filij, vel hoſtis miſereſcente, derepentè morbi non modò vis, ſed etiam veſtigium omne abſceſſerit. Hinc profiteri cepit Catechumenum, aurémque præbuit aliquandiu ſalutari inſtitutioni: donec Dei, hominúmque hoſti dans locum, has deinde Tragœdias excitauit extremâ ſuâ cum pernicie. Vnius exitio confirmati plures: aliquot qui vel à fide defecerant , vel defectionem moliebantur, ſaniora ſuſcepere conſilia: complures ex Ethnicis ad Baptiſmum dederunt nomen: mutire contrà fidem deinceps auſus nemo: incredibilis in Fidelibus exultatio animorum , in infidelibus fidei obſeruantia.

Fidei apud Hurones progreſſus.

RERVM Huronicarum ſtatum ſic paucis perſtringit Paulus Raguenellus. Ex quo miſſa vltima Relatio, baptizatorum numerus mille circiter & trecentorum fuit : quâ in re illud nos vel maximè ſolatur , quod ardor , ſpiritúſque fidei optimorum Neophytorum nihil barbariei præ ſe fert : hinc ſeges, materiáque vberrima eadem, & iucundiſſima collaudandæ infinitæ Dei bonitatis , qui tàm diues eſt in miſericordiâ vel in extremis hiſce Noui Orbis finibus. Ad nos autem propriè

ANNVS MDCXLVII.

quod attinet, etſi ſubſidij nihil anno ſuperiore accepimus, non auſis Huronibus noſtris Kebeccum exſcendere, ne patrium ſolum deſtituerent tàm periculoſo tempore, vel ipſi in manus venirent Annierrononiorum, qui in inſidijs erant: tamen quæ Dei noſtri in nos fuit indulgentia, res noſtræ conſtiterunt ſic, vt qui alere nos debuerant, eos ipſi ex noſtrâ tenuitate aluerimus. Intrà vnius anni interuallum in Domunculâ noſtrâ S. Mariæ, hoſpites numerauimus ad ter mille: ſingulis ter porrectus cibus. In medio infidelium Nationum tàm multarum, támque longè, latéque ſparſarum verſamur Galli duo & quadraginta è Societate, duodeuiginti alij, externi illi quidem, at lectiſſimi vtique, queis certum, conſtitutúmque eſt maximam partem, nobiſcum ætatem totam exigere, ſuáque induſtriâ, & labore opus Euangelij promouere pro viribus: ij tùm demùm præclariſſimè ſecum iri dictitant, ſi poſt ſudores, ſanguinem quoque IESV Chriſti causâ profundere dabitur. Atque ex illâ excelſitate animi exiſtit ea, quâ nobiſcum vnà, hac in vaſtitate perfruuntur, pax animi, gaudium in Spiritu ſancto, charitas, zelus animarum. Ex noſtro autem numero, haud plures quàm duo tres-ve hac in Reſidentiâ conſiſtimus: alios omnes Miſſiones habent locis & varijs, & longiſſimè diſſitis. Eæ decem nunc numerantur, quædam ſtabiliores, & quaſi fixæ, ad pagos frequentiores: aliæ, vagæ magis, Sacerdote vno, eodémque excurrente nonnumquam ad pagos decem, duodecim-ve: ſunt qui ad plagas remotiores progrediantur, octoginta, centum-ve ipſas leucas, quò, vno eodémque tempore fax Euangelij loca latè cuncta colluſtret. Conuenimus tamen huc vniuerſi bis, ter-ve annis ſingulis, quò nobis ipſi interiùs demus operam, animúmque colligamus in optato Orationis ſeceſſu; tum ſermonem conferamus in commune de modo iuuandi animas, prout nos in dies vſus, multò magis autem ſanctus Spiritus edocet: quæ poſtquam dies aliquot tenuerunt, nimirum ad penſum nos quiſque noſtrum recipimus, dulciſſimæque ſolitudinis ablegamus otium, quò in Infidelium accurandâ ſalute, Deum noſtrum demereamur. Ex hac quaſi ſynopſi facilè intelligat quiſque, qui, quantique fuerint fidei apud Hurones progreſſus: quantus autem ardor Neophytorum extiterit, paucis idem

ANNVS MDCXLVII.

docet, in hæc ferè verba : Omnium Miſſionum feraciſſima Miſſio Conceptionis eſt, ſeu Fidelium numerum ſpectes, ſeu ardorem. Eorum ſanctimoniam vitæ mirantur vel Ethnici : & trium quidem Præfectorum è primarijs is eſt quotidianæ conſuetudinis tenor, vt longè efficacius Infidelium mentes permoueat, quàm vllæ noſtræ aut inſtitutiones, aut hortationes: vno verbo tùm ij, tùm alij permulti honeſtiſſimo loco inter ſuos, ſuauiſſimum Chriſtianæ diſciplinæ odorem longè, latéque ſpargunt. Sed quoniam ignea Apoſtolicorum Operariorum charitas ignis naturam imitatur, cui nullum vnquam pabulum ſufficiat ; cùm mirari ſe dicerent Patres aliquando, vnde tandem eueniret, vt nondum Hurones omninò omnes fidem capeſſiuiſſent ; ſciſcitans eorum quiſpiam ex fideli Hurone, quæ cauſa porrò moleſtæ, periculoſæque procraſtinationis eſſet, id reſponſi tulit. Dum nobis, inquit, obijciunt Infideles, ſupremo illi moderatori parentíque rerum, quem prædicamus, res noſtras minimè cordi eſſe, quando nullo diſcrimine Chriſtiani æquè ac Ethnici patemus morbis, egeſtati, ærumnis, atque adeò morti ipſi ; reſpondemus quidem conſtanter, ſpes noſtras nobis in cælo fixas, & collocatas eſſe : verùm, quod ſit eorum verborum pondus, quæ vis, miſeri non intelligunt : neque magis capiunt quæ afferimus, quàm ſi inaudito aliquo idiomate loqueremur. Tum addebat ; In ijſdem ſunt plerique, qui ſe ad noſtrum gregem adiunctos vellent: verùm, ad infidelium ſannas ludibriáque refrigeſcunt, veterémque repetunt vitæ, inſtitutorúmque licentiam : ſed nihil tàm multos corrumpit, ac dementat, ac fœda libido : cui qui indulſerit, fit neſcio quomodo, vt is obductâ menti caligine, in rebus fidei cæcutiat. Hæc ille ſanè ſapienter : cùm enim *In maleuolam animam non introeat ſapientia, neque habitet in corpore ſubdito peccatis* : haud cum ouibus Chriſti Epicuri de grege ſuibus conueniat vnquam. Nihilo tamen ſeciùs conſtitit paſſim egregia amplificatio fidei : nam Miſſio quidem S. Michaelis egregiè ſe ſe tuebatur, ait Scriptor idem, augebatúrque in dies, quidquid contrà niterentur Ethnici : Miſſio S. Ioſephi alumnos adhuc plures numerabat. Miſſio S. Ignatij, recentior licèt, tamen ita feruebat, vt & Infideles ad præſtantiſſimæ virtutis ſpectacula hærerent attoniti, & ſpem om-

Neophytorum ardor & vitæ ſanctimonia.

nem inſtituentium ſuperaret tantus vel ardor fidei, vel ſplendor morum. Quatuor ijs locis anguſtiores Ædiculæ ſacræ fuerunt, quàm vt Neophytos omnes capere poſſent, non feſtis lucibus modò, ſed etiam profeſtis, vt alicubi ab vno eodémque Sacerdote bis in die ſacrificari oportuerit, quò, vnicuique ſacrificij copia fieret: cúmque bis oppletum Sacellum vſque ad cornu altaris fuiſſet, excluſi tamen complures ſubſidebant foris, ac per hyemen quidem, niuium, frigorúmque acerbiſſimorum algoribus propoſiti. Acceſſit, quod vſu iam ſatis longo Catechiſtæ didicerant, remittere nonnihil de priſtinâ illâ ſeueritate, quâ initio exagitabant multa ceu impia, ſuperſtitioſa-ve, quæ deinceps carere eâ notâ deprehenſa ſunt: vnde mirandum magis obſeruant ijdem, tantum excelſitatem animi extitiſſe illorum, qui primi apud Hurones fidem capeſſiuerint, vt valere iuſſerint quidquid penè erat in vitâ iucundum, quò morem Magiſtris gererent paulò ſeuerioribus: ſic enim ferè comparatum eſt: homines præſtantioris virtutis plerumque ibi culpam, ſi non agnoſcunt, metuunt certè, vbi culpa non eſt, vt traditum pridem à S. Gregorio Magno.

NEC TAMEN aurâ tàm ſecundâ inuecta eſt nauicula felicis Eccleſiæ, vt non ſuas habuerit tempeſtates, ac procellas, non ab Iroquijs modò, quorum inſidijs appetiti aſſiduè ſunt Hurones, ſed ab indigenis ipſis. Iacobus Duartius erat, Gallus adoleſcens, ſingulari morum innocentiâ, eorum ex numero duorum & viginti, quos operam ſuam addixiſſe Deo diximus, in iuuandis Patribus Societatis, qui operam animabus Huronum nauabant, cum iiſque Domunculam S. Mariæ incolebat. Is cùm paulò longiùs ſolito expatiatum ijſſet ad IV. Cal. Maias, ſub veſperum trucidatus eſt, impactâ in caput ſecuri. Dubitari à Patribus minimè potuit, quin auctores cædis Hurones quipiam eſſent: quod cùm ratiocinando primùm, eorum ſibi quiſque perſuaſiſſet, pòſt, emanarunt indicia tàm certa, vt inficiari ne Hurones quidem ipſi auſi ſint. Compertum, perfectam cædem Præfectorum ſex molitione fuiſſe, ex pagis diuerſis: ij cùm ſemper atrocem quandam abalienationem animi à fide præ ſe tuliſſent, tum deprehenſi ſunt fratrum germanorum duorum è popularibus nefariam operam interpoſuiſſe ad perpetrandam cædem Galli cuiuſcunque,

ANNVS MDCXLVII.

quem modò ſiue periculo adoriri ſe poſſe exiſtimarent, ſicarióſque leucas ipſas quinque ad implendum facinus confeciſſe. Commouit cædes tàm indigna regionem totam: ac poſtridie quàm facta erat, confluxerunt vndique ad ædes Patrum, Chriſtiani è pagis finitimis, non modò ſignificando ſuo mœrori, ſed etiam monituri, vereriſe, ne quam cædem ſicarij tàm indignum in modum conſciuiſſent, ea ad communem quoque Patrum eorundem pernitiem pertineret: ſi quid verò increpuiſſet tale, adeſſe ſe, in omnem caſum, euentúmque paratos animis: fidem ſe fideíque Magiſtros ac Doctores ad extremum vſque ſpiritum propugnaturos. Et eorum ſtudio, diligentiáque perfectum, vt conuentus cogeretur ex primarijs viris pagorum circà omnium, de re momenti ſanè haud leuis. In eo, vt quiſque animatus erat, ita dixit ſententiam. Et auctores quidem cędis quòd conceptum odium fidei ad eam diem occultius habuerant, datâ, vt rebantur præclarâ occaſione, euomuere palàm: tempus adeſſe arcendi aduenas illos Gallos aditu pagorum: occludendas domorum fores: aquâ, & igni ijs interdicendum: neque hos modò Huronicis pellendos finibus, ſed etiam vnà cum prędaris magiſtris diſcipulos quoque eijciendos eſſe, hoc eſt abigendos procul omnes eos, qui exoticæ diſciplinæ ſe ſe permiſiſſent. Hîc vero enituit, ſi vnquam aliàs, Neophytorum conſtantia, opinione maior: horum tamen quaſi duas in partes diuiſæ ſententiæ fuerunt. Nam alij quidem forti animo conteſtati ſunt, exceſſuros vtique ſe ſe patrijs finibus, affinéſque, & conſanguineos deſerturos antè, quàm à ſuſceptæ fidei inſtitutis, legibúſque vllo modo deſciſcerent: ex quo ſibi lux affulſiſſet Euangelij, vitam ſe hanc, quæ in terris trahatur veriùs, quàm ducatur, pro nihilo ducere cepiſſe: metuere ſe quidem, ne in vitæ quotidianæ delictis mors ab Iroquijs ingrueret imparatis ab ſacrâ homologeſi: eorum tædas ardentes minimè formidare, ſi Dei, fideíque causâ intentarentur. Alij contrà, liberiùs inuecti ſunt in tantum ſcelus, in eóſque ad quos nefaria inſontis nex quoquo modo pertineret: eos vtique peſtem, perniciémque moliri patriæ pactâ clàm mercede cum hoſtibus: adeò ipſis exoſam, inuiſámque fidem eſſe, quòd criminibus flagitiíſque cooperti, ſeueriorem eius cenſuram ferre nequirent. Neminem tamen appellarunt, indicauerunt-

runt-ve propriè: illud modò fidenter addiderunt, proderent sanè se se, si auderent, auctores, participésque clandestini facinoris: tum verò liberiùs cum ijs actum iri. Cùm hiscerent, consumptúmque iam triduum in altercando esset; superiores in iustâ dimicatione Christiani extiterunt: constitutúmque, de publico vt munera Patribus, mulctæ, pœnæ-ve nomine darentur: eâ enim ratione vniuersè apud eas gentes, mortes, atque adeò perpetrata crimina quælibet expiari, sæpè à nobis insinuatum. Id cùm stetisset, tum demùm in consilium vocati sunt Patres: ad hos coràm è Præfectorum numero senex Nationis Huronicæ nomine hanc omninò orationem habuit, ex quâ (ait Scriptor Gallicus) facilè quiuis intelligat eloquentiam à naturâ potiùs, quàm ab arte proficiscì. ANNVS MDCXLVII.

CVM HVC *conuenerimus*, inquit, Raguenellum appellans, *quotquot Huronicam gentem conflamus Nationes, tamen sumus, vt vides, paucissimi: & vno te deinceps reliquiarum harumce salus nititur. Medium in solum nostrum contortum fulmen hiatum ingentem fecit: nos nisi tuebere, eam in voraginem vniuersi præcipitabimus. Regio tota similis est humano cadaueri, exangui iam, exsuccóque, cuius membra inter se vix filum deinceps pertenue commissa, coniunctáque retineat: quæ securis in caput decidit nepotis tui, cuius obitum lugemus, deploramúsque vnà tecum, filum penè abrupit. Omninò teter aliquis dæmon è Tartaro securim sicario porrexit. Num enim tu, Sol, in communionem venisti facinoris? minimè vtique: nam nocturnas tenebras sectatus est parricida, neque quò ictum libraret, satis vidit. Putauit miser tenebrio, petere se infestâ ferri acie Gallum adolescentem: reipsâ patriæ vulnus inflixit. Sorbuit tellus dehiscens insontis, immerentísque cruorem: at eodem momento voraginem obiecit, quæ nos deglutiat, quando rei ipsi sumus. Tripudiabunt ad funestissimæ necis nuncium, hostes Huronici nominis capitales Iroquij: gratulabuntúrque sibi id ab infelici Hurone perfectum, quod Huronicæ gentis exitium secum trahat. Capiat te, mi frater, infelicis regionis miseratio: extremæ illius calamitati vnus tu mederi potes, vnus tu immane illud baratrum occludere. Miserere patriæ tuæ: tuam dico: tuum enim est de illâ, illiúsque rebus statuere: adsumúsque rei, decretum tuum, qualecunque demùm futurum est, excepturi. Tu regionem totam præsentiâ tuâ, stabilíque sede confirmas: si, quod absit, nos abiens destitueres, leuissimæ pa-*

ANNVS MDCXLVII.

leæ perſimiles eſſemus, quæ, ventorum ludibrium hac illac circumfertur. Tellus eadem inſula eſt: hæc deinceps fluctuat: niſi te noſtri miſereſcet, primo quoque tempore tempeſtatis vi, ac procellæ abſorbebitur. Laudabunt poſteri, animi tui excelſitatem: neque vlla ſeculorum diuturnitas facti memoriam abolebit. Age itaque: quid à nobis pœnæ nomine exquiras, eloquere: de noſtrâ vniuſcuiuſque vitâ, deque opibus ſtatuere potes: cúmque liberos noſtros ſpoliabimus, vt ea repræſentemus quæ poſtulaueris, illud, ſi fortè querentur, adiungemus continuò, non eſſe cur de te expoſtulent: inuidiam totam conflcrendam in eum, qui facinus tàm atrox, támque immane ſuſceperit. Illius furorem, mihi crede, execrabimur in perpetuum: ergà te ſemper ſtudium noſtrum conſtabit. Dum te loquine pigeat, illud profitebimur, conteſtabimúrque, vt nobis mortem nefarius ſicarius intulerat, ſic à te nobis vitam, ſalutémque reſtitutam.

ATQVE hinc videre licuit, quid intrà paucos annos effecerit ſuſcepta à paucis fides: etenim aliquandiu antè mactarent, trucidaréntque Hurones ſicarij non famulos modò, ſed etiam ipſos Patres; ſi expoſtularent, periculum erat, ne referrent aliud nihil, niſi proſcriptionem: nunc mirâ animi demiſſione delatum eſt quicquid viris ipſis primarijs, atque adeò Præfectis, eo in genere deferri ſolet. Ac muneribus quidem perlubenter ceſſiſſent Patres, qui non res Huronum, ſed Hurones quærerent: ſed quoniam inculcabant Neophyti, nihil planè remittendum de receptâ vulgò conſuetudine videri; ſi ſecùs fieret, detrimentum ingens non modò ſaluti vitæque Gallorum, ſed etiam rei Chriſtianæ importari; adduci ſe ſiuerunt ad ea accipienda, ſic vt viciſſim illi ſua erogarint. Ita compoſita pax, & animorum ſtudia vtrinque magis inflammata.

HOC ITEM ANNO piæ cuiuſdam è Galliâ vetere, familiæ, ex quâ qui ſunt ſuperſtites nomina tùm ſua, tùm eorum qui vitâ functi ſunt, ſuppreſſa eſſe voluerunt; enituit liberalitas in Hurones, hoc maior, quò diuturnior. Nimirum ſummam librarum Gallicarum nonageſies mille donauerunt, ad Collegium apud Hurones eoſdem fundandum: ſed haud ita diù pòſt Kebeccum cuncta transferre oportuit: fundationem tamen ſub eo nomine acceptauit, ratámque eſſe iuſſit P. Vincentius Caraffa, Præpoſitus Generalis Societatis IESV, & virtute clarus & natalibus, priori tamen nomine illuſtrior.

HISTORIÆ CANADENSIS.

LIBER SEPTIMVS.

ANNVS MDCXLVIII.

ORDIRI lubet à Iogueſio, non iam mortali, ſed in beatam immortalitatem tranſcripto, vti credibile tùm aliunde, tùm quod per eius lipſanum qualecunque, hoc anno largiſſimus famulorum ſuorũ remunerator eius in terris honeſtare nomen cepit. Habeo penès me autographum miſſum recèns, teſtificationis Sanctimonialium decem, Monaſterij Angeriacenſis in Santonibus, quo confirmatum voluerunt, per chirothecarum par, quibus vſus aliquando famulus Dei fuerat, mirabile quiddam factum à Domino Deo fuiſſe. Eæ, quemadmodùm chirothecæ in manus ſuas venerint, non prodidere : credo, ipſum quadriemio antè, dum Engoliſmâ, vbi cum eo egi per otium, Rupellam tenderet, nauem vnà cum Iuuenæo, qui Pictauis eodem conuenerat, conſcenſurus, Angeriaco tranſiſſe, eodémque in Monaſterio per obliuionem chirothecas eas rèliquiſſe, quæ deinceps (vt

Maria Preuoſteria ex periculoſo morbo conualeſcit per chirothecas P. Iogueſii.

ANNVS MDCXLVIII.

hoc ipſo anno MDCLIX. ſcripſit eiuſdem Monaſterij Præpoſita, ad R. P. Rectorem Collegij Santonenſis Societatis noſtræ) pro theſauro ſunt ancillis Dei. Igitur cùm Maria Preuoſteria, annos nata admodum viginti, diu laboraſſet ex femorum altero (dextrum an læuum fuerit, non expreſſere) tanto dolore, vt ex eo febris extitiſſet; tanto incommodo, vt nullo in ſitu corporis poſſet acquieſcere; acceſſit tandem phlegmone, quam vocant, vnde coniecturam fecere Medici, latere vomicam. Itaque cùm nullam quietis partem neque diurnæ neque nocturnæ ægra caperet, XIII. Cal. Feb. Margaritæ Poſſoniæ, Præpoſitæ Monaſterij venit in mentem de chirothecis Iogueſij, ingenti cum fiduciâ, fore vt Maria ex pio earum contactu conualeſceret. Paret ægra in re minimè difficili, ac ſub noctem chirothecas femori admouet, eâ iam tum perſuaſione, fore vt eâ viâ conſanaretur. Vt tamen Mariæ fidem probaret Dominus Deus, non modò tunc nihil ſenſit leuamenti, ſed etiam increſcente dolore, febris quoque intendit, ad horam vſque tertiam matutinam diei poſteræ: quo tempore febris, dolor, affectæ partis debilitas momento abſceſſit tàm plenè, támque perfectè, vt ſtatâ horâ ſurrexerit Maria, lectulóque de more valentium compoſito, ad Odeum perrexerit continuò, gratias Deo actura, à quo tàm repentè conſanata eſſet, Iogueſio, vt ſemper interpretata eſt, eius ſequeſtro. Ex eâ die, & ſuperiorum incommodorum omnium expers, & incenſa aſpera acerbáque quælibet Dei causâ ferendi ſtudio, annum totum læta exegit: anniuerſariâ autem die recurrente, hoc eſt XIII. Cal. Feb. anno vndequinquageſimo, recrudeſcente dolore cum ſuperioribus coniuncto incommodis, nihil territa Maria, putauit, nec temerè, vt quidem euentus docuit, idcircò acres illos morſus doloris ad breue momentum ſæuire, vt ſe officij ſui commonefacerent, iuberéntque gratâ mente agnoſcere ſuperioris anni beneficium: vix enim ad id animum comparauerat, cùm perinde atque anno ſuperiore, momento cuncta abſceſſerint ſic, vt ad hanc diem valens atque incolumis Domino Deo pergat famulari. Addit Præpoſita ijs literis quas ab eâ datas dixi ad Rectorem Santonenſis Collegij IV. Id. Sextil. ex eo tempore Moniales omnes confugere ad eas chirothecas ſolere, tanquam ad certum ale-

xipharmacum: proinde, theſaurum eum nunquam ſibi eripi paſſuras. ANNVS MDCXLVIII.

VT IN Nouam-Franciam redeamus, ſuper aſſiduos Iroquiorum impetus, formidoloſaſque inſidias, rem ciuilem Nouæ-Franciæ iuxtà, & Chriſtianam perturbaſſet hoc anno, mutatio Proregis, niſi ſumma viri virtus Veteris Galliæ decretis placidiſſimè acquieuiſſet. Sic ferè in Regnis Imperiiſque maioribus comparatum eſt: ſicubi incommodum extitit aliquod, ad illud non inde modò, ſed ex omnibus etiam partibus aliis eliminandum, ſanciuntur quæ apta putata ſunt. S. Chriſtophori Inſula eſt, à Gallis ſic nominata ante paucos annos, ad gradum ab Æquatore duodeuigeſimum, vna ex Camercanis tàm multis (Antillas vulgò vocant.) Hanc, cùm nullius Principis, Dynaſtæ-ve ditioni ſubeſſet, vnà cùm aliis aliquot, ſibi Galli ijdem vindicarunt, & Chriſtianiſſimi Regis nomine obtinuerunt adhuc: ſed cùm ſubinde ferè tempus, hoc eſt ſub annum duodequinquageſimum huius ſeculi, viſum eſſet ſucceſſorem è Galliâ mittere ei, qui ad eam diem ibidem rerum potitus erat; Gubernator reſtitit videlicet, homo priuatæ rei ſtudioſior quàm publicæ amantior, indignum vociferans, poſtquam labores, ærumnáſque graues rebus conſtituendis pertuliſſet, tanquam ſemente iactâ, alium mitti, qui meſſem legeret. Decennis tum circiter Chriſtianiſſimus Rex erat: atque adeò Regnum adminiſtrabatur à matre, cum lecto Conſilio. Viſum cunctis, in re tanti momenti prouideri oportere, ne quid detrimenti res Regni publica caperet: ne-ve lues ad alias quoque partes Gallici Imperij ſerperet remotiores, decretum, vt quod in Hiſpanico Regno pridem obtinuit, tertio quoque anno Proregibus, Præfectis-ve ſuccederetur. Et is erat quidem Monte-magnius, vt nihil ab illo magnopere metuendum eſſet, homine diuinæ amplificandæ gloriæ ſtudioſiſſimo, nec minùs obſeruante Regis Chriſtianiſſimi, Gallicæque Maieſtatis. Ex quo Camplenio ſucceſſerat, ſummâ in tranquillitate continuerat Barbaros, ſic, vt lenitate, clementiáque, & beneficentiâ demulcens cunctos, nihilo ſeciùs Patribus Societatis paterno planè ſtudio præſtò eſſet, quoties eius opem in animarum causâ flagitabant: quo in genere numquam nec ſibi, nec illis defuit. Is cùm talis eſſet, expediebat fortaſſè nihil in Nouâ-

Proregis mutatio.

ANNVS MDCXLVIII. Franciâ mouere, donec Rex adultior, per ſe deinde videret quid maximè facto opus eſſet : ſed viſum, vt dixi, aliter. Regium diploma miſſum ad Allebotium, qui tum Trifluuio præerat, quo iubebatur Monte-magnio ſuccedere, literæ item perlatæ ad Monte magnium, queis in Galliam reuocabatur. Hîc verò egregiè ſibi conſtitit vir excelſiſſimi animi : nihil commotus, ceſſit continuò, &, quod perrarum, omnia ad feſtam lætitiam comparari curauit ad nouum quaſi inaugurandum Proregem. Et Allebotius viciſſim perſonam ſuam ſuſtinuit egregiè : inſigni honoris, obſeruantiæque ſignificatione egit cum Monte-magnio, quandiu deinde Kebecci ſubſtitit, hoc eſt ad reditum vſque nauium in Galliam : quæ cùm Kebeccum de menſe Iunio ferè perueniant, ſoluunt deinde de menſe Octobri. Sed ſi quid incommodi ea attulit ſucceſſio, compenſauit Gallia eadem, nouis mittendis ſubſidiis. Nam & rediit in Nouam-Franciam Bartholomæus Vimontius, qui in Galliam negotiorum causâ traiecerat : & aduenere Moniales Virgines tres, ex Hoſpitalariarum cœtu : & laïci aliquot adiunxerunt ſe ſe : in ijs Repentignius, vir magnæ virtutis, qui non ad labores, ſed ad laborum præmium à Deo extrà patrium ſolum euocatus eſt : duodecimo enim poſtquam exſcenderat die, tranſlatus eſt in vitam meliorem, morbo abſumptus, quem in naue contraxerat : nam contrà quàm eâ ferè in nauigatione fieri ſolet, hoc anno lues quædam popularis vectores inuaſit, ſeu ex æſtu vehementiori, ſeu ex cibarijs corruptis, eorum delectu haud ſatis diligenter habito. Monialium duarum de tribus, valetudo conſtitit, ingenti earum quæ iam Kebecci verſabantur, ſolutio : ſi quidem pridem ſupplementum flagitabant, tam graui oneri impares : quod cùm in dies creſcente Neophytorum numero creſceret, nimirum votis omnibus è Galliâ expectabant ſorores, quæ eodem charitatis ardore in eadem charitatis munia incumberent. Annam ab Aſſumptione ſubmiſit Dieppenſe Cœnobium : Ioannam à Sanctâ Agnete, Venetum in Armoricis : Catharinam à S. Auguſtino, Baiocenſe. Hæc cùm votis omnibus Nouam-Franciam expeteret, aduerſarium ſanè grauem patrem experta eſt : nullo enim modo adduci poterat, vt chariſſimam filiam tot támque grauibus non ærumnis modò, ſed periculis etiam obijci pateretur. Et eò vſque pro-

ANNVS MDCXLVII.

ceſſit concertatio, vt cùm opulentus eſſet, & magnæ auctoritatis, libellum etiam ſupplicem dederit ad ſupremam Curiam Rhotomagenſem, illud enixè flagitans; Ediceret Senatus, filia ſua vt ne è Galliâ diſcederet. Nec irritus conatus fuit: haud ægrè conceſſum quod petebat parens, in causâ in ſpeciem piâ: præſertim cùm nemini fieri putaretur iniuria: ità dilata res eſt, non imminutus ardor iuuenculæ. Et omninò *Non eſt conſilium contrà Dominum* : qui parens anno ſuperiore turbas eas excierat ad retinendam filiam, hoc anno non modò dedit manus; ſed etiam plus fecit quàm poſcebatur, pro vnâ, filias offerens duas, quæ ambæ Cœnobij eiuſdem Baiocenſis alumnæ erant, ambæ ſingularis virtutis Sanctimoniales. Nimirum viri boni mentem inflexit, inflammauítque (quis credat?) id quod vel maximè ad deterrendum parentem filiæ ſtudioſum imprimis, valiturum quiſque crederet. Cùm ſuperioris anni editam Gallicè Relationem volutans, reputaſſet quantâ excelſitate animi quàm multos quámque graues cruciatus Iſaacus Iogueſius pertuliſſet; ſapienter interpretatus, robur illud mentis à Deo profectò extitiſſe, non à naturâ; Ergóne, inquit, tàm generoſum in modum extrema quæque tolerant, qui migrant in Nouam-Franciam? quando ita res habet, non modò aſſentior vt pergat illa quò tantopere concupiſcit, ſed etiam comitem ſe adiungat ſoror, cenſeo: altera enim alteri leuamento erit: minúſque aduertent ſolum ſe mutaſſe, dum ſe quaſi in paternis ædibus verſari putabunt. Sed hîc quoque ſtatum eſt diuino decreto, non humanæ ratiocinationi: ambæ quidem duram ſibi prouinciam expetebant: verùm, cùm vna tantùm requireretur, diuina iunioris lectio humano etiam ſuffragio comprobata eſt. Hæc tamen ne nullâ non ex parte exerceretur, morbus idem illam ſtrauit tàm atrociter, vt eius vitâ actum putaretur: ſed ad diuturniores labores reſeruata eſt à ſummo illo Deo, qui inſignem animo res duras tolerandi cupiditatem iniecerat. Illud quoque tùm Gallos tùm indigenas mirum in modum exhilarauit, quod ſubmoti licèt orbe toto, charos ſe tamen Europæis eſſe intellexerunt. Carola Montmorantia ſeu æmula perpetui ſtudij illius, quo Henricus Borbonius, vulgò Princeps Condæus, cui nupta fuerat, quandiu in terris fuit, fouit, ornauítque Societatem IESV, ſeu benè meritura de Nationibus ijs, quas olim

Prou. 21.

ANNVS MDCXLVIII.

coniux idem præſidijs ſuis Prorex texerat, ſeu, quando ſuam ipſa operam impendere non poterat diſſeminando Euangelio, opibus ſaltem ſuis conferendis teſtatura quanti porrò faceret cæleſte inſtitutum vagorum inducendorum in beatas caulas; perpetuos reditus attribuit ſtabiliendæ Miſſioni ad Nationem Petuniam, déque nomine Apoſtolorum dici voluit.

Hoſtiles Iroquiorum doli & fraudes.

SED HIS LÆTIS aſſiduè intercurrerunt hoſtiles Iroquiorum doli, fraudéſque: eas enim ſæpenumerò tanquam vulpinam pellem leonum exuuijs admiſcere nouit gens perfidioſa: vt ſi quando pacem, amicitiámque ſimulant, non minùs ab eâ fucatâ humanitate, quàm ab apertâ vi metuendum ſibi deinceps conſultus quiſque intelligat. Ad XV. Cal. Iun. Iroquenſes canoæ duæ cùm Magnum amnem traieciſſent palàm, vectores, quaſi nihil mutuorum diſſidiorum interceſſiſſet, inſigni ſanè fidentiâ, vel audaciâ potiùs, in Inſulam deſcenderunt, ſpectantibus Præſidiarijs. Mirans factum Præfectus Gallus (à Domo Neuâ dicebatur) agmen ſuorum in armis mittit, qui explorarent cominùs, quid eſſent, quid vellent? Accedentibus Barbari nutu ſignificant [illegible] ſe quæ proloquantur: proinde ad ſe mitteretur Interpres. Ire iuſſi Galli duo, idiomatis peritiſſimi, eò vſque ineſcati ab ijs ſunt, vt cùm profeſſi eſſent nihil ſibi inimicitiarum cum Gallis intercedere, Algonquinios tantùm à ſe reiiciari pro hoſtibus; atque adeò ad Gallos quidem quod attineret, ſi quid factum eſſet minùs ex amicitiæ legibus, [illegible]tuæ voluntariâ obliuione delendum eſſe, redintegratúmque fœdus; duorum Interpretum alteri Iroquiorum [illegible]gmini ſe inſeruit, cùm Iroquij priùs duo ad Gallos tranſijſſent: ſic enim peractum colloquium adhuc erat, vt conſiſtentibus procul hinc Gallis, illinc Barbaris, progreſſi vtrinque qui lecti erant, medio in interuallo ſermocinati eſſent. At non Præfecto Gallo probata tàm familiaris tàm derepente congreſſio: accedit ad locum propiùs, cum armatis: ſignificátque inconſulto Interprete, qui ſe incautiùs Iroquijs interſeruerat, ſi quâ viâ poſſet, euaderet nocte proximâ: ipſe Iroquios duos abducit ſecum. Nimirum id mente volutabat, vt quando iniuſſu Gallus ad hoſtem tranſierat, ſi ſe ſemel recepiſſet, nihilo ſeciùs retineret ipſe inſidioſos exploratores: ſic enim cum fluxæ, vel potiùs nullius fidei hominibus agi, iura

ſinere.

ſinere. Verùm, fruſtrà ea prouiſio fuit: elabi eorum ex manibus Gallus vel non potuit, vel noluit. Inter illas autem moras, hoc eſt eâ ipsâ nocte cùm multa hinc inde, vt fit, inter ſermocinandum, exquirerentur, quærunt ex Gallis voluntarij obſides duo; Quidnam factum eſſet ſuo illo populari, qui captus ab ijs autumno ſuperiore fuiſſet (is erat, quem crematum ab Algonquinijs vidimus) Reſtitauit aliquandiu Interpres, interrogantémque eludere conatus, ſermonem ingeniosè, alijs ſubinde de rebus intulit: ſed cùm Iroquius inſtaret, ſempérque eodem reuerteretur; Vos verò, inquit, quandónam repræſentaturi Iſaacum Iogueſium eſtis? quid factum viro? Hîc verò hoſtis aſtutiſſimus; Miſſa, ait, iſta faciamus: inducamus potiùs læta: aderunt breuî gentis noſtræ Primarij quique, paci conſtituendæ vobiſcum: quôque res vel faciliùs, vel firmiùs peragatur, Batauos aliquos ſecum ducent. Hæc verò incredibili cum voluptate excipiebantur à Gallis, perinde atque vera, certáque: nimirum, vt fit, ex ſuo ingenio metiebantur Iroquios: atque vt proloqui aſſueuerant ipſi, quæ ſentiebant, perfacilè ſibi perſuadebant pari candore dici ab iſtis Proteis, quæ afferebantur. Poſtridie cum Gallus non rediret, dimiſſi ſunt ambo ad ſuos, benè curatâ cute ſcilicet. Iroquij, qui de eorum reditu, malè ſibi conſcij dubitare ceperant, vbi eos viderunt reduces, nimirum lætitijs omnibus inceſſere, tàm penè impotenter, vt tantâ humanitate capti, inermes ad Gallos vltrò cuncti acceſſerint: vnus modò ſuſpicioſior alijs, eminùs conſtitit. Certè cùm longè plures numero Galli adeſſent, & armati ſcilicet, facillimum ipſis fuit Barbaros comprehendere ad vnum omnes: ſed fortes animos neque fraus delectat, neque violentia. Quin admiſſi ſunt ad Gallorum menſam, Præfecti ipſius iuſſu, &, quod vel lautiſſimum genti ferculum eſt, Gallico pane impertiti: atque adeò ipſi ferinâ à ſe captâ Præfectum donarunt. Ita amicè in ſpeciem, atque beneuolè re tranſactâ, Gallus Interpres ad Gallos, Iroquij ad ſuos ſe recepere: atque vt ne de ſingulari eorum in Gallos voluntate dubitares, retia à Gallis expanſa in flumine abeuntes abſtulerunt.

EADEM DEINCEPS arte III. Cal. Iun. Gallis item ſe vltrò permiſere alij duo, Iroquius alter, alter, Huro licet

ANNVS MDCXLVIII.

genere, penè tamen ex longâ Iroquiorum consuetudine Iroquius. Ad oppositam partem fluminis tendebant Gallicæ canoæ aliquot è Trifluuio, inspecturæ, num qua præda piscium in obiecta retia se se induisset: his pro præsidio adiunxerat se se lembus maior. Eum vt conspexit Iroquius, qui in vicinâ siluâ deliteſcebat, natatu continuò ad eum aduolat, gestúque, & toto habitu amicum præferens, flagitat excipere se se in lembum Galli ne grauentur. Cùm solus esset, nihil admodùm subesse posse discriminis rati, cupientem excipiunt: & vix se se in lembum sustulerat, cùm contubernalis Huro è ripâ vociferans, precatur se quoque accipiant: nolle se sodalem suum destituere. Aduolant nec grauatè remiges, prorámque obuertunt: is se se saltu librans in nauigium, omni comitatis significatione denuntiat, Huronem esse se, atque adeò Gallis pridem iustissimâ necessitudine deuinctum: quæ cùm ex animo dici Galli putarent, officiosam humanitatem vicissim exhibent, & mente vtique candidiori. Hîc verò sistit se canoa in quâ venerant, cum vectoribus eadem ex gente tribus. Hos blandè salutant Galli, piscúmque recèns captorum parte donatos, inuitant ad visendam Coloniam, sequendósque contubernales. At hi malè vtique sibi conscij, loco eodem consistere, nec adduci se sinere, ad progrediendum. Ergo dimissis ijs, abscedunt in lembo Galli, captiuósque volentes ad Poterium Trifluuij Præfectum ducunt. Is cùm ex suis didicisset, quemadmodum se se Iroquij illi tres reliqui adhibuissent, iubet regredi eodem, cum idoneo præsidio, & seu blanditijs allectos, seu vi comprehensos, suspectos vicinos adducere. Prouecti, ibidem reperiunt (quo consilio substiterint, nescias) pelliciúntque blande ad se. Et res, quantum coniecturâ assequi licuit, processisset, si Galli tantùm in lembo fuissent: sed cùm Hurones sibi, Algonquiniósque coniunxissent aliquot, ad vnius Huronum ex numero intempestiuam vocem exterriti Huronici nominis atrociſſimi hostes, effusâ fugâ proripiunt se se continuò, in siluámque refugiunt. Instant Hurones duo, cum iisque vnus Algonquinius: is è tribus vnum comprehendit: quem cùm viuum vellet ad lembum perducere, reluctantem, recalcitrantémque confodit, eripítque capillitium: alij duo per densum nemus euaserunt. Tum verò alijs

ANNVS MDCXLVII.

ſuper alias interrogatiunculis tentata eorum qui ſe vltrò dediderant, fides: & Huro quidem faſſus eſt denique, Iroquijs ijs qui haud procul Richelæa ſtatione venationem exercuerant inde vſque à menſe Februario, propoſitum fuiſſe, ſi qui ante diſceſſum Algonquinius occurriſſet, eum trucidare; de Gallis reticuit: ſed nemini fuit dubium, quin eandem crudelitatem exprompturi in eos fuiſſent, ſi ſe captata dediſſet opportunitas. At Iroquius ſeriò, conſtantérque profeſſus eſt, ex quo aſſertus in libertatem fuiſſet à Monte-magnio, tum, cùm Algonquinij Præfecti manibus, à quo captus fuerat, perſoluto pretio ereptus eſt (res vt geſta fuerit, dictum ſuprà) ſemper ſe tùm Monte-magnio eidem, tùm Gallicæ Nationi vniuerſæ ſtuduiſſe: eius rei luculentum documentum eſſe, quod ictum auerſurus funeſtæ ſecuris, quæ librata in Iſaacum Iogueſium eſſet, vulnus ipſe excepiſſet in brachio: (& cicatricem oſtendebat) eo trucidato, palàm ſe, ac publicè ſuſcepiſſe patrocinium Galli adoleſcentis, qui deinde interfectus eſt: ac, ſi dicto quidem audiens fuiſſet, neque diſceſſiſſet à latere monentis identidem, haud tuto loco verſari ſe, animaduerteret, euaſurum vtique fuiſſe: ſed cùm neſcio quid reculârum quæſiturus, paulò longiùs receſſiſſet, maximo ſuo dolore cæſum quoque eſſe. Adiecit, ſibi ſemper in animo fuiſſe, de tàm indignâ tùm Iogueſij, tùm comitis nece certiores Gallos facere: eâ de causâ vltrò ſe ad eos acceſſiſſe, vbi ſe primùm opportuna dediſſet occaſio. Addit Gallicæ Relationis Scriptor, quidquid de hocce poſtremo cenſendum eſſet, nihil dubitatum fuiſſe, quin ſi Gallos omnes delere Iroquij potuiſſent, in ſummi decoris loco præclarum ſcilicet facinus fuerint repoſituri. Hinc commodè æſtimetur, quâ mente illi alij aduenerint, qui ad XII. Cal. Quintil. nocte intempeſtâ traiecto Magno amne (canoæ duæ erant) poſtquàm per tenebras nequidquam tentauerant taciti per vim irrumpere in domunculam Galli cuiuſdam, qui ad ſonitum excitatus, quantâ maximâ potuerat vocis contentione, quæſierat, vt fit in tumultu, qui eſſent, quid quærerent? Parabant diſcedere: ſed cùm à præſidio proximè abeſſent, excubitor ad tumultum excitus, manipularem Præfectum certiorem facit, adeſſe profectò ſuſpectum quempiam, qui iuſſus licet multotiès, reſpon-

ANNVS MDCXLVIII.

dere tamen pertinaciùs recuſet. Is id quod res erat, facilè ſuſpicatus, dedititium illum Iroquium produci iubet, eóque loco ſtatui, vnde & exaudiri à contubernalibus, & exaudire eos viciſſim poſſet. Cùm adueniſſet, voce altiori; Viuo, inquit, ſodales, viuo: à Gallis pro amico habeor, non pro hoſte, nihil eſt quod metuatis. Hîc poſcunt lembum ad ſe deduci: qui cùm continuò præſtò, fuiſſet non tamen in eum conſcendere auſſi ſunt: dux tantùm egregij agminis natatu ad Gallos acceſſit: ab iiſque exceptus perhumaniter, in Arcem deductus eſt. Sermocinatus aliquandiu cum populari, tandem ſeu re cum eodem communicatâ, ſeu diſſimulatâ prorsùs (diſſimulatum enim ab eo potiùs, videntur quæ conſecuta ſunt, oſtendere) memorauit denique, In agmine illo ſuo Iroquios numerari ad centum: in ijs, quatuor è viris primarijs gentis totius eſſe: ſi cum bonâ veſtrâ veniâ (inquit) ſodali huicce meo licebit ad eos excurrere, ex ijs nonnullos ad vos fortè perducet. Et acquieſcendum Præfectus cenſuit: ad eos qui in ripâ fluminis vlteriore verſabantur, deductus eſt cum lembis duobus in armis: & ad amoliendam ſuſpicionem diffidentiæ, permiſſum eſt vt ad ſuos in caſtra pergeret. Cum ijs collocutus perdiu, redit cum popularibus alijs duobus: ita dedititij deinceps quatuor in Gallorum poteſtate fuere. Atque hîc demum parùm ſincerè egiſſe prior ille (hoc eſt is qui ſe noctu ad lembum Gallorum natatu applicuerat) deprehenſus eſt: ſiquidem confirmarunt hi quatuor, agmen totum illud Iroquijs vndetriginta conſtare, non pluribus; in iiſque planè nullum è primarijs verſari; quæ iactata à Thraſone de pace mox à Præfectis gentis petendâ, commentitia eſſe prorsùs: ceterùm, neque illi neque alijs popularibus temerè fiderent Galli. Porrò, re in conſilio deliberatâ, viſum, ex dedititijs ijs quatuor vnum legare in patriam, confirmaturum, nullâ in re violatos à Gallis tres alios fuiſſe: ſic enim perfectum iri, ne quid Iroquij deinceps in Gallos, Gallorum-ve fœderatos molirentur. Et ſalutare fortè conſilium ceſſiſſet è ſententiâ, niſi perfidioſus Huro is, qui dedititium Iroquium ſecutus, Gallis ſe ipſe quoque permiſerat, per infandam proditionem incendium ingens venenatæ linguæ flabello excitaſſet. Iam ad caſtra ſuorum, primus ille dedititius, cum vno è tribus alijs ſe

contulerat (quaſi ſorte lectus erat trium illorum natu minimus) iam vterque confirmauerat popularibus, benignè à Gallis tùm ſe, tùm reliquos duos haberi: ſupererat vt pergeret porrò iuuenculus ille in patriam: ſed cùm ſocium redire prorſùs velle ad Gallos vidit ex conſtituto, neque vllâ ratione adduci hominem poſſe, vt non fidem ſuam liberaret, ſibi quoque cerrum eſſe redire confirmauit, eandémque aleam ſubire: à tàm multis qui redirent in patriam, peragi poſſe quod à ſe expectaretur, vt pagis omnibus ſignificaretur, quæ, quantáque eſſet Gallorum in ſe humanitas: ita retulit ſe ſe ad Gallos cum ſocio. Ergo hæc cùm ſic haberent, Huro nequam cùm facultatem nactus eſſet, nec reluctantibus Præſidiariis Gallis, ad Montem regalem excurrendi, quo fibrinas pelles reciperet, quas habere ſe illîc dicebat apud Gallos depoſitas; non Montem-regalem tetendit, ſed inueſtigauit agmen Itoquiorum aliud, quos haud procul abeſſe norat. Apud eos per turpiſſimam calumniam deblaterat, dedititios illos quatuor immaniter à Gallis haberi, atque adeò eorum vitâ actum eſſe: quod cùm non difficilius ſibi gens effera, ac peſſimè ſibi conſcia perſuaſiſſet, quàm conficta erant à perfido impudentiùs, conſtituunt illicò, fictitiam illam ſuorum mortem verâ Gallorum cæde, ſi daretur, vlciſci. Nec mora poſtridie huius diei, hoc eſt IV. Id. Quintil. inuadunt perduelles in Gallos aliquot, qui paſtorum vice armenta ſequebantur ſecuri, factáque derepentè impreſſione, cædunt ex improuiſo ex ijs vnum, vnum item Huronem; Gallos duos, Hurones totidem captiuos abducunt, non prorſùs impunè illi quidem; nam exploſo ſclopo, duos ſtrauit exanimes Gallus vnus quiſpiam, alios alij luculenter ſauciauere: ita retulerunt illicò veſtigium, effuſáque fugâ palantes in vicinum ſe nemus abdidere, à pauciſſimis Gallis, permixtíſque Huronibus fuſi octoginta. Quod niſi ſe maturè recepiſſent, vix vnus euaſiſſet: nam cùm prætergreſſorum veſtigia Algonquiniùs quidam obſeruaſſet, illicò rem detulit ad Præfectum: Præfectus dato ſigno omnes ad arma conuocat: ita lembi duo confeſtim expediti, quà hoſtis adeſſe nunciabatur, aduolant: at paulò ſeriùs: iam immanes Barbari cum captiuis quatuor illis refugerant. Gallorum alter ipſius Præfecti nepos ex fratre erat: tùm Gallus autem, tùm Huro interfecti, ſuperiore Do-

ANNVS MDCXLVIII.

minicâ luce, mentem per homologeſin expurgauerant. Felices, ſi ex eo momento nihil contraxerant culpæ grauioris! id verò ſibi quiſque perſuaſit, ex caſtigato quotidianæ vitæ tenore, & Chriſtiani officij obſeruantiâ, quæ in vtroque eluxerat. At qui Gallis ſe vltrò Iroquij illi quatuor permiſerant, vbi ad eos perlatum quàm nequiter debacchati populares in immerentes Gallos, Huronéſque eſſent, enimuerò vitâ ſuâ actum putare: nec dubitare quin à ſe repetituri Galli pœnas eſſent tàm immanis flagitij, præſertim ſi facinoris tàm atrocis erant conſcij. Et ſuſpicio quidem vehemens erat, à perfidioſiſſimo Hurone communicatum cum ipſis barbarum conſilium fuiſſe: ſed in re incertâ, viſum differre potiùs in tempus aliud: num ad eos ſcelus pertineret declaraturam diem. Ita cùm miſerabiliter non ſupplicium deprecarentur, ſed ſupplicij genus, hoc eſt, flagitarent omnes, ne diuturnus cruciatus eſſet, quidam, in fide vt inſtituerentur: id reſponſi tulere, Gallos, grauioribus licèt laceſſitos iniurijs, non tamen ſe præcipiti, impotentíque iracundiæ permittere ſolere: nihil quidquam adhuc eâ in causâ conſtitutum. Paucis pòſt diebus, hoc eſt pridie Idus Quintilis eiuſdem, ibidem ad Trifluuium ex aduersâ parte fluminis ignotus tunc homo, ſtragulum pro vexillo ventilans, atque adeò ad ſe vt accurreretur, expoſcens, dum lembus expeditur, impatiens moræ, nauigiolum ipſe ſibi raptim coagmentat, dátque ſe in amnem: tum appropinquans lembo viciſſim ad explorandum feſtinanti; Gallicè proloquens; Eamus, inquit, eamus: Adeſte dum adeſte. Vbi Galli inaudiunt Gallicè loquentem, Gallum rati, confeſtim in lembum excipiunt: pòſt, ex vultu, geſtientíſque confeſſione Huronem adoleſcentem eſſe animaduertunt, Armandum nomine, qui in ſeminario Societatis IESV inſtitutus, Gallicè vtcunque didicerat. Is cùm inter nauigandum paucis ſatisfeciſſet Gallis varia, vt fit, ſciſcitantibus, vbi primùm exſcenſum eſt, nihil antiquius habuit, quàm vt ad Ædiculam ſacram pro voto deductus mentem per confeſſionem expurgaret: eo defunctus officio, precibúſque quæ pœnitentiæ nomine imperatæ erant, piè & religiosè e-veſtigio perſolutis: Nunc enimuerò, inquit, exclamans, liberum me! id nunc demùm conſecutus ſum, quod millies apud Iroquios captiuus optaui, vt noxarum onus pone-

rem. Tum ſignificauit, horas ipſas quatuor & viginti fluxiſſe, ex quo guſtaſſet nihil : ita confeſtim cibo appoſito recreatus, hæc cupidis retulit, curis iam ſolutus. Ego, inquit, vt noſtis ipſi, anno ſuperiore captus ab Iroquiis fui : quæ apud efferam gentem pertulerim, æſtimare poteſtis ex i s, quæ toties vobis decantata ſunt : illud modò ipſis debeo, quod viuo. Cùm me hos in fines ſecum deduxiſſent, vt eram in omnem fugæ opportunitatem noctes, diéſque intentus, euaſi tandem ex infeſto agmine. Centum ſunt in inſidiis Iroquij ad vtramque oram fluminis : conſilium eorum eſt, Kebeccum vſque ſilenter progredi, intercipiendis Chriſtianis Algonquinijs, Montaníſque : nec verò ſi ſe dabit occaſio, Gallis pepercerint. Ac nonnihil quidem animis ſtudiiſque mutati erant, ex quo ante dies quindecim obuios habuerant contubernales dedititiorum veſtrorum ; cùm biduitantùm abeſſent à ſolo patrio, conſenſu dixere, vbi primùm fines attigiſſent ſuos, ſignificaturos vtique popularibus ſuis, quàm humaniter à Gallis, quatuor è ſuis haberentur, qui ſe vltrò ipſis permiſiſſent : ea verò denunciatio noſtros hoſce ſic flexit, vt voluntariâ penſitatione collegerint, vnde torques quatuor è conchâ veneriâ Gallis offerrent. Sed tàm præclaras ſpes infregit ante octiduum, manipuli occurſus illius, qui captiuos duos Gallos abducit, Hurones totidem. Nimirum credulos fefellit, atque adeò efferauit perfidus è gente meâ deſertor, omni aſſeueratione confirmans, rogatum ſe à captiuis qui hîc ſunt, moneret propinquos, ac neceſſarios ſuos actum ſe, ſuáque vitâ eſſe : proinde in mortuorum numero ſe cenſerent. Quæ cùm audiente me effutiret, continere me non potui, quin mentiri ſceleſtum aſſererem : Gallorum & humanitatem, & fidem exploratiſſimam mihi eſſe : abhorrere à crudelitate eorum naturam, neque in dedititios ſæuire conſueſſe. Ceterùm, nondum detractæ captiuis Gallis veſtes erant : vulſi modò vngues aliquot : &, quantum quidem inaudiui, ſi deditiij Iroquij incolumes erunt, incolumes quoque Galli ſeruabuntur. Hæc dum proloqueretur Armandus, aderant deditiij, & hos enim intereſſe conuentui, Poterius voluerat ; Ergo rogare cuncti ſuppliciter, vni ex ſuis, quem maximè Poterius ipſe vellet, liceret ad nouos illos bellatores pergere, qui confutaret palàm, quæ impius deſer-

ANNVS MDCXLVIII.

tor tàm nequiter confinxiſſet : quòd ſi minùs redijſſet is, qui legatus foret, in tres ſanè alios capitali ſupplicio Galli animaduerterent. Cùm diſſentiret nemo, in canoam imponitur omnium natu maximus : quid egerit, ipſe proximâ nocte reuerſus ſic expoſuit, vt diceret, vbi primùm conſpecta canoa à bellatoribus procul erat, ordines ab ijs inſtructos geminos fuiſſe hinc inde, ex vtrâque parte fluminis, vt ne copia euadendi vlla eſſet : proximè abfuiſſe ſe à periculo, quod in ignotum perinde atque in hoſtem illi iam tum pararentur animis : ſubſidio fuiſſe vernaculum idioma, cantúſque patrios. Poſtquam agnitus erat, defixos cunctos admiratione fuiſſe, qui ſuis ipſi oculis cernerent, quem ſublatum de medio nefarius ſycophanta finxerat intendiſſe verò ſuprà modum admirationem eandem, poſtquam omni aſſeueratione confirmaſſet, non minùs ac ſe, ſoſpites eſſe contubernales ſuos. Hîc diris omnibus deuotum à cunctis eſſe ſceleſtum caput, qui tàm falſa, támque ab humanitate aliena, de Gallis attuliſſet : quæ cùm videret perbellè procedere, addidiſſe ſe, viam vnam eſſe omnium expeditiſſimam, planiſſimámque, ſe ſocióſque ſuos è Gallorum manibus eruendi, ſi & temperarent ſibi ipſi, neque hoſtilibus animis in Gallorum limites inferrentur, & captiuos Gallos, Huronéſque confeſtim reducerent : redeundum porrò ſibi eſſe continuò ad Gallorum ſtationem, quando fidem ſuam obligaſſet. Ergo redijſſe ſe ijs annuentibus, pollicitíſque, obſeruaturos vtique quæ propoſuiſſet. Ceterùm, à Præfecto Gallo, duo illos enixè petere : primum, vt cibariorum aliquantum ſubmitteret : alterum, vt vbi primùm ipſe ad ſtationem perueniſſet, iuberet Præfectus idem, explodi continuò bombardam è maioribus, cuius ſonitu certiores fierent de ſuo reditu : vereri enim illos ne in Algonquiniorum manus incideret, quâ de cauſâ etiam ſclopum tradidiſſent quem oſtendebat, quò tutiùs breue illud iter relegeret. Hæc verò cùm ſuſpecta cuncta eſſent, ſi non ab eo qui referebat, ab Iroquijs certè, ſemper ſui ſimilibus, hoc eſt tectis, vafríſque ; bombardam quidem explodi Poterius iuſſit, quâ in re periculi nihil erat, cibaria negauit, ne ad iacturam, hoſtilis quoque accederet irriſio : & verò paulò pòſt declaratum abundè, quàm perfidioſi commeatu non egerent. Porrò, quidquid præclarus legatus retuliſſet,

ANNVS MDCXLVIII.

liſſet, ſub eiuſdem menſis exitum ad Montem-regalem Iroquij ad duodecim tredecim-ve, impetum fecere in Gallos aliquot, dum alij fœnum ſecuri ſecant, legúntque, alij virgulta exſcindunt. Videlicet opperiebatur hoſtis atrox ex inſidijs, ſi qua faciendæ cædis ſe ſe daret occaſio: eam nactus, ſclopum diſplodit in immerentes, ex iiſque vnum ſternit, Gallum genere: adeò conſtitutum Iroquijs erat à Gallis temperare. Ad caſum tàm inopinatum indignati ceteri, potiùs quàm perculſi, arma illicò, vt ad manum erant, corripiunt, ínque irruentes cum vociferatione Barbaros, ſclopos diſplodunt è veſtigio, nec inaniter: Iroquiorum vnum & alterum ſtrauere: an ex vulnere obierint, neſcias: illicò enim ab alijs in denſum nemus tracti ſunt: ipſi par ſibi quiſque metuentes infortunium, tanquam turdi auolauere continuò. Sed tandem aliquando in ſuos ipſorum caſſes Barbari inciderunt, hoc qui ſequitur modo.

Huronum cum Iroquis felix pugna.

HVRONES cùm anno ſuperiore ab emporio Kebeccenſi feri hoſtis metus arcuiſſet, penuria ingens ſubſecuta mercium earum, quas coëmere à Gallis quotannis ſoliti erant, non numeratâ pecuniâ, ſed fibrinis pellibus. Securibus præſertim carebant, tàm formidoloſo tempore tàm expetendis; eas autem vnde nanciſcerentur, locus prætereà nullus erat. Ergo conſtituunt nihil non tentare in iter formidoloſum illud quidem, ſed neceſſarium: ad ducentos & quinquaginta coëunt ſub Præfectis quinque: quóque fortunaret è cælo Deus Dominus exitum, vt pars maxima fidem profitebatur, ſacrum ſibi miniſtrum adiunxere, Franciſcum Ioſephum Breſſanium, eum, qui annos iam aliquot ſtigmata Domini IESV in corpore ſuo circunferebat ab Iroquijs. Iámque leucas plus ducentas confecerant, nullo infeſti cuiuſquam occurſu, cùm haud procul à Triſluuio, dum canois ad ripam ſubductis, munditiei alicui dant operam, ore varijs coloribus de more inficiendo, antè quàm ſe Gallorum in conſpectum darent; afferunt trepidè exploratores, qui amnem iuſſi tenebant, hoſtem adeſſe. Nimirum cùm & Iroquij quoque ſpeculatores eſſent in excubijs, vbi primùm Huronicas canoas conſpexere, dato ſigno, eos qui in nemore haud procul ripâ latebant, admonent: ij canoas conijcendunt ocyùs, & tanquam ad certam prædam, ſic aduolant

ANNVS MDCXLVIII.

ad Hurones illos, quos paucos videbant. At Præfecti cum ſuâ quiſque cohorte nihilo ſegniùs relictis pigmentis accurrunt ad eam oram fluminis, ad quam Iroquij tendebant, exſcenſionem prohibituri: ſed occupauit perniciſſimæ gentis celeritas. Ergo, quod proximum erat, aciem aptè inſtruunt Hurones, ínque hemicyclum ſinuati, iter vndique hoſti occludunt. Hîc verò acriter dimicatum vtrinque: Iroquij vadunt impetu in aduerſos, & cominùs vno eodémque omnes tempore ſclopos diſplodunt, ſtragem vtique ingentem edituri, niſi Hurones ad militiæ caſus varios à Gallis aliquot, qui intermixti aderant edocti, proni derepentè procubuiſſent: túmque ipſi viciſſim ritè atque ordine ſclopos laxant in irruentes: quorum è numero cùm cecidiſſent complures, enimuerò dant ſe in fugam continuò alij, præter manipulum vnum ex audacioribus conflatum: at ij derepentè circunfuſi ab Huronibus, cæſi ad vnum fuiſſent omnes, niſi qui Hurones hymicycli medium tenebant, ad primam ſcloporum diſploſionem perturbati, ceſſiſſent aliquantùm, effugiúmque hoſti pandiſſent: hac plerique euaſere. Inſtat tamen victor Huro, palantéſque inſequitur, donec ad eorum caſtra peruentum: ibi, inter cetera reperti modij frugis Indicæ ad octoginta: ex quo detecta fraus perfidioſorum, qui cibariorum aliquid à Gallis tàm enixè flagitarent, cùm annona abundè ſuppeteret. Capti ad viginti circiter, in vincula coniecti ſunt: Breſſanius, qui certamini interfuerat, procurandis ſuorum animis intentus, vbi profligatam pugnam vidit, intereà dum bellatores comunt ſe denuò, canoam lætus conſcendit, & ad Trifluuium properat: perrexere ſimul Hurones aliquot in canois duabus, ereptis hoſti, quæ res Trifluuianis metum iniecit, dum eminùs hoſtem eſſe putant. Ergo cùm ad fragorem certaminis plerique omnes ad fluminis ripam confluxiſſent ſoliciti, auentéſque reſcire quid rei eſſet; rati canoam illam quæ antecedebat, infeſtè peti à ſubſequentibus, & ipſi canoas inſtructas duas conſcendunt, illácque properant, Huronicæ opem laturi: ſed dum aliæ accedunt ad alias, ſoluto metu, confeſtim ſecuta gratulatio, Breſſanio victoriam ingeminante, docentéque canoas illas duas ereptas hoſti: adfuturam breui victricem turmam cum captiuis: intereà gratias agendas benigniſſimo Deo. Et verò vbi pri-

ANNVS MDCXLVIII.

mùm exſcendit, pergit rectà cum confertis ad ſacellum, ſolennémque hymnum gratiarum actionis cum lætis lætus modulatur. Adfuere poſtmodum Hurones omnes cum captiuis: canoæ erant ad ſexaginta: vectores, hinc deiecti metu verecundiáque, illinc ouantes: canebant tamen, ſaltabántque iuſſi de more victi, victores remos ad lugubres concentus agitabant. Poſtquam perſoluta officia mutuæ gratulationis erant, de eorum aduentu certior factus Monte-magnius volente Allebotio, paulò pòſt ad Trifluuium ſe contulit: túmque de re Gallorum, Huronúmque communi agi cœptum in Conuentu; per munera vt dictum iam multoties, propoſita cuncta, deciſáque: & Hurones quidem ad tria ferè capita reuocauere quæ poſtulabant: primùm, vt referarentur Gallorum apothecæ; alterum, vt aliquid de mercium pretio deminueretur; tertium, vt pergerent Galli operarios Euangelicos ad ſe mittere, qui iter vitæ beatæ panderent: quæ res quoniam longè maioris momenti eſſet, quàm mercaturæ; idcircò, cùm in ſuperiora capita ſingula duo, ſingula tantùm munera obtuliſſent, bina in eam accurandam Miſſionem obtulere. Et nullum finem faciebant agendarum gratiarum vel Monte-magnio, cuius operâ felicia illa ſubſidia ſubmittebantur quotannis, vel Superioribus Societatis IESV, qui ſuos tàm non grauatè obijcerent tot, támque formidoloſis diſcriminibus, eâ vnâ de causâ, vt genti ignotæ in re vnâ omnium grauiſſimâ ſuccurrerent. Hortabantur pergerent porrò, ne-ve cederent difficultatibus: regionem enim totam mirum in modum affici ergà religiones quæ nihil cultoribus ſui, promitterent minùs, quàm vitam tàm diuturnitate perennem, quàm refertam caſtis, ſanctíſque delitijs. At Monte-magnius viciſſim & muneribus, & oratione conteſtatus, nullâ ſe in re amicæ & fœderatæ genti defuturum, munus vnum inter cetera obtulit ad confirmandos Huronum animos, leuandóſque eo metu, quem nex Galli adoleſcentis de quo ſuprà, iniecerat: Gallos iniuriam illam voluntariâ deinceps obliuione conterere, quando cædem, indignam illam quidem nullo pacto ad ſe pertinere tàm luculentè Natio tota demonſtraſſet. Atque hîc diris omnibus denuò ſceleſtum caput deuouerunt Hurones: per ſicarium enim non ſtetiſſe, quò minùs Gallorum animi à totâ

ANNVS MDCXLVIII.

gente abalienarentur, quæ vtique pernities fuiſſet totius regionis certiſſima. Ergo pergit Monte-magnius, hortatúrque vehementer, vt quod facturos ſe ſe receperant, Euangelij ſatores non fouerent modò benignè, ſed etiam ſtudiosè audirent: eâ viâ ſapientiſſimè ſempiternis ſuis rationibus conſulturos, quod potiſſimum eſſet; quod proximum, adiuncturos ſibi ſuíſque in perpetuum, Gallorum ſtudia. Quoniam autem opem ſibi ferri poſtularent Sacerdotes illi, qui iam eorum in finibus verſarentur, pauci vtique, ſi tot támque multorum populorum longè latéque ſparſorum ratio haberetur, qui erudiendos ſe vltrò ſiſterent, ſi qui erudiret præſtò eſſet; conſilium ſibi eſſe, vnà cum Breſſanio, qui reditum cum ijs quos feliciter deduxerat, adornaret lætus, ad ſupplementum præterea mittere Sacerdotes ex eâdem Societate quatuor, fratrem eorundem vnum, cuius miniſterio pleriſque in rebus ad quotidianæ vitæ rationem ſpectantibus ſubleuarentur tùm ipſi, tùm ij qui iam Huronum fines tenebant. Quare rebus vtrinque ſummâ mentium conſenſione tranſactis, victores Hurones captiuis in canoas impoſitis, præter duos, quos Algonquinijs permiſerant (horum alterum ocyùs ſuſtulerunt de medio, ſuperioris crudelitatis pertæſi, alterum Huronem genere, lentis, vt antè, cremauerunt ignibus, eo nomine, quod à fide impius deſertor deſciuiſſet) conſcenderunt deinde alacres cum Magiſtris in fide ſuis, veterano vno Breſſanio, nouis illis quatuor, cum adiutore. Sacerdotes erant, Gabriel Lalemantius, cuius de morte annus conſequens, Iacobus Boninus Armoricus, cuius de ærumnis infrà, Adrianus Greſlonius, Adrianus Aranus (poſtremi hi duo in Galliam deinde, Huronicâ gente excisâ, renauigauerunt, Greſlonius aliquot pòſt annis Orientalem Miſſionem expetijt, in eáque, dum hæc ſcribimus, verſatur.) Laicus autem Nicolaus Norclarius. Omnium in ore, tametſi ad grauiſſimas ſe ſe ærumnas proficiſci intelligebant, mira tamen nitebat ſerenitas, interioris ſuauitatis index: quódque magis mirere, adoleſcentes Galli ad viginti, eâdem conſtantiâ, animíque celſitudine ad eos ſe ſe adiunxere, profeſſi non ſe quæſtuoſa rei familiaris compendia, ſed ſalutem animarum Chriſti IESV ſanguine coëmptarum ſequi. De eorum ratione itineris, iniecta deinde Kebeccenſibus, Triflu-

ANNVS MDCXLVIII.

uianíſque ſolicitudo haud leuis : renunciatum ſiquidem eſt, poſtquam circà Montem-regalem peruenìſſent ad vndarum diuortia, alios ad Gallorum ſtationem deflexiſſe, exoluendæ fidei Monte-magnio datæ, alios tetendiſſe in diuerſam partem, quà iter tutius, planius, minúſque hoſtilibus Iroquiorum inſidiis propoſitum: ſed res intrà metum conſtitit: cuncti ſub ineuntem Septembrem Huronum fines læti, incoluméſque tenuerunt.

Decretum de arcendâ ebrietate, Infidelibúſque & apoſtatis pellendis.

VBI ABCESSERANT, Allebotius (iam enim rerum adminiſtrationem capeſſiuerat) Kebecci cogit in conſilium Algonquiniorum, Montanorúmque Præfectos, corámque de optimâ ratione rei tùm ciuilis, tùm Chriſtianæ conſtabiliendæ deliberat. Ad vtriuſque quidem, maximè verò ad poſterioris vel decus vel firmamentum pertinere duo iudicata : *Vt exotici illi liquores, qui ebrietatem hoc faciliùs, quò ſuauiùs inducunt, nec prorsùs vt factum adhuc erat* (ſi non propalàm, clàm certè) *diuenderentur à Gallis ijs, qui lucelli neſcio cuius cupidiores, quàm Chriſtiani officij retinentiores, ad aduentum nauium indigenas eâ corruptelâ ineſcare conſueuerant: Vtque infideles atque apoſtatæ, Chriſtianorum ſedibus prorsùs excederent.* Vtrumque perdifficile videbatur: quod ad eam diem nemini homines liberi, niſi liberè parùerant, hoc eſt, nullâ vnquam lege promulgatâ, quæ vllum à flagitio propoſitâ publicè pœnâ reuocaret. Rogati Præfecti ſuper vtroque capite ſententiam, quod ad primum quidem attineret, nihil tàm ſibi in votis eſſe teſtati ſunt, quàm vt inſana illa ebrietas ſuis longè latéque finibus arceretur: verùm, quantalibet adhibitâ diligentiâ, nondum potuiſſe ſe ab ſuis expiſcari, vnde tandem noxios ſuccos coëmerent. Atqui, ſi auctores prodere recuſant, excipit Allebotius, ab ijs ipſis exigenda pœna flagitij. Cùm annuerent, ídque prorsùs ſediſſet; maiori etiam ſtudio, ad alterum quod ſpectaret, eam in ſententiam iêre vniuerſi, vt Kebecco, Sillerianíſque ſedibus emigrare iuberetur quiſquis fidem recuſaret capeſſere. Quæ cùm conſtituta in conſilio eſſent, Sillerij die Dominicâ proximâ, ſecundùm ſacrum princeps ad tympani ſonitum conuocatis quotquot aderant (aderant autem perfrequentes, vel Chriſtiani, vel Ethnici) perlectum Decretum, primùm ad Gallos, Gallicè: tum Interpres ſententiam ex fide reddens,

ANNVS MDCXLVIII.

idem per Præfectorum vnum, deſignatum è pluribus, Algonquiniis, Montaníſque, & Inſularibus promulgat. Summa erat; *Vetari ſeuerè tùm Proregis Galli, tùm indigenarum Præfectorum nomine, Ne quis deinceps periculoſos eos latices venales haberet, ne quis emeret: qui ſecùs feciſſent, in eos animaduerſum iri; Iuberi verò eos omnes, qui fidem vel turpiter deſeruiſſent, vel pertinaciter detrectarent amplecti, excedere ijs oris: conſtitutum enim tùm Proregi, tùm Præfectis ijſdem eſſe, neminem prorsùs non Chriſtianum ibidem eſſe ſinere.* Vbi perlecta cuncta, denunciatáque erant, Præfectorum vnus ex primarijs egregiè Chriſtianus, cùm ſatis intelligeret, haud facillimè morem geſturos indigenas, niſi ad Galli Proregis auctoritatem, Præfectorum quoque conſenſus adiunctus eſſe declararetur; orationem deinceps habuit ad conuentum: Ac poſteaquam vehementer inuectus erat in tàm graue, támque exitioſum flagitium; Audite, inquit, denuò fratres, nepotéſque mei, quotquot adeſtis: non Gallus modò Prorex iſta denunciat: ſed quotquot adſumus hîc Præfecti (nomen vniuſcuiuſque addidit) confirmamus, ſi quis veſtrûm, quod abſit, ſecùs faxit, quàm ferat Decreti ratio, hunc à nobis, Gallis permiſſum iri, qui in eum ex legum ſuarum ſeueritate animaduertant. Hîc verò attoniti cuncti, ne muſſare quidem: cùm conticeſcerent, & in vultu tamen Pauli Ieſuehat (vulgò Cocles Inſulæ dicebatur) impij apoſtatæ, legeretur grauior quædam ſolicitudo, qui ſe cum paucis alijs potiſſimùm perſtringi intelligeret, Natalis Negabamat, is de quo dictum iam multoties, hominem appellans; *Tandiu eſt*, inquit, *ex quo inſto atque vrgeo aſſiduè, Deo vt te miſer, cui te per infandum ſcelus ſubripuiſti, reſtituas, nec pares: ſemper ad hanc diem tergiuerſatus es, moráſque alias ex alijs nexuiſti, nec vnquam dilucidè aperuiſti rationem conſilij tui. Agedum, nunc demùm prome quid hoc condas pectore: ſi conſtitutum tibi eſt ad frugem te recipere, ac publicâ offenſione ſublatâ, gerere te deinceps pro Chriſtiano pio, religioſóque; conſiſte ſanè: omnes quotquot adſumus, egregiè in te animatos eſſe comperies: ſin à fide prorsùs defeciſti, pérque ſacrilegam impietatem, nuncium precationi remiſiſti; recedito prorsùs: tibi enim & meo, & horum nomine denuncio, nemini locum hîc habitandi fore, qui non ſummum Deum caſtè, piéque ex ſanctæ fidei inſtitutis colat. Vt tecum ago, ſic aliàs me-*

ANNVS MDCXLVIII.

cum actum est, nec succensui monitoribus. Dum me antè annos aliquot ad fidem Paulus Iuuenæus institueret, perdiu explorata ab eo constantia mea est, sic, vt indicarem tamen ipse, non agi mecum duriùs, quàm ferret æqui ratio: in re enim tantâ nunquam nimis studij afferri posse ad periclitandos eos, qui si desciscant, non nisi graui offensione publicâ desciscant: tandem, vbi primùm animum ad illud quod poscebat, hoc est ad fidem capessendam, induxeram, seriò, tum demùm Catechistem meum appellans; Actum est denique, inquam: neutiquam est mihi lingua duplex: idem prorsùs loquuntur mens & os: sic habeto, ex animo credere me in eum qui cuncta generauit: quid sim in posterum facturus, haud ipsi mihi liquet: verum si quod absit, ab hac vnquam mente discessero, quin tu me dispellas, nihil abnuo. Eadem tibi à me nunc inculcari, intellige: atque adeò labra ista diducito, & quæ latent in imo sinu præcordiorum, ea erumpere sinito. Ad hæc glorioſus olim ſuis in conuentibus Thraſo, tunc tanquam rana Seriphia penè obmuteſcens, incertâ, tremuláque oratione reſpondet; Nihil à ſe ſtatui ſatis certi ſuper causâ propoſitâ poſſe, antè, quàm ſui, qui bellatum perrexerant, eſſent reuerſi: ſed cum nihilo ſeciùs vrgeret Natalis, duorum alterum eligeret, aut excedere, aut ad fidem ſeriò mentem appellere; recepit, ſe Chriſtiani officij legibus ſaturum deinceps: idémque pollicitus eſt alius quiſpiam, qui veteris polygamiæ nundum immemor, vxores domi publicè habebat duas: ablegaturum enim ſe proximo quoque die duarum alteram: & fecit haud ita diu pòſt. Adeò ad continendos homines valet conſiderata iuſtáque eorum qui præſunt ſeueritas: dum in omnes æquè exerceatur, neque expoſtulare iure vllus poſſit, quæ in ſe carpantur, eadem in alio tolerari.

ERGO CVNCTIS nouus iniectus ardor: íſque ita vulgò enituit, vt mirarentur illi ipſi, à quibus inſtituebantur non iam barbari; ſed mites filij Dei; tantam, támque cæleſtem in eâ olim barbarie conuerſionem rerum in melius. Illa ipſa vetera inſtituta, quæ, quoniam nihil in ijs, quod fidei repugnaret, inerat, bonâ Catechiſtarum veniâ retinuerant, egregiè ad fidei dogmata exigere ceperunt, *ſeparantes* ex diuino præſcripto, *pretioſum à vili.* Mos erat, inſinuatus à nobis aliàs, vbi diem extremum obierat aliquis, ſeu militari virtute, ſeu ſapientiâ, ſeu liberalitate, ſeu quâ aliâ virtute de publico benè

ANNVS MDCXLVIII. meritus, eius nomen alij cuipiam publicâ cerimoniâ indere: atque id, mortuum ad vitam denuò excitare, vocitabant. Ritum eum partim retinuit, partim immutauit Sillerianus Neophytus, Præfectus: ad epulas quinquaginta Chriſtianos inuitauit: tum, vbi opportunum fuit, hanc omninò ad conuiuas habuit orationem. *Niſi Chriſtianus eſſem, ac niſi certiſſima ſpes ea me ſolaretur, fore vt corpora noſtra aliquando reuiuiſcant, angerer vtique animo, ac vehementer quidem, ex morte filij ſororis meæ, ante annum mihi erepti: ſed quandoquidem nobis vita aufertur eâ dumtaxat lege, vt reſtituatur aliquando, mortem ego non in mortis numero pono, ſed in interuallo aliquo temporis, quo inter nos reuiſere minus liceat, poſtmodum mutuâ conſuetudine ſuauiſſimè, & in perpetuum quidem tempus, fruituris. Quando igitur optatiſſimam illam reſtitutionem corporum noſtrorum iubemur expectare, ritum hunc quem vſurpo, illum eundem ſororis meæ filium noſtro more ad vitam reuocaturus, ſic interpretor, vt imago ſit certiſſimæ illius, veriſſimæque reſurrectionis, quam Chriſtiani expectamus. Itaque hunc, quem noſtis cuncti* (aderat is quem pro nepote ex ſorore, nepotem ſibi legitimè adſciſcebat) *adopto, ſufficióque in demortui locum: in eum quoties intuebor, ea me cogitatio ſolabitur, Nequaquam priorem illum extinctum eſſe.* Hîc cùm iuueni munus obtuliſſet haud minimi pretij, vt ijs locis, hunc in modum acceptum eſt, vt is ſe & ingenio valere oſtenderit, & eſſe apprimè Chriſtianum: *Quandoquidem donum hocce,* inquit, *ab auunculo meo ſic datur, vt illud tanquam pro teſſerâ futuræ olim corporum noſtrorum reſurrectionis eſſe velit; fieri nequit, quin ſimul me admoneat Chriſtianum eſſe. Et ſum prorsus, viri amiciſſimi, ac vnà vobiſcum, atque adeò cum omnibus ijs qui ſacrâ Baptiſmi vndâ abluti ſunt, illud certiſſimè mihi perſuadeo; Neutiquam ex morte charorum angi debere, qui minimè dubitet, quin futurum ſit vt ij aliquando reuiuiſcant. Lætandum ergo cenſeo, non ex hac reſurrectionis imagine, quam vtcunque noſtrâ hacce cerimoniâ expreſſam volumus, ſed ex ipſius corporum noſtrorum reſurrectionis cogitatione, quandoque repræſentandæ.* Quæ cùm fuiſſet prolocutus, quoniam, ne quid ad veterem ritum deeſſet, canendum quoque erat, è toto cœtu primarius quiſpiam hæc vernaculâ linguâ modulatus eſt varijs vocis flexionibus, frequentatis multoties; *Qui me aliquando ad vitam denuò excitabit, is me ſolatur.*

Quid

Quid hac cantionis formulâ ab inconditis illis, deliríſque muginationibus ſuperiorum temporum remotius?

EADEM FIDEI conſtantiâ Neophytus aliquis, dignus cuius proditum nomen eſſet, cùm Sillerium ſe ſe ex diuturnâ venatione, quam vnà cum alijs partim Chriſtianis, partim Ethnicis hyeme exercuerat, recipere appararet; contempſit inanes minas impoſtorum quorundam Gaſpeïenſium. Ii, cùm glaciatis quaſi rupibus amnis paſſim horreret, denunciauerunt fore, vt inter eas moles intercepto nauigiolo, in vndis periret, ſi ſe vndis committeret; id tamen remedij præſtò eſſe ſi modò aſſentiretur, vt priſtino tympanorum ſonitu opem dæmonis ad eas diſſipandas accerſerent. Hallucinamini, inquit: dæmoníſne opificium glacies eſt, vt eam quò libuerit, agere queat? Ego verò audientibus, ſpectantibúſque vobis, auxilium accerſam potentius, preces fundens ad eum, cuius nutu tùm cetera cuncta quæ cernitis, exiſtunt, tùm hæc ipſa glacies. Atque hîc prouolutus in genua; *Tuum eſt*, ait, *Domine Deus meus, qui omnia condidiſti, vt de rebus cunctis ceteris, ſic de hiſce glaciei molibus ſtatuere. Non verſare illas ſceleſtiſſimus Manitȣ poteſt pro nutu: tuæ infinitæ potentiæ ea prorsus ſubſunt. Si profectionem noſtram craſtinam probas, illas diſyce: ſin improbas, acquieſcemus, dicemúſque, Dominus eſt: differamus in tempus aliud.* Rem permiram! poſtridie, ſeu poſtremæ omnium moles eæ glaciei eſſent, ſeu cunctas aliò Dominus Deus faceſſere iuſſiſſet, alueus certè fluminis tàm explicatus fuit, vt vir egregiè pius de ineptâ nebulonum deliratione triumphans, in omnium oculis profectus ſit. Tum canoam conſcendens; *Quid cenſetis*, inquit, *ſtolidi? glaciei imperat Manitȣ veſter?* At ij pudorem inter, iracundiámque; Atqui ſic habeto, excipiunt, ſi proficiſcêre, moles extituras alias, quæ tuum nauigium conterant, deprimántque. *Quaſi verò*, infit vir in paucis fidelis, *qui heſternas diſiecit, non hodiernas quoque diſpellere, ſi extiterint, queat?* Exitus is fuit, quem ſperauerat Dei famulus: ſecundâ nauigatione vſus, portum breuî incolumis tenuit. Adiungamus inſignem fiduciam Dei, in virgunculâ, annorum admodum octodecim. Hæc tanquam è ſpinâ roſa, ſic ex patre deterrimo extiterat: vt ſummi Dei prouidentiſſimum ſuorum amorem mireris magis. Enitebant in eâ, corporis animíque dotes, vt ijs

ANNVS MDCXLVIII.

in oris, eximiæ: idcircò multi vxorem eam ſibi depoſcebant. At illa altiora meditans, generoſo faſtidio ablegabat omnes, cùm in morbum incidit, vnde denique erepta terris eſt. Vbi ſe eo correptam vidit, non modò non ingemuit, vt pleræque non Barbararum modò, ſed etiam noſtratium; quin, cum ingenti ſignificatione lætitiæ; *Gaudeo verò*, inquit, *quòd ægroto, atque adeò perlubenter emoriar antè, quàm nubam: te enim amo, Domine IESV, non homines. Gratias ago quod ſum in doloribus, quódque mors inſtat: de me ſtatue vt lubet: mihi quidem hæc affulget fiducia, fore vt poſtquam naturæ neceſsitati conceſſero, offerat me tibi Virgo parens tua.* Has quoque identidem voces mittebat; Neque me morbus angit, neque dolor, neque propinquæ mortis facies: illud me modò ſolicitat, quod ad ſacram Ædiculam nequeo adreptare. O ſi id ante exitum è vitâ, concederetur! Paulò antè, quàm ageret animam, ſacramentis Eccleſiæ iam titè communita omnibus, bis ter-ve, vt morituris, ſæpenumerò euenit, totis artubus vehementiùs agitata eſt: quarum ex poſtremâ perturbatione vbi ſe receperat, Sacerdotem appellans qui ægrotanti adfuerat aſſiduè; *Vale*, inquit, *vale mi Pater: quod ab optimo Deo mihi tàm enixè precatus es, id nunc demum conceditur; en, IESVS ſponſus meus in cælum me abducit: atque eodem momento beata* illa mens virginali corpore ſoluta eſt: Aſſeuerauit poſtmodùm Sacerdos idem, nullam vnquam ab eâ contractam labem: eò, minùs mirum tàm placidâ eſſe morte defunctam.

ATTEXENDA hîc forent quæ cum Abnaquioijs ſuis fecit, tulítque, etiam hoc anno Gabriel Druilletius, quæque Attikameguij incenſæ fidei documenta dedere ad Trifluuium: ſed ſuperſedeo: partim quia ſunt hæc perſimilia ijs, quæ iam ſæpè à nobis varijs locis memorata ſunt: partim quia nos vocant Huronici caſus ſanè Tragici, de quibus dicendum deinceps, prætermiſſis rebus Kebeccenſibus, niſi vbi eæ Huronicis admixtæ occurrent. Quâ in re imitabor Hieronymum ipſum Lalemantium, qui ad R. P. Claudium Lingendium Franciæ Prouincialem Kebecco ſcribens, negat perſcripturum ſe quidquam in annuâ Relatione, de rebus ibidem Kebecci geſtis, non quod, non pari ſolatio futuræ eæ eſſent, quando ijs locis & numero & virtute creſcebant Chriſtiani ſuprà ſpem omnem;

ANNVS MDCXLVIII.

ſed quod ad res illuſtriores Huronicas ſi conſueta iſta adiungerentur, moleſta forte futura eſſent. Ad Huronica igitur aggrediamur.

GENS, SI HVMANA ſpectes, calamitoſiſſima; ſi diuina, felix vtique; atteri grauiùs cœpta, inde ab huius anni initio. Ex pago S. Ignatij venatum in ſiluas excurrerant viri, feminæque, ad trecentos: ij Sonnontuerrononiorum fines versùs, bidui progreſſi, dum in feras intenti, minùs ab hominibus cauent; ex improuiſo ab hoſte circunueniuntur. Infeſtum agmen vt non in ſe ſatis eſſe virium animaduertit ad oppugnandos cunctos, tempus ex inſidijs præſtolatur idoneum, ad carpendos quos poſſet. Seiunxerant ſe à ſuis quidam paulò fortè fidentiùs, quibus importunorum vicinorum explorata pridem eſſet verſuta malignitas: in hos, viris maximam partem hac illácque ad venandum digreſſis, impetum faciunt inopinato Sonnontuerrononij prædatores: ſeptem cædunt ipſo loco: quatuor & viginti, viros feminaſque abducunt. Chriſtiani maximam partem erant: atque idcircò applicuerant ſe alij alijs, vt inſanis Ethnicorum vociferationibus, petulantiáque procul, adhibere cultum Deo ſuo per ſtatas precationes manè ac veſpere caſtè poſſent. Quid captiuis factum ſit, reſciri non potuit: credibile, viros de more exuſtos, feminas reſeruatas. Cùm ſingulari morum innocentiâ omnes eſſent, tùm Ignatij Saonaretſi conſpicua virtus elucebat. Annos natus erat admodum quatuor & viginti: ſed ſi innocentiam, candorémque morum ſpectes, tempora iam multa expleuerat. Tàm pudicus erat, vt (iuuenculorum noſtrorum probro) cùm de vxore ducendâ à parentibus interpellaretur, atque adeo nominaretur ab ijs virgo quædam & ab natalibus, & ab dotibus ceteris ſic inſtructa, vt nihil poſſe fieri commodius canerent; *Ego verò*, inquit, *in virgine nullà defigere oculos adhuc auſus fui: ita non magis illam noui, quàm alias. Nimirùm illud aſſiduè vereor, ne ſi emiſſitijs oculis in alicuius vultum ferar, ea deinde mentem turbent imagines, vnde Domini Dei ſuſcipiatur offenſio.* Quid hac caſtimoniâ illibatius? Idem cùm iter ageret cum Sacerdotibus è Socetate duobus per altas niues, aurámque planè gelidam; & duorum alter viribus defectus, ab Ignatio poſtularet leuare ſe onere quod geſtabat, ne grauaretur: Ego verò, inquit,

Gentis Huronicæ clades.

ANNVS MDCXLVIII.

lubens: neque modò te, sed socium quoque tuum hoc fasce releuabo. Eâ quidem conditione, aiunt, vt quando penè nudus es, rigéscque frigore, accipias à nobis viciſſim veſtis aliquid, amiciendo corpori. *Minime verò*, inquit: *nam ſi adeſſet amictus commodior, fructu carerem algoris huius, quem iam totum Domino Deo obtuli, vnà cum labore vitæ reliquæ, ad craſtinam ſynaxim religioſius obeundam: atque hæc me mirum in modum cogitatio reficit, fore vt aliquando in cælo gratias agam optimo parenti, quod me dignum exiſtimauerit, qui ſuâ causâ aliquid in terris durius perpeterer.* Certè totus erat aliquandiu iam antè, in immortalitate meditandâ: aiebat enim ex ijs quæ intùs in animo quaſi inſuſurrarentur, ſibi perſuaſiſſimum eſſe, haud victurum diu: quare ſuper matutinum ſacrificium, à quo aberat nunquam, precéſque veſpertinas, quas religiosè exoluebat, Roſarium inſuper quotidie, ferè à meridie, recitabat in ſacello, flexo genu. In poſtremo illo certamine, in quo fortiter dimicans occubuit, cùm videret ſatis, non poſſe ſe, neque ſuos, diutiùs repugnare, nedum vincere, conſobrinum inclamans, qui fugam iam capeſſiuerat; *Renuncia ergo*, inquit, *matri meæ, me ab hoſte crematum iri: verùm, illud adiunge, petere me, ne mortem deploret meam: neque enim aliud tum animo reuoluam, niſi beata illa gaudia æternitatis.* Sed non ad Iroquiorum ignes illum reſeruari ſiuit ſummus agonotheta: cæſus eſt ipſo in conflictu, vnà cum germano fratre, quem, cum iam inter Catechumenos eſſet profeſſus, baptizaſſe ibidem dicitur. Secuta piorum filiorum inſtitutum mater deinde eſt, fidémque vnà cum totâ familiâ capeſſiuit, fidos apud Deum nacta interpellatores, quos in terris materno ſtudio fouerat. Paucis porrò pòſt diebus, cùm ad locum certaminis perrexiſſent indidem ex pago S. Ignatij, indigenæ plus trecenti, tùm vt mortuos ſepelirent, tùm vt aueherent vaccarum ſilueſtrium aliquot, venando cæſarum, carnes; in reditu dum palantes hac illac vagantur incautiùs, carpuntur ſeorſim ab Annierrononijs circiter centum: ab ijs ad quadraginta trucidati, capti-ve.

GRAVIOR æſtate tempeſtas incubuit: exciſa prorsùs eſt ab Annierrononijs ijſdem, Miſſio S. Ioſephi, quæ vocabatur, numeroſa eadem, & inſigni Neophytorum ſanctimoniâ inclyta. IV. Non. Iul. dum poſt Solis ortum pagani penè cuncti

ANNVS MDCXLVIII.

ad ſacellum ſacrificio interfuturi de more conueniſſent, accedit hoſtis ſilentio, incautíſque, nec quidquam tale metuentibus ſuperuenit. Vix ſacrum peregerat Antonius Daniel è Societate Sacerdos, qui Miſſionem procurabat, cùm egreſſi primi, pleriſque precationem producentibus, arma inclamant continuò, hoſtem adeſſe. In tumultu, dum alij obuium quodque telum rapiunt, alij dant ſe in fugam, paſtor de ſuo grege piè ſolicitus, dat ſe in medios, & quà præſentius periculum videt, pugnantium confirmat animos, at diuerſiſſimâ oratione. Nam Chriſtianis quidem ſempiterna præmia proponit, coronámque illam nullo defluxuram tempore, quæ iam vertici immineret; Infideles, quaſi humo iam dehiſcente, rapiendi mox forent ad Tartara, hortatur vehementer ſempiterna illa, dum integrum eſſet, ſupplicia declinarent, ne-ve committerent vt tàm præclaram occaſionem ſibi in perpetuum conſulendi, elabi ſinerent, cuius deinde iacturam ſempiternis eiulatibus, dentiúmque ſtridore illo tàm formidoloſo, de quo inaudiſſent aliàs, nequidquam eſſent deploraturi. Et Domino dante *voci famuli ſui vocem virtutis*; tanta ſubitò facta eſt conuerſio animorum, vt qui antè, ſibilis, ſanníſque incenſi Catechiſtæ paræneſes proſecuti erant, in extremo periculo reſipiſcentes, turmatim ſimul Dei miſericordiam, ſimul Baptiſmum inclamarent. Quare Antonius, nihil de vitâ mortali ſolicitus ſibi, totus in ſempiternam eorum ſalutem incumbit: in ipſóque acerrimo dimicationis impetu, ſtrophiolum multoties vndæ immergens, per aſperſionem baptizat ſupplices. Intereà ſenſim hoſtis progrediebatur, paulatímque pagum victor occupabat, cùm Antonius ad omnem fugæ mentionem, quam plerique ſuadebant, obſurdeſcens, poſtquam dimicantibus proſpexerat, ad ſenes ægrotóſque conuertitur, quos varijs in tugurijs iam ad Baptiſmum comparauerat. Ergo ad eos accurrit, luſtrátque ſacrâ aquâ cunctos, non eos modò quos deſtinarat animo, ſed infantulos etiam pleroſque, quos matres properanti certatim obtrudebant. Tum ad ſacellum, tanquam ad ſuam ſtationem recurrit properè, ſæuientibus iam hoſtilibus mucronibus, omniáque cæde & ſanguine non virorum modò, ſed mulierum etiam, puerorúmque miſcentibus. Dum accedit, oppletam Ædiculam videt partim Neophytis,

P. Antonij Dæniel extremi labores, & mors.

ANNVS MDCXLVIII. qui extremam à peccatis absolutionem, partim nouis Catechumenis, qui Baptismum exposcebant. Dum his illisque pro virili satisfacit, hostis factus certior, eò turbam plurimam confluxisse, accurrit barbaro vlulatu, vociferationéque ad terrorem quàm maximè compositâ. Vt sensit Daniel, blandè compellans suos; *Ite sanè*, inquit, *ite fratres mei: subducite vos: ac quacunque pergetis, fidem vestram circunferte; ad extremum vsque spiritum Christiano in officio perstituri. Me quidem hîc consistere addecet: & consistam vtique, quandiu spes affulgebit aliqua, iuuandi cuius cuius; vitam hancce nihili facio: in cælo inter nos reuisemus.* Tum aduentanti hosti occurrit intrepidus, solúsque, armatas hostium cohortes sic terruit, vt gradum reflexerint attoniti: pòst, ignauiam incusantes suam, qui vni homulo tàm multi cederent, circunscribunt vndique seruum Dei, petúntque telis: donec pectore glande plumbeâ traiecto, corruit humi, IESV nomen iterans, ad quem pergebat: bonus pastor vtique, qui animam tàm generosè dedit pro ouibus suis. At non eius morte exsaturata immanium ferarum veriùs, quàm hominum rabies: in corpus exanime indignissimis modis sæuiere, nudatum prorsùs: nullúsque penè è tanto numero fuit, quin, tanquam glorioſum esset pugnare cum mortuis, vulnus aliquod inflixerit. Nec verò sic satis sibi factum putauere: cùm flammæ, quas tugurijs immiserant, toto pago crepitantes, Ædiculam sacram denique corripuissent, in eas, beatos artus iniecerunt, decorum vtique tumulum: vbi enim sanctiùs Sacerdos quàm in Ecclesiâ reponeretur; & arsurus scilicet: vt quæ fax diuini amoris animum incenderat, eadem corpus absumeret. Et commodùm illud præterea cecidit, quod interea dum in pastoris corpus furorem exerit suum turba impia, licuit gregi diffugere, dilabíque: hinc in tutum se recepere plurimi.

VT AD ANTONIVM reuertamur, Dieppæ in Neustriâ natus erat, honestis, piisque parentibus. Sacerdos in Nouam Franciam nauigauit: aliquandiúque Kebecci versatus, transijt ad Hurones, quorum ad sempiternam salutem natus videbatur. Annos ipsos quatuordecim laboriosissimam vineam excoluit operarius impiger, magno, fortíque animo in susceptis rebus perficiendis, incredibili patientiâ ærumnarum omnis ge-

neris, manſuetudine omni contumeliarum, iniuriarúmque atrocitate maiori, charitate tali, qualem deſcribit Apoſtolus, *Omnia ſuffert, omnia ſuſtinet*, Annos nouem poſtremos exegit in pagis ijs, qui ab hoſtico aberant propiùs: idcircò ſemper erat animo comparato ad id quod aſſecutus eſt tandem, vt ab hoſtibus Dei, hominúmque tàm piâ de causâ trucidaretur. Ante biduum confeſſionem generalem inſtituerat, abſolutis de more Societatis, Exercitijs ſpiritualibus, ſanctóque illo ſeceſſu ſtati octidui ſic exacto, vt Meditationum omnium argumentum ſuppeditarint Chriſti IESV labores, ærumnæque, quámque ſingulare Dei donum eſſet, in earum venire communionem. Poſtridie Cal. Iul. auulsus à chariſſimis ſodalibus, ad ſuam ſe Miſſionem recepit: ad pagum S. Ioſephi poſterâ luce cùm perueniſſet, hoc eſt pridie ſui obitus, dixit pro concione ad Neophytos Catechumenóſque ſuos: & quoniam in horas imminebat periculum, ſingulari Dei prouidentiâ vbi primùm è ſuggeſtu deſcenderat, operam dare inſtituit audiendis Confeſſionibus, ſingulos ad mortem hortans, ipſe breui emoriturus. Prodidit annua Relatio, ipſum, poſt exceſſum è vitâ, bis apparuiſſe: primùm quidem, vni è Noſtris, quicum hîc coniunctiſſimè vixerat, eo corporis, oríſque totius habitu, qui cæleſtis gloriæ imaginem ſuauiſſimam obijceret oculis: ac tametſi annos natus erat duodequinquaginta, tamen ex vultu annos tantùm circiter triginta natum diceres: an vt exprimeret illud Apoſtoli; *In menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*? Quæſiuit ex eo continuò is, cui ſe viſendum ſiſtebat; Quî fieri potuiſſet, vt ſineret ſumma illa Bonitas, corpus ſerui ſui tàm indignum in modum poſt obitum haberi, in fauillámque redigi ſic, vt ne cineres quidem colligere licuiſſet? At is reſponſi nihil tulit, niſi tria illa verbula ex Pſalmographo *Magnus Dominus, & laudabilis nimis:* verùm, addidit, abundè aliunde compenſauit pius parens, quæ in corpus exanime perpetrata ſunt: nam animarum quæ in flammis Purgatorijs cruciabantur, numerum mihi donauit non exiguum, quæ aſcenſum meum in cælum cohoneſtarunt comites. Secundæ apparitionis modus non ſatis exprimitur: ſpiritualis potiùs fuiſſe videtur, quàm corporeus: verba Gallici Scriptoris reddo ad verbum, ne quid de meo affingam in re tanti momenti, qui

1. Cor. 13.

Epheſ. 4.

ANNVS MDCXLVIII.

vel in leuiſſimis id ſemper ſecutus ſum, vt ne latum quidem vnguem à veritate diſcederem, quæ lex eſt Hiſtoriæ. Sic ergo Scriptor Gallicus: *Aliàs viſus eſt intereſſe collationi, quam inter nos habebamus, de medijs fidei, hiſce in oris amplificandæ: túncque apparebat nos confirmans ſuo ipſius robore, ſuâ luce nos complens; Deíque ſpiritu, quo intimè imbutus ipſe erat.* Sanè moriens, ſocijs exactiſſimam imaginem reliquit virtutis; Huronibus autem, non fidelibus modò, ſed etiam infidelibus ſuauiſſimam recordationem ſui: neque enim vllus erat eorum quibuſcum verſabatur, quem non raperet continuò.

AD GRAVEM illam iacturam nullus tamen deſpondit animum aut fractius quidquam præ ſe tulit, neque ad S. Ioſephi ſedem, locum cladis, neque alijs in Miſſionibus. Ad ſeptingentos cæſi, capti-ve ſunt, feminæ maiorem partem, puerique: plures euaſere: cúmque quò ſe reciperent commodiùs non haberent, palantes alij ex alijs ad ſedem S. Mariæ confugere; vbi iam collocatum præcipuum domicilium Societatis IESV diximus: ibi tametſi tanta iam erat penuria, vt Patribus deinde Kebecco aduenientibus (quod in Galliam Ioannes Boninius, vnus ex eorum numero, ſcripſit ad vxorem Rhedonenſis Protopræſidis, conſanguineam ſuam) pro lautiſſimo ferculo, caninarum carnium fruſtulum cuique appoſitum ſit, cùm primùm cibum religioſâ in domunculâ cepere; tamen & cibus miniſtratus tàm multis, & veſtis pleriſque. Peruenerunt noui operarij ad S. Mariam, Septembri ineunte, & ſcilicet mirum in modum mœſtos recreauere, vel ipſi per ſe, quando plures erant, à quibus deinceps opem ſpiritualibus in rebus expoſcerent, vel ob ſuppetias, quæ ſimul adfuere. Vnà cum victoribus Huronibus, venerunt bellatores Galli viginti, futuri præſidio, ſi quando hoſtis denuò ingrueret: ſed exigua manus quemadmodum Nationi toti efferatiſſimæ eidem, & bellicorum laborum, periculorúmque contemptrici obſiſteret? Fouit tamen ea interim conſolatio animos, ſpem, metúmque inter alternantes: Patribus in id incumbentibus ſedulò, vt quando meſſis multa vndique falcem opperiebatur, hoc eſt noui ſemper populi ad fidem anhelantes, mitti ad ſe poſcerent à quibus inſtituerentur; Euangelium longè, latéque, dum ſe opportunitas dabat, diſſeminarent. Ergo vndecim hoc anno

ANNVS MDCXLVIII.

no Miſſiones ſuſceptæ :ad varios Huronum tractus octo, tres reliquæ ad Algonquinios : in earum quatuor, diſtributi quatuor qui recens aduenerant, Sacerdotes, tanquam ſub pædagogo, ſic ſub ſingulis ſinguli futuri Sacerdotum eorum, qui vernaculi idiomatis cognitionem longiore iam vſu adepti erant. Fructus operæ hoc anno, præter confertam turbam eorum, quos in ſupremo diſcrimine per aſperſionem à Daniele baptizatos vidimus, mille & octingenti regenerati in Chriſto ſunt. Cùm omnium illuſtris fides fuit, tùm eorum enituit virtus ſingularis, qui ad Miſſionem Conceptionis pertinebant : viri, feminæ, pueri tantâ conſtantiâ fidem, fideique ſocias virtutes excoluere, vt tanquam illi olim Antiocheni, ſic iſti à circumpoſitis Nationibus vulgò nuncuparentur *Chriſtiani*. Et verò Præfecti ipſi, penès quos rerum ſumma, fidei ſe ſe patronos conſtantiſſimè exhibuêre : priuatorum familiæ propemodùm omnes ad eandem ſe ſe aggregauere : ita cùm pauciſſimi Ethnici ſupereſſent, conſenſu Chriſtiani conſtituerunt, morem deinceps ferre nullum, qui auitam ſuperſtitionem oleret, quive ad morum deprauationem vergeret. Eam in rem ad Magiſtros in Chriſto ſuos adière, precatique ſunt, vt quando in patrijs Huronum inſtitutis ſatis verſati iam eſſent, ex iſdem antiquarent quæ contraria eſſent Chriſtiano officio, nequiréntque cum fidei ſcitis conſiſtere : quæ retineri poſſe putarent, retenturos, quæ exploderent, exploſuros : non enim ſe aliter accepturos quæ definirent, quàm ſi à Deo ipſo proficiſcerentur, cuius legum eſſent interpretes. Rem ſanè obſeruatu digniſſimam, vt quo propè tempore Kebeccenſes Præfecti ebrietatem inſectabantur, vetabántque ſecum & infideles morari, & apoſtatas; eodem impellente, mouentéque Spiritu, qui vbi vult ſpirat, Hurones ad Chriſtianarum legum formam exactiſſimè patrios mores, inſtitutáque reuocarent. Nec verò hæc decreuere ardentiùs, quàm conſtantiùs deinde tenuere : ſi quid, vt fit, in vſu deinceps enaſceretur difficultatis, ad eoſdem adibant Patres in Chriſto ſuos, & quid liceret, quid minùs, ſtudioſiſſimè ſciſcitabantur. Id adeò enituit in puerulo, ac propè infante : ſex enim admodum annos natus erat : is cùm in grauiſſimo morbo verſaretur, vnde mors deinceps conſecuta, matrémque non eiulantem illam quidem, ſed lacrimantem vi-

Neophytorum virtus in Miſſione Conceptionis.

ANNVS MDCXLVIII.

deret; fruſtrà lacrimas eas fundi præfatus, fruſtrà quæri remedia: obſecrat, obteſtatúrque ne cogitationem vllam ſuſciperet vitæ filij longioris, malle ſe in cælum pergere. Ceterùm, certiorem te faciam, inquit, de appropinquante meo obitu: nam ad S. Mariam deferri me velim, quò, ibi loci emoriens, cum præſtantibus illis Chriſtianis tumuler. Nec defuit paruulus ſuæ pollicitationi: paucis pòſt diebus matrem monet, tempus eſſe ad S. Mariam pergendi, inſtare exitum è vitâ ſuum. Hîc mater, mulier fortis patrium obſeruatura morem, vt emorituro quopiam è familiâ, vocentur ad epulas amici, neceſſariíque familiæ, atque adeò primores alij, ad centum; conuiuium inſtruit: Vbi vidit paruulus iſta apparari; Quid agis, inquit, mea mater, quid agis? an me in ſupremo articulo tàm graui noxâ illigare vis? ſic habeto, nuncium me remittere patrijs iſtis ſuperſtitionibus, ínque Chriſtiano officio velle ad extremum vſque ſpiritum perſtare. Lætata mater conſtantiâ filioli; Atqui ſic tibi perſuadeto, mi fili, ait, non eam me eſſe, quæ conſciſcere peccatum vllum, Dei-ve mei offenſionem velim: ſed certò ſcio nihil à me deſignari, quod Chriſtianis legibus aduerſetur: imò verò conuiuium inſtrui volo eò potiſſimùm, vt intelligant tùm neceſſarij noſtri, tùm alij, quis tuus ſit hoc articulo de ſuſceptâ fide ſenſus. Ne verere: nihil hîc quidquam noxæ ſubeſt. Cùm ne ſic quidem acquieſceret, nimirùm accerſendus è Patribus vnus fuit, qui hoc ipſum inculcaret: cuius ex ore vbi acceperat, nihil in eo conuiuio culpæ fore, tum demùm conquieuit animo, delatúſque, vt concupierat, ad S. Mariam, ibidem placidâ morte defunctus, terram cælo, momento mutauit.

HÆC puerulus: at capularis cuiuſdam ſenis (octogenarius erat) conſtantia alio in genere enituit. Cum ludicrum exerceretur ab Ethnicis, in quo ex veteri licentiâ, nihil non ſibi permiſſum iri putarent, viro inter eos primario per tuguria conſultò inclamante, per ſomnium imperatum ſibi eſſe, vt æs campanum Gallorum deturbaret (monebat autem iſta non ex ſomnio vllo, ſed ex vlciſcendæ iniuriæ cupidine, quam ſe à Chriſtianis accepiſſe interpretabatur, paſſus repulſam in re, quam idcircò illi negauerant, quòd affinis eſſe peccato putaretur: ſed ſomnium obtendebat, quod ex corroboratâ diuturno vſu

maiorum ſuperſtitione, repugnare ſomnijs pro piaculo ſemper habitum fuerat) vir fortis obſiſtere decreuit, publicámque Chriſtiani nominis ignominiam prohibere, non tumultuosâ ſeditione, ſed obiectu corporis. Ergo præmiſsâ precatione, quâ & opem Dei inclamauit, & vitam pro religione obtulit ſuam; vbi pergere ad ſcelus furentem videt, ſecurímque iam librare in fores, vnde aditus ad campanam pateret; obiicit ipſe ſe, mediúſque valuas inter ſacelli, bacchantémque conſiſtit: & intrepidus; Commodiùs, inquit, ſecuris hæc in caput hoc ſenile, quàm in Domum Dei impingatur. Cum hæreret attonitus infidelis, Ad necem, inquit, meam quod attinet, ſecurum te eſſe iubeo: nolo neque à te, neque à publico, vt aſſolet, pœnas propterea vllas repeti: vt autem tàm atrociter, támque nefariè violetur locus ſempiterno dicatus Numini, id verò neutiquam ferre, certum mihi eſt. Quò ſe verteret impius? ſi patriam quidem ſuperſtitionem, morémque inolitum ſequeretur, mors millies potiùs oppetenda erat, quàm vt ab incepto deſiſteret: ſed, ſeu pudor, ſeu vis occulta quædam inhibuit, diſceſſit re infectâ, hoc feliciori vtique ſucceſſu, quod manus à ſacrilegio ſeruauit immunes: ſenex autem de Thraſone triumphans inſigniter declarauit; Nihil tàm ad res arduas quaſlibet perficiendas valere, quàm niti Deo. Hæc laus vnius viri propria: quæ ſequuntur Chriſtianarum virginum omnium Huronicarum communia. Ex Auernali inſtituto quod diu viguerat, ad curandum ægrotum è ſuis, remedium adhibere tentarunt Ethnici vſurpatum frequentiùs aliàs, in quo laſciuia, petulantiáque eò vſque prorumpebat, vt decori verterent puellæ ſuam ipſarum pudicitiam proſtituere. Cùm tales ab impijs quærerentur perſtudiosè, reperta nulla eſt: ita Ethnici quidam Præfecti ex vicinis Nationibus, quæ præclarâ de causâ venerant, abſcedere coacti, in ſpeciem cum rubore, re ipsâ attoniti, mirantéſque talem tàm ſubito extitiſſe Chriſtianis in pagis rerum conuerſionem. Sed quid mirum adultas virgines à flagitio tantopere abhorruiſſe, exſpiritu fidei; quando reperta quinquennis propè infantula, quæ parentum impiam ergà ſe pietatem vel in extremo morbo valere iuſſerit. Hæc, cùm parentem vtrumque infidelem haberet, itabat ta-

ANNVS MDCXLVIII.

men quotidie ad Ædiculam ſacram, manè veſperíque, repugnantibus quamlibet patre, matréque, atque adeò vetantibus. Tandiu tenuit ea conſtantia, vt cùm Baptiſmum aſſiduè expoſceret, Patres tandem flexerit, gnaros, quod ætati deſit, illud nonnunquam diuinæ gratiæ copiâ ſuppleri vberiori. Aliquandiu pòſt Baptiſmum, in morbum cùm incidiſſet, infideles parentes impoſtorem accerſunt, ex ijs qui ſe pro Magis venditabant: is pronunciat ita demùm morbum depulſum iri, ſi virgunculæ veſtis quidpiam quod nominabat, puellariúmque crepundiorum nonnihil daretur. At puellula, quanquam morbi grauitate ſuprà modum debilitata, quicquid tamen proſtratarum virium ſupererat, colligit, parentéſque increpitans; Nam cur, inquit, Satanæ mancipium adhibuiſtis? Ego Chriſtiana cùm ſim, probare nullo modo factum veſtrum poſſum, neque præclarâ illâ medicinâ vti. Deus meus me conſanabit, faceſſat impoſtor nequam. Perculit ſuprà quàm dici queat, obiurgatio maturior, quàm vt ab eâ ætatulâ proficiſci ſoleat, tùm parentes, tùm adſtantes alios: ac parentes quidem ne morbum filiolæ graui mœrore cumularent, ablegant maleficum: infantulámque enixiùs flagitantem, ad ſacram Ædiculam deferunt: ſe enim, vbi primùm deportata eò fuiſſet, conualituram. Et fidem infantulæ conſecuta illicò ſanitas, ſtupentibus cunctis: parentes attoniti ijdem, lætatíque ſalute filiolæ, inter Catechumenos profeſſi illicò. Cooptati deinde ſunt in Eccleſiam per Baptiſmum, conſilium illud ſuperius damnantes centiès, quo à precibus Baptiſmóque ſobolem ipſi ſuam arcere pertinaciùs tentauerant.

MAGIS MIRVM adhuc quod ſequitur. Virgo annos nata quindecim, neque plures, capta erat vnà cum alijs pluribus viris, feminíſque, ab Iroquijs: Vt formâ iuxtà, & ætate florens erat, ſæpiùs ſolicitata ad flagitium eſt: ſed cùm Catechumena iam eſſet, deteſtata ſemper facinus ſingulari conſtantiâ, adeò Barbarorum impuriſſimorum odia in ſe concitauit, vt de eâ trucidandâ non ſemel deliberarint: ipſa mori potiùs milliès decreuerat, quàm iacturam pudicitiæ cum Domini Dei ſui offenſione facere. Mater eius ac ſoror interim, ambæ iam baptizatæ, ambæ religioſæ in paucis, nihil tàm luctuoſo in caſu, illa filiæ, hæc ſororis deplorabant, quàm quod bap-

tizata nondum eſſet: atque adeò hoc ardentiùs preces aſſiduè ad clementiſſimum Deum eius causâ faciebant: ipſa identidem in duriſſimâ illâ ſeruitute, oculis, manibúſque in cælum ſublatis; Capiat te mei miſeratio, aiebat, Deus matris, ſororíſque meæ, quæ te & perfectiùs norunt quàm ego, & colunt religioſiùs: hoc mihi dona, pater benigniſſimè, vt antè quàm emoriar, perinde atque illæ, baptizer. Nec irriti queſtus fuere: cùm aliquando ſola in agro dominis ſuis ferret frugem Indicam, plenâ luce, inaudit è cælo voces pſallentium, rapaciſſimâ modulatione, cantu accedente ad eum, quem aliquoties in Patrum Ædiculâ, veſpertinis precibus cùm intereſſet, audierat. Attonita, vertit ſe partes in omnes, ſi qui Galli accederent: cùm videret neminem, procumbit in genua, réſque ſuas tàm deplorato in ſtatu enixiſſimè ſummæ bonitati commendans, ſpem concipit fore vt è funeſto ſeruitio euaderet, ſic, vt nullâ dum tamen via expediendæ libertatis animo occurreret. Cùm iterùm, ac tertiò, interiectis aliquot diebus, voces eædem aures, mentémque pepuliſſent, ſpe plena deinceps erectiori, dat ſe in viam, patriam, vt augurabatur versùs, ſola, ſine commeatu, quamuis iter leucarum octoginta Gallicarum eſſet, ac ducente Deo, nullius cuiuſquam infeſto occurſu, recepit ſe non rectà ad pagum ſuum, ſed ad S. Mariam: ibi Baptiſmi, quem tàm ſtudiosè expetierat, compos facta, finem nullum faciebat gratias agendi liberatori ſuo, maioribus in dies faciendis in virtute progreſſibus intenta. ANNVS MDCXLVIII.

CLADIVM harumce finis grauiorum initium fuit: ad quas antequàm veniamus, memorandum de naufragio, quod annum cuius ad res aggredimur, inſigniuit non tàm importati Coloniæ Kebeccenſi detrimenti grauitate, quàm fide eorum ipſorum, quos tàm inſolens diſcrimen excepit. Soluerat Rupellâ ad XI. Cal. April. nauis vna è pluribus, earum quas Canadenſis Societatis mercatores inſtruere quotannis ſolent, & ad ſubſidium mittere ijs, qui rem tùm ciuilem tùm Chriſtianam, in Nouâ Franciâ procurant, Sanctus Saluator nomen fuit. Tranquillo pelago profecti, qui conſcenderant, intrà dies viginti quinque leucas quingentas & quadraginta confecerunt, plagam versùs eam, cui morüarum piſcatio percelebris nomen fecit: quippe ipſi quoque piſcationi eidem operam aliquandiu dare ANNVS MDCXLIX. *Inſigne naufragium.*

ANNVS MDCXLIX.

conſtituerant. Eò lembos tres vectabant in naui, in quos exſcenſionem facerent dum opus foret: atque ea res ſaluti fuit. Nam ad XIV. Cal. Maias dum placidè inuehuntur, ecce tibi nauem vident derepentè oppleri, aquâ non ſenſim ſe ſe inſinuante, vt ſæpè fit, ſed irrumpente in omnium oculis, hoc formidoloſiùs, quod cùm proximè nauiculariorum is, cui cura illa incumbebat, ſentinam exploraſſet, inanem repererat. Tametſi trepidatio ingens iam tum fuit, tamen nihil dum mouere conſtituerunt, die iam inclinante in veſperam: illud tantùm accurare aggreſſi ſunt ſedulò, vt ſentinam, ſi quâ viâ poſſent, exhaurirent: ſed irritus labor fuit, quippe, vt deprehenſum deinde eſt, at ſeriùs, mali pars ima, haud ſatis exactè librati, dum ſe hac illac mouet, carinam perforauerat: ita faciendum noctu fuit, quod interdiu feciſſent, & commodiùs & minori periculo. Sub mediam noctem, tenebrarum caligine metum horrorémque intendente, iacturam nequidquam faciunt, cùm iam letalis vnda penè ad foros vſque graſſaretur, nauíſque in gyrum agitaretur, proximè vtique demergenda. Sed, quæ fuit eorum vel conſtantia, vel obſtinatio, præſtolari conſtituunt dum diluxiſſet, cauſam mali fortè deprehenſuri; ac deprehendere quidem licuit, non item afferre remedium. Ergo ſub auroram pro ſe quiſque certatim ad neceſſarium opus conuerſi, lembos demittunt in pelagus, & ſi quid commeatus raptim poſſunt, inſtanti naufragio ſuffurantur; ſed cùm id eſſet prouiſum tardiùs, valdè pauca auferre licuit. Erant in naui ſeptem omninò & quadraginta ſeu vectores ſeu nauicularij; ij, quà licuit, in lembos confeſtim immigrauere, hoc ſaltem ſolatio, quod cùm tranquilliſſimum æquor eſſet, nihil neque formidinis, neque periculi crearunt fluctus: ſed alia omnia triſtia planè erant. Nauigiolum potiùs, quàm nauis: altum mare vndique: centum enim leucas ipſas minimùm, quacunque ſe verterent, diſtabant terræ: cibatus autem tàm admodum nihil, vt ij, de quibus agimus potiſſimùm (nam è lembis tribus, vnus poſt diem nonum alijs ſe ſe conſultò ſubduxit, vitandæ penuriæ, tàm acciſo commeatu; de altero, illud tantùm proditum reperio, inuectum penè ſimul cum eo de quo memoramus præcipuè) dies ipſos quatuordecim toleraſſe dicuntur nullo cibo: vtque intelligere poſſit quiuis, quàm

paruo natura contenta ſit, ſi contenta tamen dici potuit in iſtâ tantâ deſtitutione; nihil aliud guſtaſſe toto eo interuallo perhibentur, niſi gutulas aliquot liquoris illius, de quo dictum tàm ſæpè, qui ſi vnquam, *Aqua vitæ*, vel *Aqua vitalis*, tum quidem certè dici potuit: vitam enim ſic traxerunt, vt ſummum bacillum tantùm in eum liquorem intingerent identidem, quem lingebant deinde per otium: ad eúmque nihil adhibuere quidquam, præter aquam ſalſam ex ipſo æquore. Quæ cùm miſera prorsùs eſſent neque tenere poſſent diu, deliberationem ineunt ſanè parùm humanam (an etiam cum Chriſtiani officij ratione pugnantem, non eſt huius loci definire) Vocant, inquam, in deliberationem, num-nam vnum aliquem è totâ turmâ ſorte delectum interimere præſtaret, pabulo ſubminiſtrando alijs, quàm omnes ad vnum interire. Cùm placuiſſet, reluctante tamen ſenſu illo humanitatis, quem imis in penetralibus Auctor naturæ abdidit, diſtulere quantùm ſe poſſe impunè putauerunt: & vnus aliquis ex vectoribus obeſior, vtique dignus, cuius nomen proditum fuiſſet, adeò in natalium humilitate ingentes animos præ ſe tulit; obtulit ſe ſe vltrò multoties, nihil eſſe dictitans, cur ad ſortes recurreretur: nullum enim vnum toto in lembo eſſe ad aliorum famem ſolandam aptiorem. Sed cùm id ipſum miſerationem alijs omnibus commoueret, ad potiora conuerſi, votum nuncupant, ſe, ſi quidem ſalui euaſiſſent, vbi primùm Galliam attigiſſent, rectà Salmurium (oppidum eſt in Galliâ, Andegauenſis Dioeceſis) ad B. Virginis Templum celebre perrecturos, agendis gratijs, itémque ad S. Annæ apud Nannetes. Intereà fatiſcebant miſerè: exſucca cadauera potiùs, quàm homines ſpirantes crederes: ita, ſibi quiſque conſulturi, omnibus in commune; ad eandem deliberationem reuertuntur, réque ipsâ ſorte explorant, quis ſuâ morte vitam ceterorum omnium redimat. Et tanquam ex compoſito res ageretur, ſors in eum quem diximus, cecidit. Ille nihil animo turbatus; An non præmonueram? inquit, nihil erat quod ſortiremini: ſic mihi ipſe perſuaſeram, ſic inculcaueram vobis, ita à Deo conſtitutum eſſe. Verùm, refugêre denuò Galli ab Anthropophagorum epulis: & dum ſe, réſque ſuas Domino Deo commendant taciti, neque ſuſtinent barbaram carnificinam exercere; ecce tibi adeſt,

ANNVS MDCXLIX. ab optimo parente vtique ſubmiſſa teſtudo ingentis magnitudinis, quales vulgò marinæ, cúmque penè ad lembi marginem nando volitaret, corripitur perfacilè à famelicis. Eam ita partiti ſunt, vt primò ſanguinem ſuxerint: mox ad carnes conuerſi, ijſdem diebus aliquot vſi ſunt, at crudis, vt quidem Gallicus Scriptor ſuſpicatur: neque enim vero ſimile eſt, inquit, in iſtâ tantâ feſtinatione igniarium ſumere potuiſſe. Tandem, cùm oculos identidem conijcerent in illum quem ſors addixerat, nec repugnantem quin manderetur; vnus è nauicularijs cùm ad ſumma carcheſia ægrè adrepſiſſet, nauem inclamat, nauem videre ſe, eò, vertendos remos quàm fieri poſſet concitè; & periculo, virium nonnihil ſuggerente ad conſpectam nauem citò perueniunt: Anglica illa erat, Angli vectores, atque adeò Nauarchus ipſe. Is, tametſi haud inhumanus, metuens tamen ne ſi tàm multos in nauem acciperet, non parùm ſibi ipſe accerſeret incommodi, detrectare primò, cauſaríque, ſibi annonam eſſe perexiguam: verùm, cùm ad miſerorum infimas preces, prouolutorum in genua, accederet quoque Anglicarum mulierum ad viros hortatio, accepti tandem in nauem ſunt, idoneíſque fomentis recreati. Vt ab experientibus habebantur, ita initio tantum cibi & potionis adhibitum eſt, quantum viſcerum longâ inediâ contractorum ratio ferebat, & ſtomachi plus æquo appetentis: quæ cautio vbi dies aliquot tenuerat, tum denique exempti periculo, ſibi quiſque gratulari, multò magis benigniſſimo Deo gratias agere, cuius vigilantiſſimam prouidentiam tàm deſperato loco eſſent experti. Pòſt, expoſiti in Materiâ Inſulâ, duriùs ab indigenis habiti ſunt, perinde atque piratæ ſolent: nam in piratarum numero ponebantur: donec re, vt erat, expoſitâ à Patribus Societatis IESV primùm, mox ab ijs ipſis, qui ſuſpendium initio minitabantur, inſtructi ſunt commeatu in iter neceſſario, in aliámque nauem impoſiti. Sed nondum periculorum, nedum ærumnarum finis: dum ſecuri Olyſſipponem versùs nauigant, ecce tibi Turcas piratas inſequentes à tergo vident, quantâ maximâ contentione poterant: dum horas ipſas octo refugere ſummâ in trepidatione coacti, præſentiſſimam denuò in ſe opem Cælitum propè miraculo comprobarunt. Nam cùm hoſtilis myoparo celeriùs inferretur, quàm celox, in quâ erant;

iam

ANNVS MDCXLIX.

iam penè infesti hostes Christiani nominis assecuti consternatos erant, atque adeò iam tormenta maiora duo in celocem eandem disploserant, cùm Religiosus Sacerdos è S. Francisci familiâ, qui cum alijs pergebat indidem ex Materiâ Insulâ Olissipponem, puluisculi aliquid ex Sanctorum quorundam ossibus in mare iecisset, continuò consistere Turcicus myoparo, tanquam ad Syrtes adhæresens, celox propè per tranquilla æquora volare. Ita cùm læti omnes Olissipponem tenuissent: Galli naufragi egregiè concepti voti memores, postquàm in tertiam nauem impositi, Rupellam denique peruenerant, nihil habuere antiquius, quàm vt statim nemine suorum salutato, nedum domos ingressi suas, religiosissimè pergerent Salmurium primò, mox Nannetes, illic augustæ Deiparæ, hîc S. Deiparæ parenti conceptum votum ritè exoluturi.

Supremum Huroniæ excidium.

NVNC VT ad supremum Huroniæ excidium veniamus, cùm noua illa Ecclesia & numero augesceret in dies, & tàm studiosè passim ad summam Christiani officij laudem assurgeret; vt scripserit è Catechistis vnus, se ea vsurpare oculis, quæ ne post annos quidem quinquaginta existimasset perfici potuisse; visum Deo alijs modis, adorandis illis quidem, at minimè expectatis, eam ad celsiora prouehere, vel potiùs, magnam partem in cælum transferre. Postridie Idus Martias, Iroquij ad mille, quot nunquam fortè vllâ in expeditione numerati, clàm ad Huronum fines peruenere, nullo cuiusquam quod mirere, indicio, etiamsi iam inde ab autumno anni superioris iter capessiuissent, plúsque ducentas leucas per niues, hyemem totam venando confecissent. Nocte intempestâ, cunctis, vt in publicâ aliquâ tranquillitate, alto somno depressis, atque adeò nullo excubitore, accedunt propiùs exploratores ad pagum S. Ignatij (citimus is erat) lustrant aditus omnes per otium, qui firmior locus, qui magis idoneus impressioni faciendæ. Vident fossam vbique depressiorem, eandémque vallis munitam pedes ipsos quindecim assurgentibus: interuallum modò erat angustum, ascensu facilius: illac decreta irruptio. Sub diurnum crepusculum procedunt ordine, instructi maximam partem sclopis maioribus, minoribus-ve, quos, (proh pudor, scelúsque!) submini strant Batani Ethnicis, in Christianos. Ita cùm nullus non modò obsisteret, sed ne, sen-

ANNVS MDCXLIX.

tiret quidem, pagus antè captus eſt, quàm ad arma conclamari potuiſſet. Cæſi tres tantùm, quatuor-ve Iroquij: Hurones totidem fugâ euaſere: alij, quotquot erant, viri, feminæ, pueri, ad quadringentos, partim trucidati, partim capti. Et ſtrages vtique maior fuiſſet, niſi incolarum plerique, aliquot iam antè menſibus tutiorem in locum ſe ſe ſubduxiſſent: cùm enim ſuſpecta vicinitas Iroquiorum eſſet, ad pagos alij alios maturè ſe ſe tranſtulerant. At non hîc ſteſtit calamitas: ferus hoſtis non tumultuariò, ſed Europæorum more, relicto idoneo præſidio, ad S. Ignatij pagum, quò, ſi quid deinde minùs ex animi ſententiâ eueniſſet, recipere ſe ſe tutò poſſent; ad pagum progrediuntur S. Ludouici. Commodùm ex eo iam, terrore vicinæ calamitatis excitæ profugerant mulieres cum teneriori ſobole: ſoli fere viri reſtiterant, pro focis propugnaturi, atque adeò ſi non pro arâ, certè pro Dei Sacerdotibus. Aderant enim fortè, Brebeufius, Gabriélque Lalemantius, Brebeufij in procurandâ Miſſione ſocius, adiutórque: ac tametſi ad primam trepidationem dilabi potuerant hoc commodiùs, quod non pagus is princeps Miſſionis erat; maluerunt tamen Neophytorum ſuorum fortunam qualemcunque experiri, quàm vlli, extremo eo tempore deeſſe. Ergo dum hoſtis aduenit, ambo interim animabus egregiè opitulantur, Lalemantius (haud dum Huronicè ſatis ſciens ad confeſſiones excipiendas) baptizandis Catechumenis, Brebeufius expiandis per homologeſim, quotquot potuit. Nam intereà adfuit hoſtis atrox: ac reſciſſo iam vallo, ad interiora penetrabat, cùm Brebeufius anguſtijs temporis intercluſus, compluribus quos audire ſeorſim minùs licuerat, generalem abſolutionem impertitur. In ijs tàm præclaris occupationibus intercepti ambo, vnà cum pagi incolis compluribus: pauci enim interfecti ſunt, capti ferè omnes. Sæuitum dein in ipſa ædificia, iniectis ignibus: horum flammæ longè latéque relucentes, vbi in oculos incurrerunt eorum, qui ad S. Mariam verſabantur, facilè ſuſpicati id quod erat, ipſi tametſi proximè periculum, tamen in diuinæ prouidentiæ decretis acquieſcentes, profugos aliquot, qui mox adfuere, pro virili conſolati ſunt. At Iroquius victor abactâ prædâ, ad S. Ignatij pagum nil cunctatus reuertitur: decretáque in craſtinum diem, pagi

ANNVS MDCXLIX.

S. Mariæ obſidione, Brebeufium interim, Lalemantiúmque diris cruciatibus ante mortem vexare conſtituit. Poſt atrox fuſtuarium, in editum pegma de more (tum quidem excelſiſſimæ virtutis theatrum fuit) producitur primùm Brebeufius ſolus, & religatur ad palum. Hic actor eximius, vel Confeſſoris vel Paſtoris perſonam pro dignitate ſuſtinens, tanquam e loco verſaretur, vbi in publicâ tranquillitate dicere ad pacatam concionem liceret, feræ immanique genti intentat minas: ſenſuros vtique vltorem Deum, cuius vindices iras tot in ſe concitarent miſeri criminibus: nec, ſi ad tempus diſſimularet, propterea ſemper taciturum. Neophytos autem ſuos blandè compellans, monebat, hos corporum cruciatus ſegetem ſempiternæ felicitatis eſſe: dolores, quò acerbiores ſint ad ſenſum, eò eſſe ad diuturnitatem breuiores: quot vidiſſent è ſuis, qui ea ipſa quæ imminerent, pertuliſſent erecto animo, inter ignes, admotáſque faces modulando, ſaltandóque, etiamſi nulla prorsùs ſpes ſubeſſet in futurum tempus: quantò ergo æquius eſſe, atque adeò quantò facilius, ferre placidè breues cruciatus, coronâ ex cæleſtibus gemmis contextâ vnuſcuiuſque vertici iam iámque imminente? Dum hæc, híſque ſimilia incenſiſſimâ oratione perſequitur, indignantes Barbari ſe adeò negligi ab externo homulo, qui ne extremo quidem tempore quidquam de exotico inſtituto remitteret, ringere ſcilicet, ac frendere. Vnus è turbâ pegma conſcendit, cultróque hinc labrum inferius, illinc naſi acumen diſſecat. Cùm ne ſic quidem deſineret cæleſtis Eccleſiaſtes, ſuccedunt alij, tædis armati, ferróque candente: gingiuas adurunt, diductóque per vim ore, ferrum illud idem in imum vſque guttur inſinuant atque adeò linguæ vſum adimunt omnem. Pergit tamen loqui mutus, non vocibus efformandis ille quidem, ſed tàm pio, támque incenſo oris totius habitu, nutúque oculorum, vt confirmauerint qui luctuoſo ſpectaculo ipſi interfuerant, nullà vnquam re ſe tantopere fuiſſe commotos: facere, qui cùm ad eam diem à Baptiſmo abhorruiſſent vehementer, illum deinde enixiùs flagitauerint.

Brebeuſij Lalemantiique cruciatus, & mors.

CVM SVIS Brebeufius cruciatibus tangi minimè videretur, ecce tibi idem in pegma conſcendere videt Gabrielem Lalemantium, tectum, aut incluſum potiùs à pedibus ad ca-

ANNVS MDCXLIX.

put cortice arboris cuiuſdam è picearum genere, qui, quòd reſinæ multum inſit, ignem comprehendit facillimè. Nec dubium fuit non ignaro Iroquiæ crudelitatis, quin conſilium immaniſſimorum tortorum eſſet, viuum eum ferali in amictu cremare: quod cùm ipſe quoque ſibi Lalemantius perſuaderet, neuter tamen conſternationem vllam præ ſe tulit, nedum lacrimatus eſt, quòd nihil alienius eo tempore fieri poſſe facile intelligebant in illâ coronâ vel hoſtium, vel Neophytorum. Quin, ſubridens Gabriel dum graditur ad palum, Brebeufiúmque compellans; Enimuerò hodie, mi Pater, inſit, *Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Et Brebeufius nutu, chariſſimo filio, ſocióque tantum à Deo munus gratulans, oculis, vt potuit, blanditus eſt: Lalemantius accedens, eius vulneribus impreſſit oſcula. At carnifices tres, totidem ex partibus, vt ſtupæ, ſic ardenti cortici tædas admouent: hinc flammâ illicò exarſit, victimam, & holocauſti ritu abſumptura, at lentiùs. Dum hic ſenſim torretur, ad Brebeufium conuerſi, collare induunt ſanè horribile, ex ſecuribus duodecim candentibus, ex rotundo ligno craſſiore aptis ſic, vt quatuor ad tergum per ceruicem, totidem anteriùs, ad pectus demitterentur; binæ hinc inde binis humeris incumberent: ita quamcunque ſe in partem inflecteret, vbique acerrimi doloris materia. Sed nimirum nullam ſe in partem obuertit vel leuiter: tanquam ſtatua ex ære, marmore-ve, perſtitit immotus, mirantibus vel tortoribus ipſis, inauditam conſtantiam illis quidem, at adeò non venerantibus, vt magis magíſque potiùs efferati, noua tormenta exquiſierint, adhibuerintque. Erant cum Iroquijs Hurones quidam apoſtatæ, atque adeò hoſtes Patrum atrociores illis ipſis: hi, cùm ex vetere dæmonis inſtinctu ſibi perſuaſiſſent, vaſtitatem patrij ſoli à nouis religionibus proficiſci, quas pullati iſti inuexiſſent, (ſic enim per ſarcaſmum Sacerdotes Societatis, ab nigrâ veſte vocitabant) iactant, qui gelidâ reſpergerent alios, illos calidâ reſpergendos eſſe. Cùm ludus placeret, comportant in pegma feri carnifices ahena duo, feruenti, ebullientíque aquâ exundantia, alterúmque in Brebeufij, alterum in Lalemantij caput effundunt. Hic iam loqui deſierat, atro fumo os, naréſque opplente: ſícque tormenta perferebat ſua, vt exuſtis fu-

1. Cor. 4.

nibus, quibus colligatæ manus fuerant, paulò liberior in genua procubuerit, ſalutarem illam è cælo opem petiturus, quæ ad tantos dolores ad extremum vſque ſpiritum æquo animo perferendos neceſſaria erat. Sed non placuit dæmonum mancipijs habitus corporis religioſior: ſurgere in pedes Chriſti athletam iubent: ac ne brachia ad cælum vltrà tolleret, quoties attollebat, toties impacto fuſte demittere cogebant. Ceterùm vtriuſque humeros iam ignis excoxerat, Brebeuſij à candenti ferro ſecurium, Lalemantij ab flammanti cortice: ita aquæ æſtuantis vis per nudatas pelle carnes inſinuans, ad oſſa vſque penetrauit: quantâ doloris acerbitate, conijcere quiſque poteſt. Nec hîc quieuit ferina barbaries: cùm palato arriderent carnes Gallorum, vt pote delicatiores, Brebeuſij præſertim (nam Lalemantij artus minùs ſapuere, quòd cùm recens è Galliâ adueniſſet, cibíſque ſale, de gentis more conditis vſus eſſet, ſalſum aliquid retinebant, quo nihil eſt eorum guſtatui moleſtius) in Brebeuſium igitur inuolauere, tanquam lupi in prædam: aliíque dentes infixere in corpus iam affectum, alij vngues: plerique cultris partes corporis ſecuere eas, in quibus plus ſucci inerat, hoc eſt pulpam tibiarum, femorúmque: atque vt ad doloris ſenſum, verborum quoque aculeatorum contumelia accederet, prauè memores eorum quæ generoſus Eccleſiaſtes quandiu loqui licuit, inculcauerat Neophytis ſuis; Quò quiſque hîc plura, grauioráque, Dei causâ perpeſſus eſſet, eò vberiorem mercedem in cælo, gloriámque fore; Nos verò, aiebant, perſtudioſi tui ſumus, qui anſam tibi præbemus maiora præmia promerendi. Veriſſimè illi quidem: ſed mente eâdem, quâ olim milites impij, Regi Regum, quòd ſe Regem, vt erat, prædicabat, coronam è ſentibus contexuere, ſceptrum ex arundine porrexere. Abſcendentibus ijs, ſuccedebant alij, ferro candente inſtructi, & crudeliori compellatione, quò in fictam ſpeciem erat amicior: Adſumus, inquiebant, te ad precandum incitaturi: obſeruauimus ſiquidem, te nunquam exactiùs id facere, quàm dum torqueris. Atque hîc per partes omnes corporis candentes eas laminas circumcagebant, immoto ſemper athletâ, ínque mente, vt procliue creditu, reuoluente eadem, quæ quondam ſuâ in crate recogitabat S. Laurentius; Dulce, & deco-

ANNVS MDCXLIX.

rum esse IESV Christi causâ pati.

NON CONVENIT satis inter Auctorem Relationis editæ, & Ioannem Boninium, in prolixâ Epistolâ quam de hoc ipso argumento dedit, num alter alterius in conspectu obierit: nam ille quidem tradit, non eodem prorsùs tempore passum vtrumque: sed Brebeufium postquam horas tres in grauioribus cruciatibus fuisset (quasi minùs graues antecessissent) beatam animam egisse eâ ipsâ die, hoc est postridie Idus Martias, circà horam quartam pomeridianam; Lalemantium autem, quindecim ipsas horas in ferali cortice arsisse, ab horâ sextâ pomeridianâ diei eiusdem, ad nonam vsque matutinam lucis sequentis. Id si ita habuit, non potuit Brebeufius Lalemantium videre ardentem: potuit tamen spectare iam inclusum durissimo amictu, ita vt vel ad ludibrium, vel ad terrorem, iuniorem seniori stiterint, tum retraxerint in casam: in casâ enim non in propatulo obijt vir fortissimus: prætérque ea quæ memorauimus, ictum securis excepit in sinistram aurem, vnde cranij pars ea perforata, sic, vt cerebrum extaret: alter item oculus erutus, inque cauitatem iniectæ prunæ. Brebeufio, super ea quæ memorauimus, reuulsa cutis capitis penè totius: &, quod nulli fortè mortalium antè contigerat, viuo, ac spiranti, reserato pectore, cor ademptum. Causa inauditæ immanitatis fuit, quod cùm persuasum haberet fera gens, nihil tàm ad bellicam fortitudinem valere, quàm vesci corde virorum fortium, eorúmque cruorem potare; cùm nullum vnquam mortalium vidissent, qui tàm horrendos, támque exaggeratos cruciatus pertulisset pari constantiâ, tàm præclaram scilicet occasionem illius augendæ militaris virtutis, minimè prætermittendam censuere. Idcircò in pegma conscendit Præfectus vnus è multis qui aderant, cutémque reuellit cultro, accurrentibus vndique ad lambendum, fugendúmque sanguinem, tanquam famelicis canibus, sic truculentis Iroquijs: tum pectus ad sinistrum latus multiplici vulnere fodiens, tandem cor extrahit, vorátque.

ATQVE HIC finis fuit tantorum virorum: Martyres an sint appellandi, Sanctæ Apostolicæ Sedis erit statuere: nostrum non est præiudicare quidquam: illud constat, fidei, charitatísque causâ tot tantósque cruciatus, & dolores vel ab ijs ex-

ceptos, vel ingeſtos ab hoſtibus. Beata corpora inhumata quatriduum ipſum iacuere: cùm enim terror grauiſſimæ ſtragis cuncta longè latéque compleſſet, accedere audebat nemo. Quin, de ſe quiſque ſolicitus, quò deinceps fœda illa tempeſtas incumberet, reſpectabat: quanquam dubitabat nemo, quin rectà ad S. Mariam perrecturus hoſtis eſſet, Gallorum ſcilicet tàm inuiſorum reliquias exciſurus: ſed Patres feliciter anteuertêre. Ad diuina conuerſi præſidia, (quanquam ne humana quidem, imbecilla licèt, prætermittenda cenſuerunt, domo vtcunque vallatâ, Gallíſque domeſticis neceſſariiſ-ve ad triginta, arma quibus egregiè aſſueuerant, capere permiſſis) ipſo peruigilio feſtæ lucis S. Ioſephi, vouent, Sacerdotes quidem, ſe anni vnius curriculo ſingulis menſibus ſemel ſacrum eius decori facturos: ceteri, quotquot aderant, tùm Galli, tùm indigenæ, varias corporum afflictationes certis ſubituros temporibus. Atque hîc tanquam miraculum accidit à Domino: cùm victor Iroquius volitare impunè quà luberet, poſſet, obſiſtente nemine; ipſo die feſto S. Ioſephi tantus terror hoſtilia derepentè caſtra inuaſit, vt contineri milites à Præfectis nequierint, quin effuſè fugam capeſſerent. πανικὰ, perturbationem eam emotarum mentium vocabant veteres, quaſi temerariæ ex formidines ab illo Pane inijcerentur, quem pro paſtoritio numine ſacrilego cultu venerabantur: nec dubium quin ſinente Deo, metus ij ingenerari in bellantium animis à prauo dæmone potuerint: nos hunc immiſſum ab eodem ſpiritu in hoſtes fidei meritò putamus, qui Aſſyrios olim Samariam obſidentes mox vel deditionem facturam, vel expugnandam, ad Eliæ preces perculit. Poſtridie eius diei, cum certis, idoneíſque auctoribus didiciſſent Patres è Societate, qui ad S. Mariam tàm formidoloſæ Iroquiorum impreſſionis exitum opperiebantur, ſpem inter metúmque alternantibus animis; & Brebeufium, Lalemantiúmque pulcro in certamine cecidiſſe, & hoſtem planè receſſiſſe, miſêre continuò, qui beatas exuuias legerent, referréntque ad communem tumulum. Galli ſeptem, octo-ve profecti, ibi non pagum, ſed Polyphemi cauernam vident. Abeuntes Anthropophagi, cùm iam ex Huronibus captis pleroſque ad palos religaſſent, variè torquendos; quando non ſinebat pauor

ANNVS MDCXLIX.

per otium in eos exerere exquisitæ illius crudelitatis documenta, quam in pastores exeruerant, flammas iniecere tugurijs, dirámque voluptatem cepere extremo in discessu, ex clamoribus, vociferationibúsque virorum, mulierum, puerorum, infantium, quos torrebant vndique ignes, coniuges in coniugum oculis, filiolos ad latus matrum: illud omni ope, solatióque destitutos sustentabat, quod vt Christiani maximam partem erant, sibi persuadebant, nec frustrà, breui ex tantâ doloris acerbitate ad sempiternæ vitæ immensa frenda gaudia euolaturos. Obijsse cunctos antè, quàm pius manipulus adueniret, inde conijcio, quod verbum prorsùs nullum Gallica Relatio de ope cuiquam allatâ in tempore: neque enim prætermissurus fuisse videtur Scriptor, si quid tale factum esset. Mera igitur reperta ambustorum corporum congeries: in eâ, quoniam obscurus locus non fuerat cruciatuum Brebeufij, corpus quoque, vel reliquias potiùs corporis reperire perfacile fuit; Lalemantij non item: cùm enim fuscus, vel ater potiùs color ex flammâ nihil illud deinceps ab indigenarum corporibus distingueret, aliquandiu de eo addubitatum est, sed ex notis proprijs agnitum tandem. Fuere eæ, oculorum alter crematus, alter erutus; tùm pili barbæ omnes, tùm capilli adusti ad cutem vsque: fauces hinc inde penè ad aures vsque ingenti hiatu diffissæ: corpus totum torridum. Sacra pignora religiosè inuoluta, delata ad S. Mariam perhonorificè, ibidem non muliebri eiulatu excepta sunt, sed virili animi firmitudine, gratulante potiùs sociorum vnoquoque, fidelibus Christi famulis, cælestes triumphos, eosdémque perennes, quàm miserantibus indignam necem, & cruciatus tales, quales haud multi eorum qui ad regnum Dei antecesserant, perpessi. Subijt quorundam mentes pia curiositas, vt enumerarent vulnerum cicatrices: sed irritum studium fuit: nam Brebeufij quidem corpus sic accisum fuerat, sic ambustum, vt ipsum perpetuum potiùs vulnus censeri potuerit, quàm vulnerum quasi campus. In Lalemantio narrat Boninius idem, se horas ipsas duas posuisse, intimæ quondam familiaritati, cuius vinculo colligatus arctissimè viro fuerat, satisfacientem: sed desistendum ipsi quoque tandem fuit. *Reliquum fuit*, inquit, *vt decoris cicatricibus imprimeremus oscula*,

cen

ceu magnificentiſsimis trophæis Chriſti IESV Crucis: cuius quidem patientis imaginem acerbis lineamentis infortibus athletis expreſſerat rerum omnium extremo eo tempore deſtitutio, hoſtium ſolutus ad quidlibet audendum furor, membrorum omnium diriſſimi cruciatus, non vnius, alteriuſ-ve carnificis ſæuities, ſed immaniſſimæ multitudinis rabies coniurata, cui ipſi & benè precabantur, & ſalutaria ad ſempiternam vitam monita conſiliáque eo ipſo tempore ſuggerebant religioſi Confeſſores. Ergo feſtam potiùs gratulationem diceres, quàm funeris apparatum: ita vniuſcuiuſque piorum ſpectatorum in fronte, in oculis, in vultu, habitúque toto, cœleſtis vel hilaritas, vel ſuauitas elucebat. Nemo vnus inducere animum potuit, vt pro ijs precem vllam funderet: quin potiùs certatim quiſque è beatis pignoribus expoſcebat ſibi nonnihil, ſic, vt niſi pios conatus inhibuiſſent Patres è Societate, nullo alio tumulo exceptæ fuiſſent felices exuuiæ, niſi thecis Reliquiarijs: ſed modus adhibitus, & felices artus quantâ fieri potuit pompâ tumulati XII. Cal. April. quæ Dominica dies fuit, vnoquoque tale mortis genus optante ſibi potiùs, quàm formidante.

GABRIEL Lalemantius, Pariſinus, Lutetiæ natus eſt anno huius ſeculi decimo, pridie Cal. Nouemb. admiſſus in Societatem anno ætatis viceſimo, hoc eſt ſeculi trigeſimo, IX. Cal. April. ita, in eâ egit annos vndeuiginti penè totos, pulcherrimo mortis honore coronatus, vt vidimus, poſtridie Idus Martij. In natalium ſplendorem excurrere, vetat modeſtia patruorum duorum, quos habet in Societate ſuperſtites, Hieronymi Lalemantij, qui diu eadem in Miſſione verſatus, dum hæc ſcribo, anno huius ſeculi ſecundo & quinquageſimo, Societati tori in Nouâ Franciâ Superior præeſt; Caroli, qui hoc eodem tempore Præpoſitum agit Domus Profeſſæ S. Ludouici Pariſinæ, illius eiuſdem, cuius de naufragio mentionem fecimus. Gabriel corpore licèt non modò non robuſto, ſed etiam teneriori, nihil tamen non egit, vt eò mitteretur, quò præter cetera incitamenta, vocabat etiam domeſticum decus: ſed nimirum faces ad arduum opus vehementiores intùs candido pectori ſubdebat Spiritus Sanctus: quo enim tandem ex alio fonte manare potuerunt ſenſa illa præclara, quæ illius ipſius manu conſcripta, poſt obitum reperta ſunt in ſchedulâ,

ANNVS MDCXLIX.

dignissimâ vtique quæ hîc ex fide reddatur. Has ergo causas affert ipse, cur tantopere laboriosas eas incognitarum orarum Missiones expeteret.

AD EAS *flagitandas ducor primùm*, inquit, *mi Deus, mi Saluator, vt aliquo modo respondeam ijs, quæ meâ causâ feci sti Nam si nuncium ipse remisisti oblectamentis tuis, honoribus, valetudini, gaudio, ipsi vitæ, vt mihi misero, vitam beatam quæreres; an non demùm æquissimum est, repudiari à me tuo exemplo, cuncta illa, ad salutem promouendam animarum, quas ipse ducis tuas, quæ tuo tibi cruore steterunt, quas ad mortem vsque dilexisti, de quibus dixisti*; Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. *II. vt non ducerer spiritu illo grati, memorisque animi, holocaustum tamen mei, tibi toto pectore offerrem, intuitu supremæ tuæ magnitudinis, maiestatis, bonitatis, dignissimæ vtique, vt ob eam homines tuo se obsequio immolent, séque ipsi feliciter perdant quò quæ à te de se exposci intelligunt, impleant, effectáque dent prorsùs; neque vllâ ratione desint diuinis instinctibus, quos ijs propriè ad maiorem tuam gloriam injcis. III. Quando tàm infelix fui, vt tuæ mi IESV, bonitatis offensionem susciperem; æquum est, vt violato tibi, extraordinarijs ærumnis ac laboribus satisfaciam: ita, ætate reliquâ in conspectu tuo ambulare debeo corde contrito consternatus, in rerum acerbarum perpessione, quas prior ipse meâ causâ toleraſti. IV. Debeo matri meæ, fratribúsque: idcircò, enitendum mihi, vt ipsis à te eblandiar misericordias tuas. Noli sinere, Domine Deus meus, vllum vnquam ex hac familiâ, quam tanto amore prosecutus es, perire coràm te, aut ex eorum numero esse, qui te in perpetuum blasphematuri sunt. Ego isti tàm funestæ infelicitati, eorum vnicuique deprecandæ, victima sim;* Quoniam ego in flagella paratus ſum: *hîc ure, hîc seca, vt in æternum parcas. V. Ita est mi IESV, mi amor: conuenit planè, sanguinem tuum, non nobis modò, sed Barbaris quoque saluandis fusum, ad eorum salutem efficaciter applicari: hîc verò tuæ gratiæ cooperari aueo, eorúmque causâ immolari. VI. Oportet adorari nomen tuum, ac regnum tuum per omnes orbis terrarum Nationes amplificari: idcircò vitam hanc libenter absumam, ad animas quas sanguine & vitâ coëmisti, è Satanæ faucibus eruendas. VII. Denique si æquum est reperiri aliquem, qui studio efferatur solatium illud exhibendi Christo IESV, vitis centies mille prodigendis, (si cui tot essent, quas prodigeret)*

ANNVS MDCXLIX.

vnà cum iacturâ rerum omnium earum, quæ naturæ commodæ ſuaueſque ſunt; comperies neminem vnum eſſe, qui pluribus nominibus ad id ſe offerre debeat, quàm teipſum. Age ergo anima mea; ſanctè pereamus, quò id oblectamenti ſufficiamus ſacro IESV Chriſti cordi: dignus eſt, cui id exhibeatur: neque refugere potes, niſi ſi eius in te amori ingratus & viuere velis & mori.

HIS INCITAMENTIS actus vir vitæ integerrimæ, morúmque innocentiſſimorum, in mediâ licèt enutritus mollitie, barbaras tamen illas oras appetierat primùm, pòſt, re ipsâ adijt, ætatem reliquam conſumpturus ijs in locis, vbi ab omni penè hominum conſortio extorris eſſet eorum, quorum conſuetudo aſpergere ſuauitatis aliquid quotidianis ærumnis poſſet; rerum penè omnium indigus earum, quarum non dico fomentis, ſed adminiculis carere vita vix poteſt. Semper quidem tanquam à colubro, ſic à peccato abhorruit: ex quo tamen Societatem ſemel ini ſic inſtituit vitæ rationes, vt non modò peccatum, ſed etiam peccati vmbram omnem declinarit ſtudioſiſſimè. Ex quo Hurones attigerat, incubuerat ardentiſſimè ad vernaculum idioma arripiendum, moleſtum licèt difficiléque imprimis: nec differre quidquam putabat inter altiora illa ſtudia Philoſophiæ, Theologiæque, in quibus iuuentutem cum laude poſuerat, & elementa linguæ peregrinæ, & barbaræ: Adeò charitati vel acerbiſſima quæque dulceſcunt.

IOANNES AVTEM Brebeufius, Baiocenſi in Neuſtria Dioeceſi oriundus, annos duos & triginta egit in Societate: totidem enim intercurrunt ab anno huius ſeculi decimo ſeptimo, ad hunc vſque, quo glorioſiſſimâ morte vitam religioſiſſimè actam coronauit ſupremus Agnonothetes. Abſolutiſſimum virtutum omnium exemplar fuit, tùm Chriſtianarum, tùm etiam Religioſarum: iuſtúmque volumen de rebus eius ſcribi potuiſſet, inquit Paulus Raguenellus, ex quo hæc hauſi: non inuidenda certè poſteris è plurimis documentis, vel diuinorum munerum, quibus auctus à Deo eſt affatim, vel præclarorum conatuum, quibus id ſemper ſecutus eſt, ne diuinæ gratiæ deeſſet; páuca quæ emanarunt. Miſſionem Huronicam annos quindecim excoluit per labores infinitos: cuius temporis ſub ipſa primordia, iam tum veteranus interioris militiæ bellator, hæc de ſe ſcripſit in libello, quem eorum iuſ-

ANNVS MDCXLIX.

ſu, quibus non morem gerere nefas putabat, contexuit ſenſim; *In me*, inquit, *perſentiſco ingens moriendi deſiderium quò Deo fruar: auerſor magnopere res creatas omnes, quæ linquendæ in morte erunt: in vno Deo quieſcit cor meum: extrà illum, nihili cuncta duco, niſi ſi quid ad eum ipſum refertur.* Quadriennio pòſt, voto ſe obligauit, reliquâ deinceps ætate faciendi, perpetiendíque quicquid è maiore diuinâ gloriâ eſſe poſſe agnoſceret; idémque illud votum iterabat quotidie, ſacris operans, quo momento diuinum Chriſti corpus ſumebat. Nec ſic tamen ſibi ſatisfecit vir vitæ Dei causâ fundendæ cupidiſſimus: cùm ad præclarum mortis genus faces ſibi in dies ardentiores injici ſentiret, votum deinde nuncupauit quod ſequitur, verbis conceptum totidem: illud enim Latinè ipſe conſcripſit.

QVID RETRIBVAM *tibi*, inquit, *Domine mi IESV pro omnibus quæ retribuiſti mihi? Calicem tuum accipiam, & nomen tuum inuocabo. Voueo ergo in conſpectu æterni Patris tui, Sanctíque Spiritus; in conſpectu ſacratiſſimæ Matris tuæ, caſtiſſimíque eius ſponſi Ioſephi; coràm Angelis, Apoſtolis, & Martyribus, Sanctíſque meis Parentibus Ignatio, & Franciſco Xauerio; Voueo inquam, tibi, Domine mi IESV, ſi mihi vnquam indigno famulo tuo, Martyrij gratia miſericorditer oblata fuerit, me huic gratiæ non defuturum: ſic, vt in poſterum licere mihi nunquam velim, aut quæ ſe ſe offerrent moriendi pro te occaſiones declinare (niſi ita fieri, ad maiorem tuam gloriam iudicarem) aut iam inflictum mortis ictum non acceptare gaudenter Tibi ergo Domine mi IESV, & ſanguinem & corpus, & ſpiritum meum iam ab hac die gaudenter offero, vt pro te, ſi ita dones, moriar, qui pro me mori dignatus es. Fac vt ſic viuam, vt ita mori tandem me velis. Ita Domine, calicem tuum accipiam, & nomen tuum inuocabo. IESV, IESV, IESV.*

VOTVM arduum ſanè, & quo vix extat vllum præſtantius: ſed nimirum vt in viribus corporis, quiſque quantum ferè poſſit, agnoſcit, atque adeò non plus attollit in humeros, quàm ſe ferre poſſe confidat; ſic iſti ſeuerioris, ſanctioríſque diſciplinæ athletæ quantum citrà temeritatis culpam ſuſcipere poſſint, probè intelligunt: hoc diſcrimine, quòd illi ſuo robore, hi diuinis præſidijs nituntur: hoc valentiores, quò ſe à ſe inualidiores eſſe & norunt, & prædicant. Ergo tàm

ANNVS MDCXLIX.

ſublimem in modum deuotus Deo, in id ſedulò, ſolicitéque incubuit, ne minus quàm promiſerat, deinde repræſentaret, vtque holocauſtum, ex voto Pſalmographi, pingue fieret, accerſiuit continenter virtutum omnium decores. Ac iampridem quidem tàm modicè de ſe ſentiebat, vt Societatem ingreſſurus, infimum gradum, hoc eſt Temporalium quos vocamus, Coadiutorum claſſem adamarit; poſt expletum tyrocinium vota editurus, expetierit idipſum, Sacerdotij honore indignum ſe reputans, dictitánſque; Se emimuerò factum eſſe ad miniſteria humiliora quælibet, quæ quidem dum demandata ipſi deinde identidem ſunt, ſeu neceſſitatis poſcente ratione, ſeu Superioribus laudabili obſecundantibus deſiderio, quaſi triumphans obibat, & ſcilicet exactiſſimè. Indidem illa alluſio, ex nomine petita, quâ ſe velut bouem dictitabat, vnis ferendis oneribus habilem (Gallica paranomaſia Latinè addi non poteſt:) & quaſi ita res haberet, ſic in aſperrimis illis itineribus grauiora ſemper ſibi onera ſumebat, ſi iter habendum terrâ erat; ſi vndâ, primus remum capiebat, ponebat extremus. Eam verò humanitatem tantâ condiebat comitate, vt non tàm alios ſubleuare, quàm ſibi ipſi ſatisfacere videretur. Annis totis duodecim, Superior, inferior, æqualis, vultu ſemper eodem fuit: nec vnquam in quotidianis illis laboribus, ærumníſque, in perpeſſione rerum duriſſimarum, in inſectationibus calumniâ pleniſſimis ſpeciem vllam præ ſe tulit iracundiæ, nedum indignationis, etiamſi conſultò laceſſeretur quandoque, pungeretúrque iis in rebus, quæ ſtomachum maximè moturæ eſſe viderentur. Semper, ait Gallicus Scriptor, oculi ſpiratunt benignitatem, verba lenitatem habuerunt, cor tranquillum, pacatúmque fuit. Nimirum altiori ex fonte hauriebat ſuauitatem tantam: anno quippe huius ſeculi quarto & triceſimo, dum Exercitijs S. Ignatij ſpiritualibus dat operam; Chriſtus IESVS videndum ſe ſe ipſi obtulit in ſpineâ coronâ, hæcque pauca fatus eſt. *Habebis deinceps vnctionem Spiritus in verbis tuis.* Atque eâ ſe ipſe donatum à Deo, agnoſcit in Obſeruationibus quibuſdam ad interiores rationes animæ ſuæ, quas conſcripſit. *Deus*, inquit (*quæ eſt eius bonitas*) *donauit me manſuetudine, benignitate, & charitate in omne omninò hominum genus: dedit mihi paratum eſſe animo, ad quidli-*

ANNVS MDCXLIX.

bet ſeu ſuſcipiendum, ſeu ferendum: iiſque talentis quæ credidit, voluit me & cæteris ad perfectionem, & alijs ad ſalutem ductorem eſſe.

MIRA autem facta ad eandem manſuetudinem acceſſio, anno quadrageſimo ſeculi: quo tempore poſtquam ſacris operatus erat, inter agendas de more gratias, ſentire ſibi viſus eſt manum quandam, cor ſuum, animæque facultates ſacro quodam balſamo inungentem: ex quâ viſione, inquit ipſe, ſumma animi mei pax, & tranquillitas conſecuta eſt. Eodémque illo anno, in ſolenni Exercitiorum ſpiritualium ſeceſſu, cùm, vt ipſe ſcripſit, in peccatorum ſuorum enormitate, vt loquitur, numeróque innumero contemplando defixus eſſet, vidit Dominum brachia ad amplexandum pandentem, ſummâ quadam amoris ſignificatione, confirmantémque, noxas omnes quas ad eam diem contraxiſſet, condonare ſe, & voluntariâ obliuione obruere: viſus quoque eſt benigniſſimus IESVS, infit, reſuſcitare in animâ meâ dona ſua, & gratias, vocaréque me ad ſe amandum, eadem inculcans quæ olim S. Paulo dixerat, Vas electionis eſt iſte, vt portet nomen meum in Gentibus: oſtendam ibi (ſic ſcriptum reperi: illi fortè reponendum) quanta oporteat eum pro nomine meo pati. *Quæ cùm audirem* (ſubiungit) *egi gratias: paratum me obtuli, dixíque; Quid me vis facere? Fac me virum ſecundùm cor tuum: nihil me in poſterum ſeparabit à charitate tua, non nuditas, non gladius, non mors, &c.* Hinc exarſit in feruido pectore, Martyrij cupido, & cruciatuum perferendorum omnium, quibus vſquam ſanctorum Martyrum tentata conſtantia. Certè Brebeufij conuerſatio in cælis erat aſſiduè, ambulánſque in carne, non ſecundùm carnem ambulabat, diuinis identidem ſpectaculis oblectatus, confirmatúſque, maximè ſi quid impendebat triſtius. Sic enim ferè aſſueuit Dominus Deus: ne imparatos ſuos vel obijciat, vel permittat Satanæ emiſſariis, occupat, monétque, ſi non dilucidè, propriéque quid immineat, certè imminere aliquid declarans, quò ſe ipſi ad illud, quicquid erit, animo comparent interim, nixíque illius vi ac numine, qui declarat, vadant intrepidi, vel per hoſtiles cuneos. Id adeò Brebeufius ſæpiùs expertus eſt: cúmque crebrò eum Chriſtus IESVS ſuo aſpectu ſub præſtanti quadam imagine dignatus ſit, Crux tamen ferè ſemper admixta eſt. Anno qua-

drageſimo ſeculi, dum hyemem agit in Natione Neuttâ, obuerſata eſt oculis Crux, inuſitatæ cuiuſdam magnitudinis, quæ ab Iroquiorum oris proficiſci videbatur. Id cùm ſocio inſinuaſſet, percunctanti deinde ſuper eâ re plura, illud modò adiunxit, molem tantam Crucis eiuſdem, viſam ſibi fuiſſe, vt non modò vnum quemlibet, ſed etiam quotquot erant ijs in oris è Societate IESV, continere poſſet. Aliàs, cùm altâ iam nocte oraret ſilens, obiectæ ſunt oculis ſerui Dei, Cruces quamplurimæ: has cùm magno animo amplecteretur vniuerſas, eáque iteraret. *Fiat voluntas tua: Domine quid me vis facere?* Vocem inaudit hæc ſuggerentem; Tolle lege. Poſtridie manè, cùm libellum de Imitatione Chriſti aperuiſſet, occurrit illicò Caput, *De Regiâ viâ ſanctæ Crucis:* ex quo tempore, inquit, ſenſi pacem præaltam in animo meo, & in obuiis rerum duriorum perferendarum occaſionibus, tranquillitatem. Anno quidem trigeſimo ſeptimo huius ſeculi, quo tempore, vt ſuo loco tradidimus, rumor aduerſiſſimus peruagabatur tractus Huronum omnes, Echom (nomen Brebeuſij Huronicum fuit) vnà cum ſocijs, popularem luem eas in oras inuexiſſe, quæ luctuoſas paſſim ſtrages edebat, vnde nihil propiùs factum, quàm vt cuncti finibus ijs cum dedecore exigerentur; terrorum laruas dæmonum ſæpè vidit, nunc furentium hominum ſpecie, nunc vrſorum, leonum, equorum indomitorum, qui ſe ipſi ad impetum in eum faciendum incitarent: at is nihil neque mente, neque corpore commotus; *Agite ſanè*, aiebat, *quæ Deus audere in me ſinet, ea facite: neque enim abſque eius nutu, vel capillus ex hoc capite excidet:* quæ cùm diceret fidens, enimverò cuncta ea terricula è-veſtigio euaneſcebant. Vidit item ſemel atque iterùm; Mortem, ſub imagine, primò tanquam exangue ſimulacrum, religatum ex palo, vinculáque quibus retinebatur, diffringere ſatagens, at incaſſùm: nam poſtquam è palo ſe ſe magno molimine expedierat, colligatis nihilo ſeciùs poſt tergum manibus, ad eius pedes imbelle ſpectrum collabi viſum. Rursùm, an longo pòſt interiecto tempore, an ſecùs, non proditur; cùm in Natione Neuttâ ageret, ſocio narrauit; Mortem eodem habitu viſam ſibi, intentantem minas: quæ ſpecies quò pertineret, cùm vterque ignoraret, poſtridie manè reſciuit Brebeuſius ex viro peramico, Præfecto

ANNVS MDCXLIX.

pagi, Huronem quendam infidelem, qui ab infidelibus populariбus legatus, paucis antè diebus aduenerat, nocte ſuperiori in conſilio obtuliſſe ſecures nouem, haud tenue ijs locis munus, quò vtrumque, hoc eſt Brebeufium ipſum cum ſocio, trucidarent: ſed re totâ nocte agitatâ, diſceptatáque, reſtitiſſe Præfectos, neque homines nullâ vnquam in re de ſe malè meritos vitâ priuare voluiſſe, quantumlibet intelligerent nihil, ſi humana ſpectares, ſubeſſe periculi; ac tum demùm Sacerdos vterque intellexit, quanta eſſet Domino Deo, quámque ſuauis ſui cura. Dignata quoque ipſum eſt ſuo conſpectu nonnunquam auguſtiſſima Deipara, nonnunquam S. Ioſephus: ac ſemel quidem vidit præcelſi montis in cliuo, innumerabiles Virgines ex ijs quæ iam in cælum receptæ, Deo fruuntur, ſic vt ab radicibus montis ad cacumen, quò altiores ordines erant, eſſent minùs numeroſi, donec ad ſummum peruueniretur; in hoc Regina Virginum vnà conſiſtebat.

AT NON PROPTEREA aut efferebatur animo, aut etiam geſtiebat, vt ſolent nonnunquam ij, qui minùs in vitâ ſpirituali verſati, ſi quid iſtius generis contigit, illicò altum ſapiunt: timebat contrà, vir ſapiens, quóque hæc vberiùs prouenirent, hoc demittebat ſe ſe magis, tùm vt Domino Deo gratum faceret, tùm ne quibus pateret verſuti hoſtis inſidiis. Illa verò eadem ſic habebat arcana, vt, ſi Superiores excepperis, verbum nullum vnquam de ijs cum mortalium vllo fecerit, mentionem rerum talium nunquam iniecerit: ac tametſi oſtendente Deo, ſpectabat haud rarò ſeu quæ remotis locis agerentur, ſeu quæ alij in mentis quiſque ſuæ penetralibus agitarent: ſemper tamen ijs quaſi ſemotis, ductum fidei, ratiocinationis, obedientiæ ſecutus eſt. Fuit cùm Deum in oratione appellans, illúdque vſurpans S. Pauli, quod perfamiliare habebat, Domine, quid me vis facere? audierit intùs in animo, idem illud, quod magnus olim Apoſtolus: *Vade ad Ananiam: & ipſe dicet tibi quid te oporteat facere:* ex quo tempore mirum in modum confirmatus eſt in ſuſcepto pridem conſilio Superioribus ſe ſe planè permittendi: quæ quidem virtus abſoluta in Brebeufio fuit, ait Scriptor Gallicus. Nam & abditiſſimos quoſque mentis ſinus ipſis aperiebat, candore haud minori, quàm parentibus pueruli ſoleant: & acquieſcebat

bat planè ijs quæ præſcribebantur, etiamſi ea naturali procliui- ANNVS MDCXLIX
tati repugnarent: & tantâ ſcilicet docilitate, vt non modò exteriùs ſe ad omnes eorum nutus conformaret; ſed etiam animum, iudiciúmque eodem flecteret, quâ maximè Obedientiâ delectari intelligebat Dominum Deum. Equidem ſimplicitatem columbæ cum ſerpentis prudentiâ pulcherrimo quodam nexu coniunxerat: nam cùm illum perſpicaciſſimo & ingenio eſſe & iudicio, ſapientiſſima reſponſa planum facerent, quibus, varijs quotidiè de rebus conſultus, & permagni momenti ſcilicet, præclarè admodùm ſatisfaceret conſulentibus; tamen de ſe ipſe tàm modicè ſentiebat, vt in ſchedis ſuis hæc, totidem verbis Latinis ſcripſerit, anno ſeculi primo, & trigeſimo: *Agnoui nullum in me eſſe talentum: tantùm, pronum me eſſe ad obediendum: mihi viſus ſum aptus ad ianuam cuſtodiendam, ad triclinium parandum, ad culinam faciendam. Geram me in Societate, ac ſi eſſem mendicus, per gratiam admiſſus in Societatem: & omnia mihi cogitabo fieri ex merâ gratiâ.* Afflictatio verò corporis tanta erat, támque aſpera, vt ad aſſiduos illos labores, quibus giganteæ vires vix pares fuiſſent, adderet quotidianam verberationem, quam nonnumquam bis in die iterabat, horrens cilicium, cingulum è ferro, extantibus muricibus, ieiunia frequentiſſima, vigilias in altam noctem, penè aſſiduè: quæ cùm eum perpetuò exercitum haberent, tamen ſibi eo in genere ſatisfaciebat nunquam. Id adeò cernere licuit ex ijs, quæ haud diu ante felicem è mortali vitâ exceſſum de ſe ipſe ſcripſit Vir humilis in paucis. *Timui meam reprobationem, eò quòd nimis ſuauiter hactenùs mecum egerit Deus; tunc bene de ſalute meâ ſperabo, cùm patiendi occaſiones ſe dederint.* Hinc, ſi quid accidebat, quod quoquo modo ex minùs lætis ſecundiſ-ve rerum euentibus (ex quibus ferè homines de ijs æſtimamus in vtramque partem, à quibus geſtæ ſunt, perperàm nos quidem plerunque) ad conceptæ de eo opinionis imminutionem pertineret; non modò non contraheretur animo, vt facimus magnam partem; ſed etiam exultaret, profiteretúrque apud eos, quibus intimos præcordiorum motus aperiebat; *Neutiquam hæc ſe reponere earum rerum in numero, quæ deprimere vulgò ſoleant, aut augere: nam vbi vbi eſſet, ſemper eſſe ſe altiore loco quàm vellet; nec magis ſuopte pondere lapidem tendere deorſum, quàm ipſe animo ad hu-*

ANNVS MDCXLIX.

millima quæque propenderet. Paupertatis autem ſtudium tàm ſeuerum in eo fuit, vt ne icunculam quidem ex ære haberet prorsùs vllam, nec verò quidquam aliud vtendum, niſi quod extremæ neceſſitatis ratio poſtularet. Hanc autem tantam, támque generoſam egeſtatem ſic vel in hac vitâ muneratus eſt is, qui cæleſtes opes Euangelicæ paupertati parauit in æternum tempus. Anno ſeculi ſeptimo & trigeſimo, oranti Brebeufio obiecit per imaginem, regiam prædiuitem, ſeu ſtructuram cerneres, ſeu ornamenta. Cùm præ mirâ pulcritudine vix ſatis compos eſſet ſui, beatus ſpectator, illúdque reuolueret animo, inquilinum tàm decoræ domus nullum eſſe; admonuit quidam; Illam regiam tàm præclaram ijs reſeruari, qui Dei causâ ſpretis ædificijs commodioribus, deſpicabiles caſas appetijſſent: vnde mira in audientis pectore exultatio. Caſtimonia illibata perpetuò fuit: ac tametſi ijs in oris tanquam ſuo in regno petulantia, laſciuiáque conſiſtit, tamen tàm intactus ſemper ab eâ contagione fuit, ac ſi in deſertiſſimâ ſolitudine verſaretur. Eam ſic aliquando probauit ipſe per ſe Aſmodæus. Mulieris formam induit, obiecítque ſe ſe verſanti Brebeufio loco quodam ab arbitris ſemotiſſimo, verbóque petulanti ad flagitium inuitauit. Hîc nihil commotus pudicitiæ athleta, frontem Cruce conſignauit, ne hilum quidem loquens: quo vel deſpectu ſui, vel robore ſpernentis erubuit ſpectrum, momentóque eodem euanuit. Neque mirum reſtitiſſe flagitio virum fortem, qui vel ad labeculas quotidianas vitandas, adamantinam afferret conſtantiam. Iam inde ab anno ſeculi trigeſimo ſcripſit in Enchiridio ſuo, nulli ſe peccati vel venialis generi adhæreſcere, neque veſani oblectamenti titillationem vllam, quæ ad illud impelleret, perſentiſcere: ab eo voluntatem ſuam adhorrere, tanquam ab hoſte maximè capitali: appeturúmque ſe potiùs Tartareos cruciatus, quotquot ſunt, quámque graues, quàm vt vel leuiſſimam culpam conſciſceret. Dixítque aliquando Sacerdoti cuipiam è Societate, incogitans, ſe, ex quo apud Hurones verſaretur, ne ſemel quidem immodico guſtatui in capiendo cibo indulſiſſe. Certè inter cetera quæ conſtituta viro Dei erant, illud ibidem in Enchiridio repertum: *Diſrumpar potiùs, quàm vt Regulam vllam voluntariè infringam.* Quod quidem propoſitum ne in vnis

ANNVS MDCXLIX.

exterioribus rebus putares hærere, adiungit continuò; *Nullum in corde commercium mihi habendum cum creaturis. Nunquam quieſcam, nunquam dicam ſatis.* Porrò, quindecim ipſis annis antè quàm emigraret, ſic de ſe ipſo tradidit: *Perſentiſco in me deſiderium moriendi ingens, quò fruar Deo: perſentiſco abalienationem quandam animi à vanis rebus creatis, quas in diſceſſu è vitâ deſerere oportebit vniuerſas: in vno Deo cor meum acquieſcit: extrà illum, nihili mihi cuncta, niſi ſi quid ad illum refertur.* Hæc tanti viri ſpecies, hæc imago, nullâ ſeculorum diuturnitate abolenda.

Patrum, Huronúmque, ex ſuperiore clade reliquiorum, in Inſulam S. Ioſephi migratio.

NVNC VT à cæſis paſtoribus ad alumnos redeamus: hæc tanta támque Tragica clades tantum iniecit terrorem, pagorum aliorum incolis, vt vno, eodémque omnes tempore flammas domibus quiſque ſuis iniecerint: tum, nullâ deinceps ſpe vllum vnum in locum coëundi, alij abdiderunt ſe ſe in penitiſſimos quoſque nemorum receſſus, alij petierunt lacuum fluminúmque quorumlibet remotiſſimorum crepidines & ripas, piſcatu fortè victitaturi: ita quæ ſedes S. Mariæ in Huroniæ vmbilico, atque meditullio ſita antè erat, momento non ſolùm ad hoſtium fines extrema eſſe cepit, ſed, etiam ſola, toto eo tractu, quàm longè latéque patet. Ergo Patres ab vicinis deſerti circà omnibus, implorato diu per preces diuino lumine, deliberant & ipſi, num eodem conſtituri deinceps loco eſſent, an aliò perrecturi; ac ſi aliò; quò potiſſimum? Ac manere quidem eo loco, neque tutum erat, neque è re Chriſtianâ: minimè tutum, quando non poterat vtique manipulus Gallorum paucorum ſuſtinere diu impetus tot hoſtilium agminum, quot breuî ingruiſſent: minimè verò è re Chriſtianâ, quandoquidem nihil ſpei ſupererat, cur deinceps conuenturi eò eſſent Neophyti, poſtquàm alij ad ea refugerant, quæ diximus loca, alij ad vicinas Nationes perrexerant. Quare, quando neceſſe prorsùs erat migrare aliò, ſpectare potiſſimùm ceperunt Inſulam quandam, diſſitam à Domicilio S. Mariæ, Occaſum versùs, leucas circiter ſexaginta. *Ekaëntoton* Hurones appellabant: ipſi, quoniam eò ad ſtabiliendam Miſſionem ſuperiore autumno perrexerant, Inſulam S. Mariæ nominauere. Arriſerat præ ceteris, quod cùm ab Algonquiniorum finibus propiùs abeſſet, non plurimum tamen ab Huroniâ recedebat:

ANNVS MDCXLIX.

vel quòd aditus illinc vndâ facilis erat ad Nationes Petuniam, Neutrámque, quæ vtraque expoſcebat inſtitutores: vel quòd indidem deſcendi commodè poterat ad Trifluuium, atque adeò conſeruari inſtitutum iam commercium Huronum, Algonquiniorúmque cum Gallis, quod planè neceſſarium erat: vel quòd piſcoſa eadem Inſula ſit in paucis, nec malignâ glebâ: ita vtrinque ſuppeditare annona potuiſſet. Sed dum hæc mente verſant, adfuere Huronum Præfecti, ad duodecim, coactíque in conſilium, expoſuere; Conſtitutum propè eſſe miſerandis populi olim florentiſſimi reliquijs, commigrare in Inſulam S. Ioſephi, decem modò leucas à Patrum Domicilio diſſitam: ſed niſi ſecum proficiſcerentur Patres, exploratum ſibi eſſe, proceſſurum nihil. Quare obteſtari ſe quàm vehementer poſſent, ne ſibi tàm ærumnoſo tempore deeſſent optimi vel Magiſtri, vel parentes: ſi vnquam de Huronibus benè mereri ſtuduiſſent, nunc profectò adeſſe diem egregij illius teſtificandi ſtudij. Si abeſſent Patres, intelligere ſe, perinde vt illos alios populares ſuos, quos ignis hauſiſſet, ferrumve ſuſtuliſſet, prædæ ſe quoque cum coniugibus, & liberis immaniſſimis hoſtibus fore: ſi adeſſent, nihil ſe formidare; quin, ſibi perſuadere, ſe truculentiſſimorum hoſtium impetus ſi non fracturos, eluſuros certè. Caperet eos miſeratio tot viduarum pupillorúmque fidelium: deploratam vitam omnium eſſe, niſi opitularentur. Ceterùm, quotquot erant Hurones Baptiſmi expertes adhuc, planè conſtituiſſe ſanctæ fidei nomen dare: ita Inſulæ incolas futuros ſtatim Chriſtianos omnes. Hæc poſtrema ſolicitatio inclinantes iam animos perpulit ad aſſentiendum tàm æquæ petitioni: nam tametſi torques decem prægrandes è conchâ veneriâ motus iam magnos mentium fecerant, non cupiditate potiundi (quid enim ijs ab auaritiæ ſordibus magis alienum, qui ſua largiebantur tantâ ſignificatione charitatis, vt intrà anni non totius curriculum, hoſpites iſtiuſmodi ad ſexies mille exceperint?) ſed tot Fidelium miſeratione, qui id quod pretioſiſſimum putabant, habebántque, ingerebant tàm liberaliter, atque adeò digniſſimi erant qui non deſererentur; tamen longè ſanè acrius incitamentum habebat tanta meſſis, non ſperatæ, ſed propè iam lectæ vbertas: Ergo quamuis initio ſuperius illud conſi-

lium retineret Patrum quisque apud se mordicùs, tamen Deum ipsum per homines optimos loqui interpretati, consensu statuunt pergere porrò, quò is vocaret: ipsum pro ductore fore, pro propugnatore, pro certissimo præsidio: vno verbo, omnium instar.

QVARE collectis ijs quæ auehi poterant, è supellectili sanè pauperrimâ, postridie Idus Iunias fortes incendiarij, flammam inijciunt tùm ædificio cetero, tùm Ædiculæ S. Mariæ, eo sensu doloris, quem æstimare quisque ex se queat, si tali loco esset: sed faciendum tamen fuit, ne quid profanus hostis irreligiosiùs aduersùs loci Deo dicati sanctitatem perpetraret: intráque horulam deflagrationem contemplati laborum, industriæque nouem ipsorum annorum, è nemore arbores succidunt sanè proceras, quarum ramis resectis vndique, truncos agunt in lacum, aptè inter se colligatos, ad eum ferè modum quo compingi in Galliâ temerè rates solent, ad ligna vndâ comportanda: ita placidissimâ tempestate Lacus eiusdem partem haud exiguam emensi, Insulam denique tenuerunt eam, in quâ Hurones ex condicto opperiebantur. Et ductorem, vt sperauerant, Deum profectò fuisse, paulò pòst deprehenderunt ipsi: nam eo ipso tempore quo desertas illas oras præteruehebantur, hostis in continente adfuit, postridiéque quàm appulsi erant, Christianas familias aliquot, quæ substiterant, noctu intercepit, somno oppressas. In Insulâ autem iam sementem noualibus Hurones mandauerant Indicæ frugis, tum, cùm Patres aduenerunt: sed spem messis adimebat æstus sanè immoderatior: itaque ab ijs insistere continuò, imbrem vt è cælo à Deo precibus exposcerent hoc articulo rerum: &, quæ fuit optimi parentis benignitas, eâ ipsâ luce, quamlibet ad siccitatem comparata adhuc omnia esse viderentur, pluit tamen. Ergo nouos hospites excepere immensa illa nemora, quorum arbores nulla ab orbe condito exciderat manus: ibi tellus ipsa per sclapides arenámque suppeditauit ad extruendam munitiunculam aduersùs hostium vel apertos impetus, vel insidias: ità, intrà paucos dies ea extitit, tàm ad artis regulas, vt cùm partes aliæ alijs præsidio essent, haud arduè propugnari posset, necignes, nec occultas suffossiones, nec scalas Iroquiorum verita. Manus item admotæ ad vallan-

ANNVS MDCXLIX

dum Huronum pagum, positum iuxtà : excitatis propugnaculis quæ hostibus aditum omni ex parte intercluderent : ac si tàm commodè arceri fames potuisset, consistere ibidem licuisset diu : sed macie confectos, squalentésque exegit denique esuries. Pagus casas numerabat plus centum : casarum nonnullæ ; octo decem-ve familias, hoc est homines propè octoginta : prætérque has, sparsæ erant hac illac per agros aliquot paulò remotiores. Nec verò malignè arua aratorum votis responderunt: etenim cum centesimo extulerunt, aut etiam copiosiùs: sed cùm quo tempore eò se receperant, nihil in insulâ nisi siluæ, saltúsque essent, atque adeò nouale nullum, nedum ager ad sationem habilis; vix è familiis decem vna fuit, quæ sementem facere potuerit. Et æstas quidem sic transacta, vt beatos se putarent Patres, quibus suis ipsorum oculis intueri liceret, quæ vix mente, votis-ve informassent. Facies erat primævæ Ecclesiæ illius, in quâ quot alumni, tot Sancti erant, non cognomine tenus, sed actione, officiísque virtutum præstantissimarum. Postquam è nocte horas duas, tres-ve, secundùm somnum, quo carere non poterant, decerpserant Patres ad agendum cum Deo, antè, quàm hominibus se se commodarent, vbi diluxerat, ventitabant Christiani in Ædiculam sacram, Sacerdotibus è toto numero designatis, qui alij ex alijs peragerent sacrificium, provt alij ex alijs Fideles conueniebant. Ibidem publicè, & voce contentiori decurrebantur statæ precandi formulæ, iuuandis ijs qui recentiùs in Fidelium numerum cooptati, eas nec tàm citò, nec tam facilè aliundè arripuissent. Præerat recitationi Sacerdos vnus: pergebant Neophyti, verba eadem citrà præcipitem festinationem reddentes. Absolutâ recitatione, habebatur familiaris institutio : hæc nonnunquam explicationem mysterij cuiuspiam complectebatur : nonnunquam proponebat incitamenta ad tuendam, retinendámque fidem, talia, vt audientium captum minimè superarent. Sæpenumerò hortabatur Catechistes ad aliquid, quod in vsu, atque in actione positum esset, ei luci sanctiùs, fructuosiúsque exigendæ, seu iuberentur Deo summo manè offerre diei totius operam, labores, ærumnas : seu suggereretur formula orationis iaculatoriæ nonnullius, quæ exteriorum occupationum velut mens esset:

ſeu erudirentur noui pugiles ad eludendas tetri dæmonis, corruptæque naturæ tentationes: ac ſi pro humanæ mentis inſtabilitate contigiſſet aliquando, ijs vt ceſſiſſent, quemadmodùm refugiendum ad Deum extemplò eſſet, poſtulandâ ſuppliciter veniâ: ſeu denique ad ſanctum illius amorem, atque ad ſempiternæ vitæ deſiderium extimularentur. Hæc vbi peracta erant, & quam-breuiſſimo quidem tempore fieri poterat, exibant è ſacello qui conuenerant primi; ſuccedentibus aliis cura par impendebatur: & ſcilicet cùm Ædicula oppleretur quandoque decies, duodecies-ve diuerſis, toties matutinæ eæ ſcholæ habendæ erant. Eodem autem illo tempore excipiebant Sacerdotes alij, ad ſe adeuntium confeſſiones, opportunáque monita addebant: quàm breuiter autem, ex eo conijcias, quòd intrà paucas horas cum ſexaginta ipſis Neophytis qui ſic egerit, Sacerdos ſit repertus. Sanè ſæpenumerò euenit, vt colloquia eius generis non quæ prolixiſſima, eadem continuò fructuoſiſſima ſint, neque flammas ſubijciant audientium pectoribus ad Chriſtiani officij decus, abſolutionémque acriores. Sub horam nonam matutinam clauſo ſacello prodibant Patres iidem, caſas luſtraturi diuerſi diuerſas obibant, ad veſperum vſque: quo tempore dato ſigno æris campani ſonitu, cogebantur denuò Chriſtiani ad preces publicas: eæ ad eundem modum peragebantur, quo antè: vtque manè, ſic veſpere ſacellum opplebatur. Atque hic ingenuorum Neophytorum plerique in ipſo ſacelli limine eâ gratiâ conſiſtere iuſſi, ſuo quiſque Moderatori exactæ lucis rationem reddebant: quoties eâ die de Deo cogitationem ſuſcepiſſent: quâ potiſſimum re ſuam illi fidem probaſſent, num opellam illi dicaſſent ſuam: num famem quam tolerabant, num ærumnas ceteras: num quid prauè conſciuiſſent, num quid perpetraſſent delicti? Hæc verò eo mentis candore ab iis aperiebantur, vt barbarum agnoſceres nihil, demirarere potiùs ingenuitatem talem, qualis infantulorum eſſe ſolet, filiorum Dei characterem, certiſſimum. Semper Catechiſtas nox occupabat priùs, quàm vellent: eandem tamen haud iniucundè amplectebantur, quòd facultatem ſuppeditabat agendi cum Deo, ad eúmque redeundi: ſi ab eo tamen diſceſſiſſe putandi, qui de vno illo cum hominibus tractauerant. Hæ

ANNVS MDCXLIX.

Patrum erant occupationes in illâ quondam Barbarie, tunc per fidem manſuefactâ: híſque modis comparabat Dominus ad perennem felicitatem eos, quibus inſtabat in terris exitium.

NAM DVM TAM præclarè procurabantur animi, miſeranda ſanè erat ex fame, corporum facies. Et æſtatem quidem, vnà cum autumni parte aliquâ, ſic traxerunt, vt radicibus, ſilueſtribúſque baccis, & piſciculis paucis, quos ex lacuum, fluminúmque ripis captabant, mortem arcuerint potiùs, quàm vitam duxerint: at ingruente hyeme, niuibus iam paſſim ad ternos quaternoſ-ve pedes extantibus, lacuum, amniúmque vndis concretis glacie, cùm deinceps quò ſe verterent, neſcirent; miſeranda turba ad Patres tota confluxit: circumpoſitáque, opem ipsâ re potiùs, quàm oratione expoſcere cepit aduerſùs eam penuriam, cui nullo modo obuiam ire licuerat: quando quod in penum reſeruarent, ſuppeditaret nihil. Cerneres corpora exanguia, exſuccáque, abutentium ad eſcam retrimentis ipſis, ſordibúſque naturæ. Quod exquiſitiſſimæ epulæ Gallorum delicatioribus, id miſeris maximam partem glans erat: horroris nihil ciebant cadauera refoſſa, ſemeſa-ve à canibus: quin, illa venabantur, clàm tamen: nam tametſi antè quàm lux Euangelij infidelitatis caliginem depuliſſet, non plus à ſe peccari putabant Hurones, mandendis hoſtium corporibus, quàm cædendis; ſemper tamen popularium ſuorum cadaueribus peperceranr, à quibus non minùs abhorruerant, quàm ab humanis vniuerſè carnibus Galli, Europæíque paſſim omnes: ſed nimirùm vt inter arma, ſic extremâ in eſuriè leges ſilent: neque quid mandant, aduertunt ſatis dentes famelici. Matres repertæ, quæ filiorum veſci carnibus non horruerint, fratres fratrum, nec defuere filij, qui extincto in cadauere minimè agnoſcerent eum, quem genitorem paulò antè vocitauerant. Ac tàm prodigioſam quidem indigentiam ſubleuare quoad licuit, contenderunt Patres, & vltrà fortaſſis, quàm ferret prudentiæ ratio: verùm, cùm ea longè latéque graſſaretur, nec æquè omnibus proſpicere liceret, coacti ſunt haurire oculis ſpectacula ſanè pleniſſima horroris. Nam vt nihil ad calamitatum cumulum deeſſet, qui ſe tutari aduerſus famem qualicunque ſuâ induſtriâ potuiſſent

ANNVS MDCXLIX.

potuiſſent, eos morbus inuaſit peſtilens, hoc eſt, qui contagione ſerperet: hic ſuſtulit quamplurimos. Hæc verò lacrymas eliciebant pijs Sacerdotibus: & abſque operâ eorum fuiſſet, longè plures interijſſent. Et mirum fuit, atque adeò acceſſit ad miraculum, inquit Scriptor Gallicus, ſuppeditaſſe ipſis tandiu, non modò vnde alerentur ipſi, ſed etiam vnde in publicâ illâ calamitate benefacerent aliis. Antè quàm tellus niuibus incanuiſſet, glandis numerum maximum coëmerant, ad modios ſcilicet propè ſexcentos: carnes piſcium, ad fumum exſiccatas, ab Algonquinijs pretio comparauerant, dimiſſis eam in rem hac illac canois, ad leucas octoginta, aut etiam centum: exiguum verò illud quod in penum reſeruauerant frugis Indicæ, habuerant ab Huronibus, quo tempore annonæ apud eos vilitatem vbertas fecerat. Ita ad locum vnde exierant flumina, reuerſa ſunt. Dum obibant caſas, obſeruabant ſedulò, qui egeſtate maximè premerentur: ijs pro teſſerâ æris fruſtulum dabant certâ impreſſum figurâ, quo poſtmodùm repræſentato ad fores eorum domunculæ, ſub meridiem, diſtribuebatur, aliis glandis aliquantum, coquendum ab vnoquoque, ac primùm quidem lixiuiâ quadam elixandum, quæ amaroris partem maximam abſtergeret; aliis piſcium illorum fumo ſiccatorum particula: omnium optima conditio putabatur, ſi quibus dabatur farinæ demenſum exiguum ex fruge Indicâ: his officiis vnumquemque videlicet ſibi demeruere: vt quæ extrema calamitas, ſi humana ſpectares, cenſeri debuit, eadem in ſingulari Dei munere, ſi vitam illam alteram intuerere, nullo vnquam tempore terminandam, numeranda fuerit. Tàm dociles ad fidem mentes afferebant, vt apud eos verbulo vno plus tum efficerent Apoſtolici operarij, quàm vel annuis inſtitutionibus feciſſent vnquam. Cùm fame interirent, itabant ad eos vltrò, vtque ſe facturos receperant, ita Baptiſmum flagitabant qui nondum fuerant initiati: eâ ſe conſolatione erigentes, fore, vt quàm propè abeſſent à morte, tàm propè abeſſent à perenni illâ felicitate, quam deprædicarent Patres. In iis mulier fuit infantulorum trium, quatuorve genitrix, quæ cùm non plura vbera haberet quàm duo, eáque inania, & exſucca, nihílque ſuppeditaret aliunde vnde eos aleret; alios ex aliis ſuo ipſius in gremio morientes vidit,

ANNVS MDCXLIX.

ipſa eâ in virium imbecillitate, vt ne propellere quidem in tumulum poſſet emortuos, atque adeò ſub eo fatiſcens onere. Et tamen in extremâ illâ deſtitutione Deum compellans; *Enimuerò*, aiebat, *vitæ noſtrûm vniuſcuiuſque ſummus es arbiter: emoriemur, quando placitum tibi: præclariſſimè verò nobiſcum agitur, quod morimur Chriſtiani: niſi mors ſic interciperet, & me, & filijs meis actum in ſempiternum erat: nunc, cum vnà mecum per Baptiſmum regenerati ſint, vt vnà morimur, ſic vnà reſurrecturos certiſſimè mihi perſuadeo.*

ALIAM cùm occumberet prior, & tàm placidè quidem, quàm ſi ſopori ſe ſe ſuauiſſimo daret, nihil mouerunt infantuli duo, matris reptantes in ſinu: ij, luctuoſo ſanè ſpectaculo, demortuæ vbera ſugere non deſtiterunt, donec ipſos quoque ibidem mors oppreſſit, ad eundem ferè modum quo ſæpè aliàs, dum indidem vitam cum lacte ducebant, ſaturis obrepebat ſomnus. Multi in extremo ipſo ſpiritu animas ſuas commendabant Deo: nonnulli, ſuperſtites liberos admonebant, ad eundem rerum omnium procreatorem ac parentem, ſpes omnes ſuas, cogitationéſque transferrent: fuere, qui cùm exiguum illud quod habebant reſidui, dediſſent in elixæ glandis tantulum, vt non inde pluries quàm ſemel refici liceret, diſtraxiſſéntque demùm veſtis illud reliquum, quod reſeruauerant adhuc, idcircò, vt ne quàm nudi è matris aluo prodierant, tàm ſpoliati emorerentur, poſtquàm eo deinde ſe amictu carere videbant; Nunc enimuerò (aiebant ad Deum pro ſe quiſque conuerſi) nihil mihi in terris ſupereſt, neque verò ad terram deinceps cor iſtud adhæreſcit: quam mortem aliàs tantopere reformidaui, eam nunc præſtolor hilaris, eâ ſpe nixus, quam ſancta fides ſufficit, hoc me in tuâ regiâ beatiorem futurum, quò nunc ſum calamitoſior. Vniuerſè verò, vbi mentis aciem in ærumnas ſuas retorquebant, finem nullum faciebant collaudandæ Patrum pietatis, iiſque certatim benè & dicebant, & precabantur: neque immeritò: quando nullus calamitoſorum fuit, qui non in ijs plus vel ſtudij, vel præſidiorum repoſitum inuenerit, quàm in eorum vllo, quibuſcum arctiſſimæ ſibi neceſſitudines interceſſerant. Hinc grati animi ſenſus, extans non magis in ſermone, quàm in oculis; hinc fiducia, fore vt qui iucundiſſima illa fomenta deploratis

ANNVS MDCXLIX.

in vitâ adhibuerant, ab ijſdem ne poſt obitum quidem deſererentur. Nec verò eos fefellit opinio: quam curam ſuſcipere recuſabant neceſſarij ipſi, tegendi humo corpora, eam in ſe vltrò è patribus quidam vnà cum Gallis aliquot domeſticis tranſtulerunt. Atque vt intelligas quantopere mutata pia pectora eſſent, retento naturali ſenſu de immotalitate animorum, qui barbari ante annos aliquot ſuo ſecum in ſepulcro recondi volebant cibaria, remos, torques, crepundiáque iſtius generis ridicula; nunc fidei luce colluſtrati, nihil aliud mutuebant, quàm ne nudi artus poſt obitum relinquerentur. *Age quæſo, mi frater, aiebant, nunc iam compone me tumulo: actum ſiquidem eſt vita mea, iam nunc accenſere me potes mortuis. Illud metuo, ne ſi emori me ſiueris antè, quàm tumulatus ſim, adueniat poſtmodùm aliquis æquè egens, ac nunc ipſe ſum, & centonem hunc eripiat, quo vtcunque membra iſta conteguntur, obtegendis ſuis. Si me iam nunc infoderis, hæc poſtmodum animam agenti ſuppetet conſolationis ſeges, fore vt poſtquam exceſſerit animus, non perpetiatur corpus id quod in vitâ horrui, vt fœdè relinquatur nudum.*

Petuniæ nationis clades.

IN EA Inſularium calamitate tantâ, quantâ vix putaretur vlla poſſe eſſe grauior, acceſſit tamen tanquam ad cumulum acerbiſſimus prætereà nuncius. Ad exeuntem Nouembrem Chriſtiani Hurones duo è manibus elapſi Iroquiorum adfuere, ſignificauerúntque, hoſtibus, qui certiſſimè aduentarent ad trecentos, haud dum conſtitutum fuiſſe, ad Petuniam nationem, an ad inſulam illam S. Ioſephi pergerent. Ad eam denunciationem re in deliberationem vocatâ, conſtitutum, opperiendum hoſtem eſſe: neque enim tàm afflictam videri Coloniam, vt non facile eſſet prædones arcere cum ignominiâ: intenderentur modò cuſtodiæ, neque vllus bellatorum ex inſulâ excederet. Nec ſeciùs miſſi continuò ad Petuniam nationem, qui hæc ipſa ſignificarent: & ab ijs exceptus nuncius non cum metus, ſed cum gaudij ſignificatione: quippe hoſtile illud agmen pro ſegete, materiáque triumphorum fore. Et fortaſſis res ſic habuiſſet, ſi immoti ipſi quoque, hoſtem fixo, quod aiunt, veſtigio expectaſſent in pago aptè vallato: ſed quaſi tæderet tardioris victoriæ, mouent inconſultè ac temerè, in Iroquiorum præſidentes

ANNVS MDCXLIX.

pugiles, penè nullo relicto domi ad præsidium: & quasi in illâ vastitate non vndique pateret accessus, dum illac pergunt, quà aduentare hostem sibi persuaserant; miserè elusi exitium sibi suisque creauere. Procedebat Iroquius alio itinere, seu consultò à recto tramite deflexisset, seu æquè breuis eadem, & commoda via erat: & ad infortunij cumulum, dum à pago abfuit iam propiùs, ex obuijs paganis duobus, viro feminâque quos cepit, discit quo loco res esset: illud potissimùm, quo nihil potuit esse optatius, bellatores maximam partem abesse. Ità occasione tàm præclarâ vtendum rati, prædones celerant, ad cædem iam, flammásque imbellem plebem designantes. Ad VII. Idus Decembres, impetum in pagum fecere, inclinanta iam die in vesperum: nec magni moliminis fuit locum obtinere neque munitum, neque instructum propugnatoribus. Eorum qui supererant virorum, alij in primâ impressione dum resistunt, cæsi: alij fugâ sibi consuluere: alij non antè hostis senserunt aduentum, quàm immissæ in casas flammæ incurrerunt in oculos: capti reliqui: senes, puerique, & quicunque properantes minùs celeriter sequi posse putati, confossi sunt. Ac tametsi maturandum sibi intelligebant sicarij, ne ab reducibus bellatoribus interciperentur, atque adeò non per otium, vt assolent, crudelitatem totam in miseros effundere licebat; sæuiêre tamen in insontem turbam immanissimè. Matribus erepti truculentè filioli conijciebantur in rogos: contrà, cùm matres arderent in flammis, vel mussare vetiti filij spectantes, interfectáque est in vestigio Christiana mulier, quod minùs aduersùs naturæ sensus obfirmata, filij sui mortem deflebat.

P. Caroli Garnerij mors.

E PATRIBVS Societatis vnus tunc aderat, Carolus Garnerius, dum hostis primum aduenit, in suis instituendis occupatus, eorúmque in casis versans: huius enim pagi, quem S. Ioannis appellauerat, ipsi incumbebat procuratio, adiuncto socio eo, de quo mox dicemus. Carolus igitur clamoribus tumultúque excitus, vbi quo loco res esset, suis ipse oculis comperit, continuò tanquam in cæleste asylum, sic in sacram Ædiculam se recepit, quò iam Christiani aliquot confugerant: &; *Actum nobis est*, inquit intrepidus; *actum nobis est, fratres mei: precibus vos quisque Deo commendate, tum capessite fu-*

ANNVS MDCXLIX.

gam, quà dabitur: ac quocunque pergetis, fidem ferte comitem: hæc nuſquam vos deſtituat: mórſque, ſi ingruerit, cum Deo veſtro agentes opprimat. Secundum hæc benè precatur trepidis, ipſe erecto vultu, animóque: tum exit continuò, morientibus opitulaturus. Et complures quidem effugiendi nacti opportunitatem, Carolum de fugâ ſecum capeſſendâ vehementer interpellant: at is Chriſtianæ charitatis vinculis irretitus, negat ſe poſſe tali tempore excedere: diſcederent ipſi porrò, & quamcelerrimè, ne nihil promouendo, ſibi conſulendi occaſionem amitterent. His valere iuſſis, quà ſe cunque dabat rei Apoſtolicæ gerendæ occaſio, eò vir diuinâ flammâ ſuccenſus accurrere: abſolutionem impertiri obuijs: per caſas, ardentes iam, infantulos ad Baptiſmum quæritare: Catechumenos ſacrâ vndâ medijs in rogis reſpergere. Atque ijs in curis, præclaróque in munere fortem virum mors occupauit: glandes plumbeæ duæ Chriſti militem proſtrauerunt, altera infrà pectus ſe ſe inſinuans, altera lacerato ventriculo primùm, mox icto grauiter femore. Cùm corruiſſet; adſtans qui ſclopum in tanti viri necem diſploſerat Barbarus, iacenti togam eripit, tum relinquit in ſuo ſanguine natantem, fugientes Hurones inſecuturus: & Carolus nihil fractus animo, viſus poſtmodum iunctis palmis preces in cælum iaculari: tum, quà licebat, reſpectans vndique, ac vel eo articulo in fratrum ſalutem intentus, cùm haud procul Huronem quendam deprehendiſſet æquè letali vulnere ſaucium, ſic, vt vitæ tamen reliquiæ nonnullæ adhuc ſupereſſent; vt potuit, erigit ſe ſe in genua: tum, precatus aliquantulum, ſurgit, greſſúmque molitur ad deploratum, acturo mox animam, ſi licuiſſet, adfuturus. Sed vix tres quatuor-ve paſſus progreſſus, relabitur denuò, nec ſine graui exhauſti corporis quaſſatione, dein progredi conatur iterùm: verùm, tanta cruoris è vulneribus copia manabat, vt ſubſidendum planè fuerit. Quid deinceps egerit, pertulerit-ve, haud compertum: quippe Chriſtiana mulier cruentæ ſpectatrix Tragœdiæ cùm hactenùs cuncta attentiſſimè obſeruaſſet, & ipſa vulnus excepit luculentum, ab alio Barbaro altè in caput impactâ ſecuri: cùm effugiſſet tamen, deinde hæc quæ perſcripſi ad Patres retulit: ſed animaduerſum inſuper, vbi receptum corpus eſt, præter vulnera illa quæ diximus,

ANNVS MDCXLIX.

libratâ insuper securi, quassata tempora hinc inde fuisse sic, vt extaret cerebrum. Ceterùm, quæ nox funestam cladem excepit, infesta circùm terroribus fuit, tumultúque & trepidatione, ex metu hostis sanè vicini: sed postridie sub auroram renunciatum ab excursoribus, Iroquium prorsùs recessisse. Eo accepto nuncio, duo è Societate Sacerdotes, qui vicinam Missionem accurabant, ad desolatum pagum tendunt, oculis ipsi suis vsurpaturi spectaculum luctuosissimum illud quidem, at dignum Deo. Vident cadauera vel sparsa, vel superposita alia alijs: quædam in communi incendio deflagrantia, quædam in suo ipsorum mersa sanguine: spirabant adhuc Christiani aliquot, mortem in momenta singula expectantes, tantâ animi æquitate, vt extremo illo tempore Domino Deo tranquillè pacatéque benedicerent. Tandem medio in pago qui fuerat, thesaurum illum deprehendunt, cuius causâ venerant, hoc est corpus Caroli, sed tàm dispar, si oculos consuleres, vt cùm nullâ certâ notâ dignosci ab ijs potuisset, præteritum relinquerent, nisi monuissent Christianorum indigenarum quidam, has esse profectò exuuias optimi sui parentis, qui suâ causâ occubuisset. Quia nudum corpus erat, ereptâ veste à sicarijs, attritorum centonum partem, quibus ipsi vtcunque tegebantur, cessere demortuo Patres: tum, loco planè derelicto, eodem illo tamen, vbi priùs Ædicula fuerat, mandauere depositum magni sanè pretij, iustis magnâ indigentiâ rerum ceterarum, magnâ charitatis, pietatísque significatione persolutis: & quoniam nonnulla suberat formido, ne hostis simulato insidiosè recessu, illicò repedaret, nullâ interpositâ deinceps morâ, ad suam se properè sedem recepere. At reuersi temerarij bellatores biduo pòst, quàm captus, incensúsque pagus erat, vbi propiùs adfuerunt, conspexerúntque in fauillâ, cadauera parentum, coniugum, liberorum; enimuero tanquam illi quondam amici Iob, attoniti dimidiam ipsam diem alto in silentio hæserunt, considentes humi, de gentis more, oculis ita deiectis, vt nunquam toto eo interuallo sursùm respexerint, sed immoti tanquam statuæ, sine gemitu, sine motu, ne intuiti quidem sint alij alios: incusantes se, vt procliue creditu, vehementer intùs in animo, quòd præproperâ illâ suâ temeritate & confidentiâ, publicum priuatúmque exitium

ſibi ſuiſque creaſſent. Porrò is luctus virorum eſt apud Nationes eas : nam lacrimas quidem, & lamenta, & eiulatus tanquam fortibus animis indignos mulieribus relinquunt.

VT AD CAROLVM Garnerium reuertamur, natus eſt is Lutetiæ, anno huius ſeculi quinto, admiſſus in Societatem anno eiuſdem ſeculi quarto & viceſimo : ita obijt annos natus haud dum quinque & quadraginta, in munere planè Apoſtolico, in quo totus fuerat ab anno milleſimo ſexcenteſimo triceſimo ſexto, quo Galliâ excedens, ad Hurones penetrarat. Inde à primâ pueritiâ ſenſus habuerat ingentes pietatis, tùm in omni genere, tùm potiſſimum ergà auguſtiſſimam Deiparam, quam matrem appellare conſueuerat, & à quâ prædicabat geſtatum ſe in brachiis toto adoleſcentiæ tempore, ínque Societate collocatum. Hinc votum ab eo conceptum ; Immaculatam eius Conceptionem ad extremum vſque ſpiritum propugnandi : & idcircò fortè ad illius feſtæ lucis peruigilium in cælum tranſlatus eſt, vt beatam illic vitam ab optatiſſimâ iucundiſſimáque cerimonia auſpicaretur. Non niſi ægerrimè à patre facultatem extorſit ineundæ Societatis : cúmq; is ille eſſet cui plurimum deberemus, nihil apud Superiores aſſiduæ Caroli preces, poſtulationéſque effeciſſent, niſi genitoris conſenſus acceſſiſſet : qui quidem ſi tàm propè grauatè diuelli à ſe percharum tunc filium paſſus eſt, multò difficiliùs decennio pòſt acquieuit ardori incenſiſſimo, quo Nouæ-Franciæ Miſſionem flagitauit. Atque eâ re mora idcircò obiecta videri potuit, vt ſtudium illud inde vſque ab initio vehemens, magis deinde ac magis inflammaretur : ita diurnæ nocturnæque cogitationes eius, omnes in Barbarorum ad IESVM Chriſtum conuerſione defixæ erant, ínque optando votis omnibus, eâ vt in procuratione vitam ponere liceret. Ergo annum totum poſuit in expugnando bono parente, cum naturæ motibus dimicante, qui illius mentem acerrimè intereà pertentabant : ſed cùm Carolus ſuper amicos, lacrimas inſuper, preces, afflictationéſque corporis toto eò interuallo temporis perſtudiosè interponeret, his ſcilicet artibus victus pater, ceſſit tandem plaudenti filio, lucémque eam inter totius ætatis candidiſſimas numeranti. Dum tranſmittit, in naui ipsâ mirabiles motus animorum ad Chriſtianæ virtutis decus exciuit : illud præclarum, quod cùm nau-

ANNVS MDCXLIX.

ticâ in turbâ quidam eſſet, homo impius, qui tàm ſui, quàm Dei negligens, decennium totum homologeſim declinauerat, inuiſus omnibus, ipſe viciſſim omnes fugitans, Garnerius miſerum aggreditur iam propè de ſempiternâ ſalute deſperantem, atque adeò triſtiſſimâ lancinatum ægritudine animi; & aſſiduâ ſignificatione charitatis quibuſcunque potuit officiis conteſtatæ, obſtinatam illam mentem flexit, perpulítque ad inſtituendam confeſſionem ſcelerum vitæ anteactæ totius: ex quâ conſecuta tanta pax animi, tantáque lætitiæ interioris vbertas in deiecto illo antè pectore, vt omnes piè commotos ad admirationem traduceret ſui. At Carolus vbi primùm Hurones attigit, in ſe ipſe formam exhibuit *operarij inconfuſibilis*: quippe ijs præclarè inſtructus donis erat vel naturæ, vel gratiæ omnibus, quæ requiri in ijs ſolent qui Miſſiones obeunt tàm laborioſas. Et vernaculum quidem idioma tàm feliciter arripuit, vt Hurones ipſi mirarentur: in eorum autem animos tàm altè ſuâ ſe ſuauitate inſinuabat, vt cunctos ad ſe raperet. Complures ad Deum traxit vnis oculorum obtutibus: nempe Angelici ij erant, congredientibúſque & pietatem inſpirabant, & caſtimoniam, ſeu preces funderet, ſeu ex collocutione, atque actione cum proximo, animum ad interiora colligeret, ſeu de Deo ageret, ſeu ex charitate tractaret aliud quidpiam laxamento affinius: ita qui amor Dei ſummum eius in mente locum tenebat, vim diuinam quandam transfundebat in cuncta quæ indidem proficiſcebantur.

VIRTVTES EIVS omnes præſtantiſſimæ erant: nec vlla carebat earum laudum, quibus qui ſunt ornati, & pro Sanctis habentur, & Sancti ſunt. Obedientia talis, vt & comparatus eſſet animo ad omnia quæ iuberent Superiores, & abſiſteret nec grauatè ab omnibus, à quibus auocarent: demiſſio animi tanta, vt tametſi nihil non erat in illo eximium, tamen non modò ſe vltimum reputaret eorum, qui Miſſionem illam procurabant, ſed pro ſeuerâ quâdam in ſe Dei animaduerſione putaret, ſi à quopiam, aliquo ſe in numero duci ſentiret: neque eâ re vlla ferè ipſi poterat grauior accidere. Conſtat, ſi quando id incideret, eum, vt ijs à quibus eius virtus ſuſpiciebatur, viliorem aliquam ingeneraret de ſe opinionem, aperire ſolitum ea de ſe, quæ cum labeculâ aliquâ coniuncta

ANNVS MDCXLIX.

coniuncta videri poſſent: ratum fore, vt ſe deinceps eo nomine alij quoque cum horrore aſpernarentur. Oratio tàm reuerens ſpectantis Numinis, támque quieta, vt vix ab eo quod meditandum ſuſceperat, vllo exoticarum imaginum occurſu auocaretur, ijs licet in occupationibus poſitus, quæ in alijs hominibus mentem aſſiduè vellicent. Vbi primùm orare ceperat, exardeſcebat in ſuauiſſima cum Deo ſuo colloquia, in affectus, in ſenſus amoris: atque ille ardor deinde ad finem vſque precationis intendebatur. Par amori Mortificationis ſtudium: hanc dies noctéſque exquirebat, ſemper duriter cubans, ſemper ſuo in corpore partem aliquam circunferens Crucis. Quoties ſe recipiebat è longinquis illis Miſſionibus, toties exacui curabat ſtimulos zonæ ferreæ, quam ad nudam carnem applicitam geſtabat, horrentem cuſpidibus: adiungebat perſæpè flagelli vſum itidem ferrei, crebríſque infeſti ſpiculis. Victus ratio haud alia, quàm indigenarum, hoc eſt tàm deſpicabilis, vt mendicabulum nullum in Galliâ ſit, quin commodiorem nanciſcatur: hoc quidem anno poſtremo in deplorandâ illâ fame ſeruo Dei pro delitiis erant glandes, radicéſque arborum amarore imbutæ pergraui, ei præſertim qui ab incunabulis molliter educatus in amplâ, & locuplete familiâ, cibis profectò aſſueuerat alijs, atque ijs quibus veſci ſolent ſues. Scripſerat ad illum Superior paulò antè, quàm è viuis ereptus eſt. videret num ad attritam tot laboribus valetudinem reparandam, viréſque reficiendas, conſentaneum videretur, Domunculam Societatis ad breue temporis iuteruallum repetere: at is triduo ante glorioſam necem reſcribens, complures attulit rationes, cur manendum ſibi neceſſariò in ſtatione eſſet. *Illud quidem non inficiabor* (aiebat inter cetera) *me nonnihil moleſtiæ perferre ex fame, at non ad mortem vſque. Adhuc conſto, (quæ Domino Deo ſit gratia) & ſanis artubus, & mente vegetâ: neque verò hinc quidquam pertimeſco: illud metuendum magis, ne ſi tàm calamitoſo, támque formidoloſo tempore gregem deſeruero meum, deſim opportunitati quam offert Deus, eius causâ perdendi animam meam. Nimia ſemper mei mihi cura eſt: ac ſi prouiderem fore vt me vires deficerent, vtique, quando iubet V. R. hinc excederem: ſemper enim ſic ſum animo comparatus, vt cuncta abdicem quò Obedientiæ immoriar: extrà eam, nunquam committam*

ANNVS MDCXLIX.

vt deſcendam de Cruce, cui me affixit Domini mei bonitas.

ATQVE ij ad eximiam ſanctimoniam impetus inde à primâ ætatulâ obſeruari in Carolo potuerunt. Iam tum indicia in eo virtutis non vulgaris elucebant: vt ijs accenſeri iure poſſe videatur, quos ſingulari quodam munere benigniſſimus Deus & ab omni labe ſeruauit intactos, & inde vſque ab initio prouexit ad ſublimia. Cùm in menſes ſingulos ſuauiſſimus parens ſoleret filiis pecuniolæ nonnihil elargiri, quam quos in vſus maximè vellent, transferrent pro arbitratu; Carolus tum temporis in Pariſino Societatis Collegio conuictor, peculium ſuum illud, quibus diebus è ſeptis exire ad relaxandum animum fas erat; non ad ſphæriſterium, vt plerique, ſed ad captiuorum Arculam conferebat. Fuit, cùm vnâ eadémque die in eoſdem captiuos effuderit quidquid pecuniæ in menſis totius oblectamenta à parente tulerat: fuit, cùm per Pontem Nouum, qui dicitur, iter habens, ex Bibliopolâ librum coëmerit impudicum iuxtà, & impium, ne ab aliquo emeretur, qui indidem occaſionem arriperet offenſionis alicuius in Deum: ſic autem eum pretio comparauit, vt lacerarit continuò, ne ab vllo vnquam lectitari deinceps poſſet: fuit, cùm familiaribus quibuſdam ſuis in cœnopolium ingreſſis ad curandum genium, Carolus, qui iam tum nomen dederat Sodalitati auguſtiſſimæ Deiparæ, memor Regulæ, quâ ſodalibus cauponarum aditu interdicitur, maluerit pediſſequi in morem ad fores præſtolari, dum finem comeſſandi feciſſent, quàm ſuſpectum tectum ſubire. Itaque nil mirum, ſi idem ille genitor certior factus à Societatis Sacerdote, filium ſuum eandem cogitare, hanc ad eundem Sacerdotem orationem habuerit: *Niſi veſtram Societatem diligerem vnicè, nunquam vobis donarem filium, talem vt à primâ retrò infantiâ ad hanc diem nunquam non dicto audiens fuerit, nunquam mihi dicto, facto-ve vllo ægritudinem vel leuem attulerit.* Ab ipſo quidem vſque Religioſæ vitæ tyrocinio, Angelo ſimillimus fuerat: modeſtiâ tantâ, vt tyronibus aliis pro ſanctimoniæ ſpeculo proponeretur: de extremis autem annis vitæ eius duodecim, aſſeuerat de illo idem ille qui ſuperiora tradidit, toto eo interuallo, ſi neceſſariæ quietis tempora dempſeris, vix horam vnam fluxiſſe, quin animo volueret deſtinatum illud, maiores in dies progreſſus

faciendi in viâ Dei, ad idémque proximum impellendi. Id ſi excluderes, nullâ prorſus re afficiebatur : quia delectabant vitæ æternæ iucunditates, non angebant ærumnæ. Omnia ſua in Deo repoſita habebat : extrà Deum, cuncta putabat pro nihilo. Ægrotos baiulabat humeris ad vnam & alteram leucam, quò eorum ſe in animos inſinuaret, conciliatóſque ſibi ablueret poſtmodùm ſacrâ lymphâ : & quò id beneficij impertiri liceret vel alicui animam agenti, vel captiuo illâ luce comburendo ; per ardentiſſimos æſtus viæ ducem anhelo ſequens pectore, leucas decem, nonnunquam ad viginti emetiebatur. Illo eodem inuicto ardore actus, per altiſſimas niues, hybernáque frigora noctes totas exegit aliquando inuijs in callibus, ſic vt ipſe quo demùm loco verſaretur, neſciret. Quo tempore ſæuiebat lues illa peſtilens, dum ipſi ſociíſque occludebantur paſſim Barbarorum tuguria, ſermóque nullus erat, niſi de Gallis mactandis ; non modò imperterritus pergebat eò, vbi opportunitatem putabat oblatum iri vel vnius animæ emittendæ in cælum, ſed etiam obiectos omnes obices perrumpebat, ac per vim nonnunquam: &, quod diuinæ cuidam opitulationi, non humanæ induſtriæ tribuendum, vbi primùm pedem aliquò intulerat, manſueſcebant illicò corda Barbarorum. Sanctorum Angelorum opem implorabat aſſiduè, nec fruſtrà: tradidere Huronum nonnulli, quos ad mortem piè & religiosè obeundam iuuabat, comparabátque, intueri ſe ad Caroli latus, iuuenculum rarâ formæ laude, vultúque inuſitatâ quadam maieſtate coruſcanti, qui adderet ſibi animos, placidéque incitaret ad peragenda ea, quæ ab ipſo ſuggerebantur : cúmque nihil penitiùs inſpicerent homines haud dum vllâ præſtanti huius generis inſtructi notitiâ, illud percontabantur tantùm ; Quis tandem ille eſſet Patris ſocius, qui tàm mirabiles exciret motus animorum ? Nimirum, nondum illud intelligebant boni Neophyti, beatos Angelos longè plus de ſuo conferre ad ciendos in animis eorum quibus adſunt Sacerdotes, motus quoſlibet ad Chriſtianum officium Deíque venerationem pertinentes, quàm vllâ ipſi induſtriâ efficere valeant : hoc dumtaxat diſcrimine, quod opera quidem Sacerdotum cadit ſub oculos ; Angelorum efficacitas ferè latet. Cùm autem omnes omninò homines benigniſſimè complecteretur Caroli cha-

ANNVS MDCXLIX.

ritas, tum in eos videbatur esse propensior, qui destituti magis erant: ac quantumlibet abalienaret alios alicuius coniuncta cum squalore inepta rusticitas, in curam eam nihilo seciùs vir sibi mortuus incumbebat sic, vt nullam misericordiæ partem prætermitteret. Deprehensus est aliquando, vlceribus medicari tanto fœtore fluentibus, vt non modò à popularibus quibusuis, sed ne ab iis quidem quorum erat arctior cum ægro vel necessitudo, vel cognatio, ferri posset: vnus Carolus illa tractabat quotidie, vnus purulentam saniem detergebat, etiamsi agnosceret ipse quandoque, quicquid tandem opis remediique contulisset, nunquam tamen vlcera illa consanatum iri. Sed nimirum sublimius aliquid proponebat sibi, quod ex eo aliquando auditum est, videlicet vt derelictos illos ad vsque cælestis regiæ fores deduceret, obstarétque ne quid culpæ conscisceret eo tempore, quo nullum in vitâ plenius periculi esse potest. Missio Huronica nulla erat, ad quam non adijsset, complures ipse inchoauerat, eam potissimùm in quâ occubuit. Cum indigenis agebat circunspectè iuxtà, & benignè: tantáque illius erat suauitas, minimè mollis illa quidem, vt nihil non excusaret, nihil non ferret. Nec locus, nec personæ irretitum habebant seruum Dei: quicquid præscriberetur conducibile, in illud ferebatur continuò, singulari constantiâ: quippe cùm propositum esset reperire Deum, quocunque is demùm loco quærendus esset. Sæpè iussus è Missionibus excedere ad arandam terram, ad conuehenda onera, trahenda-ve, iumenti instar, per niues, ad ægrotorum curam suscipiendam domi, ad coquinam exercendam, ad inuestigandas hac illac per saltus nemoráque labrusca, vnde vinum magno labore exprimeretur ad sacrificium; quicquid horum incumberet, vultu semper eodem erat, nec magis in hoc quàm in illud propendebat, quantum quidem ex vultu, habitúque toto iudicares, tanquam ad id quod mandabatur, adhiberetur ab ipso Deo. Nempe, *Nunquam animas magnopere iuuabimus*, aiebat, *nisi Deus in communionem laboris, operæque venerit: ac si nos ille per Superiores adhibuerit, aderit vtique: atque adeò eius ope subnixi, quod à nobis exegit, perficiemus: sin nimio plus adamauerimus aliquid, ad idque sponte incubuerimus, quantumuis honestum illud ex se sit, atque probabile, non est cur opituletur: si*

ANNVS MDCXLIX.

nos nobis relinquet, quid omninò efficiemus, niſi hilum? niſi fortè quid hilo deterius, inferiúſque contrahemus, id eſt peccati aliquid. Dicebat frequens, ſe in Iroquiorum manus perlubenter venturum, à quibus ſi viuus cremaretur, ſuppeditaturam ſibi ſaltem exiguam illam vſuram temporis ad illos inſtituendos, imbuendóſque notitiâ aliquâ myſteriorum, dum ab ijs cruciaretur: ſin viuere conceſſiſſent, præclaram illam opportunitatem fore ad eos deducendos à luctuoſiſſimâ ſuperſtitione. Hîc verò agnoſcas eximiè, ſemper ſibi conſtare eos, qui Spiritu Dei aguntur, vbi vbi ſint: Sinicum carcerem optat ſibi S. Franciſcus Xauerius, ad infinitos illos populos illuſtrandos face Euangelij, qui tunc temporis in auitis adhuc tenebris ambulabant: lentos ignes ſibi apud Iroquios depoſcit Carolus Garnerius, ad inſtituendam feram gentem, quæ ſui exitialiter inimica, aditus omnes intercludit Euangelio. Elogium tanti viri claudat Epiſtola data ab eodem, ex Inſulâ S. Ioſephi ad germanos fratres duos, R. Patrem Henricum à S. Ioſepho, Carmelitam; R. Patrem Ioſephum, è venerabili Capucinorum Ordine. *Hæ literulæ*, aiebat, *eò pertinent, vt terni qui ſumus, ardentioribus in dies ſtudijs feſtinemus in Domini Dei noſtri amorem incumbere: mihi enim perſuadeo fieri vix poſſe, quin aliquis è noſtro numero breuî ſit peruenturus ad metas. Quare ardores intendamus noſtros: gradum celeremus: ad preces quas ſinguli ſingulorum causâ fundere conſueuimus, addamus aliquid: illúdque ſeriò conſtituamus de integro, vt qui noſtrûm primus euocatus à Deo noſtro fuerit, is duorum qui ſupererunt, patronus ſit apud eum, ad impetrandum ipſis ſanctiſſimum eius amorem, perfectámque & exactam per omnia cum eius voluntate conſenſionem, cum perſeuerantiâ, quæ ad extremum vſque vitæ ſpiritum tendatur. Ergo primus ipſe id ſtatuo: precórque à Deo imis ex præcordijs, noſtra ſingulorum corda ſic occupet, vt ex tribus ijs vnum cum ſuo efficiat iam nunc & in totam deinceps æternitatem.* Hucuſque vir Deo plenus, Deum vbique ſpirans: nimirum *Ex abundantiâ cordis os loquitur.*

P. Natalis Chabanelli mors, atque elogium.

BIDVO QVAM AB Iroquijs S. Ioannis vicus captus eſt, ab Carolo diſceſſerat Natalis Chabanellus, item Sacerdos, laborum arduæ Miſſionis particeps, ſociúſque: cùm conſultius viſum Superioribus eſſet non relinquere vno eodémque loco operarios duos præſenti tantumnon diſcrimini obiectos.

ANNVS MDCXLIX

Sed qui iugum vnius eiuſdémque Miſſionis traxerant, hos noluit Dominus Deus in morte diuelli. Ergo cùm eò quò à Superioribus vocabatur, magnis itineribus contenderet, vt breuiſſimi dies erant, ad VII. videlicet Idus Decembris, emenſum locis difficillimis leucas ipſas ſex, nocturnæ tenebræ occuparunt medijs in nemoribus. Sub mediam noctem dum alto ſopore depreſſi iacent Hurones ſeptem octo-ve Chriſtiani, qui viæ ſe comites adiunxerant, ipſe vigil, precibúſque dans operam, ſonitum, clamoréſque excipit auribus. Cùm cunctos expergefeciſſet, iíque aure attentâ captaſſent, quid illud demùm eſſet, facilè intellexerunt tripudium eſſe hoſtium, recipientium ſe ſe ad ſuos, cùm præſertim ad lætas eas vociferationes accederet captiuorum cantus lugubris, quem de more victos adhibere cogebat victor. Ergo quiſque in ſummâ trepidatione fugâ ſibi per ſiluarum inuia conſuluere: & tàm feliciter quidem, vt iter ipſum illud, quod hoſtis iuſtiterat obliquè relegentes, omnes præter Natalem euaſerint. Is cùm aliquantum viæ cum comitibus confeciſſet, defectus deinde viribus, in genua procidit, dixítque mœrentibus; Nil tanti eſſe ſi emoreretur: minimi ducendam vitam hancce, cæleſtem quidem illam, quæ ſempiterna futura ſit, ab Iroquijs adimi ſibi non poſſe. Pergerent porrò ipſi in tutum ac ſe ocyùs ſubducerent: & quacunque pergerent, meminiſſent Chriſtianos ſe eſſe. Quid euenerit deinde, reſcitum ab eo ipſo ſicario, qui virum immerentem confodiſſe, nec ex leui ſuſpicione creditus eſt. Huro fuit apoſtata, qui ijs quī iam ſe in Inſulam S. Ioſephi receperant, renunciauit, Natalem, cùm eam ipſam in Inſulam cogitaret, ſub auroram diei illius, qui ærumnoſam noctem excepit, iter Inſulam versùs capeſſiuiſſe, verùm in ripâ occurrentis fluminis ſubſiſtere fuiſſe coactum. Cùm autem (aiebat impius) ego eam oram fluminis in canoâ præterueherer, ſupplicem excepi nauigiolo, ínque alteram ripam vexi: atque is, quò fugeret expeditiùs, abiecit galerum, ſacculum, ſtragulum: quid eo deinceps factum ſit, neſcio: quandoquidem ad vos non peruenit, aut inciderit in Iroquiorum manus, aut dum per vaſtas ſiluarum ſolitudines deerrat, ibidem interierit, fame, frigoréque confectus. Hæc veterator: & contigiſſe quidem alterutrum potuit:

verùm, tùm alia ſuſpicionem locorum rerúmque peritis mouerunt tùm illud, quod abiectam exiguam ſupellectilem totam à Natale memorabat: nam præterquam quod vir fame & frigore exhauſtus non tantopere potuit celerare gradum; ad fugam certè nihil attinebat galerum relinquere, præſertim in eâ aſperitate frigorum: ſacculus verò cum ex humero aliunde-ve aptè dependet, non magnopere retardare queat fugientem: neque credibile eſt in eâ tantâ rerum omnium penuriâ, adduci potuiſſe virum tàm grauem, támque parùm amore vitæ miſeræ irretitum, vt inſtrumentum ſacrum, Breuiarium puta, & fortaſsè ſancta Biblia abijceret. Longè probabilius putauerunt omnes (& rem tantumnon deprehenſam fuiſſe, dicemus poſtmodùm) facinoroſum hominem, quò qualiacunque ſpolia Natalis haberet, virum mactaſſe, mox corpus abieciſſe in profluentem. Ac ſi rem indicio perſequi placuiſſet, inquit Scriptor Gallicus, ſat multa fortè argumenta ſuppeditaſſent, vnde reuinceretur ſicarius: ſed in publicis illis calamitatibus opportunius iudicatum, oculos, quod aiunt, occludere, ſuſpicionéſque ſopire omnes, è quibus ſimultates extitiſſent, præterea nihil.

ALVMNVS FVERAT Tholoſanæ Prouinciæ Natalis Chabanellus, ibidem adlectus in Societatem, anno ſeculi trigeſimo, cùm annum ætatis ageret decimum ſeptimum; in Nouam-Franciam dein miſſus, anno milleſimo quadrageſimo tertio. Quàm fortem animum in ductu Dei ſequendo præ ſe tulit, tàm exercitus deinde ſemper ijs in oris durauit. Cùm & memoriâ valeret, & ingenio, quod vtrumque ſatis Gallis ſuis probauerat, traditâ publicè Rhetoricâ annos aliquot, & cum laude; poſtquam quinquennium ipſum in Huronica lingua addiſcenda poſuerat, tàm exiguos fecerat progreſſus, vt ne in rebus quidem maximè familiaribus ſenſa mentis ſatis commodè ad audientium guſtum exprimeret: qui mentis angor, quàm grauis ſit ei, qui in animarum procurationem intentus, expedire nihil animarum causâ valeat, æſtimare quiſque ex ſe poteſt. Accedebat natura à Barbarorum inſtitutis ac moribus ſic abhorrens, vt penè cuncta illorum, Natali diſplicerent: aſpectus ipſe moleſtus: conſuetudo grauis: victus intolerabilis: ipſum illud in Miſſionibus manere, tàm

ANNVS MDCXLIX.

violentum, vt abſque vllo vel ſolatio, vel oblectamento, eorum ſaltem, quæ ad ſenſum vſque pertinent, ærumnis conflictaretur perpetuis. Humi ſemper cubare, luces totas ab aurorâ ad veſperum traducere in tuguriolo, vbi fumo enecêre, vbi manè expergiſcens, videas te vndique niue coopertum, vbi pediculis albeſcas totus; frigidâ aſſiduè reſtinguere ſitim: in pulmentum iuxtà, & panem, habere nihil præter gluten verius, quàm pultem, ex farinâ frugis Indicæ, aquâ dilutâ, coctáque: in illâ cibatus vilitate, atque penuriâ, tamen laborem nunquam intermittere: nihil tecti habere, quo te vel ad momentum ſubducas ſecretiùs, non cubiculum, non muſæolum: ne lucernâ quidem vti aliâ poſſe, niſi eâ quæ exiſtat ex igne, fumosâ caligine infeſto, circunſtantibus nonnunquam ad quindecim viris, mulieribus, infantibus, vociferantibus, eiulantibus, inter ſe agitantibus rixas, ſermocinantibus de re œconomicâ ſuâ, cibum ibidem apparantibus, ibidem veſcentibus, ibidem opificium quodlibet exercentibus, vno verbo cuncta peragentibus quæ fieri domi ſolent; cùm per ſe grauia ſunt, tùm ſi ſe prætereà Deus occulit, hoc eſt, ſuauitatis interioris impertit nihil, quamlibet ad eum anheles; ſi te dat quaſi in prædam ægritudini, moroſitati, faſtidio; hæc collecta coniunctáque ferre æquo animo, non eſt profectò vulgaris virtutis; planéque neceſſe eſt flammam quandam viuidam imprimis ardere in pectore, vt non tunc amor Dei reſtinguatur. Adiunge pericula, vt imminentia in horas, ſic animo, cogitationíque aſſiduè obuerſantia, flammas, rogos, inauditos omnis generis cruciatus: quâ in deſtitutione vt non animum deſpondeas, planè ſingulari quodam mentis robore opus eſt. Et in illis tamen omnibus periclitari ſerui ſui fidem ſex ipſos annos, viſum Deo: quo tàm diuturno interuallo, non modò nihil ab inuicto pugile extorſit Satanas, vnde de ipſo creſceret, ſed contrà ſemper cum pudore victus abſceſſit: neque adduci potuit vir fortiſſimus, vt, quod perfacile impetratu erat, reditum poſceret in Galliam, vbi operam ſuam nec infructuosè collocaret ijs in rebus, quæ naturæ ſuæ minùs aduerſarentur: ſed contrà vt ſua ipſe vincula ſtringeret arctiùs, votum vltrò ſuſcepit, ibidem ad extremum vſque ſpiritum perſtandi, in hæc omninò verba conceptum.

Domine,

ANNVS MDCXLIX.

Domine IESV Christe, qui me Apostolorum sanctorum huius Prouinciæ Huronicæ adiutorem licèt indignissimum, admirabili dispositione tuæ paternæ prouidentiæ esse voluisti; Ego Natalis Chabanel, impulsus desiderio seruiendi Spiritui tuo sancto, in promouendâ Barbarorum Huroniæ ad tuam fidem conuersione, Voueo coràm sanctissimo Sacramento pretiosi Corporis & Sanguinis tui, Tabernaculo Dei cum hominibus; perpetuam stabilitatem in hac Missione Huronicâ: omnia intelligendo iuxtà Societatis & Superiorum eius interpretationem & dispositionem. Obsecro te igitur, suscipe me in seruum huius Missionis perpetuum: & dignum effice tàm excelso ministerio. Amen XX. die Iunij, MDCXLVII.

HACTENVS VOTVM, emissum eâ ipsâ luce, quâ eo anno in Ecclesiâ agebatur festus dies Corporis Christi: quod quàm gratum extiterit Deo, conijci potest, ex singulari animi firmitudine, quâ sub extremum tempus mentem famuli sui corroborauit fidelis adiutor in opportunitatibus in tribulatione, mirante eo ipso, qui tàm felicem in se mutationem experiebatur. Paulò antè quàm occumberet, Sacerdotem è Societate amicissimum compellans. *Nescio* (dixerat) *quid in me insit, quidue de me Domino Deo meo statuere collibitum sit: illud scio atque experior, alterum me quendam esse. Nam cùm timidior sim à naturâ, periculorum tamen maximum adiens, morte, quantum quidem auguror haud remotissimâ, vaco tamen metu. Profectò non est à me ea securi animi affectio.* Sic nimirum Dominus Deus assueuit: vt homines creditam pecuniam, sic ipse, dum maximè egemus, nobis benignè repræsentat auxilia, subsidiáque, valida eadem, & suauia imprimis. Tanti est eniti, dum valemus, & quocunque demùm per se, eós-ve qui nobis eius vice præsunt, impulerit, sequi generosè. Id verò quàm fortiter Natalis semper fecerit, indicent literæ, dignæ sanè quæ hîc attexantur, quas ad R. P. Petrum Chabanellum & sanguine germanum fratrem, & Instituto, dedit hoc ipso anno. *Parùm abfuit*, inquit, *quantum quidem conÿcere licebat ex ÿs, quæ ab hominibus constituebantur, quin habuerit R. V. fratrem Martyrem: sed nimirum ad decus promerendum Martyrÿ, sublimiori virtute opus est, quàm sit si qua in me inest. R. P. Gabriel Lalemantius, vnus trium illorum quos IESV Christi causâ passos, nostra memorat Relatio, in locum meum suffectus fuerat: ante mensem pergere iussus ad*

ANNVS MDCXLIX.

pagum S. Lùdouici, cùm ego corpore valentior, miſſus eſſem ad remotiorem locum, vbi labores quidem grauiores, at minor opportunitas palmarum coronarúmque illarum, quibus mea me ſegnities indignum coràm Domino Deo reddiderat. Id verò mihi tantum boni continget tum, cùm ſummæ eius bonitati viſum erit. Dum ego pro virili enitar præſtare Martyrem in vmbrâ, quæ hîc ab Iroquijs exercentur ſtrages, fortè reliquum aliquando perficient, interpoſitis meritis tot ſeruorum Dei, mirâ ſanctimoniâ præſtantium, quibuſcum hîc annos exigo placidiſſimè, inter tot ærumnas, aſſiduáque pericula. Facit miſſa ad vos Relatio, ne ad ea quidquam prætereà addere neceſſe ſit, & commodùm quidem: nam & chartâ careo, nec plus ſuppetit temporis, quàm neceſſarium ſit ad precandum à V. R. Patribúſque Aquitaniæ Prouinciæ, vt ne grauentur meminiſſe mei, in peragendo auguſtiſſimo ſacrificio, tanquam victimæ, quam fortè ignes, rogíque Iroquiorum manent; vt merear tot Sanctorum patrocinio victoriam in tàm forti certamine. Hec poſtrema verba latinè ipſe ſcripſerat: tùm illa autem, tùm tota Epiſtolæ ſeries, digna profectò eo viro, qui in aſſiduâ expectatione verſaretur momenti illius, quo Deo per acerbiſſimos quoſque cruciatus immolaretur.

Reliquarum Huronicæ Miſſionum ſtatus.

SVPERERANT extrà S. Ioſephi Inſulam, Miſſiones tres, S. Mathiæ, itidem ad Petuniam Nationem, S. Caroli in extremis Huronum finibus, quà ſunt ab Iroquijs remotiſſimi, S. Spiritus, ad Magni lacus ripas. Hæc poſtrema exciſa hoc ipſo anno ab Iroquijs, eâdem immanitate graſſatis, quâ vbicunque ſecundos habuere ſucceſſus, abductis viris, mulieribúſque; puerulis, nullâ tenerioris ætatis miſeratione, crematis. Illa S. Caroli tandiu conſtitit, quandiu ſuppeditauit vnde vitam tolerarent Hurones ij, è quibus conflata erat; nam ex ijs aliqui, quo ſe immaniſſimorum hoſtium importunitati ſubducerent, à patriâ refugerant longiùs, partim baptizati, partim Baptiſmi expertes. Cùm de ijs inauditum eſſet in Inſulâ S. Ioſephi, ſignificatúmque eſſet Superiori ab Sacerdotibus duobus, qui æſtate totâ hac illac animarum meſſi faciendæ concurſarant, è diuinâ gloriâ fore videri, ſi Sacerdos aliquis eo loco hyemaret, quod alii complures ad eos qui iam ibi fixiſſent caſas, adiuncturi ſe ſe eſſent, re probatâ, profectus ad eos vnus, de menſe Octobri: nomen reticuit Relatio. Et à Chriſtianis quidem tan-

to gaudio exceptus eſt, quantum eorum eſſe conſentaneum fuit, qui cùm menſes iam complures ſacramentis, ſacrificióque caruiſſent, videbant ſibi inſperatò rerum tàm optabilium copiam ſuppeditari. Ergo nihil eis antiquius fuit, quàm vt Sacellum illicò adornarent è cortice, ſuâ tenuitate fulgens: ibi ab ortu Solis, ac occaſum vſque, impendi primùm cœptus auguſtiſſimo Numini cultus religioſus. Mox nauus operarius adorſus Chriſtianorum myſteriorum notitiam tradere ijs, qui nondum fidem capeſſiuiſſent, difficiliores nactus eſt quoſdam, ex veteri perſuaſione pridem ab Satanâ immiſſâ, nunquam tàm graues Huronum genti calamitates, cladéſque importatas, ac ex eo tempore quo Baptiſmus ſuſcipi ab indigenis cæpiſſet. Sed breuî contumaciam repreſſit rerum omnium egeſtas, extremáque penuria; Domino Deo, pro ſuo ſolenni, ad ſanam mentem reuocante eos, quos res, vt ijs locis ſecundæ, ineptè extulerant. Poſt conſumptum Indicæ frugis reliquum, cùm eorum ſpes ex piſcatione potiſſimùm apta eſſet, quæ etiam per hyemem vberrima ijs locis eſſe conſueuerat; tunc piſcium mira raritas. Si pauculi haleces capti erant, præclarè ſecum actum putabant, quibus ipſum illud exiguum occurrerat: ſed cùm hæc mortem arcerent potiùs, quàm vitam tuerentur, breuî eos omnia omninò ſubſidia defecerunt, glans, legumen, & ſi quid prætereà ad id vſque temporis reſeruatum. Ita eò adducti, vt vel arboribus corticem detraherent, elixandum dehinc, quò minùs incommodè manderetur, vel muſcum euellerent è rupibus. Semel in die capaci in lebete coquebatur aliquantum piſcis, fumo durati, vnde iuſculum, amarum ſanè: & tamen ex eo quiſque potabat, ſorbebat-ue largius, quo ſtomachum oppleret quoquo modo, famémque eâ eluvie præfocaret. Is qui miſſus eò fuerat Sacerdos, ieiunam illam diætam quinquaginta ipſos dies tolerauit, quos tamen numerabat in candidiſſimis vitæ ſuæ lucibus, idcircò quod illâ publicâ calamitate retundi videbat ſuperbam arrogantiam eorum, qui initio aures tàm ſalutaria afferenti præbere recuſauerant. Videlicet in extremâ illâ inediâ accurrebant vltrò, Baptiſmúmque flagitabant, non ſpe vllâ humani ſubſidij: (quid enim ab eo expectarent iſtius generis, qui & ipſe extremâ penuriâ laboraret?) ſed admiratione inuictiſtimi

ANNVS MDCXLIX.

animi illius, qui non modò non frangeretur ipſe tanta rerum omnium deſtitutione, ſed etiam ceterorum mentes erigeret, eâ propoſitâ conſolatione, fore vt eas ærumnas, quæ diutinæ eſſe nequirent, ſempiterna poſtmodum felicitas omni omninò moleſtiâ vacans exciperet. Et alij ex alijs exhauſti fame miſeram mortalitatem breuî, beatâ immortalitate mutarunt: pauci qui ſuperfuere, diſceſſere alij aliò: pars tetendit in S. Ioſephi Inſulam, ſpe certioris auxilij. His ſe comitem adiunxit Sacerdos idem: omnes ij poſt ſex dierum iter, per glaciem Lacus illius tum concreti, incolumes eò peruenere.

AT EXAGITATI grauius qui Miſſionem S. Mathiæ procurabant, Sacerdotes duo. Cùm ex pago principe ad alia circà loca eidem attributa Miſſioni, excurriſſent, Ethnici Præfecti quidam à fide alieniores, calumniam ſparſerunt ſanè inuidioſam. Iactant in concilio eam ipſam in rem coacto, Huronem quendam, paulò antè elapſum ex Iroquiorum manibus, eorum qui ſunt Kebeccenſibus Gallis viciniores, vidiſſe ibidem torques ingentes ex conchâ veneriâ, ab Onontione, hoc eſt Gubernatore, miſſos idcircò, vt Iroquiorum eorundem impetus à Monte-regali, Trifluuio, Kebeccóque auerſos, induceret in Huroniam: pollicitúmque Gubernatorem eundem fuiſſe, Gallos iuxtà, & Algonquinios, qui Huronibus permixti degerent, in ſpeciem quidem ſimulaturos, velle ſe ad extremum vſque ſpiritum pro Huronum ſalute depugnare; re autem ipsâ, vbi conſeri manus cœptæ eſſent, Iroquiorum nemini necem illaturos: mandatum enim ipſis clàm ab eodem, ſic ſclopis in prælio abuterentur, vt nitrato contenti puluere, plumbeas glandes neutiquam adiungerent. Vbi falſus rumor percrebuit, enimuerò dictis proſcindi atrociſſimis innoxij Sacerdotes: nec vllus fuit in ſeditioſo conuentu, qui opponeret (venerit in mentem néc-ne, viderint ipſi: veniſſe quidem potuit hominibus minimè hebetibus) reuinci re ipsâ inſulſum commentum, ſi non aliunde, certè ex eo quod ob oculos poſitum adhuc erat, eo ipſo anno nullo non crudelitatis genere ſæuitum fuiſſe ab egregijs illis fœderatis ſcilicet, in Ioannem Brebeufium, Gabrielem Lalemantium, Gallos vtique, tum recentiſſimè ab ijs confoſſum Carolum Garnerium: ſed nimirum vel metus offenſionis, vel

peregrinorum hominum neglectus ora occlusit omnium, Domino Deo illud demonstrare volente, suo vnius patrocinio niti debere, quicunque tàm arduum opus susipiat. Quare cùm Patronus nullus esset, addunt, clamántque seditionis flabella, qui primus Gallorum obuius occurrisset, cædendum fustibus. Ergo cùm paulò pòst ad pagum S. Mathiæ redijssent Patres, quid tractaretur ignari, vbi primùm aduentantes conspicati sunt efferati Barbari, mactandos vociferantur. Occupantur statim aditus, per quos necessariò transeundum ijs erat, appropinquantes conuitijs, sanniſque excipiunt, qualibus vti solent in eos, quos captos in bello, rogis destinant. At vadunt nihilo secius, sibi præclarè conscij sacerdotes, & oris serenitate, totiúsque, habitus constantiâ singulari, pergunt porrò. Mirati seditiosi tantum animi robur, interpretatique id quod res erat, facilè intellecturum è cœtu quemlibet, fiduciam illam tali loco, ac tempore ex innocentiâ nasci; insusurrant tamen inter se aliquid in aurem: nunc truculentos oculos defigunt in intrepidis; nunc lumina hac illácque rotando, quod voce non audent, exquirunt nutu, quis omnium primus securim innoxias in victimas libret. Sed nimirum eorum furores Dominus inhibuit: per hostiles impiorum cuneos gradiuntur Sacerdotes sic, vt nihil violati sint, mussantibus ijs, qui in communionem licet non veniſſent nefarij consilij, quid tamen constitutum inter coniuratos foret, probè nossent; *An non isti demùm sunt, quorum decreta in consilio cædes erat? ad mactandos eos, tota se se effuderunt agmina; nec repertus quisquam, qui quod tàm multi in se susceperant, perpetraret.* Nempe texit eos benigniſſimus parens: neque modò nihil siuit grauius in eos attentari, sed etiam ad solatium voluit ab eis illo ipso in pago intrà vnam diem baptizari Catechumenos ad septemdecim: vt vbi certa ipsis nex futura putabatur, ibi vitam ipsi afferrent alijs. Ceterùm, tametsi quo die concitata est atrox seditio, nondum ab Iroquijs desolatus pagus S. Ioannis erat; tamen vehemens incessit suspicio, eidem coniurationi tribuendam quæ paulò post perpetrata est, cædem Natalis Chabanelli: cùm præsertim Huro is, qui impij facinoris insimulatus est, ex pago illo esset: dixeritque deinde patribus vir peramicus idem, & grauis, audisse se de sicario cùm diceret per ostentationem, per se

ANNVS MDCXLIX.

ANNVS M DC XLIX.

ſublatum de medio gallicum illud peripſema, tum ab ſe mactatum cadauer proiectum in profluentem.

ALIO IN PAGO, qui miſſioni eidem ſuberat, extruxerant Patres ſacellum, addito pegmate ad campanulam, cuius tinnitu Neophyti ad ſacrificium, aliáque religioſa munia conuocarentur. Hîc verò furere infideles, & ſeu energumeni re ipsâ, ſeu energumenos conſultò imitati, cuncta euertere, frangeréque animo deſtinant. Præſtolati, dum abeſſent Patres, pegma deturbant: ſacram ſupellectilem diripiunt: reculas alias inter ſe partiuntur, exiguam prædam illam quidem, ſed cuius iactura tali loco ac tempore non poſſet non eſſe pergrauis. Illud omnium indigniſſimum, quod ad cumulum impietatis ſpolia direptæ Domus Dei, per pagum ouantes circumtulere, cum diris, execrationibúſque, eorum in caput qui Euangelium prædicarent: tanquam indigni eſſent vitâ, qui de ſalute miſerorum ſempiternâ ſoliciti, toti eam in curam incumbebant, vt manum porrigerent pereuntibus.

HISTORIÆ CANADENSIS.

LIBER OCTAVVS.

HYEMEM totam, quàm longa fuit, exegerunt reliquiæ illæ regionis ante annos aliquot, & numerosæ, & florentis, ijs in incommodis, quibus infesta esse fames extrema solet: inito autem vere, Iroquios experti sunt eâ ipsâ fame crudeliores. Martio ineunte, diuulsi sunt à Patribus Hurones, per montium iuga adhuc albescentia niuibus, glandes pauculas vestigaturi, aut piscaturi locis obuersis ad Meridiem, vbi aliquanto citiùs liquescere niues solent. Verùm, cùm periculum esset, ne dum leuamen atrocissimæ fami quærunt, venirent in Iroquiorum manus, atque adeò in rogos, igneſque inciderent; ante discessum, animas sacrâ homologesi expurgant omnes, complures ad mortem se seantidoto salutis IESV Christi Corpore communiunt. Eâ enim prouisione vsi sunt, vt in turmas aliquot distribuerentse se; quò, si qui ab hoste interciperentur, saltem alij euade-

ANNVS MDCL.

ANNVS MDCL.

rent: ſed Deo viſum erat aliter. Nam alij propè in Patrum oculis gurgite Magni Lacus hauſti ſunt, glaciei ſpecie decepti, quæ cùm ad binos ternoſ-ve pedes concreuiſſet, momento tamen ſub calcantium plantis liqueſcens, incautos fefellit, mersítque: alij vndas euaſere illi quidem, at lerali frigore rigentes: hinc paulò pòſt, luctuoſo ſpectaculo, animas egerunt in niuibus, ſenes, mulieres, pueri, omni prorsùs humano præſidio deſtituti illi quidem, verùm ſummi Dei nixi fiduciâ, quem ad extremum vſque ſpiritum immortali pietatis ſenſu inclamarunt. Anus certè fuit, quæ cum noctem totam in ijs glaciei molibus exegiſſet, viua, vegetáque poſtridie manè reperta ſit: cúmque ex eâ quæreretur, quî tandem ſupereſſet, emortuis alijs; *Exclamabam*, inquiebat, *identidem*: *IESV*, *miſerere mei*: *quæ paucula cùm precata eſſem*, *recaleſcebant videlicet membra continuò*: *tum*, *vbi vis frigoris denuò artus contraxerat*, *voces caſdem ingeminabam*: *ac ſecundùm eas ſuccedebat in membra calor vitalis*. Hæc, felici inſcitiâ complurium eruditionem ſuperans (ex totâ enim precum Chriſtianarum ſerie, quæ proponi Catechumenis ſolent, verbula illa tantùm tria infidæ memoriæ inhæſerant) tum quidem inſtans effugit exitium: verùm, in manus deinde Iroquiorum incidit: ibi inuenit ærumnarum finem, ac talem quidem, vt creditu procliue eſt, qualem lectæ ad ſempiternam felicitatem animæ, inter breues cruciatus ſolent. Alij, dum collecti piſcationem exercent, ad VIII. Cal. April. intercepti ſunt ab Iroquijs, leucas prope ducentas per glaciem, niuéſque, & montium, ſiluarúmque horrida emenſis: neque modò in eos graſſati ſunt, qui inter ſe ſociati, manipulos agmina-ve conflabant, ſed etiam ad latebras peruenerunt familiarum quarundam, quæ ſeorſum ab alijs ſeceſſerant in loca abditiora, ad quæ ne callis quidem tritus vllus pateſceret. Ita cùm ad ter mille, & quod excurrit, vnius anni interuallo cooptati in Eccleſiam Hurones eſſent, vel trucidatis, vel inediâ enectis ceteris, res ad trecentos redijt, qui in Inſulâ S. Ioſephi cum Patribus durauere. Nec verò illi ipſi euaſiſſent, niſi ſapienti prouiſione Præfectorum duo, publicarum vtilitatum perſtudioſi, priuatarum non negligentes, re priùs inter ſe conſultâ, ad Paulum Raguenellum adijſſent, Miſſionis totius Superiorem, eúmque de

ſede

ANNVS MDCL.

ſede mutandâ interpellauiſſent, hac prorsùs oratione. *Fallunt te tua lumina mi frater, dum in nos intueris; putas enim videre te homines ſpirantes ac viuos: at ſpectra ſumus, manéſque hominum iam mortuorum. Hæc, quam calcas pedibus, tellus mox dehiſcet, & ſcilicet nos vnà tecum abſorbebit, eum in locum deportandos, quem inter mortuos deinceps ſumus occupaturi. Sic habeto, mi frater, in conſilio nocte ſuperiori coacto conſtitutum nobis eſſe, deſerere hanc Inſulam: denſa nemora noſtrûm plerique cogitant, ſic, vt diuerſi, atque adèo ſoli cò per ſaltuum inuia penetrent, vbi, nullo ſuæ latebræ conſcio, nequeant ab hoſte, ſagaciſſimo licèt, inueſtigari. Ex ijs ſunt qui cogitent loca hinc diſſita, ſex ipſorum dierum itinere: nonnulli pergere velle ſe prædicant ad Andaſtoënſes Nouæ Sueciæ fœderatos: non deſunt denique qui dictitent palàm, certum ſibi eſſe ad hoſtem rectà, vnà cum vxoribus ac liberis proficiſci: habere enim ſe apud eos, conſanguineorum complures à quibus expectantur. Quid hîc tu porrò ſolus, mi frater? quid hac in Inſulâ agas, poſtquàm abſceſſerimus à te cuncti? an arbores inſtituas? at ſurdæ ſunt: an lacus, amnéſque? at auribus carent, quas tibi accommodent: an verò eos qui propediem diuerſi abituri ſunt, ſequare? at nec ſi centum tibi ſint corpora, præſto eſſe poſſis omnibus: & ijſdem ipſis quibus adeſſes, eſſes profectò oneri, aut etiam horrori: certè, quacunque pergant, eos & fames perſequetur, & belli furor. Quin potiùs, mi frater, locum deligito, in quem ſimul cuncti conueniamus: aciem mentis intendito ad oras Kebecco vicinas, quo deſolatæ regionis reliquiæ transferantur: nec verò expectaueris dum fames, bellúmque paucos qui ſuperſumus, abſumpſerit. Plus myriade è noſtris tibi mors abſtulit: ſi moras nexueris longiores, ne vnus quidem ſuperfuturus eſt: tum verò ille te angor mentis inceſſet atque religio, non ſeruaſſe te eos, quos tanto, támque præſenti diſcrimini ſubducere potuiſſes: ijs ipſis quorum res agitur, viam modúmque indicantibus. Sanè ſi votis noſtris annues; Eccleſiam conſtituemus eo loco, vbi eam Arx Kebeccenſis tutetur: illic fides nequaquàm noſtris in mentibus interierit: quippe continebunt nos in officio documenta virtutum, quæ in Algonquinÿs Gallíſque ſuſpiciemus, & partem aliquam indigentiæ noſtræ ſubleuabit miſericors eorum charitas: filiolis ſaltem noſtris porrigent fruſtulum panis aliquod, filiolis, inquam, noſtris, qui tandiu glande, amaríſque radicibus vitam tolerant. Vno verbo, ſi emoriendum erit, mors certè longè leuior eo loco futura eſt,*

ANNVS MDCL.

quàm in vaſtitate ſiluarum, vbi cùm nemo adfuturus ſit, qui ſalutaria ſanctáque ſuggerat animam agentibus, periculum eſt ne fide ſenſim relangueſcente, debilitetur virtus conſtantiáque animorum.

HÆC VBI PLACIDÈ audierat Raguenellus, rem ad Patres retulit: quæ cùm grauioris momenti viſa eſſet, quàm vt è-veſtigio definiretur, orationem indixere horarum quadraginta, ad explorandum certiùs, quid hîc fieri vellet ſummus rerum moderator. Exin, re in deliberationem vocatâ, plus quindecies, per hos tandem Præfectos locutus viſus Deus ipſe. Succurrebat animis, Huronicos tractus deinceps aliud nihil eſſe, niſi locum horroris, & vaſtæ ſolitudinis, theatrúmque cædis, & cladium. Quocunque mentis aciem intenderent, exploratiſſimum erat hinc fame, illinc bello exterminatum iri Chriſtianorum reliquos ad eam diem ſuperſtites: quos ſi ad Montem-regalem, ad Trifluuium, aut ad Kebeccum liceret perducere, earum demùm ſedium aliquam pro aſylo ipſis fore: atque adeò fide eorum quaſi in tuto poſitâ, maiorem ex hac tranſmigratione gloriam Dei extituram, quàm ſi illic tùm ipſi, tùm Hurones certiſſimum exitium obſtinatiùs opperirentur. Ergo cùm intereà & in cædibus hoſtilis baccharetur crudelitas, & fames deploratas reliquias ſenſim imminueret; quàm lentè conſtituta migratio fuerat, tàm celeriter diſceſſus adornatus: præſertim ne ſi is rumor ad Iroquios manaſſet, iter inſidiosè occluderent. Non lamentatione, quæ viros fortes dedeceret, ſed intimo tamen doloris ſenſu, patriam Hurones deſeruere; Patres oras eas, vbi ſtudia fixerant ſua, vbi culta tandiu tantis laboribus fides, vbi fuſus cruor fratrum, adoream quoque parem ſpondebat: ſed quid agerent? gerendus Deo mos fuit. Et leniebat ſenſus acerbitatem ea cogitatio, deduci à ſe Chriſtianorum reliquias, trecentos illos: eam enim ad paucitatem redacta gens erat olim ſanè frequens, quo maximè tempore fidem ſuam Deo ſuo probabat, altiſſimo illo quidem conſilio ſuſpiciendæ prouidentiæ, cuius nutus omnes morigeros filios reuereri ſummâ obſeruantiâ decet: ſed in quo tamen interluceant miræ benignitatis radij: quid enim, ſi rectè cenſeas, optabilius Huronicæ genti fuit, quàm vt ſentibus, ſi non idololatriæ, certè deplorandæ infidelitatis vndique reſectis, euulſíſque, ſi repreſſis vnquam Iro-

quiorum furoribus oræ eæ poſtliminiò à veteribus vel incolis, vel indigenis frequentabuntur, extet nouale iam ſubactum, & fide iampridem adultâ, excipiendis intergerrimæ ſanctimoniæ ſeminibus habile.

AD ITER EXPEDIRE ſe ſe promptiſſimum cuique eâ in æſtate fuit: quippe ſecum veriùs, quàm Ethnicus olim ille, ſua omnia portabant. Ergo vadunt ducente Deo, ſummâ æquitate animorum, circunſpectè tamen, tanquam in hoſtico: cùm nullo non loco vel teterrimæ crudelitatis, vel turpiſſimæ perfidiæ impreſſa veſtigia reliquiſſet, qui meritò formidaretur hoſtis. Certè ſuo ipſorum in Lacu trucidati recens erant Nipiſirinij, gens Algonquinia: & huius Lacus ambitus, cùm plus quadraginta leucas colligat, ex circumpoſitis paſſim ad ripas frequentiſſimis mapalibus, nihil niſi deſolata vaſtitas ſupererat. Auxit timorem, quod Lacum prætergreſſi, dum locum luſtrant, exigendæ nocti opportunum, latibulum ſanè munitum inuenere, in quo Iroquij ſuperiorem hyemem exegerant, nec diſpar aliud, aliquot deinceps leucas emenſi: ita vbique immaniſſimorum Chriſtiani nominis hoſtium veſtigia premebant. Medio autem confecto itinere, terror ingens obiectus inde, vnde minimè debuit. Gallorum quadraginta manipulus, Gallíſque permixti Hurones aliquot, qui Kebecci hyemauerant, cùm aduersâ viâ eò pergerent, vnde fugiebant ipſi, obuij facti ſunt. Et præmiſſi, vt fit, ad explorandum pauci ex manipulo qui Kebeccum versùs pergebat, cùm ex aduerſo aduentantes cernerent, hos viciſſim Galli; vtrinque ſcilicet trepidatum eſt: verùm, dum hinc inde ad pugnam ſe comparant, vt acceſſum propiùs eſt, ex mutuâ agnitione metus in gratulationem vertit, hoc lætiorem, quò fuit inſperatior. Cognouere Patres tùm ex Gallis, tùm ex Breſſanio qui aderat, eo conſilio Kebecco agmen profectum, vt ſuppetias laboranti rei Huronicæ ferrent: ſed vbi viciſſim tùm à Patribus, tùm ab Huronibus didiciſſent deplorata iam cuncta eſſe, ceptum iter reflexerunt ſcilicet, cúmque nouis colonis Kebeccum repetiere. Narrauere qui Kebecco profecti erant, in agmen ſuum impreſſionem factum ab Iroquijs omninò decem, gnaris cum ſexaginta vel Gallis, vel Huronibus dimicandum ſibi fore. Hyemauerant decem prædones ij in ne-

ANNVS MDCL.

more, leucas circiter ſexaginta à Triſluuio diſtanti, ferinâ victitantes, & ex inſidijs opperientes interim, dum vere ineunte, illac vt ſolebant, tranſirent aut Galli, aut Hurones. Ergo cùm ſub veſperum fumum conſpexiſſent, ex igne exiſtentem quem noſtri excitarant, leucæ circiter vnius interuallo fixis caſis, ſubeunt noctu exploratores: ac tametſi terrere potuerat numerus ſex ipſis partibus maior, non dubitarunt tamen laceſſere tàm pauci tàm multos, non prorsùs apertâ vi illi quidem, ſed per nocturnas inſidias: & initio quidem, tàm ſecundo euentu, vt non priùs à Gallorum vigilibus deprehenſi fuerint, quàm iam in caſtris verſarentur, letalibúſque glandibus obuios quoſque traijcerent. Cunctis alijs præter excubitores alto ſopore defixis, primus omnium ad tumultuantium hinc inde clamores expergefactus Franciſcus Ioſephus Breſſanius idem anteſignanus præclaræ cohortis: & ſuorum plures circà ſe intuitus letali iam accepto vulnere animam agentes, arma inclamat vociferans: eodémque penè momento ſagittis tribus petitur, quæ in caput omnes contortæ, ſuo ipſius cruore virum reſperſerunt. At noſtri ſumptis armis continuò Iroquios ſternunt ſex, capiunt duos: duo reliqui quam inſtantium vim ferre deinceps virtute non poterant, eludunt fugâ. Ex noſtris trucidati ſeptem, præſtantiſſimâ virtute Chriſtiani: in his Ioannes Baptiſta Atironta, Præfectus inſignis: is Kebecci hyemem ſuperiorem agens, vbique Chriſti bonum odorem innocentiſſimæ vitæ tenore ſanè conſtanti, virtutúmque omnium documentis perilluſtribus ſparſerat.

CAPTIVOS DVOS vnà ſecum Kebeccum deduxere: eò antequam miſerandum agmen peruenirent, eluctandæ incredibiles difficultates fuerunt: naufragia facta pleraque: lapſi complures in præcipitia voraginéſque ſanè horribiles: &, quod inſuperabile malum erat, durandum contrà famem fuit itinere toto, hoc eſt, dies propè quinquaginta. Nec verò huic penuriæ occurri deinde pro votis potuit: commodiùs eâ quidem ex parte ad Montem-regalem noua Colonia conſediſſet: & exceptos illuſtri Chriſtianæ charitatis ſignificatione Hurones, vrgere non deſtiterunt veteres incolæ, ibi porrò domicilia figerent: diſcrimen nullum colonorum fore: ſuppeditatura

ANNVS MDCL.

ſubſidia ad victum, cultúmque, ex ijs quæ vnis ſibi ipſi in penum aut condidiſſent, aut eſſent condituri: ſed tantus Iroquiæ crudelitatis timor afflictas mentes peruaſerat, vt penuriam, ſi quæ Kebecci toleranda quoque foret, iſti copiæ antepoſuerint, tàm ob frequentes Iroquiorum excurſiones formidoloſæ. Ergo poſt biduum quàm ibi loci ſubſtiterant, valefecere humaniſſimis hoſpitibus: cúmque ſuis è Societate IESV ductoribus Kebeccum tetendere. Ibi loci excepti quantâ maximâ fieri potuit charitatis ſignificatione, tùm à Monialibus, quibus credita Xenodochij procuratio, tùm ab Vrſulinis: vtræque pro viribus opem ferre continuò, illæ non ægrotos tantùm, pro ratione Inſtituti procurando, ſed etiam alendo tenuiores aliquot familias; hæ, vnà cum Magdalenâ Pelterià, Cœnobij fundatrice, adlegendo in Seminarium, deinceps numeroſius quàm fuerat, aliquot virgunculas, quibus Huronico idiomate Catechiſmus tradi ceptus eſt; & excipiendo familiam eam, quæ omnium prima, fidem apud Hurones capeſſiuerat. E Gallis Laicis quatuor, quinque-ve opulentiores ſuam item ſibi quiſque alendam familiam ſumpſere: ſed quid hæc in eâ multitudine? Oneris pars maxima deriuata in Patres Societatis: ventitabant ad eos quotidie ducenti, modulum accepturi cibatus, qui certâ horâ diſtribuebatur in ſingulos: donec ſapienti conſilio, in Aurelianenſem Inſulam traducti, agros patrio more colere inſtituerunt: ſecuti Sacerdotes è Societate duo, qui pias mentes ipſi excolerent: ac ne quid è patriâ deſideraretur, Inſulæ, ſanctæ Mariæ nomen inditum.

Ceterorum Huronum varia ſors & fortuna.

AT QVI VARIIS adhuc locis, ſuis in finibus ſubſtiterant Hurones, eorum varia quoque ſors fuit. Qui ad Na[illegible] nem Neutram tetenderant, tanquam ad aſylum, præter opinionem ibidem oppreſſi, non ab indigenis illi quidem, à quibus perhumaniter excepti fuerant, ſed ab hoſte communi. Nimirum, vbi penè ſibi cum Huronibus debellatum truculenti Iroquij viderunt, arma ſua furoréque verterunt in finitimum illum populum, & eo quidem acceſſu, Deo occultâ quadam prouidentiâ ſinente, vt citimos pagos duos ceperint, ſanè frequentes. Strages ingens, cæsum præſertim, ac puerorum; abductæ florenti ætate fœminæ, ad gentis ſeminarium;

ANNVS MDCL.

promiſcuâ Huronum aduentitiorum vel cæde, vel ſeruitute. Alij ad Meridiem in Nouam Sueciam ſe ſe receperunt : qui ex pagis S. Michaëlis, ſanctíque Ioannis Baptiſtæ ſuperfuerant, poſtquàm nullum aliud occurrebat perfugium, dedidere ſemet vltrò genti cuidam Iroquiæ : ibi nunc tantâ quiete perfruuntur, quantam, ſi nullæ cum ijs inimicitiæ interceſſiſſent, nulla bella, obtinerent. Subſtiterant in Inſulâ S. Mariæ pauci quidam : at hos quoque inueſtigarunt feri hominum venatores, quanquam haud prorsùs impunè. Sub exeuntem autumnum eò profecti audentiores aliquot bellatores, in continente, contrà Inſulam propugnaculum ſtruxere, vnde inſidiosè captarent, ſi quis indidem exiret. Et intercepti nonnulli, dum incautiùs prodeunt : in ijs Stephanus Annaotala, vir non animo magis, & genere, quàm Chriſtianâ virtute ſpectabilis. Is dum ad certamen ſe ſe cum paucis ſocijs accingit, fortium vtique in morem vnà cum ijs occubiturus, inhibetur clamore hoſtium : neutiquam hoſtili animo aduenisſe ſe ſe : quin, alia omnia propoſita eſſe ſibi : delata ab ſe munera, nec temnendi pretij, ad Huronum reliquias, quæ deſertâ in Inſulâ ſqualore & inediâ contabeſcerent, inuitandas ad paratum perfugium, opportunum ſanè : ex Nationibus duabus ſeorſim illuſtribus, clariſſimam vnam conflatum iri, ſingulari vtriuſque gloriâ : proinde cum amicis agendum ſibi putaret pacatè ac beneuolè. Intellexit vir maximi conſilij idem, & animi, inſidiosè iſta obtendi, quò nimis credulos ſubdolus hoſtis falleret : ſed aſtu conſtra aſtutiam vtendum ratus, præclarè ipſe quoque diſſimulat : & inſperatam lætitiam vultu præferens, occedit vltrò, conſalutat, pergit ad propugnaculum : dein parata illa munera vel oſtentantibus, vel offerentibus. Atqui non is ego ſum, inquit Stephanus, cui tantus honos haberi debeat : ſana capita in communi gentis concilio complura ſunt, quorum ductu atque auſpicijs res noſtra publica adminiſtretur : ad eos proceres & munera mittite, & Legatos, ac me interim pro ouo de hîc habete : atque ſic vobis perſuadete, quicquid ab eis decretum fuerit, abſque vllâ dubitatione ratum fore. Nil potuit ad eorum mentem dici aptius : cùm perſuaſum homini putarent id quod maximè volebant; Quin, magis conſentaneum eſt, aiunt, vt ad tuos pergas ipſe cum

ANNVS MDCL.

noſtris Legatis: ſodales tui hîc pro obſidibus tantiſper remanebunt. Cùm annuiſſet, vnà cum eo Iroquij tres ad Huronum reliquias in Inſulam traiecere: & Stephanus ad pagi ingreſſum lætum clamorem tollens; Eia agite, inquit, fratres mei, hodie enimuerò cælum nobis propitium eſt. Et accurrentibus cunctis, vt fit; Hodie, ſubdit, in ipsâ morte vitam inueni, nec vni mihi, ſed omninò omnibus, qui modò non reijcient neque aſpernabuntur felicitatem, quæ nobis vltrò ingeritur ab ijs ipſis, à quibus alia omnia metuebamus. Nimirùm vnà cum animo, vultum quoque mutarunt Iroquij, ignes nullos deinceps meditantur, niſi eos, qui pacis, lætitiæque indices eſſe ſolent: fratres nunc ſunt, & parentes, & liberatores ijdem illi; qui nos antè penè ad tumulum perduxere, hodie vitam nobis offerunt: ſi quid ſapiemus, minimè committemus vtique, vt oblatam conditionem repudiemus. Adſunt cum muneribus, nos ad pacem, ſocietatémque inuitaturi: agrorum partem ſuorum ſponte nobis offerunt, ſolo vtique opimiori, quàm hoc noſtrum ſit: ex attritis Huronum reliquijs, & florente Iroquiorum pago, populus vnus conflabitur & frequens, & induſtrius, & bellator imprimis: nihil hoc rerum noſtrarum ſtatu nec optari quidem queat opportunius. Hæc cùm exponeret fidens, ſuſpicionémque ita corde premeret, vt illius veſtigium nullum neque in fronte, neque in oratione extaret; Præfecti ceteri, ſeu rem ita habere vt Stephanus dicebat, æſtimarent, ſeu diſſimularent ipſi quoque, clàm ex ipſo certiùs quid mente verſaret cognituri, ad hilaritatem ſe ſe pariter componunt: ſecuta mulierum, puerorúmque feſta acclamatio, geſtientibus Legatis, tanquam re ex animi ſententiâ tantumnon perfectâ. Ergo in caſam deducuntur omnium commodiſſimam, excipiuntúrque conuiuio: huic dum indulgent, Stephanus cum Præfectis agit: aperit ſuſpicionem ſuam, quid facto opus eſſe putaret, adiungit. Communis omnium ſententia fuit, neutiquam hoſti fidendum, qui fidem fregiſſet toties: ſubeſſe profectò aliquid: neque vllo pacto vero ſimile videri poſſe, victorem ad victos aduentare cum muneribus. Proinde occupandum eſſe, & dolo tollendum qui dolosè miſerarum reliquiarum ſtragem meditaretur: ceterùm, vt Stephanus auctor præclari conſilij fuiſſet, ità rem

ANNVS MDCL.

totam deinceps eidem permittendam esse, reliqui censuerunt.

His ita inter paucos constitutis, tùm Stephanus, tùm reliqui pagum obeunt, voce quam-altissimâ denunciantes mulieribus, vt conuasarent confestim, frugem Indicam in farinam redigerent, supellectilem colligerent: post triduum cum amicis fœderatísque Iroquijs proficiscendum esse: ad destinatum locum vbi primùm peruenissent, angori-mentis, securitatem, labori quietem, egestati copiam succesturam. Proinde bono animo essent, & quæ imperarentur, ea sedulò atque impigrè intrà statum tempus effecta darent omnes. Audiebant læti conuiuæ quid denunciaretur: videbant vnumquemque se ad iter haud segniter accingere: viros, mulieres, pueros, & profectionem inclamare, & accurare ad iter necessaria. Ipse Stephanus exporrectâ fronte pergit ad hostile propugnaculum, Iroquiisque rei exitum præstolantibus significat; Omnia ab suis ad iter comparari, post triduum profecturos omnes; neque enim plus temporis concessum ad rem tàm optabilem, ne mora inutiliter, aut etiam noxiè traheretur. Credidere perfidi agi ab Huronibus sincerè ac seriò, atque adeò prædam tantam, támque optabilem in casses incidisse. Ergo Stephanum amplexati, collaudatáque eius fide, nullam non beneuolentiæ significationem adhibent: colloquuntúrque de ratione itineris: spem inijciunt vitæ apud se placidæ, & verò etiam copiosæ: expeditiones bellicas varias proponunt. Et Stephanus hortatur vicissim, oculis ipsi suis vsurpent, quantâ vel celeritate, vel voluntate cuncta ab suis apparentur: ad pagum visendum inuitat: ex eorum consilio suppletum iri, si quid faciendum præterea videretur: vno verbo, tàm appositè ad persuadendum dixit ingeniosus Orator, vt Iroquios plus triginta ad pagum pertraxerit. Nec cunctandum deinceps Hurones rati, dato signo, circunuentos opprimunt, necántque: tres modò euasere, Stephani monitu, gratum se ac memorem accepti beneficij præbentis: eorum enim operâ permissus viuere fuerat, quo tempore Brebeufius, Lalemantiúsque ab immaniissimis illis carnificibus per infandam crudelitatem lentis ignibus tosti sunt. Ceterùm, ex ijs qui interempti sunt, vnus apertè professus est, eo modo se sociósque ab Huronibus haberi, quo Hurones ipsi, nisi occupatum

cupatum ab ijs eſſet, habuiſſent: certum enim ſibi fuiſſe internecione delere omnes. Porrò, cùm de ſuorum ſtrage per tres illos quos dixi, audijſſent qui in propugnaculo ſubſtiterant, conſternati ac fugientes ad ſuos ſe ſe receperunt. Hurones autem paucos deinde menſes quieti egerunt, dum ſuſpicati id quod res erat, neutiquam eam vel contumeliam vel cladem ab Iroquijs lentè toleratum iri, aliam primùm in Inſulam, Εκαëντοτον nomine, mox Kebeccum ad populares migratunt.

VT NOS QVOQVE eodem redeamus, Silleriani Chriſtiani aliquot cùm ſe ad accolas Trifluuij nonnullos, nonnullóſque Hurones verno huius anni tempore adiunxiſſent eo conſilio, vt, quemadmodùm aiebant, hoſtibus aliquot præciderent pedes, quò ne ab ijs ſanctæ fidei Religioníſque exercitationes interturbarentur; obuium habuere Iroquium vnum. Hac prædâ cùm contenti quidam, reflectendum iter dicerent, interceſſit omnium Præfectus, Ioannes Oütagainus, homo procero corpore, inſigni fortitudine militari, &, quod caput erat, apprimè Chriſtianus, contendítque eundum propius eſſe ad Iroquiorum pagos, ſi quem capere præterea poſſent. Ergo dum ſilenter vadunt, præmittunt duos ex ſuis, alterum Algonquinium genere, Huronem alterum, exploraturos num qui fortè hoſtes ſuis exijſſent è finibus, eodem bellandi conſilio. Cùm diuerſi procederent, incidit Huro in aduentantium Iroquiorum agmen: interceptúſque, dum mortis metu nimiùm, miſer, vitæ conſulit, per execrandam perfidiam prodidit ſuos. Benè habet, inquit, fratres mei: diu eſt ex quo vos quæritabam. Quò tu verò? aiunt. In patriam meam, inſit, ad conſanguineos familiaréſque meos: non enim quo loco erat, Huronum ſolum deinceps eſt: illud vos veſtros in fines tranſtuliſtis: eò me conferebam, acturus vitæ reliquum cum conſanguineis popularibúſque meis, qui nunc tàm arctæ vobiſcum ſocietatis vinculo colligati ſunt, vt ex duobus populus vnus coaluerit: ita eripui me vmbris illius alterius, qui nullus deinceps eſt. An verò te ſolus, pergunt, in viam dediſti? Nequaquam, inquit proditor, dedi me comitem agmini Algonquiniorum, qui ad vos tendunt: tum me conſultò ijs ſubduxi, ſi quem nanciſcerer eorum ad quos pergo,

ANNVS MDCL.

quò tradere vobis eos liceret. Hîc verò hoſtis omnibus lætitijs inceſſere, & illicò perfidioſum ducem ſequi. At Algonquinij dum confiſi nimium exploratoribus, ſecuri alia omnia cogitant, circumueniuntur derepentè, & ad inopinatam ſcloporum diſploſionem attoniti, trepidè cedunt. Ira trucidati alij ſunt: alij in nemorum receſſus ſe ſe ſubduxere: multi coniecti in vincula, flammarum pabulum mox futuri, ludibriúmque hoſtilis crudelitatis. Ductor Ioannes, tantum animi, fortitudiníſque in certamine præ ſe tulit, vt admirationi hoſtibus ipſis fuerit. Porrò, *Iudicia Dei abyſſus multa*: proditor cùm aliquandiu in finibus Iroquiorum egiſſet, poſteà ad Gallos, Algonquiniósque remeare auſus, eo conſilio, vt quidem opinio fuit, vt nouum aliquid eâdem perfidiâ ſtrueret, poſtquam primum illud ſuum facinus tàm præclarè, vt quidem rebatur, occultum habuiſſet, in caſſes ſe ſe ipſe induit: nec ſiuit iuſtiſſimus ſcelerum vindex tantum nefas latere in perpetuum. Agnitus eſt à quibuſdam ex ijs, qui ſe fugâ Iroquiorum immanitati ea in impreſſione ſubduxerant: ij cum familiaribus, vt fit, aperuiſſent ſuis, quàm non leuibus coniecturis ſuſpicarentur ſe tunc vnà cum ſociis ab eo proditos, & ad carnificinam ductos Iroquiorum; variis interrogationibus laceſſitur parricida. Cùm nutare deprehenderetur, inſtant vehementiùs quæſitores, Sinonémque partes in omnes verſant. Nec tantam vim ferre diutiùs potuit animus ſibi malè conſcius: crimen confeſſus, declarauit amore ſe vitæ præpoſtero, mortis metu, ad funeſtam eam perfidiam deſcendiſſe. Quare Proregis iuſſu coniectus in vincula, poſtquam tanti támque impij facinoris ritè conuictus erat, capitali dictâ ſententiâ traditus eſt necandus popularibus ſuis. Ii, vt addecebat, in ſempiternam miſeri ſalutem intenti, id egerunt primùm, vt animam procurari Chriſtiano ritu curarent; mox, reum deligant ad infame lignum, quod pro Gallorum Arce defixum erat (eorum ad ignominiam, qui culpæ leuioris affines, ex eo religati, diei partem aliquam exigere cogebantur, veteris Galliæ more, prætereuntium ſannis, ludibriíſque propoſiti) tum adſtitit Huro ſecuri armatus, &, Morte, inquit, dignus es, qui amicos, fœderatóſque prodideris: mox annuenti, fatentique, ſecurim librat in caput: ſed cum non prorsùs vitam

Pſal. 35.

ANNVS MDCL.

ademiſſet vulnus primum, ictu altero, tertióque additis, ſontem trucidat: atque hæc execrandæ proditionis merces fuit.

DE IIS QVOS ferus victor abduxit, hæc reſcita è duobus ex eorum numero, qui euaſerunt, poſtquam ſuis ipſi oculis conſpexerant, quibus cruciatibus tentata ſit fortium Neophytorum conſtantia. Narrauere, beatos Chriſti athletas medijs in flammis diuinas laudes concinuiſſe, ſic vt æther, in quem continenter oculorum aciem torquebant, plus excelſis pectoribus lætitiæ, quàm doloris ignes afferre viderentur. Ioſephum verò Onahare extollebant imprimis, neque immeritò: ſic enim in extremo illo actu vitæ ſe geſſit, vt quod in ſanctis Martyribus veneratur Eccleſia, æmulatus ſit haud ſegniter, Chriſti pugil. Haud recens in Iroquios ſic erat animatus, vt in hoſtes Chriſtiani nominis: neque alio conſilio aduersùs eos bellabat, niſi vt pro virili Eccleſiam tutaretur: ſic animo comparatus, vt IESV Chriſti causâ, ſi res ferret, tùm cruciatus omnes exciperet, tùm vitam profunderet. Ergo vbi ſe vinctum in ferali pegmate vidit, erupit continuò in Dei laudes: finem nullum faciens prædicandi ſummi eius in ſe amoris, qui ſe fide Baptiſmóque dignatus eſſet: & preces in circunſtantium hoſtium oculis elatâ voce decurrens popularibus ſuis animos addere inſtitit, hortaríque vehementer, magno fortíque animo exciperent inſtantes cruciatus: Dei enim filijs cælum patere. Cùm eam conſtantiam ferre nequiret Iroquiorum efferata impotentia, edicunt ne preces recitaret, ne-ve hortari pergeret: at is intrepido oris habitu oculos in ferocibus figens, ridénſque ferrum, flammas, candentes ſecures quas expediebant, intentabántque; pergit nihilo ſeciùs, frendentibus nequicquam impijs, rabiéque percitis tàm atroci, vt ni abſiſteret, nouum quendam in modum cruciaturos interminarentur. Et fecere: cùm Ioſephus ſemper ſibi egregiè conſtaret, nec quidquam remitteret de inſtituto, tres ipſos dies, noctes totidem tormenta tormentis aggerunt, nec perficiunt hilum. Perſtabat in collaudandâ ſummâ Dei bonitate: ingeminabant tormenta Buſirides: & ſcilicet impiè inſultantes, vſurpabant ferè eadem (ſi famulum cum Domino fas componere) quæ olim nequiſ-

ANNVS MDCL.

simi Iudæi, dum Christus IESVS in Cruce extremos illos ferret labores: Opem repoſce ab eo quem colis: noſtris te è manibus eripiat, rogato. At fortiſſimus iuuenis furentem eorum inſaniam per contemptum eludens, ſummas gratias agebat ſupremo parenti, quod ſe eo beneficio impertiretur, vt non tanquam homo ſilueſtris, ſed tanquam Chriſtianus diritatem illam cruciatuum perferret. Addidit Huro quidam adoleſcens, Ioſephi quondam perfamiliaris, cùm vnà cum illo captus, pòſt, vitâ donatus ab Iroquijs, ſe ſe clàm ad Gallos retuliſſet; hanc ad ſe orationem habitam à fortiſſimo athletâ, ad quem, cùm minimè ſuſpectus eſſet Iroquijs, à quibus recèns vitam acceperat, aſpirauerat dum torqueretur. Si vnquam tibi continget (aiebat) ſodalis chariſſime, remeare ad Algonquinios, illud ipſis confirmato, nullâ atrocitate cruciatuum potuiſſe Iroquios nec ex ore preces mihi, nec ex præcordijs fidem euellere. Ipſis renunciato me iucundè poſuiſſe vitam, eâ ſpe confirmatum, fore vt breuî cælum teneam. Cúmque (addebat idem Huro) tàm immanium cruciatuum diritas dolore animum meum opprimeret, atque adeò eliceret lacrimas ex oculis; Quid tu, inquit Ioſephus, felicitati inuides meæ? caue tuo fletu animum hunc meum emollias: ſic enim habeto, vt in extremis doloribus corpus hoc ſit, nullo tamen mœrore contrahi hunc animum: & verò, quæ mœrendi cauſa, cùm tàm propè abſim ab ſplendidiſſimâ regiâ illius, à quo cuncta condita ſunt? Ortum duxerat felix athleta ex gente Algonquiniâ, haud procul Huronum finibus. Cùm de fide inaudiſſet, viderétque haud magnopere ad eam exardeſcere populares ſuos, deſcendit ad Trifluuium, tum ad Sillerianam ſedem: ibi Chriſtianorum ardore perſpecto, pari & ipſe flammâ ſuccenſus eſt, penè puer. Apud Patres Societatis annum totum habitus, excultúſque, cùm deinde adoleſceret, parentis loco legit Carolum Kariſkatiſicht, hominem apprimè Chriſtianum: is viciſſim eâ indole delectatus, adoptatum habuit pro filio, vxorémque ei adſciuit virginem Chriſtianam. Erat à naturâ Ioſephus acer imprimis, & audens: proinde, niſi fides altiſſimas eâ in mente radices egiſſet, vtique ſe à Chriſtianorum conuictu, conſuetudinéque proripuiſſet multoties, iugum ſcilicet, tanquam

equus ferox, calcitroſúſque detrectans, abducentibus præſertim conſanguineis, reuocantibúſque in patriam : ſed vitioſæ naturæ impetum ſemper magno animo inhibuit, repreſsítque ſic, vt legatum eam in rem conſobrinum, ceu moleſtum interpellatorem reiecerit aliquando cum contemptus ſignificatione, quod eum à Chriſtianâ Religione alieniorem videbat.

ANNO ANTE', quàm gloriosâ morte defungeretur, quidam ei euenit haud ſanè prætereundum ſilentio. Cùm militatum perrexiſſet vnà cum popularibus multis, duce infideli, voluit ductor impius dæmonem de more conſulere, quæreréque ex eo, quodnam potiſſimum iter ad rem benè gerendam inſiſtendum foret? Interceſſit Ioſephus, quoad potuit : monens, vociferánſque, Chriſtianâ lege commercio prorsùs omni cum nefarijs ſpiritibus interdici : hanc ſe colere, hanc ſequi, atque adeò iniuriam ſibi fieri, aliíſque, quotquot Chriſtiani intererant, ſi quid iſtiuſmodi tentetur. Verùm, cùm multos frangere nequiret vnus, erigitur impium tabernaculum, in illúdque Magus, an impoſtor? ſubit. Concutitur terrificum quendam in modum ferale latibulum : Auernale carmen concipit impoſtor : tum vocis ſonum mutans, ſeu ipſe, ſeu teter dæmon, ad Ioſephum conuerſus, hæc canit interminans: Cur me tandem conſuli vetas? fortitudinem animi, conſtantiámque præ te fers: at id, quicquid eſt, à ſuperbiâ proficiſcitur. Ceteros vox ea omnes perculit: at Ioſephus intrepidus; Id agis videlicet, inquit, nefariè, vt animum huncce territes: atqui ſic habeto, flocci à me fieri tùm te, tùm minas tuas, tùm Iroquios. Illum à quo facta omnia, colo, & veneror: eum tu, æquè ac ego, pro Domino agnoſcis, inuitus quamlibet, ac reluctans : tantum in me effieere poteris, quantum is ſinet, prætereà nihil. Atqui ego ille ſum, exclamat dæmon, qui cuncta feci. Mentiris tu quidem impudenter (excipit Neophytus) ſi quid potes, robur exere : fruſtrà quidem certè labefactare niteris conſtantiam meam. Hîc verò fractus dæmon conticuit ille quidem : at eodem momento ſenſit Ioſephus quaſi latus tundi tàm grauiter, vt ex ictu interceptâ animâ, triduum ipſum non niſi ægrè reſpirarit, non niſi ægrè ſe ſe commouerit. Et hæſit ille quidem ad inopinatum euentum; non tamen animo fractus eſt: quid enim tanti eſt?

ANNVS MDCL.

(aiebat) nunquam ſacrilego dæmoni cedam, acquieſcam-ue. Exitus is fuit, vt cùm ardentiſſimas ad Deum fudiſſet preces, qui dolor momento extiterat, momento abſceſſerit. Hoc verò ipſo tempore cùm nihil de conſilij firmitate remitteret, è commilitonibus quidam, quîcum arctior ipſi neceſſitudo intercedebat, ſic eum compellat: Dolet mihi, quod ad hanc expeditionem tecum venerim: vtinam tuguriola illa, vnde profecti ſumus, adhuc nos haberent! næ, ex ijs tecum pedem efferrem nunquam, quando vnus, præter inſtitutum, communi Præfecto morem gerere detrectas. Ain' tu verò? inſit Ioſephus: ergo eo conſilio profecti ſumus, vt conſuleremus dæmonem? Videlicet, illud in diſceſſu inculcarunt conſanguinei, fœderatique; Ite, erigite tabernacula, & quas ſuperſtitiones valere ipſi iuſſimus, vos denuò reuocate. An non illud potiùs diſcedentibus commendarunt, vt brachia cruráque præciderem hoſtibus, quò ſecuriùs precibus operam dare poſſimus cuncti, pérque pacatum otium ſacræ inſtitutioni aures præbere attentas? Homines veſtigamus, non dæmones: ſi quid præſcribetur quod ad prius illud pertineat, aduolabo: de poſteriore vbi agetur, parere meum non eſt. Dum eum in modum inter ſe concertant, ecce tibi, cernunt Iroquios duos: atque hîc dirempto linguarum certamine, concurrunt illicò, haud velociter minùs, quàm venatorij canes conſpectâ prædâ: ac Ioſephus quidem, opem Domini Dei intùs inclamans in animo, Euro ocyor, alíſque fulminis, breui commilitones anteit (plures enim ſuperuenerant.) At Iroquij, quò expeditior fuga eſſet, veſtem abijciunt; inſtantíque, quoad poſſunt, ſubducunt ſe ſe exitio: ſed effugere nequierunt ambo: duorum alterum, vix animam præ defatigatione trahentem Ioſephus aſſequitur, aſſecutus enſe tranſadigit: nec moratus, fugacem alterum inſequitur: ſed cùm paulò iam longius interuallum intercederet, attingere nequijt. In reditu, in impoſtorem incidit, & per iocum; quid, ait, tuùſne tibi dæmon vaticinatus fuerat, te in obuio hoſte perſequendo, in poſtremis fore? ego ſi femina quidem fuiſſem, animum meum perculiſſet nequam ille ſpiritus: verùm, nullus me metus tenet neque tui, neque illius, neque vllius veſtri maleficij. Porrò è Sillerianâ ſede proficiſcens, vltrò, ſuggerente nemine, ſuperiorum annorum

ANNVS MDCL.

delicta per confeſſionem recognouerat, inde vſque à Baptiſmi ſuſcepti tempore repetitam : tum ad Triſluuium in tranſitu cum æqualibus denuò confeſſus, ſacram ſynaxim celebrauerat, Domino Deo dilectum famulum ad tàm præclarum certamen comparante.

AT SILLERIANOS non vna ea excepit calamitas : Carolus ille Kariskatiſicht, à quo adoptatum Ioſephum vidimus, cùm Tadoſſaco Kebeccum lembo repeteret, vnà cum Chriſtianis alijs compluribus, per fœdam tempeſtatem naufragium fecit in Magno flumine, merſis ad vnum omnibus. His euerſis columnis, ingens quidem ſecuta Neophytorum aliorum conſternatio, at non labefactatum ædificium. Pro inconditis clamoribus, próque barbaris vlulatibus, quibus ante ſuſceptam fidem cuncta longè latéque perſonuiſſent, auditum eſt nihil, præter diuinarum laudum formulas & cantica. In Ædem ſacram confluxere cuncti, adhibituri preces, filij, pro interfectis, captiſue parentibus, matres pro filijs, vxores pro viris. Adeò immutat corda fides, & ferinam barbariem Euangelium ad manſuetudinem reuocat.

INDIDEM EX Algonquinijs miro quodam modo feminam ad ſe traxit is qui *Infirma mundi eligit* frequens. Capta erat in ſolo patrio ab Iroquijs Algonquinia iuuencula haud inelegans. Apud eos verſatam aliquandiu, cùm facilis eſſet indolis duxit vir indigena, nec importunus : ita cum eo pacatè placidéque annos nouem exegit. Ibidem agebat Algonquinia altera, Monica nomine, apud ſuos olim Chriſtianis imbuta inſtitutis, baptizatáque, at cæca. Et penè pro miraculo haberi potuit, quod hæc ab Iroquiis permiſſa ſit viuere : eſt enim apud immanem gentem in more poſitum, vt trucident tùm vetulas omnes captiuas, tùm alias, à quibus in domeſtico miniſterio minimè iuuari ſe poſſe intelligunt; quod contrà, reſeruatam hanc Dominus Deus voluit, vt multarum ſempiternæ ſaluti ſeruiret. Ceterùm, ſi non cæcitatem oculorum prorsùs abegit ſupremus Medicus, tantum certè videre dedit, quantum ſat erat tùm vt greſſus ipſa ſuos regeret, tùm vt Chriſtianas captiuas aditet, quæ plurimæ, item vt ipſa, ſub grauiſſimæ gemebant iugo ſeruitutis. Cogebat nonnunquam omnes in pium cœtum, inſtituebat, erigebat animos : vno ver-

1. *Cor. 1.*

ANNVS MDCL.

bo, eâ in regione tàm hoſtili, tamen ſingulari quodam Dei mũnere Dogicum, Eccleſiaſten-ve agebat mulier ſancto inſtincta Spiritu. Ergo cùm poſt nouennium illud, nupta ea in morbum incidiſſet tàm grauem, vt vitâ ſuâ actum putaret, ad eam adit Monica, longóque interuallo memoriam refricat eorum, quæ aliàs in ſolo patrio inaudierat de Chriſtianis myſterijs. Quæ cùm grata iacenti accidere animaduerteret, pergit porrò, noctem ibidem agit, hortatur ad petendam à Deo veniam de admiſſis peccatis : tùm Baptiſmi cupiditatem inijcere conatur, per quem & ſempiternos eſſet declinatura cruciatus, & beatâ vitâ fruitura. Hîc verò ſuperiore quadam vi animata ægra ſanctè recipit, ſi diuinâ ope quam implorabat, mortem inſtantem effugeret, nihil prætermiſſuram ad adipiſcendum Baptiſmum. Et ſupplicem exaudiuit benignus parens : conualuit mulier, cepítque polliciti memor, cogitare patriam, quæ mente piè conceperat, ſanctè perfectura : ſed animum luctantes inter ſe curæ in diuerſa iactabant. Hinc occurrebat, viro ſe percharam apud Iroquios, nihilo ſecuriori otio perfrui, quam ſi ageret apud ſuos : quà lubebat ire, redire, nullo moleſto interpellatore : potiſſima verò ſolicitudo de filiolo ſeptenni, quem ex viro ſuſceperat : eo quid fieret, ſi ſe clàm ſubduceret ? Addebat, ſi in fugâ deprehenderetur, viuam ſe toſtum iri lentis ignibus : patriam, cuius tanto deſiderio teneretur, penè nullam iam eſſe, atque adeò ex propinquis neminem fortè ſuperſtitem reſtare, à quo exciperetur. Illinc tamen grauiora menti obijciebantur, ſempiternæ iactura felicitatis, ſi expertem Baptiſmi mors raperet : ignes non vnius alteriuſ-ve diei, quales Iroquiorum eſſent, ſed arſuri in perpetuum : intereà angor conſcientiæ aſſiduus, qui noctes & dies miſeram lancinaturus eſſet, atque adeò vita minimè vitalis. Ergo profugere conſtituit, & obſtrictam Deo fidem liberare : quóque res commodiùs perficeretur, cum amicâ item captiuâ conſilium communicat ſuum : hæc comitem ſe vel viæ, vel diſcriminum futuram pollicetur. Nec mora : cùm certum eſſet profugere, in iter paucula parant, non vtique magni ponderis, quando expeditas eſſe oportebat, non modò ad ambulandum, ſed etiam, ſi res ferret, ad currendum. Hîc verò quiddam incidit, in quo ambigi meritò queat, vtra maior fuerit, matris in ſe proden-

prodendâ temeritas; an filioli iſtâ ætatulâ in ſilendo continentia. Vbi nox aduenit ea, quæ ad proficiſcendum lecta erat, non potuit continere ſe mulier, quin filiolo vale faceret, & quaſi cum viro, non cum puerulo colloquendum ſibi foret, hanc omninò ad eum orationem habuit. *Ego, mi fili, his in oris nata non ſum: cùm capta eſſem in Algonquiniorum finibus, adductáque hunc in pagum, vxorem me ſelegit pater tuus. Mi gnate, inſidet huic animo cupiditas patriæ vel ſemel reuiſendæ: ita à te diſcedere cogit itineris ratio: noli id ferre ægrius.* Hic verò lacrimas vbertim paruulus profundere, inſtaréque apud matrem comitem vt ſe itineris adlegeret, neu ſe deſtitueret ſolum. Et id quidem peruelim, infit mater, ſi quo pacto fieri queat: verùm progredi nequeas: atque adeo tuâ tarditate accerſas mortem mihi: quin potiùs vbi abſceſſero, adito ad eas feminas (populares quaſdam ſuas nominabat) eæ, quæ tibi neceſſaria ſcitu ſint, tradent: tu verò illis morem gerito; atque vbi adoleueris, viriúmque ſatis nactus eris ad longum & difficile iter emetiendum, ad me aduolato: nunc caue conſilium cuiquam meum aperias, niſi cremari viuam matrem tuam voles. Cùm hæc vtrinque non ſine mutuis fletibus dicta eſſent, neſcio quid interuenit, vnde parata fuga octiduum ipſum retardata ſit: quo quidem interuallo æſtimare quiſque poteſt, quæ, quámque aſſidua extiterit miſeræ matris ſolicitudo, ne per imprudentiam filiolo excideret creditum arcanum: ſed perraro exemplo eâ quidem in ætate, taciturnitatis, neque verbo, neque geſtu matris de abeundo conſilium prodidit puer. Ita proficiſcuntur ambæ per noctis tenebras, penetrántque in ſiluarum vaſtitatem, animis ſpem inter metúmque alternantibus. Callis ijs in nemoribus tritus nullus: & quacunque progredi velis, ductus ſequendus ſiderum, nullo gnomone. Eâ in deſtitutione iam tamen dierum aliquot iter confecerant, cùm Iroquiorum agmen vident, è bello redeuntium. Et adſcititia comes illa cùm filiolum geſtaret recèns in lucem editum, defectam ſe lacte animaduertens, veritáque ne infantuli vagitu prodita, vnà cum ipſo ab hoſte iam propinquo necaretur; occupat infelix, vitámque inſonti vltrò eripit. Neque tamen ſaluti conſuluit ſuæ: agnita captáque ab Iroquijs, & vinculis irretita, reducta eò eſt vnde profecta erat, pabulum vtique

ANNVS MDCL.

flammarum futura mox, nisi ad instantes rogos expaueſcens, voluntariâ morte furens ac lymphata, dum breuis incendij declinat ardores, in illos ignes Tartari, ſempiternos vtique, præcipitaſſet imprudens tùm criminum aliorum, vt credibile eſt, tùm cædis duplicis nuperrimè rea: quæ ſi à filioli nece abſtinuiſſet, rei periculoſæ illius quidem, at nondum deploratæ exitum diuinæ prouidentiæ commendans, & ſe fortè, & prolem ſeruaſſet. Certè altera tàm induſtriè delituit, vt veſtigantium ſagacitatem omnem eluſerit, elapſáque, ſola quod viæ ſupererat emenſa, tandem ad Chriſtianorum fines peruenit: ibi loci, attonitis cunctis enarrauit caſus ſuos, errores, diſcrimina: ac poſtquàm idoneè imbuta erat ſacrorum notitiâ myſteriorum, baptizata Fidelium numerum auxit, Deo ſibíque gratulans repertam demùm libertatem vtramque, per diſcrimina giganteæ ipſi firmitudini metuenda.

EODEM TEMPORE regenerata in Chriſto eſt mulier altera, cuius conuerſio, vt minus in ſpeciem admirabilitatis habeat, pro miraculo tamen putari poſſit. Erat hæc ab indole tumidior, arrogantiórque, mulierum ceterarum contemptrix, tanquam hæreditariâ ſuperbiâ: germana quidem illius ſoror, maior natu, cùm ab Iroquijs capta eſſet, maluit ſeipſam, vnà cum filio quem geſtabat, interimere, quàm ſeruam agere. Huius infelicitatem cùm aliquando apud iuniorem hancce deploraret è Societate IESV Sacerdos, oratione ad commiſerationem accommodatâ, illud vrgens præcipuè, quod cùm tàm ſæpe Baptiſmi copia miſeræ facta eſſet, ſemper tamen Dei munus ſingulare reieciſſet; tantus pœnæ conſimilis timor eius animum peruaſit, vt aures deinceps mentémque inſtituenti Catechiſtæ ſtudiosè præbens, Baptiſmum quantum potuit, vrſerit: huius vbi primùm compos facta eſt, quaſi in aliam verſa derepentè, ſuperiorem contumaciam facilitate, ſuperbiam animi demiſſione mutauit: cuius deinceps vt fidem illuſtraret, firmarétque probatio, virum haud ita diu pòſt mors abſtulit, Præfectum fortis animi.

AT ATTIKAMEGVII legarunt ad Patres vnum è ſuis, hominem ſingulari morum innocentiâ, & comem imprimis, qui Sacerdotem eum, cuius huius Miſſionis incubuit peculiarem in modum procuratio (erat is Iacobus Buteuxius) ductaret

in patriam. Sed ex operariorum paucitate euenit, vt ei eundi copia fieri nullo modo potuerit: tum enim non plures ſupererant, quàm ille ipſe cum altero, qui ad Trifluuium Gallos iuxtà, & indigenas procurarent. Hìc verò vtri plus mœroris obtigerit, Antonio (id erat Neophyto nomen) an Iacobo, cui lacrimas eliciebat Legati in eâ repulſâ intimi doloris index oratio, haud facilè æſtimari potuit. Quid enim tandem, aiebat incenſus Orator, aut dicent, aut ſentient ij, qui tanto tui deſiderio tenentur, quíque mirum quendam in modum auent homologeſim inſtituere? quid liberis noſtris fiet, nondum per Baptiſmum regeneratis, quid vxoribus, quæ huc ſe conferre nequierunt? Omninò ſi ſine te reuertero, mœrorem cunctis incredibilem obijciam. An verò eò redacta res eſt, vt qui vnam eandémque hîc familiam conflamus, alij ab alijs poſt obitum diſtrahamur, beatis alijs, alijs miſeris futuris in tempus ſempiternum? Si familiam totam conuectare humeris potuiſſem, feciſſem: nunc itinerum difficultas tanta eſt, vt terrorem cuique injciat: ſi tàm multi, qui eam aſperitatem eluctari nequeunt, expertes Baptiſmi emorientur, eccui ea deſtitutio fraudi futura eſt? Tandem, cùm expediri aliud tum quidem nequiret, conſtitutum à Buteuxio eſt, vt deſignaretur aliquis è gente maturior, qui baptizaret ipſe eos qui propiùs abeſſe à morte cenſerentur: alios excitaret, informarétque ad actus amoris Dei, ſinceræque contritionis frequentandos, vnde homologeſis Sacramentum intereà ſuppleretur. Sanè tanta eſt optimæ Nationis innocentia morum, vt eâ ſe conſolatione ſuſtentaret Buteuxius, ab ijs per Sacramenta iuuandis tunc quidem excluſus, fore vt annum totum à letali peccato intactos ſe ſe præſtarent. Et reſciuit deinde, Præfecti cuiuſdam vxorem ſine præuiâ confeſſione è viuis exceſſiſſe: ſed nihil animo motus eſt, quod ſciret nihil illâ fuiſſe in fide ardentius. Inter cetera, ſolenne ei erat, noctibus ijs, quæ Dominicam quamque diem antecedebant, ſub mediam circiter noctem expergiſci, flexíſque genibus, examen inſtituere conſcientiæ: tum coràm Domino Deo noxas anteactæ hebdomadæ omnes recenſere, perinde ac ſi apud Sacerdotem confeſſionem inſtitueret: demùm precum numerum quendam recitare, tanquam à ſupremo illo Pontifice ſatisfactionis nomine imperatum

ANNVS MDCL.

ANNVS MDCL.

Bonus videlicet Dominus est: illiúsque bonitas vel extremos Barbarorum fines irrorat.

NEC TADOSSACENSIVM hoc anno ardor desideratus. Cùm ad eos adiisset Sacerdos idem, qui anno superiore, sed paulò tardiùs, quàm concupiissent, hoc est post Paschales ferias, cùm sanctiorem cum illo Hebdomadam sanctè exigere in votis esset; precati ab illo sunt, vt quo ritu Silleriani Neophyti feriâ sextâ Paraſceues venerati Crucem essent, eandem tunc sibi quoque adorare liceret: neque enim consentaneum esse, vt si sacro illo tempore Sacerdote caruissent, à quo præclara cerimonia perageretur, tunc quoque à recolendâ Christi IESV morte abstinerentur. Cùm æquissimæ petitioni annuisset Sacerdos, octiduum totum ab vnoquoque in se religiosè comparando positum. Eo interuallo confessionem singuli bis instituerunt (sic enim iterare Sacramentum hocce solent, quoties eo diu caruere) tum indicto publico ieiunio, immuni nemine, feriâ sextâ proximè subsecutâ, Christo Seruatori honores instaurarunt eos, tanto pietatis sensu, vt spectantes Galli mirari satis nequirent optimorum Neophytorum incensissima studia. In pio illo cætu reperti, qui suæ sibi intemperantiæ conscij, quâ aliàs in ebrietatem incidissent ex vsu immoderatiori seu vini, seu liquoris illius, quem *Aquam-vitæ* vocamus Galli, haud minùs vino ad perturbandum cerebrum efficacis, vt dictum sæpè est, professi sint publicè indignos se esse, qui ad imaginem IESV Christi Crucifixi propiùs accederent: satis sibi fore, si sacelli pauimentum oscularentur. Et visus mortalium Seruator (inquit idem Sacerdos, Epistolâ eâ de re datâ) guttulâ nonnullâ sanguinis sui pias mentes imbuisse: siquidem peractâ cerimoniâ, dum recedunt tùm Præfecti, tùm primarij alij è Christianis, nouo quodam ardore inflammati in illud peccati genus, quo nullum illic familiarius, hoc est in ebrietatem, cui fomitem præbent quotannis naues Gallicæ, dum aduenium, periculosis ijs mercibus, quas diximus diuidendis; elatâ voce denunciarunt fore, vt seuerè in eos animaduerteretur, quorum ora, postquàm Christo Domino osculum impressérant, se in posterum fœdâ ebrietate contaminassent. Id verò vbi ritè promulgatum, continuò qui cirneas alterutro liquore oppletas humi infoderant, ad Patrem

tulere : cùm dicerent, quandiu is penès ſe familiarem illum dæmonem retineret, eum neutiquam nociturum. Sanxerunt præterea, ne quis Patris iniuſſu quidquam mercium talium coëmeret : ſi quis egeret, ſchedulam ab eo ferret : qui ſecùs feciſſet, eum pro ebrioſo habitum iri, atque adeò pœnæ obnoxium fore. Flagitauerunt item à Prorege, condi Tadoſſaci iuberet publicam Cuſtodiam, vbi pœnas penderet perpetrati ſceleris quiſquis noxam eam perpetraſſet. Et Præfectus quidem eo nomine famoſior publicè conteſtatus eſt : ſi vnquam ex ebrietate minùs compos ſui deprehenderetur, velle ſe in ſeipſum totam illam nouæ legis acerbitatem exeri : addidítque, quoniam ſuperiori tempore ſuâ illâ intemperantiâ offenſionem creaſſet quamplurimis, qui malo exemplo edocti, ipſi quoque in ebrietatem incidiſſent, ſi quis ſuorum hîc peccaſſet deinceps, humeros ſe vltrò nudaturum ad flagella, pœnâ in ſe ſuſceptâ noxarum, in quas eos qui ſibi parerent, nequiter impuliſſet. Nec ita diu pòſt, cùm ex eis iuuenis quiſpiam tantumnon ebrius eſſe compertus fuiſſet, Præfectus in conuentum venit, & ad ſuos iam ibidem maximam partem congregatos orationem hanc habuit. *Si quo mei ſtudio tenemini, ſodales, id nunc re oſtenditote: vlciſcimini in hoc corpore ſcelus huius veſtri familiaris: ſi quis veſtrûm hîc ſe ſegniùs adhibuerit, eum ego pro ignauo, imbellíque putauero, &, quâ notâ nulla grauior eſſe poteſt, pro homine minùs benè in fidem animato.* Secundùm hæc, nudat humeros, omnes omnino, validos, imbelles ob ætatem, hortans ad ſe impigrè verberandum. Nec ſeciùs paruerunt eorum plerique, & cùm Præfectum ſeriò loqui, vt res erat, ſibi perſuaderent, non manu minùs, quàm animo fecerunt imperata. At circunſtantes Galli cùm minimè indulgenter rem agi cernerent, commoti ſunt animo cuncti, nonnulli ſoluti in lacrimas præ admiratione non modò conſtantiæ, ſed etiam lætitiæ cuiuſdam ſerenioris, quam vultu atque ore toto præferret vir fortiſſimus, dum ſuo dolore, ſuáque ignominiâ noxam ab alio contractam expiat. At reus ad tàm inopinatum ſpectaculum pudore iuxtà, & admiratione defixus, animo pauliſper collecto procedit in medios, Præfectúmque compellans eundem, & conſanguineum; Quando, inquit, eadem ex ſtirpe genus ducimus, mi conſobrine, vnum vtique amborum

ANNVS MDCL.

corpus eſt: tu pœnæ flagitio meo debitæ partem dimidiam pertuliſti: reliquam hocce in corpore lui æquitatis ratio poſtulat: ità poſtquam in inſontem animaduerſum eſt, ad ſontem veniatur. Nec mora: Præfecti locum cùm ſubijſſet, illi ijdem expeditis virgis piè ſæuiente charitate verberant affatim volentem: aiebat enim malle ſe hac in vitâ perferre noxæ pœnas, quàm eaſdem ſuâ ignominiâ in alteram tantò grauiùs pendendas reſeruari.

NEC DISPAR in re ſimili, oratio Præfecti alîus ad germanum fratrem, quem de relinquendâ per diuortium legitimâ, pudicáque vxore cogitare intellexerat. *Fratrem*, inquit, *te meum appellem, nécne, addubito: nam ſi ab vxore diſceſſeris, à fide poſtmodum deſciſces: id verò ſi feceris, neutiquam te pro fratre habuero, ne pro conſanguineo quidem, aut affine: pro hoſte te putabo potiùs. Illud verò ſic habeto, dum integrum eſt, ſi ab Eccleſiâ defeceris, patrium ſolum planè deſerendum tibi: neque enim, me viuo, Tadoſſaci impio deſertori verſari licuerit, niſi ſi te vis imponi in canoam, tum in Inſulam deportari, vnde nulla vnquam exeundi aut ſpes relinquatur, aut facultas.* Hominem perculit tàm conſtans denunciatio: fatetur ingenuè id quod res erat, de prauo ſe facinore animo deliberaſſe: enixè ab Chriſtianis flagitat, preces ad Deum ſuâ causâ fundere ne grauentur, tum in ſontem animaduertant ipſi, & ſeueriùs: id ſe miſericordiæ genus à Fidelibus expectare, quorum cœtus adire aliquandiu auſus minùs eſſet, quod ſcelerum conſcientiâ, indignum ſe ipſe eorum vſu & conſuetudine iudicaſſet.

DENIQVE, vt mutationem dexteræ Excelſi in Tadoſſacenſibus nemo non prudens æſtimator agnoſcat; illi ipſi qui alias Nationes antè ab ſuo portu arcebant, poſtquam Dei, Chriſtique notitiâ imbuti ſunt, cùm viderent fieri nequire vt Sacerdotes (præ paucitate) ad remotiores illos populos penetrarent, vicinos vltrò ipſi ad ſe inuitarunt hoc anno, nihil ſibi iucundius fore teſtati, quàm ſi iuxtà ſe domicilia figerent, in fide erudiendi: neque enim conſentaneum eſſe, vt quos inter, amicitiæ hac in vitâ interceſſiſſent, alij ab alijs in alterâ vitâ diſtraherentur. Et Oupapinachiɣkij quidem iam imbui fide cœpti erant: Oümamiɣkij autem, hoc eſt Anticoſtiæ Inſulæ accolæ, hoc primùm anno Tadoſſacum conuene-

runt, ad eandem inſtituendi: quóque aduenæ lubentiùs & accederent, & Catechiſtis aures, animóſque præberent, cunctorum ſibi ſtudia adiungere Præfecti voluntariâ munerum largitione ſtuduerunt. Iidémque Tadoſſacenſes cùm paulò antè, Gallos celarent itinera, per quæ tenditur ad Nationes eas quibuſcum ipſi mercaturas exercent, ne lucelli pars aliqua auerteretur; atque adeò ab earundem aditu deterrerent Sacerdotes Societatis; vrſerunt tunc eoſdem ad immenſam illam vaſtitatem ſiluarum ſecum peragrandam, baptizaturos eos quibus Tadoſſacum ventitare minùs liceret. Ergo hoc anno Gabrielem Druilletium traxerunt ad viſendos confirmandóſque Neophytos, diſperſos locis varijs: neque enim annis ſuperioribus fieri potuerat, quin ex ijs aliqui qui ad mercaturas deſcendebant, longè maioris pretij merces in diſceſſu ferrent ſecum, myſteriorum Chriſtianorum notitiam, quam ipſi deinde haud malignè popularibus impertiebantur ſuis. Vix canoam conſpexerant indigenæ, quâ Druilletius cum comitibus vehebatur, cùm ripas cingunt vndique Lacus ſanè ingentis, quem remis emetiebantur vectores: tum exſcendente Sacerdote, non animo ſolùm, ſed vultu & ore exhilarati, procumbunt in genua: circunſtant paruuli vndique: exclamant ægroti, nullo ſe deinceps mortis metu teneri, quando adeſſet Sacerdotis copia: mittunt primarij confeſtim canoas aliquot ad finitimos, quò de eiuſdem Sacerdotis aduentu certiores fierent. Intereà raptim Sacellum excitatur, artis illud quidem haud exquiſitiſſimæ, atque adeò extitit breuî: ibi loci Dogicus (hoc eſt is qui abſentium Patrum vices gerit, inſtituítque, quoad eius fieri poteſt, Neophytos ad publicas preces ſtatis diebus conuocans) iubet continuò gratias agi Domino Deo, pro Sacerdotis aduentu, viríſque iuxtà, & pueris imperat modulata Cantica. Paruere illicò cuncti tàm piè, támque religiosè, vt ſolutus in lacrimas Druilletius, nihil planè proloqui potuerit aliquandiu, ex inſperatâ rerum facie, pulcherrimáque diſciplinâ Eccleſiæ coalitæ ijs locis, vbi nullus vnquam viſus Sacerdos fuerat: ſed nimirùm docente Deo facillimè, promptiſſiméque diſcitur. Ergo Catechumeni, quotquot erant, occaſione vtendum rati, inſtare apud Druilletium, Baptiſmum ſuum ne differret, ſed ipſe

ANNVS MDCL.

per ſe Sacramentum regenerationis impertiretur: quo ex numero vnus aliquis ætate iam grandior cùm ſe reijci in annum ſequentem videret, Ædiculam ſacram ingreſſus, in pio illo cœtu cauſam ipſe egit: illud inter cetera vehementi oratione conteſtatus, ſi mors fortè, id quod procliue erat, ante illud tempus ingruiſſet, apud tribunal ſupremi Iudicis ab ſe accuſatum iri eos, qui tàm iuſtæ poſtulationi interceſſiſſent: & (quod reticuit Gallicus Scriptor) voti compotem factum, vero quàm ſimillimum eſt: quem enim non flecterent frangerent-ve minæ tales, tali loco ac tempore intentatæ? præſertim cùm nihil periculi ſubeſſet à Catechumeni leuitate, viri id ætatis. Senex item alius propè octogenarius, patrijs ſuperſtitionibus addictus, quàm qui maximè, cùm in caſtigatos Chriſtianorum mores, dictáque & facta moderatiſſima intueretur, ab eodem Druilletio, cuius iam ſermones de fidei myſterijs aliquoties ebiberat, precatus eſt, ſe quoque inſtitueret: ne-ve quid obſtaret, valere iam tum iubere ſe auitas ſuperſtitiones; Chriſtianos ritus animo & voluntate complecti. Ergo admiſſus in Catechumenorum numerum, bis in die ventitare in Ædiculam, ſacræ doctrinæ diſcendis elementis: & quoniam imbecilliore erat memoriâ, ſolus inambulabat frequens locis ſecretioribus, audita, traditáque iterans multoties. Hæc cùm videret Satanas, ringerétque eripi ſibi prædam, quâ tandiu eſſet potitus, ad artes ſuas confugit videlicet, hoc eſt ad dolos, fraudéſque, & commenta. Erat ijs in locis iuuenis, qui ſe pro rediuiuo venditabat, affirmantibus parentibus eum ab ſe tumulatum, extitiſſe poſtridie veſpere è ſepulchro viuum vegetúmque, eductum ab ignoto aliquo: atque idipſum impoſtor audacter mentiebatur. Stropha quemadmodum, cuiuſve arte adornata fuerit, haud conſtat: eo certè pertinebat, vt vnumquemque à Patrum inſtitutione auerteret: cùm diceret præſtigiator, colendum quidem Deum eſſe, cælorum, terrarúmque ſummum opificem. Dæmones pro prauis, perditíſque habendos: in IESVM item Chriſtum credendum eſſe: at non recta eam ad rem ab Europæis illis myſtis afferri: vnum ſc. modum, rationémque callere, quâ cultus adhibendus ei ſit. Sed quâ tandem ex officinâ commentum totum prodiret, haud difficillimum inueſtigatu fuit: ſeu à ſe miſer

ANNVS MDCI.

miſer inſanierit, ſeu commercium cum Satanâ habuerit, ductabat ſecum, hæreticorum penè omnium de more, duas treſve mulierculas: &, quæ perditi nebulonis impudentia fuit, germanæ ſorori perſuaſit, poſſe eam, copiam ſui facere adoleſcentibus Chriſtianis, dum fidei, precibúſque quæ Tadoſſaci traderentur, nuncium remitterent: ſed reiecta ab ijs procax impudentia eſt, ſanctorúmque Angelorum ope, valentiorum vtique tenebroſis lemuribus, vnà cum fide pudicitiam fortes athletæ illibatam retinuerunt: ita neque ſenis, neque vllius cuiuſquam Neophytorum Catechumenorum-ve detrimento, Tartarea fraus concidit.

Opilionis Iroquij Baptiſmus.

OBTVLIT HIC idem annus ſummo Deo primitias gentis Iroquiæ, regenerato per Baptiſmum eo, quem ſuprà ſe Gallis vltrò dediſſe vidimus, ante quinquennium: niſi ſi primus Iroquiorum omnium, qui in ſummi Paſtoris alumnis numeratus ſit, cenſendus eſt is qui etiamnum in Hiſpaniâ ſuperſtes, ex eâ gente paruulus abductus in terras Regis Catholici, dicitur in venerabili Patrum Auguſtinianorum familiâ feliciter militare Deo, iam Sacerdos, & ſcilicet ſummâ eruditione. Qui ſi fortè in noſtros hoſce Commentarios inciderit, non dubito quin iucundiſſimè lecturus ſit quæ de homine populari, itidem in IESV Chriſti familiam per lauacrum regenerationis adſcito ſubijcimus. Nimirùm ſi *qui potum dederit vni ex minimis* IESV aſſeclis, *calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine diſcipuli, non perdit mercedem ſuam*, multò minùs vtique ſiuerit idem largiſſimus rectè factorum munerator, carere mercede charitatem eorum, qui ſuo ipſorum incommodo à ſeruorum Dei corporibus ferrum depulerint. Id verò ab eo factum, de quo ſcribimus, prædicauit quoad vixit, cicatrix ſanè luculenta ex vulnere accepto in brachio quod protenderat, Iſaacum Iogueſium tecturus extremo in diſcrimine: ac tametſi ſeruum Dei nihilo ſeciùs gens barbara eo ipſo in loco confecit, tamen cum is vim, quoad eius facere potuit, defenderit viro & innocenti, & de perfidâ gente optimè merito; procliue creditu eſt Iogueſium illâ deinceps flagrantem charitate, quâ ardent beati Cælites, beneficij memorem fuiſſe, atque adeò à Domino Deo vitam illi impetrauiſſe ſempiternam, qui vitæ ſibi mortalis tuendæ tàm ſtudioſus extitiſſet. *Matt.* 10.

ANNVS MDCL.

Ergo cùm deditiones illæ in ſpeciem voluntariæ Iroquiorum tàm multorum ad Trifluuium toties accedentium, toties refugientium ſuſpectæ Gallis meritò eſſent, & ad Opilionem propriè quod attinebat (id enim homini factum nomen) conſtantiam illam in permanendo (cùm ad ſuos ſe ſe recipere ſi vellet, poſſet in momenta, liber vtique, ac ſolutus) tribuerent quidam ſtudio viri in Gallos, tali, quale ſemper profeſſus fuerat, nonnulli proditionem interpretarentur occultam & latentem, erupturam deinde vbi ſe daret opportunitas, volitantibus ſubinde præter Gallorum Trifluuianorum oculos nouis Iroquiorum agminibus, anceps deliberatio fuit, quid Opilione fieret. Nec defuere, qui extremo ſupplicio in hominem, tanquam in proditorem animaduertendum cenſuerint: alij, numero plures, pernegauere iuris pati rationem, vt nonnihil ſuſpectus licet, necaretur tamen, cùm ſe ſe bonâ fide dediſſet. Conſultius viſum, hominem in Galliam tranſmittere, ne, ſi fortè elaberetur, aſportaret ſecum notitiam nimiam & locorum, & rei Gallicæ, Algonquiniæque adminiſtrationis. Dum ex Trifluuio Kebeccum nauigio transfertur, euenit quiddam ſanè ſingulare: nam cùm veriti nautæ, militéſque, ne per noctem Opilio ex lembo in fluuium deſiliens, ſalutem naratu quæreret, quotidie ſub veſperum vincula inijcerent, is tamen poſtridie manè ſolutus repericbatur. Ei incommodo vt mederentur, vincula deinceps arctiùs ſtringere inſtituerunt, atque adeò ſuperaddere alia alijs: at nihilo ſeciùs expeditus poſtmodùm, libérque extitit. Et res quidem tàm inſolens pleriſque ſuſpicionem ingenerauit artis Magicæ, in homine qui Gallicè neſciens, diluere minùs poterat quæ impingebantur: quæ cùm animaduerteret è Societate IESV Sacerdos, qui eâdem naue vehebatur, precatus eſt à iuuene, Opilionis eiuſdem amiciſſimo, ex eo, pro familiaritate ſciſcitaretur, quâ tandem induſtriâ vteretur ad vincula diſſoluenda? At is rogatus, ſedatiſſimè reſpondit, ſe dum tàm duriter à Gallis nullo ſuo merito haberetur, ad eum qui cuncta feciſſet, cuius notitiam aliquam ab ijſdem Gallis hauſiſſet, in grauiſſimâ illâ moleſtiâ confugere ſolitum, precationémque hæc in verba concipere. Qui cuncta feciſti, noſti iniuriâ me vexari à Gallis, proditionis nomine: hæc vbi prolocutus ſum, aiebat,

ANNO MDCL.

illicò vincula per ſe excidunt, nullâ prætereà induſtriâ meâ. Equidem *Bonus eſt Dominus animæ quærenti illum*; optimus animæ quam ipſe vltrò quærit: illud conſtat, cùm Galli milites, Chirurgus, qui in lembo verſabatur, turbáque nautica in id ingenij ſui vim induſtriámque intendiſſent, vt nodis quàm fieri poſſet difficillimis arctarent miſerum, ſemper illæſis, integríſque funibus, ſolutum repertum. *Thren.* 3.

ERGO KEBECCI Gallo traditus in Galliam renauiganti, Portum Gratiæ (oppidum eſt Neuſtriæ maritimum) tenuit ad VII. Id. Decemb. anni ſuperioris, inſtitutus intereà toto nauigationis tempore ab Sacerdote Societatis, qui & ipſe repetebat Galliam. Ac Baptiſmum quidem compluries flagitauerat, de quo ſæpè inaudierat à Gallis: verùm, cùm exploratum minùs eſſet, quemadmodum deinde ſe ſe eſſet adhibiturus, ſatiùs viſum fuerat cum Sacramento abſtinere: præſertim cùm ad preces quas didicerat, plenior myſteriorum notitia accedere deberet: ita Catechumenus deportatus in Galliam eſt. Vt Portum Gratiæ attigit, homo in nemorum ſolitudine totâ penè ætate verſatus, dum hinc quidem portum contemplatur, refertum nauibus, illinc tantum domorum numerum, ne exiguo quidem interuallo diſiunctarum; mentéque, & cogitatione ingentes illas naues cum ſuis canois componit, cum patrijs caſulis ædes ampliſſimas; horas ipſas duas (qui fuit attoniti animi ſtupor) elinguis hæſit. Dum Dieppam deinde cum eodem Sacerdote progreditur, admirationem intendit ſpectaculum aliud: nimirum altero quidem die pagani totâ longè latéque viciniâ ad forum promercale, vt mos eſt, confluebant; poſtridie, vt feſta lux erat, ventitabant ijdem vndique ad rem ſacram. Ergo cùm feruerent viæ euntibus, redeuntibúſque; Papæ! aiebat, quid id rei? loca omnia Galli occupant, nec agros minùs frequentant, quàm vrbes. Atque id ſibi hoc faciliùs perſuadebat, quòd Gallos audierat aliàs in Nouâ Franciâ per iocum dictitantes; Tàm multos in Galliâ homines eſſe, quàm multæ in immenſis Canadenſium ſiluis eſſent arbores. Ceterùm, Dieppâ proficiſcens cum eodem Sacerdote Lutetiam versùs, calceos Gallico more induere iuſſus erat: verùm cùm ij quibus Canadenſes vtuntur, flexibiles planè ſint, ſimillimíque aut vdonibus

ANNVS MDCL.

ijs, quorum vſus in ſphæriſterijs perfrequens, aut chirothecis è pelle ceruinâ; aſſueſcere calceamentorum noſtrorum rigori neutiquam potuit. Quare, & calceos exuit, & tibialia: ac tametſi pluuia, frigidáque tempeſtas erat, itinera autem crebris lacunis, cœnóque altiore infeſta; viam tamen emetiebatur nudis pedibus, nudóque capite, haud expedite minùs, quàm verno vel æſtiuo tempore viatores noſtri ſolent. Sed tamen, cùm lubricum imprimis iter eſſet, pedem compreſſo neruo luxauit: hinc cùm pes idem intumuiſſet, reducendum illum in oppidum Sacerdos putauit, commendandúmque Monialibus præſidibus Xenodochij. Et ab illis quidem eâ charitatis ſignificatione habitus eſt, vt penè extrà ſe rapi videretur homo minimè hebes: illud demirans ſcilicet, tantum in optimarum virginum pectore ineſſe charitatis, vt cùm apud Iroquios, atque adeò apud Canadenſes vniuersè, inuiſum exoſúmque peregrinorum vel nomen ſit; eæ & orationis comitate, & omni genere fomentorum tàm benignè ignotum homulum proſequerentur. Sed cùm eam ad curationem longiore interuallo temporis opus eſſet, neque remorari diutiùs liceret Sacerdoti; iuſſus ab eo eſt ibidem tantiſper in Xenodochio conſiſtere, dum conualuiſſet: poſtmodum à ſe accerſitum iri. At Opilio cùm ab ſuo optimo in Chriſto parente diuelli nequiret, abeuntem ſequi conſtituit, atque adeò pedis dolorem abceſſiſſe ſimulat. Ergo dat ſe in viam, animo erectior, quàm valentior corpore: & vix quartam partem leucæ Gallicæ confecerat, hoc eſt milliare circiter vnum, cùm pes denuò vnà cum tibiâ intumuit: adeò vt fateri tandem coactus ſit, progredi ſe deinceps vltrà nequire. Quare iuſſus, oppidum versùs remeat, ſéque, Gallo interprete quem obuium habuerat, denuò ſiſtit Monialibus: at eæ præſtanti charitate tàm idonea fomenta ſuppeditarunt, vt denique plenè conualuerit. Quemadmodùm autem ſe ibidem homo ſilueſtris adhibuerit, ſic eæ deinde ad illum ſcripſerunt, à quo adductus fuerat. *Verè, ſincerèque tradimus, in Iroquio quem nobis commiſeras, hæc obſeruata. Cùm ſacrificio intereſſe Catechumeno non liceret, in Miſſâ, abſcedebat ille quidem poſt recitatum Euangelium: at poſtquam exierat è Sacello, in abſtruſo receſſu quopiam in genua demittebat ſe ſe, preces ad ſacrificij vſque finem prorogans, idque quotidie. Quotieſ-*

cunque ſacrum IESV Chriſti Corpus ad ægros deferebatur, abÿciebat illicò ſeſe in genua, tàm religioſo habitu corporis totius, vt intuentium animos mirè afficeret. Si exhilaratum velles, mentio erat inÿcienda Baptiſmi: vbi ſignificatione aliquâ iubebatur in eius ſpem venire, continuò exiſtebat in vultu mira quædam ſerenitas, intimi deſiderij index. Noſtrûm vnamquamque obſeruabat eâ modeſtiâ, quæ barbarum haberet nihil: quicquid tandem præſcriberes, obtemperabat continuò, ſtudebat de vnoquoque benè mereri: opem ferebat mirâ alacritate, ſi quando dabat ſe occaſio. Sanè cùm ædes Xenodochio vicinas flamma aliquando corripuiſſet, ſpecimen præclarum edidit vel animi, vel virium, vel induſtriæ: cúmque in veſte gallicâ impeditiorem ſe eſſe animaduerteret, eo amictu contentus qui pudori ſeruiret, perreptauit momento eum ad locum, vbi plus inerat periculi, plus vnus præſidij afferens, quàm eorum plerique à quibus id potius ſperandum fuerat. Tametſi procero corpore erat, vaſtáque mole membrorum, cibum tamen minimè barbarè capiebat, ſemper à voracitate alienus: & quicquid cibatus daretur, tàm grato animo accipiebat, vt ad Gallicam vrbanitatem educatum pridem putares. Relaxabat ille quidem animum nonnunquam cum ægrotis, alijſ-ue eorum qui in Xenodochio alebantur: verum, eâ ſemper adhibitâ cautione, vt nemini moleſtus eſſet: neque quidquam obſeruatum vnquam in eo eſt vel leuiter indecorum, nedum coniunctum cum vllâ licentiâ Chriſtiano homine indignâ Hæc illæ.

AT OPILIONI cum ſignificatum eſſet, Lutetiam pergere demùm licere, etiamſi ex recenti inualetudine, quæ poſtquàm abſceſſerat morbus ille grauior, guttur ſtomachúmque tentauerat, haud planè conualuiſſet; tamen vbi intellexit eò euocari ſe ſe, quò incredibili ardore ferebatur; ſpe concupito Baptiſmo potiundi, dat ſe in viam, Lutetiámque peruenit de medio Ianuario anni huiuſce. Sciſcitanti Patri eidem, num ſatis conualuiſſet? ſeu veritus ne ab optimo parente iterùm diuelleretur, ſeu ſenſum doloris gaudij abſtulerat magnitudo, benè ſe habere affirmat, cùm tamen iam tum febri æſtuaret eâ, quæ breui deinde mortem attulit. Ac ſitis quidem erat vehemens, cui vel ſedandæ, vel mitigandæ continenter poſcebat bibere: id cùm ex itineris labore proficiſci ſibi perſuaderet Sacerdos, ſatisfieri ipſi iubebat, ita duntaxat vt frigida præberetur, vinum neutiquam: at ij quibus hominis cura

ANNVS MDCL.

permiſſa, intempeſtiuè gratificaturi peregrino, vinum propinarunt affatim, hoc eſt, oleum camino addiderunt. Ita admiſſus Opilio in Neophytorum Xenodochium, ibi vitam mortémque eodem propè tempore inuenit. Hæc inter cetera, obſeruata, traditáque de eius felici obitu ab Xenodochij Præfectis. Vndecimo Cal. Feb. anni MDCL. ad nos adductus eſt à Patribus Societatis IESV Iroquius quidam, annos natus quinque circiter & triginta. Is quanquam infirmiori iam tum valetudine, minimè tamen intermiſit intereſſe omnibus, quæ peragi hîc publicè ſolent, precationibus præſertim, ad quas illum iam ex præuiâ inſtitutione informatum fuiſſe, liquidò conſtitit. Nam quâ primùm vice in Sacellum pedem intulit, caput aperuit, ínque genua ſe demiſit: tum extracto è perâ Roſario, ſe ipſe vltrò Cruce efformatâ ſignauit. Quarto quàm aduenerat die, obſeruatum eſt, ipſum conſiſtere ſtantem non valere: proinde cùm decumbere iuſſus eſſet, exploratâ arteriâ febris deprehenſa eſt ſanè vehemens, quam ad eam diem celauerat. Qui ad eum viſendum itabant officij causâ, cùm nutibus pro ſermone vti cogerentur, efformabant ſanctæ Crucis ſignum, tum ad cælum manus tollebant, idem vt ipſe faceret, quoad licebat adhortantes. Et faciebat perſtudiosè, támque iucundè, vt inde releuari vis morbi videretur. Idem Sacerdotem eum qui piæ domus inquilinis à ſacris erat, vocitabat frequens, Dominum appellans, quam vocem à Gallis arripuerat: ſed miſerandum erat, poſtquàm acceſſerat Sacerdos, ipſum nullo modo poſſe quæ mente concepta habebat, quæque concupiſcebat, effari. Opinio fuit, nec inanis, quoties Sacerdotem accerſebat, Baptiſmum flagitare voluiſſe: & illius quidem à quo ductus fuerat, Sacerdotis è Societate IESV mens, conſiliúmque fuerat, Sacramento eo poſcentem impertiri, antè quàm è viuis excederet: ſed differendum putabat idem, ad extremum vſque, quod, poſt tot támque varia indicia ſinceritatis, ſemper tamen remanebat in mente, fraudis ſuſpicio. Tandem tamen, cùm proximè à morte abeſſe cenſeretur æger, conuenere circà eius lectulum quotquot domi erant, inter ſe conſultaturi, num animam agenti concedendus denique Baptiſmus eſſet. Diremptа controuerſa (diſſidebant enim inter ſe illi ipſi qui aderant)

ANNVS MDCL.

hymni illius recitatione, quo ſancti Spiritus opem implorare Eccleſia conſueuit: vix enim orandi finem fecerant, cùm ſpaſmo tàm acri æger conflictatus eſt, vt nequaquàm vltrà differri oportere cenſuerint omnes. Et compos quidem ſui eſſe deſijſſe putabatur is cuius res agebatur potiſſimùm: verùm, alia prorsùs omnia aduertere licuit: nam cùm ſe ex dolotis ſtimulis vellicantibus è lectulo proripuiſſet, obſeruatus eſt illud agere, vt decorum omni ex parte retineret. Vt verò Sacerdotem vidit in lineo amiculo, ſuperiniectâ ſtolâ vndam præferentem manu, ratus id quod erat, eò rem tendere, vt voti compos fieret, continuit ſe ſe quietus ac ſilens: animaduerſúmque à circunſtantibus eſt, extitiſſe continuò eius in vultu eximij cuiuſdam gaudij ſignificationem. Quinetiam cùm ex ſchedulâ quam præiret idem Sacerdos, actuum, quos vocant Contritionis, formulas à pio myſtagogo in id tempus exaratas Iroquio jdiomate, illa eadem ipſe & ingeminauit multoties, & precationes alias à ſe addidit incenſas, vt nemo non adſtantium miraretur. Eum in modum comparatus, regeneratus eſt in Chriſto, ſub horam octauam à meridie vt numeramus Galli: & vix dimidia dein hora fluxerat, cùm felix illa anima corporeis ſoluta vinculis in cælum euolauit. Ita occultiſſimâ eâdem, & efficaciſſimâ ſuauitate congregat Dominus in dies à quatuor ventis Electos ſuos: neque eorum vllum elabi ſibi ſinit. Huius porrò ſors quàm fortunata! qui apud Anthropophagos, atque edeò vnà cum Anthropophagis educatus, non tamen ferinam illam crudelitatem ſic arripuit, vt non facilè deponeret, ſemper humanus, ſemper accepti beneficij memor, ex quo Monte-magnij auctoritate, imminenti ereptus ſupplicio, viuere permiſſus eſt.

ANNVM HVNC claudat calamitas haud leuis, importata Kebeccenſi Monaſterio S. Vrſulæ, caſu, ſi humana ſpectes; ſi diuina, permiſſu illius, *qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, hoc occultiùs ad inueſtigandum, Domino Deo rem diſpenſante ac diſponente, quò intempeſtiuiùs in ſpeciem deflagratio contigit. Nocte eâ quæ penultimum anni huiuſce diem anteceſſit, hoc eſt III. Calend. Ianuarij, per aſperitatem frigorum oræ Canadenſis, illa quæ panificio dabat operam, fouendo fermento, in mactrâ ligneâ foculum

Monaſterij S. Vrſulæ deflagratio.

Ephes. 1.

ANNVS MDCL. incluſerat, antè quàm ſe cubitum reciperet. Vt arida materies erat, ignem intrà horas aliquot comprehendit: is ſenſim, vt fit, graſſatus per vicina, tectum corripuerat priùs, quàm ab vllâ Monialium deprehenderetur. Tandem crepitantium flammarum ſonitu excitatæ, trepidè ſurgunt, tardiùs illæ quidem ad ignes conſopiendos, tempeſtiuè ſatis ad conſulendum vitæ ſuæ: quanquam & permirum viſum eſt incendij magnitudinem intuentibus, omnes euàdere potuiſſe, virgunculas præſertim quæ in conuictu degebant. Hora erat à mediâ nocte altera, cùm è flammis in niues cunctæ deſiliunt: at non cunctæ deſides ſubſtitere. Fuere aliquot, quæ de virgunculis illis ſolicitæ, per medias flammas earum complures requiſierint, nec abſtiterint priùs, quàm collocaſſent in tuto: aliquid etiam è ſacrâ ſuppellectili raptim aſportatum: cetera quæ annorum decem labor, induſtriáque ex piorum liberalitate cõngeſſerat, intrà vnam & alteram horam arſerunt, ædificia, veſtes, & quicquid erat præterea ſupellectilis. Ipſæ medijs è niuibus ſpectantes incendium, ſingulari animi æquitate procumbere in genua, & quæ ardebant cuncta, ſummo rerum omnium Domino ac moderatori offerre, eo vultus habitu, eáque vocis firmitate, quæ lacrimas Gallis indigeníſque, vndique ad luctuoſum ſpectaculum, vt fit, concurrentibus elicuerit, ſeu ex miſeratione ſortis earum, quæ ad ſuæ calamitatis conſpectum ne ingemiſcerent quidem, ſeu ex ſenſu Chriſtianæ lætitiæ, gratulantis Domino Deo fortitudinem illam, fidémque obſequentium famularum, quæ de ſuâ iacturâ propè ſecuræ, in vnâ illius ſanctiſſimâ voluntate tàm non grauatè acquieſcerent. In illâ tàm repentinâ rerum omnium deſtitutione, nc ſub diuo tamdiu tàm aſperâ tempeſtate noctes diéſque agere cogerentur, exceptæ ſunt à Patribus Societatis IESV in atrio, coniuncto illo quidem ipſorum domui, at occluſo diligenter aditu omni, ſic vt charitati iuxtà, & decoro ſeruiretur: ibi aliquandiu moratæ ſunt, dum accuraretur domicilium aliud: migrarunt enim haud ita diu pòſt, in ædes alias, vel potiùs in ergaſtulum; adeò anguſta omnia.

ANNVS MDCLI. SVB HOS VERÒ ipſos dies, atque adeò ſubineuntem Ianuarium anni primi & quinquageſimi ſuprà milleſimum ſexcenteſimum, Hurones Aurelianenſis Inſulæ incolæ, partim ex

ANNVS MDCLI.

ex charitatis incitamento, longè ſublimioris naturali illâ miſeratione quâ proſequi amicorum vicinorúmque caſus aduerſos, gens pridem ſolita erat, partim veriti ne Sanctimoniales in Galliam redeundi cupido inceſſeret, incredibili rei Chriſtianæ ijs in locis detrimento; ad eas penè cuncti adiere, ac perorante Ludouico Taiaëconĸ, è Præfectorum ordine, cui demandatæ partes eæ erant, ſenſum doloris ſui hunc planè in modum teſtati ſunt: ſententiam enim reddo fide quantâ poſſum maximâ. *En* (inquit) *videtis, ſanctæ virgines, miſeranda cadauera, reliquias regionis olim florentiſſimæ, nunc nullius. Ad ima oſſa vſque in nos vel bellum vel fames graſſata eſt: neque ſi quà ex parte adhuc cadauera hæc conſiſtunt, id habent niſi à vobis, à quibus fulciuntur. Per literas, ſat ſcio, didiceratis priùs, nunc veſtris ipſæ oculis intuemini, qualis quantúſque ſit ærumnarum noſtrarum cumulus: circunſpectate nos vndique: atque ipſæ æſtimate, num inſit in nobis adhuc aliquid, quod non nos ad rerum noſtrarum ſtatum deplorandum incitet, atque ad vberes lacrimas aſſiduè profundendas. Exareſcebant tamen eæ ſenſim, niſi funeſtus iſte veſter caſus earum denuò fontem aperuiſſet, nouâ ſcaturigine: præſertim cùm quæ flamma in cineres momento redegit præclaram illam domum IESV, ſedem charitatis, ea deintegrò ob oculos nobis ponat ædium noſtrarum, pagorum, patriæ vniuerſæ deflagrationem. Nec tàm ſanctis virginibus flammam peperciſſe, nec obſeruantiam vllam exhibuiſſe tantæ virtuti! Agite-dum, populares mei, agite: fundamus in commune lacrimas, defleamúſque ærumnas tàm graues, quæ cùm priùs propriæ Huronum eſſent, nunc factæ ſunt Huronibus cum innocentibus virginibus communes. Nimirum perinde atque Hurones ij, quorum extremi caſus religioſa illa veſtra pectora tàm intimè commouerunt, caretis ipſæ deinceps patriâ, caretis ædibus, caretis penu & ſupellectili, caretis auxilio omni, niſi eo quod è cælo affulgebit, vnde nunquam oculos tollitis. Nos quidem huc conuenimus eo conſilio, vt conſolationem adhiberemus: atque adeò antequàm huc inferremus pedem, ſubijmus, quoad licuit, corda illa veſtra, veſtigaturi, ecquæ maximè res angorem ijs afferat, medicinam iſti malo pro noſtrâ tenuitate facturi. Ac ſi cum ijs quidem ageremus, qui eodem atque nos ſenſu ducerentur, ferebat mos, vt munera offerrentur à nobis duo; alterum, quo exſiccarentur veſtri fletus, alterum, quo mentes veſtræ confirmarentur: verùm, non vſque eò hebetes ſumus,*

ANNVS MDCLI.

vt non obſeruauerimus, neque veſtras has mentes illius domus ruinâ oppreſſas fuiſſe, neque ex veſtris oculis fluxiſſe vel lacrimulam, quæ veſtrum huncce caſum deploraret. Nimirùm nullam veſtris animis ægritudinem ingenerat bonorum iactura eorum, quæ terrâ continentur: cæleſtia ardentiùs concupiſcitis, quàm vt vos rerum aliarum egeſtas cruciet: ita nihil hinc quidem metuendum intelligimus, atque adeò nullam huic malo quærimus medicinam: vnum illud timemus, quod exitioſiſſimum vtique nobis foret, ne poſteaquàm parentes veſtri in Galliâ, aut propinqui, aut neceſſarij, de caſu veſtro cognouerint, reuocent vos in patriam; ipſæ illorum lacrimis flectamini. Et verò, quæ tandem mater erit, quæ non ingemiſcat, vbi acceperit filiam ſuam redactam eò egeſtatis, vt & veſtibus careat, & cibo, & lecto, multò magis oblectamentis ijs patriâ ſuauitate conditis, in quibus à primâ infantia eſtis educatæ? Nempe illud primum omnium ſuccurret animis, naturâ ipsâ ſuggerente, accerſendas vos eſſe: ſic enim ſe & rationibus veſtris proſpecturas, & conſulturas ſibi, quibus nihil ſit priſtinâ illi veſtrâ conſuetudine iucundius: ſenſúſque eoſdem induet frater pro ſorore, pro filiâ fratris ſororis-ve, patruus, auunculus, amita, matertera: ità periculum erit, ne nobis cunctæ ſubducamini, atque adeò careamus in poſterum ſingulari illo fructu inſtitutionis filiarum noſtrarum ad fidem, cuius quidem ſuauitatem deguſtare tàm feliciter ceperamus. At vos forti animo, & conſtanti, reſiſtite ſanctæ virgines: nolite ſinere firmitatem illam mentium veſtrarum, propinquorum amore expugnari: contrà, illud nunc planum facite, charitatem noſtri veſtram omnibus naturæ vinculis potiorem, efficaciorémque eſſe. Ea animorum veſtrorum inductio vt magis magíſque confirmetur, en torquem è conchâ veneriâ, figendis hoc in ſolo veſtris pedibus tàm altè, vt abducere vos nullum propinquorum, nullum patriæ deſiderium queat: en alteram iaciendis fundamentis noui ædificij, nouæque domus IESV, domus precum, & gymnaſioli vbi Huronenſes virgunculas inſtituere pergatis. Atque hîc prolatis, oblatíſque torquibus, ſic denique finem dicendi fecit: *Hæc vota noſtra ſunt, hæc veſtra: neque enim, ſat ſcio, tranquillè morte defungeremini, ſi ſupremo illo tempore obÿci illud vobis poſſet, plus apud vos valuiſſe amorem conſanguineorum molliorem, quàm ſtudium tot animarum, quarum ſempiternæ ſaluti accurandæ tàm gnauiter, támque fructuosè operam adhuc dediſtis, quas Dei causa dilexiſtis, quæ corona veſtra futuræ ſunt.*

ANNVS MDCLI.

QVIS FVERIT SENSVS ad eam orationem, piarum virginum, facilè quiſque æſtimare poteſt: illud certè aſſecutus eſt bonus Orator, quod ſequebatur hoc faciliùs, quod ipſæ ab omni deſiderio intactæ reuiſendi patriam, hoc vnum metuebant ne alij id fortè conſilij caperent, hoc eſt, quantum intelligo, rei Canadenſis Moderatores: qui niſi ipſi quoque diuinæ gloriæ ſtudioſiores fuiſſent, quàm ad rem priuatam attentiores: non grauatè liberaſſent ſe ſe ſi non onerosâ procuratione, certè conſpectu earum quæ vel ſilentes, opem exigere videri poſſent in momenta: ſed animorum conſpiratio tanta fuit, vt conſenſu conſilium illicò omnes ceperint reponendi ædificij. Ipſæ Moniales eam in rem non dubitarunt æs alienum contrahere, nec modicum: atque interim dum ad ædificandum neceſſaria comparantur, in ædes ſanè exiguas immigrarunt: neque enim cubicula plura erant quàm duo: in ijs Sanctimoniales tredecim, vnà cum externis puellulis aliquot ſic agebant, vt munia omnia exequerentur, quæ priùs; hoc maioris virtutis documento, quòd incommoda grauiora erant, æſtate præſertim, quo tempore perincommodus diu noctúque æſtus erat, & ſcilicet in rerum omnium inopiâ, quam tamen lætæ, erectæque animis perferebant omnes. Sanè omnium in commune intererat, vt quod ſanctè ceperant, in eo permanerent, pergeréntque inſtituere puellulas: vſu enim compertum eſt (inquit is qui Gallicam Relationem contexuit) poſtquàm nuptæ ſunt illæ, quarum ætas tenerior præclara documenta ab ijs hauſit Chriſtianæ inſtitutionis, longè præſtantiùs ceteris maritales domos regere, longè meliùs & ad Chriſtianam normam aptiùs educare liberos.

RES HVIVS ANNI ceteræ perpaucæ traditæ ſunt: neque id mirum videatur, reputanti quanta vndique pericula circunſtarent ab immaniſſimis illis Satanę emiſſariis: vnde enim niſi ab inferis tanta, tam importuna, tàm pertinax rabies? Penetrârat ad Attikameguios Iacobus Buteuxius per mille diſcrimina, diebus tribus & quinquaginta difficultates omnes eluctatus, quæ infeſtum iter reddere, non dico, ſolent; ſed penè poſſunt, ſi illam exceperis, quæ ab hoſtium formidine exiſtere ſæpè ſolet: tunc enim pacata ſatis ora illa erat. At infeſtum habuere tùm agmen totum, tùm Buteuxium imprimis, quippè minùs valentem

Buteuxij apud Attikameguios vicinóſque populos ſuſcepti profi de labores.

ANNVS MDCLI. viribus, & ad illam duritiem minùs aſſuetum, imbres, niues, glacies infida, quæ pedes reticulis implicitos cruſtâ tenuiori fallente, vt ver erat, ad media vſque crura in ſubiectam alteram mergebat, quæ ſi ipſa quoque fefelliſſet, vix ac ne vix quidem extrahi deinde poſſet. Accedebant calles per abrupta montium, rupiúmque, tàm anguſti, vt ſi paululùm modò veſtigio fallente titubares, in ſubiecta præcipitia rueres; virgulta nemorum tàm denſa, vt in paſſus ſingulos quærendum eſſet vbi pedem figeres; inedia propè perpetua, talíſque vt cùm ad veſperum vſque ieiunus permanſiſſet, vix in cibum omnem, vnciarum ſex annona ſuppeditaret, & talis quidem, vt neque panis, neque vini mentio vlla fieret, ſtratum nullum, niſi humus ſub diuo, tali loco ac tempore. Longum eſſet perſequi quæ ipſe memorat in Diario perlongi itineris, miſſo ad Paulum Iuuenæum, tunc in Galliâ verſantem, procurantémque eximiâ charitate iuxtà, & vigilantiâ tùm hanc Miſſionem Nouæ-Franciæ, tùm exteras omnes. Nolim tamen prætermittere quod ſequitur, vt intelligant Ieſuitarum iniqui, quàm iniquè ipſis obloquantur: quando, quo tempore in Oriente hoc eſt in Iaponiâ fortes illi IESV athletæ appetebant horribiles illos ab aquâ ingeſtâ, regeſtáque, & ab ſcrobibus in quibus, pedibus ſublimè colligatis, capite deorſum pendente, nouem ipſos dies durauere; in Occidentis Solis regionibus eorundem ſocij & æmuli, Societatis IESV Galli filij alumníque ad lentos ignes per tot anteriores vexationes pergebant. Fuit ergo, cùm Attikameguijs omnibus, quibuſcum iter emetiebatur, ad quæritandam venatu annonam diſperſis, ipſe quoque ſibi quoad eius fieri poſſet, prouiſurus, ſeni cuidam ſe ſe comitem daret, laqueos leporibus tendere meditanti. Dum diuerſi abeunt, ſenſim ſine ſenſu diſceſſit alter ab altero, ſic vt ne voce quidem reuocare errantem ſenex poſſet. Ergo locorum viarúmque ignarus Buteuxius, tanquam in labyrintho, ſic vaſto in nemore deprehenſus, dum maximè ad ſedem communis domicilij repedare ſe ſe putat, longiſſimè ab eâ diuellitur. Diem totam, & ſolus & ieiunus, & ſcilicet quid ſe futurum eſſet, anxius, progreditur per celſa montium, per depreſſa vallium, per liquefactas niues, diuinæ ſe ſe aſſiduè prouidentiæ commendans, ex quâ vnâ to-

ANNVS MDCLI.

tus aptus erat: neque enim opis humanæ ſpes vlla affulgebat, maximè intendentibus ſe ſe noctis tenebris. Ergo poſtquam ſe ſupplex denuò Numini permiſerat, reclinat ſe in truncum arboris, ieiunus, laſſus, madidus, algens: nam frigorum tanta adhuc vis erat, vt ſingulis noctibus in gelu aqua concreſceret. Accedebat ſitis ardor vehemens ex illâ tantâ & corporis defatigatione, & ſolicitudine animi: hanc, dum aliunde totus rigeret, temperabat identidem, hauſto volâ latice ex lacu, cuius in ripâ aſſederat: ita compa:ato ſenſim ſomnus obrepſit. Expergefactus dein, poſtquàm opem ſancti Angeli Cuſtodis inclamauerat, confugerátque tacitâ prece ad Ioannem Brebeufium illum, de cuius beato fine diximus; fragorem inaudit diſploſi ſclopi. Ad eum ſonitum erectus animo, clamore, quantum maximum tollere potuit, in illâ proſtratarum virium imbecillitate reſpondet, cùm ſclopus iterùm diſploſus id confirmat quod iam cogitatione informauerat, non temerè tali tempore (erat enim ſummum mane) adeſſe ſclopetarios, nedum tanquam ex condicto reſpondentes: eſſe profectò qui ſe requirerent. Quare exurgit, dátque ſe in viam locum versùs vnde ſonitum audierat: nec ita procul, ad lacus alterius ripam Normanuillæum Gallum videt in canoâ, vnà cum Attikameguio illo, cuius hóſpitio ipſe vtebatur: ab ijs incredibili gratulatione receptus in canoam, ad locum ſtationis ſemianimis auectus eſt: ad fomentum, præter ignem, appoſitum piſcium aliquantum.

TANDEM XV. Cal. Iunias, qui dies Chriſto IESV in cælum ſcandenti ſacer illo anno fuit, eò incolumes peruenere, vbi indictus conuentus gentis erat. Ibi defixam excelſo loco prægrandem Crucem vident, ſingulari quodam ſenſu cæleſtis voluptatis: hanc vbi venerati cuncti erant, Angelóſque regionis Tutelares, ac S. Petrum precati, quem earum plagarum Patronum piè legerant, tùm lætitiæ ergô, tùm aduentus ſui ſignificandi, ſclopos vno eodémque tempore diſplodunt omnes. Putauerat Buteuxius concurſum fore illicò, vt fit, aduenturóſque qui ſe exciperent: id cùm minimè fieret, nihílque exaudiretur, niſi pueriles quædam voculæ; in re incertâ nihil habebat vnde ſatisfaceret ductor agminis: ità manſere attoniti aliquandiu, donec adfuit præfectus ipſe,

ANNVS MDCLI.

qui ad ripam quam-celerimè licuit, accurrerat, & gaudiò exiliens; *Noli*, inquit, *putare, mi Pater, ſi non viciſſim noſtros quoque ipſi ſclopos diſploſimus, aut minori ſtudio tui factum, aut rerum earundem penuriâ. Et nullus noſtrûm eſt, qui non te tantùm diligat, quantùm ſuam ipſius ſalutem ſempiternam, & ſclopi ſuppetunt, vnà cum nitrato puluere, plumbeiſque glandibus: ſed nimirum hoc ipſo momento quo hæc proloquor, publicæ preces in Sacello peraguntur: ibi te cuncti morantur, gratias vnà tecum acturi Deo pro ſingulari munere, quo te nobis ſtitit incolumem.* Nec cunctatus Buteuxius, ſecutus eſt cum ſuo agmine, vix præ mentis exultatione ſui compos: nec ſatis mirari poterat tàm præclarè ad fidem comparata cuncta, vbi nullus vnquam Sacerdos pedem fixiſſet. Vix optimo Deo perſolutæ grates erant, partim recitato Roſario, partim modulatè decantatis Eccleſiaſticis Odulis aliquot, cùm gentis primores ad Buteuxium acceſſere, verborum officio nec fallaci, ſinceritatem teſtaturi mentium ſuarum: tum infantulos ad Baptiſmum obtulere, tanto ardore certatim, vt antè quàm pedem illinc moueret, è-veſtigiò quindecim Buteuxius aquâ ſalutis reſperſerit, plures vtique iam tum Baptizaturus, niſi ſerus veſper in aliam diem optatum munus differre coëgiſſet: præſertim cùm ſacram inſtitutionem tàm cupidè adulti flagitarent, vt Catechiſtæ vix tantum temporis reliquum foret, quantum ſtata recitatio diurni Officij exigebat. Omninò ſingularis eſt diuinæ bonitatis vel munificentia, vel efficacitas in omne hominum genus: atque, vt retundit Apoſtolus ſtolidam Iudæorum arrogantiam, qui quòd paulò antè potiſſima quæque & Religionis ornamenta, & æternæ ſalutis ſubſidia penès ſe habuiſſent, idcircò populos omnes alios aſpernabantur, indignóſque putabant, qui in communionem venirent diuini cultus, auguſtorúmque myſteriorum illorum; ſic non vſque eò nobis blandiri debemus, Europæi Orthodoxi, ſi inde vſque ab ortu, ſacrâ lege inſtituti, in omni copiâ præſidiorum ad beatam vitam, ætatem deinde agimus; vt non nobis perſuadeamus, habere etiam in mediâ barbarie Dominum Deum, qui vbi ſemel ſempiterni Numinis notitiam arripuerunt, illi deinde caſtiùs, innocentiúſque famulentur, quàm noſtrûm plerique. Id adeò in candidiſſimâ Attikameguiorum gente cernere li-

ANNVS MDCLI.

cuit Buteuxio, non ſine ingenti admiratione, ac propè ſtupore: reperit enim octogenarios ſenes, atque adeò centenarium non-neminem, qui licèt Europæum nullum vidiſſent vnquam, tamen præclarè comparati ad Baptiſmum eſſent, in eam vnam rem, vt videbatur, ad id tempus reſeruati, vt tanquam beatus olim Simeon, & Anna illa Prophetis, Chriſtum IESVM ſi non corporeis oculis cernerent, qualis tunc erat, qualis nunc eſt; certè velatum in Euchariſtiâ, poſt Baptiſmum ritè ſuſceptum & intuerentur oculis, & palato, ſtomachóque contingerent. Quinetiam, cùm tanquam ad arduum & præmoleſtum quiddam, ſic ad excipiendas confeſſiones complurium ex eis, ſe ſe ex incitamento diuinæ gloriæ, ſalutíſque animarum Sacerdos idem confirmaſſet; comperit deinde, homines qui homologeſim nunquam vſurpaſſent; hi à Baptiſmi tempore, illi à tenerâ ipsâ ætate; tàm exactè tamen facta, dicta, cogitationes totius illius interualli, haud in quoquam exigui, recognouiſſe, ac ſi in Galliæ Chriſtianâ frequentiâ verſati toto eo tempore fuiſſent.

FEMINA fuit, quæ cùm antè quinquennium ſexenniumve, vnà cum viro infideli ad Sillerianam ſtationem deſcendiſſet, ibidem à Paulo Iuuenæo, qui tum aderat, in fide inſtituta, baptizatáque, virum deinde ſequi coacta eſt eos in tractus, ad quos nulloſdum aditus Chriſtiana fides inuenit. Ibi tanquam lucerna in caliginoſo loco mirum quàm non leuiter linguarum blaſphemarum flabellis exagitata ſit. Solicitabatur quotidie ad defectionem à fide: ſtolidam eſſe, quæ peregrinis quibuſdam hominibus credulitatem ſuam eò vſque accommodaſſet, vt mores patrios reijceret omnes, ritus neſcio quos obſeruaret & permoleſtos, & inutiles. At illa inconcuſſâ conſtantiâ non modò fidem retinuit, ſed etiam fidei, vt ita dicam, inſignia, tùm Roſarium recitando, tùm Eccleſiæ præcepta ſeruando, quoad licebat: illud vehementer dolens, non poſſe ſe feſtos dies, Dominicóſque à profeſtis exactè ſecernere. Et quoniam ſuperiori hyeme triginta ex eius popularibus Iroquiorum immanis furor tulerat, idcircò de ſempiternâ ſuâ ſalute mirum in modum ſolicita, duorum alterum à Domino Deo enixè poſcebat per preces, vel vt mentem eam coniugi ſuo inijceret, vt ad Triſluuium deſcenderet ſe comite, vel vt Sacerdotem aliquem è Sillerianis in

ANNVS MDCLI.

oras adduceret ſuas. Et poſterius hoc conceſſit benigniſſimus Deus, tanto iucundiori munere, quanto minùs ſperato: ità nil mirum, ſi ad conſpectum Buteuxij diuino quodam gaudio delibuta, in lacrimas illicò ſoluta ſit: excepta quidem illius confeſſio ſic affecit Confeſſarium, vt dies multos totus in ſe nihili ducendo deinde fuerit, quæ eſt religioſarum mentium deſpicientia ſui, dum aliorum rectè facta ardua cum quotidianis ſuis delictis componunt, quamuis leuibus. Illâ ſuâ innocentiâ ad Chriſtum adduxit mulier fidelis virum infidelem, detractâ ei pellice, hoc eſt vxore alterâ, quam poſt pactum ſecum matrimonium fœda libido ſuperinduxerat: ipſe conuerſus vt multùm auctoritate valebat apud ſuos, familias quinque è popularibus fidei conciliauerat: quotquot ijs continebantur, baptizauit Buteuxius. Ita, ex Euangelicâ parabolâ, induſtria mulier fermentum fidei ſic diſpenſauit in maſſam, vt panis exiſteret, menſis olim cæleſtibus inferendus. Nec intrà eos limites fructus præclaræ Miſſionis conſtitit: progrediendum Buteuxio fuit vlteriùs, ad populum, qui de Chriſtianâ Religione audierat ille quidem ex vicinis Attikameguijs: verùm ſic, tanquam de lege mortis, hoc eſt de re vnâ omnium moleſtiſſimâ, acerbiſſimáque, quippe quæ inter cetera polygamiam excluderet, quæ adhuc ijs locis exercebatur. Ad illorum animos conciliandos valuit Attikameguiorum eorundem commendatio Buteuxij, cuius & charitatem deprædicabant, qui tantum laborem eorum causâ vltrò ſuſcepiſſet, & dignitatem, qui non vulgari loco eſſet apud ſuos: ita minùs grauatè aures accommodarunt Buteuxio ipſi, qui deinceps apud eos de neceſſitate fidei diſputauit eo ſucceſſu, vt poſtridie illi ipſi refractarij vnà cum Neophytis Attikamequijs qui aderant, Crucem præaltam è ligno defixerint, loco commodo, Sacellum extruxerint, Cœmeterium ad tumulandos mortuos deſignarint; &, quod caput eſt, filiolos ſuos magno numero ad Baptiſmum ſtiterint. Id verò Sacellum vbi extitit, dies totos in eo conſumebat Catechiſtes, præclaro in opere occupatus: cuius ad operam, cùm ſuam quoque Neophyti impigrè adiungerent, intrà paucos dies mira extitit paſſim animorum mutatio. Longum eſſet documenta prodere incenſæ illorum pietatis: duo tantùm perſtringo, ex eiuſdem

Catechiſtæ

ANNVS MDCLI.

Catechiſtæ Epiſtolâ : alterum, intrà dierum decem interuallum quod ijs tribuit, delata ad ſe tympana Impoſtorum, de quibus nos tàm multoties : alterum, penè religioni ſe ducere, præterire complura quæ pro miraculis haberi poſſint in genere doni ſanitatum, per Roſaria : hac enim viâ, hoc eſt ijs, vt quidem interpretor, applicitis, emerſiſſe quamplurimos è morbis grauioribus. Ceterùm, cùm certatim Baptiſmum flagitarent viri æquè, & mulieres, ad illum tamen tunc quidem non admiſit niſi ſenes, quos propiùs à morte abeſſe intelligebat: pollicitus ſe anno deinde proximè conſequenti, reuerſurum ad meſſem præclaram, talémque, vt circumpoſitæ Nationes ipſæ quoque acceſſuræ eſſent eo numero, quem (verba ſunt eius, quæ, qui volet, hyperbolen interpretetur, dum illud maneat, virum tàm circunſpectum nunquam profectò ſic locuturum fuiſſe, niſi magnum quiddam deſignatum voluiſſet) vel ſi annis quadraginta ſuperfuturus fuiſſet, vix potuiſſet baptizare. Sed non tamdiu in hac mortalitate relictus eſt : ad mercedem laborum eum euocauit annus proximè conſequens, vt reddemus : ſublatus enim de medio eſt ab ijs ipſis Iroquijs, qui inſtincti à tetro dæmone, vineam Domini Sabaoth ſi non prorsùs exterminabant, vaſtabant certè, depopulabántque miſerandum in modum.

Noui Iroquiorum impetus.

ET HOC IPSO quidem anno, poſtquam ſe Buteuxius ad Trifluuium receperat per eaſdem difficultates, pérque eadem pericula, quæ inter eundum occurrerant; præter omnium expectationem metúmque, fera illa monſtra penetrarunt eò, nocendi gratiâ, quò vix vllus cuiuſquam emolumenti ſpe propoſitâ aſpirare audeat, ſi ſtudium ſalutis animarum exceperis. Ad Lacum Kiſakami, infeſtum vndique itinerum difficultate tali, qualem ſuprà deſcripſimus, peruenerunt tamen clàm, nocturni parricidæ, pérque noctis intempeſtæ tenebras incautos, inerméſque deprehenderunt ex gente innocentiſſimâ tres & viginti, vnius ciuſdémque caſæ inquilinos, turbam ferè imbellem : tres enim tantùm viri erant, atque ij non incruentam paſſi ſunt cedere importuniſſimo hoſti victoriam : ceterùm oppreſſi ſunt à multis pauci : reliqui, hoc eſt pueri, cum mulieribus, ad rogos flammáſque abducti in vinculis. Erant in vicinâ casâ mulieres complures, & ſolæ quidem, hoc eſt con-

ANNVS MDCLI.

iugum deſtitutæ præſidio, qui venatum ierant: eæ expergefactæ ad repentinum tumultum, vociferationéſque & eiulatus permixtos, facilè coniecturâ id quod erat aſſecutæ, ſe trepidè ſubducunt, nocturnáque tectæ caligine euadunt vtcunque licuit: & quod mirere, ſolæ per deuia, pérque ſaltus ac torrentes, ad Trifluuium tandem peruenere, incolumes illæ quidem, at eo mœrore deiectæ, qui tantarum calamitatum ſocius eſſe ſolet. Viri è venatione reuerſi, attonitíque vel ſtrage vicinorum, quorum cruenta cadauera inhumata repererunt, vel vxorum fugâ, cùm quid ijs factum eſſet, indicaret nemo, tamen id quod erat ſuſpicati, & ipſi ad Trifluuium tendere magnis itineribus, tanquam ad aſylum, rerum omnium egentes. Duplex tamen gratulatio fuit: altera, de repertis receptíſque vxoribus, altera de ſuorum in fide Magiſtrorum conſpectu & conſuetudine; ſed quæ graui oneri hoſpitibus non potuit non eſſe: quemadmodùm enim in his anguſtijs rei domeſticæ, tàm multos alerent? Miſerandis aduenis ſolum patrium repetere, haud tutum: ibidem diutiùs conſiſtere in votis quidem erat, ne à Buteuxio diuellerentur: ſed neque locus vacabat periculo, & annona nulla ſuppeditabat: maluerunt tamen in ſummâ egeſtate tùm Sacramentis, tùm alijs Chriſtianæ Religionis præſidijs frui, quàm domi ſuæ in momenta angi metu hoſtis tàm formidoloſi.

PAVLO ANTE, hoc eſt de menſe Maio, cùm peſtes eæ Nouæ Franciæ ad Montem-regalem excurriſſent, vbi eorum impetus ſæpè à Gallis indigeníſque retuſi feliciter erant, luce palàm manipulus bellatorum quinquaginta in oculis Præſidiariorum, qui accurrere ſatis tempore nequierunt, feminam è Galliâ rapuit, abduxítque, ingemiſcentibus cunctis. Erat illa haud illuſtribus natalibus, at præſtanti, vt exitus indicauit, virtute. Cùm aliquandiu vixiſſet inter Barbaros, vno Deo conſcio factorum, conſiliorúmque ſuorum, pòſt, ab efferatis carnificibus cremata eſt, in inſonte manes vlturis ſcilicet popularium octo, qui in certamine cum Gallis commiſſo interierant. Inauditâ crudelitate, in feminas præſertim, mammæ ei, naſúſque, & aures reciſæ priùs: dein lacerum truncúmque corpus vſtulatum, Dei famulâ horribilem illam cruciatum diritatem conſtantiùs perferente, quàm vllus ſibi facilè perſuaſiſ-

ANNVS MDCLI.

set: sed adfuit è cælo vis humanâ præstantior: & qui tàm sæpè victoriam Martyrij etiam sexui fragili contulit, idem in tempore corroborauit animum imbellis imbecillísque mulieris, & videlicet minimè duratæ ad asperitatem illam siluestrem, quippe quę in Gallię suauitate magnam partem ętatis exegisset. Fertur medijs in tormentis diuinam opem continenter imploraſſe, luminibus semper in cęlum sublatis; moriénsque hoc est in extremo ipso spiritu IESVM, quod assiduè fecerat, appellasse. Ad Abnaquios profectus Gabriel Druilletius, vetus gentis institutor in fide, cùm nondum se recepisset quo tempore naues profectę sunt, res illius expeditionis reddet annus consequens.

E GALLIA, hinc missum subsidium peropportunè, illinc importata calamitas. Ad III. Idus Octobris, quo tempore spes penè omnis exciderat nauium, hoc quidem anno conspiciendarum, adfuit cum militari manu, exiguâ illâ quidem numero, at viuidâ virtute, Lausonius Prorex, idem ille qui ante annos viginti ab Ludouico XIII. Christianissimo Rege in Maiorem Britanniam Legatus, suâ prudentiâ perfecit, vt Arx Kebeccensis iniquè ab Kersijs fratribus Anglis occupata, legitimo Principi restitueretur. Cum eo, inquit Paulus Raguenellus, redire visa spes, lætitiáque Nouæ Franciæ: cùm enim iamdiu in Canadenses egregiè sit animatus, nihil non expectandum de eius studio. Ac iam tum quidem tàm benè de oris ijs meritus est, vt professi sint Trifluuiani, absque militari illo præsidio quod secum adduxit, vix stationem illam, Iroquiorum crudeles impetus propulsaturam fuisse: quæ tamen si in truculentorum hominum potestatem veniſſet, quantas demùm strages importassent, quando noctes diésque adesse solebant ex insidijs, nullo certo lare licèt, nullo receptu nisi in densa, auiáque siluarum. Quanquam firmius auxilium aliunde pij incolæ & petiere, & assecuti sunt, è cælo videlicet, vnde auguſtissima Genitrix Dei per assiduas preces inuocata, benignè adfuit, pro more. Oratoria ei complura erexerant diuersis nominibus è veteri Galliâ accersitis, hoc est è diuersis Sanctuarijs, vbi hîc Mater Dei multiplici appellatione colitur, Virginis Lauretanæ, Lætitiæ, Virtutum, Fauſtæ Opis, Victoriæ, aliorúmque id genus, in angusto amplitudinem no-

ANNVS MDCLI.

ſtram imitati. Itabant ſtatis hebdomadæ lucibus nunc ad hoc, nunc ad illud; die Sabbati potiſſimùm, qui totâ Eccleſiâ peculiari veneratione Deiparæ ſacer: proſtratique in preces, opem ſuppliciter inclamabant illius, quam, ex addictiſſimo cliente S. Bernardo, queri nemo queat ſibi in rebus aduerſis inuocatam defuiſſe. Nec verò illos ſpes ſua fruſtrata eſt: quoties ferus hoſtis adfuit, toties repulſus eſt, & ferè cum iacturâ.

AT IN IPSA Galliâ indigniſſimè acceptus eſt Martinus Lyonnius è Societate IESV Sacerdos, qui quærendis Nouæ Franciæ ſubſidijs, emenſus Occidentalem Oceanum erat. Dum portum putat ſe tenere, fecit naufragium, non nauis ille quidem, quæ & ipſa tamen iactata periculoſiſſimè erat; ſed exiguæ illius ſpei quam repoſitam habebat eorum in liberalitate, quorum merces eâdem naui vehebantur. Rem ipſius verbis exponam, ex literis quas tunc Rupellâ dedit, Lutetiam ad Paulum Iuuenæum: atque adeò perinde vt ipſe, parcam nomini illius, qui tunc oram eam maris Santonici, nauibus, myoparonibúſque infeſtam habebat: dum enim hæc ſcribo, idem in Regis Chriſtianiſſimi obſequio eſt. Sic igitur poſt præmiſſam ſalutationem Lyonnius, Iuuenæum compellans. Significabunt tibi hæ meæ literæ, quæ res ſecundæ noſtræ fuerint, quæ aduerſæ; quæ lætitiæ ſeges, quæ mœroris. Dicam, nécne, nos feliciter ad portum eſſe appulſos, ambigo: quando in ipſo appulſu calamitas nos excepit; & quando loco Cantici actionis gratiarum, quod feſtâ gratulatione, quantáque maximâ contentione vocis modulari nautæ noſtri ſolent, vbi quò tendebant peruenere; Pſalmus Dauidis quinquageſimus aptior eſt ad deplorandam communem calamitatem. Anno ſuperiore Rupellâ vela fecimus ad XVII. Cal. Sextiles: nec enim priùs licuerat: hoc verò tempore flant rariùs Aquilo & Cæcias: ita longus & moleſtus traiectus fuit: neque Kebeccum tenuimus, niſi pridie Idus Octobris. Hoc verò anno, indidem Kebecco ſoluimus ad XVI. Cal. Decemb. hoc eſt, tardius quam vlla vnquam nauis ſoluerat: atque adeò mercatorum nullus conſcendere nauem nobiſcum voluit, quamlibet vrgeret negotiorum priuatorum, publicorum-ve ratio: tantus eos metus habuit, ne S. Laurentij flu-

ANNVS MDCLI.

uius medio in curſu conglaciaret, ne-ve tempeſtates in mari exiſterent. Quę euentura fuerant, an præſenſerint, neſcio: illud ſcio, nos procellis, ventorúmque omnium vi incredibilem in modum iactatos fuiſſe. Penè nobis perſuaſeramus omnes, Decembris menſis initium vitæ noſtræ terminum fore: ventorum impetus octiduum ipſum tenuit: atque intrà illud interuallum ſic nauem impulit, vt neque ſilicum ad dolia octoginta, neque bombardæ octo grandiores ad ſaburram imâ in naue collocatæ, neque merces quantæ quantæ erant, neque poculenti quicquid erat, neque piſa quibus tunc ſolis veſcebamur, neque ſi quid præterea in naue erat, impedierit, quò minùs nauis in alterum latus inclinaretur vſque eò, vt per marginem vnda influeret. Mali pars ſuperior circà carcheſia, diffracta: ac ſi, vt fit ſæpiùs, eadem vi denuò ventus ingruiſſet, perieramus prorsùs enim inuerſa nauis eſſet, atque adeò ſubſediſſet in gurgites: ſed prohibuit propitia Deipara: votum illi quoddam tunc nuncupauimus, pòſt, exoluimus. Abſque eo fuiſſet, non ſatis intelligo quemadmodum pars illa nauis tàm immani pondere depreſſa exurgere ad æquilibritatem potuiſſet. Ergo tùm hoc diſcrimine, tùm alijs compluribus, at minoribus defuncti, ipsâ nocte quæ naſcentem IESVM excepit, eò peruenimus, vbi tranquilla lætáque omnia ſperabamus, vnà cum copiâ, ceteris quidem diuinâ Euchariſtiâ potiundi, mihi ſacrificandi. Omnia ad exultationem comparabantur: gaudium tanquam in rediuiuis, ſic in vniuſcuiuſque fronte eniteſcebat: quicquid in naui pretij alicuius erat, illud totum in Nauarchi cubiculum inferebamus ad ornamentum, quo maiori pompâ ibidem peragere Sacrum die Chriſti natali liceret: cùm derepentè aures ferit fragor diſploſæ bombardæ maioris vnius & alterius, & hoſtiliter quidem, hoc eſt cum globo candenti. Hîc verò attonitus vnuſquiſque, conticeſcere, & quid id rei tandem eſſet, demirari. Vt inter Ream Inſulam, & Rupellenſe Promontorium verſabamur (vulgò *Chef de bois*) inclamantes audimus, infensâ vociferatione neſcio quos, & nauem ad ſe admoueri ocyùs iubentes, vela deijci, iaci anchoras: ni faceremus, bombardas quotquot erant, in nos confeſtim diſploſum iri. Hîc verò noſter omnium ſtupor intendi: ignari prorsùs tumultuum illorum, qui nunc Galliam agitant, pu-

ANNVS MDCLI. tauimus naues eſſe regias, quarum ius, per imprudentiam, pérque nocturnas tenębras violaſſemus, ſupernè elati, hoc eſt, quâ parte flaret aura. Quare paremus continuò, quæque imperauerant, facimus omnia: ſed nihil obſeruantia noſtra apud infeſtum militem valuit: adfuere ſtatim lembi quatuor pleni armatis: ij ſaltu in nauem noſtram ſe librant: arcas diffringunt: quicquid occurrebat, expilant, abductum Nauarchum ſiſtunt ei, qui quinque ſex-ve nauibus præeſt, quæ Rupellenſis portus fauces obſident: vno verbo, nauis ipſa noſtra *Broagium* abducitur (oppidum maritimum munitiſſimum eſt, leucas quinque Gallicas ab Rupellâ diſſitum, ad meridiem) ego, vnà cum ſocio, Laïco Adiutore, qui Galliam valetudinis causâ reperijt, Rupellam me recepi. Nec intrà hos limites ſtetit calamitatum noſtrarum modus: vnà nobiſcum nauis altera ſoluerat, Virgo nomine: curſum ſimiul tenuimus ad oſtia vſque Magni fluminis, quà prorumpit in Oceanum. Erat illa velis ocyor, quàm noſtra hæc: atque adeò cùm à nobis diſceſſiſſet, putaueramus huc priùs peruenturam quàm nos: nunc, quando nullibi comparet, ea nos angit ſolicitudo, euenisſe fortè, vt quæ tempeſtates ac procellæ nos penè demerſerunt, eædem illam abſorbuerint: atque hoc certiore fundamento coniectura noſtra nititur, quod iampridem nauis ea, vetuſtate fatiſcebat, ſic, vt non niſi ægrè Kebeccum priùs tenuerit, vndâ ſe ſe per rimas vndique inſinuante, & vbertim quidem. Hæc ſunt (ſubdit) quæ ad rationem itineris pertinent. Adiungit pro Commentario Scriptor Gallicus, de eâ naue nil prorsùs auditum deinceps. Data verò erat Epiſtola, Rupellâ VI. Cal. Ianuarij

ANNVS MDCLII. ABSTVLIT ANNVS ſequens columnas complures ædificij, naſcentis Canadenſis Eccleſiæ: id demonſtrante Domino Deo, ſe tanquam ſummum architectum, quo nomine à S. Paulo appellatur, identidem fulcra ſubducere fornicum, poſtquàm magnâ ſatis inter ſe firmitate lapides coaluerunt: hoc tamen luctuoſiùs, quod ſaxa illa vitæ ſenſúſque expertia, nihil conferre ad corroborandum ædificium ſua induſtriâ poſſunt, poſſunt lapides viui, de quibus agimus. Atque fideles illi cùm duplicis generis ſint, indigenę alij, alij Galli, quos in Nouam-Franciam virtutis ardor, & diuinæ glorię ſtu-

ANNVS MDCLII.

dium vexit; ex vtrisque quosdam in cæleste ædificium transtulit idem cæli terrarúmque architector & Dominus. In posterioribus hisce, locum non vltimum tenuit, quæ prior sublata est, Maria à S. Iosepho, è Collegio Monialium S. Vrsulæ, Virgo virtute singulari eadem, & claris natalibus, neptis illa ex sorore *Iacobi Radulphi*, Rupellensis Episcopi, de quâ commemoratum suprà. Et quoniam Sanctimonialis illius non modò felix excessus è vitâ, sed etiam in Nouam-Franciam vocatio habet digna complura, quæ in Nouæ-Franciæ Historiâ locum obtineant; præter ea quæ antè pauca delibauimus, per Epitomen reddam hîc ea, quæ fusiùs Gallicus scriptor persecutus est. Nata in Andibus anno huius seculi decimo sexto, ab ipsis incunabulis specimen dedit nescio quod solito augustius: & non modò antè quàm arbitra sui esse posset, sed etiam antè quàm explicaret se se ratio (nisi fortè, quæ fuit quorundam coniectura, eâ ipsi diuinitùs concessum est vti, longè maturiùs) in imis præcordijs extitit pudoris Religionisque amor, nec vulgaris: atque id ipsa adscribebat matris pietati, à quâ esset Reginę Virginum dicata. Quadrima cùm esset, deambulantes rure, suo in luco, adferri ad se parentes filiolam iussere, suas delicias. Cui id demandatum erat verna, adolescens petulans, dum gestat paruulam, virginale corpusculum licentiùs attrectauit. Ipsa contumeliam, quoad licuit propulsatura, agitat se se confestim cum impetu, cúmque lacrimis, eò vsque commota, vt iratos parentes turpis nebulo mendacij nescio cuius obtentu vix placare potuerit. Atque eam culpam, alienam prorsùs licèt, sic deinceps tamen virgo deplorauit vt suam: quinetiam tradit Sacerdos is, è Societate, apud quem diu pòst vitę suę seriem per homologesim ab ipsâ infantiâ in Nouâ-Franciâ totam recognouit, nihil ab eâ vnquam in castimoniam peccatum eâ re grauiùs, hoc est, peccatum prorsùs nihil: ac tametsi ipsa etiam tum lasciuiam illam fœdi homuli vberibus lacrimis defiebat, agnoscebat tamen, nihil hîc se deliquisse: quanquam ille aculeus infixus manſit animo, ne ab alio quidem sic haberi debuisse corpus dicatum, dicandum-ve Deo. Et inde ab illa ætatulâ virorum consuetudinem sic auersata est, vt non modò ab ijs constanter refugeret, sed ne mentionem quidem

Maria à S. Iosepho mors, atque elogium.

ANNVS MDCLII.

vllam coniugij ferre poſſet. Id cùm pater obſeruaſſet, conſultò per iocum dictitabat identidem, collocare eam ſe velle nobili cuidam puerulo, eius æquali: atque adeò munuſcula varia, tanquam ab eo miſſa, filiolæ offerebat frequens: at virguncula tantam ex eâ oratione mentis ægritudinem contrahebat, vt cùm animaduerteret mater eam ſenſim tabeſcere, à coniuge precata ſit, temperaret deinceps ſibi, ac ſi ſaluam incolumémque filiolam vellet, parceret tàm ingratam támque exoſam mentionem obtrudere. Indidem profectum, quod eâdem in ætatulâ fecit. Vir nobilis, non neſcius quàm grauatè ferret talia, prudens, volénſque, ſi prudens tamen, qui tantum dolorem immerenti offerebat, incautam oſculatus eſt: illa viciſſim, non oratione, ſed re ipsâ, quàm iniquo animo laſciuiam iſtam ferret, teſtatura, impegit merenti colaphum, & tàm validè, vt ictum petulans egregiè ſe ſenſiſſe, diſſimulare nequierit. Atque vt caſtimoniæ lucerna arderet ante oculos Domini Dei iucundiùs, adiungere iam tum cepit charitatis opera, cúmque matrem non modò crebrò audiret commendare egentes, ſed cerneret aſſiduè re illis adeſſe ipsâ: ſæpenumerò virguncula clàm quæ ſibi in ientaculum, merendam-ve attributa eſſent, donare mendiculis, atque adiungere ſi quid è penu nanciſceretur: mater in pio furto aliquando deprehenſam filiolam non modò non obiurgauit, ſed etiam arctiſſimè complexa, facultatem conceſſit ampliſſimam, quicquid vellet ipſis elargiendi: cúmque aliquot ſemper piè aleret, quoties eos per ſe viſebat, ductabat ſecum paruulam: quâ re nulla accidere ei poterat incundior. Tàm auerſabatur cultum corporis exquiſitiorem omnem, quam aliæ copioſis, nobilibuſ-ve natæ parentibus concupiſcere vulgò ſolent: ditiabátque, conditioni ſe ſuæ anteferre, hoc quidem nomine, ruſticanæ cuiuſdam virgunculæ conditionem, oues paternas paſcentis, quòd ea curâ omni vacaret perſonæ è villoſo ſerico indendæ vultui, aptandarum chirothecarum, inceſſum habitúmque totum ex ſolenni modo componendi. Quæ cùm in parentum oculos incurrerent in momenta, ſapienter interpretati id quod res erat, filiolam ſuam ad ſublimius aliquod vitæ inſtitutum, hoc eſt ad Religioſam vitam vocari; & ipſi eam in rem conſtituerunt conferre quod ſuum erat,

hoc

ANNVS MDCLII.

hoc eſt, virgunculam in diſciplinam tradere ancillis Dei, quò, vbi ætas firmior acceſſiſſet, ipſa, ſi videretur, idem vitæ inſtitutum arriperet. Ergo haud dum nouennem pia parens Turones ducit (vrbs eſt Prouinciæ in Galliâ eius nominis princeps) tradítque Monialibus S. Vrſulæ percharum depoſitum: & vix pedem in Parthenonem illum intulerat, cùm omnium in ſe conuertit oculos, omnium ſibi adiunxit ſtudia, non Monialium modò, quæ iam tum in paruulâ, dona Dei eximia ſuſpiciebant, ſed etiam æqualium virgunculorum quibuſcum educabatur, adeò vt penè pro magiſtrâ eam haberent: &, quod mirere, nullâ inuidentiâ vrebantur, ſi quando, id quod procliue erat, videbant eam ſibi à Monialibus anteponi, aut pluris quàm ſe fieri. Intereà ſemina illa virtutum tanquam in agro benè ſubacto radices in dies agere, ſic, vt tametſi minimè tetrica à naturâ, perlubenter ſtatis horis animum cum æqualibus relaxabat, ſemper tamen exercitationibus pijs deſignatum tempus tribueret, nec particulam vllam earum deſiderari pateretur. Vitas Sanctorum volutabat perdiligenter, eorum præſertim, quorum ardor animi in alijs ad Deum perducendis eluxerat: atque eo ex fonte manauit ſtudium illud ingens ergà S. Franciſcum Xauerium, quem vnicè venerabatur. Quo verò tempore ſacram primùm ſynaxim obire permiſſa eſt, teſtatur Ioannes Bagotius è Societate Sacerdos ſingulari æquè virtute & eruditione, miratum ſe eâ in ætatulâ vel ingenij vim acerrimam, perſpicaciſſimámque, ad homologeſim, vel incenſos diuini amoris ardores, qui lacrimarum vim ex virgunculæ oculis elicerent, quoties verba faceret Catechiſtes de IESV Chriſti charitate, ſe ſe in Euchariſtiâ ſiſtentis, & adfuturi vtique breui ad ipſius ſolatium & decus, in auguſtâ illâ menſâ. Atque illud credo, tempus eſt, quo inuitam paternos lares repetere ad tempus coëgit tabes quædam, quæ artus ſenſim depaſcebatur, ſeu ex nimiâ contentione ad virtutem, inquit Scriptor Gallicus, ſeu ex corporis conſtitutione teneriori. Ibi & valetudinis firmitatem recuperauit, nec quicquam remiſit de Chriſtiani officij abſolutione: neque modò ipſa ſublime illud iter perpetuò inſtitit, ſed etiam domeſticorum vnumquemque ad eadem ſtudia tùm oratione, tùm exemplo incitauit. Non enim abſcondi poteſt

ANNVS MDCLII.

ciuitas in monte posita, ex oraculo Euangelij : neque potest accensa lucerna non suos explicare fulgores.

AT LVCTANDVM paulò pòst cum parentibus fuit: recuperatâ firmitate virium, virgo iam annorum tredecim, reditum vrgere ad Magistras suas, atque ad conuictum illum, quem tàm iucundum iuxtà, & tàm salutarem experta fuerat. Illi reniti contrà, hoc vehementius, quòd indolem illam & suspiciebant, & arctissimo amore complectebantur, mater præsertim : sed cùm nollent Deo repugnare, consensêrunt tandem. Vix se ad suum asylum receperat, cùm instat vehementer apud Moniales, se in consortium suum admitterent, hoc est ad Religiosæ vitæ tyrocinium: certum sibi & constitutum esse, illud vitæ institutum amplecti : eò se vocari, vel potiùs vrgeri à Deo: neque posse se non sequi vocantem, neque committere debere ipsas, vt quæ à Deo accerseretur, hanc repellerent. At illæ seu magis magísque explorandæ eius constantiæ, seu veritæ re ipsâ, ne non satis virium haberet ad Religiosæ vitæ asperos labores ; cogitandum potiùs esse, in illâ infirmitate virium, de paternâ domo repetendâ aiunt, quàm de Religiosæ vitæ ponendo tyrocinio : præsertim cùm necdum ætatem attigisset : expectandum saltem, donec ad annum quartum & decimum peruenisset : intereà, si confirmaretur valetudo, nil fortè desperandum. Tandem tamen expugnauit cunctarum animos indefessa prensatio : ad inchoandum prępropere tyrocinium admissa est: eâ conditione, vt si vrgerent parentes, eorum potestati permitteretur. Cùm annuisset, literas dat continuò ad parentes, enixéque flagitat, cum bonâ vtriusque veniâ fas sibi sit Deo parere, ad quod faciendum ipsi tàm crebrò támque studiosè se adhortati sint: qui ad Religiosam vitam vocatus, eam capessere renuerit, huic nihil ferè neque ex animi sententiâ, neque ex parentum voto cedere: & verò, Deo aduersante, quid posse lætum secundum-ve contingere ? Quæ, eiusdémque generis complura alia cùm afferret, illud interim tacebat, quod iam fecerat, hoc est ne verbulum quidem vnum faciebat de inito tyrocinio. Hîc æstuare animo parentes, atque in diuersa rapi : neque repugnare Deo sinebat pietas, neque filiam temerè dimittere, tantus amor. Ergo medium iter insistere constituunt vt si vo-

caretur à Deo, cederent : vocaretur autem nécne, illud verò perſtudiosè ac perdiligenter explorarent. Sic animo comparati, Turonas pergunt ambo, & quod communi conſilio deſtinârant, faciunt impigrè, atque adeò æqui iuſtíque limites fortè tranſiliunt. Nam tametſi ius fáſque parentes ſinit hoc in genere tandiu liberorum conſtantiam periclitari, quandiu de ſummi Dei voluntate impulſúque dubitant, tamen vbi ſemel comperêre hunc eſſe eius nutum, acquieſcere prorsùs debent, niſi ſi ſuo magno periculo rebellare volunt. Et obtemperarunt quidem pij parentes, at paulò fortaſſe ſeriùs, poſtquam artificiosâ ratiocinatione pater, mater blanditijs pollicitationibúſque incaſſum diu certauerant. Ergo victrix Maria eò reuertitur, vnde ad dies aliquot exierat : nam quò liberiùs cum filiâ agerent, eam prorsùs è ſeptis Monaſterij parentes eduxerant : ſed-enim vt intelligeret quale demùm, quantúmque munus Domini Dei ſit, conſtantia & perſeuerantia illa, quam Chriſtiani vocamus ; penè ipſam deinde viciſſe pœnituit. Nempe tàm ſolerter, támque ad viuum in mentem illi reduxit teter dæmon cuncta quæ per illud interuallum temporis ad firmitatem illam inconcuſſi animi labefactandam, ſeu oratione ſeu re parentes adhibuerant, vt Tartareâ offuſam caligine mentem vehementer perturbârit, atque adeò penè redegerit ad incitas, donec ipſa ſuæ ſibi conſcia imbecillitatis, tanquam extremo in diſcrimine ad Deiparæ patrocinium, ceu ad ſacram anchoram confugit, felici vtique, fortunatáque induſtriâ : nam ea tandem propitia ac fauens immanem illam tempeſtatem ſedauit, reddidítque mentis tranquillitatem : ità de Auernali tyranno triumphans, conſtituit denuò emori potiùs milliès, quàm de beatâ ſtatione decedere. Nec propterea ſibi defuit vetus inſidiator : quo die velanda erat, cùm de more ad horulæ pompam, veſtium nitor circumpoſitus corpori eſſet, ornatúſque totus adiectus, quem natalium ſplendor, domeſticáque opulentia poſcebat, vt egregiâ formâ erat, ſic tùm aliorum, tùm matris potiſſimùm cepit oculos, vt vix à filiâ diuelli potuerit, in ipſo ianuæ limine, quæ exterius atrium à Clauſtri ſeptis diſterminat, arctè complexam tenens : & verò animi deliquium paſſura fuiſſe dicitur, niſi coniux occurriſſet, diuelliſſétque ipſe ſuis manibus matrem à filiâ. Sed

ANNVS MDCLII.

neque hæc petitio fortem animum expugnauit: elicuit modò ex virginis oculis lacrimulas: at eæ exaruerunt continuò, vbi iniectâ ſemel veſte Religiosâ illam Dominus Deus momento eodem, virtute ex alto induit. Et verò miratæ ſunt illicò Moniales, in virgunculâ annorum quatuordecim, maturitatem ætatis planè confirmatæ, in puellulâ ſeueriſſimum ſtudium à Regularis obſeruantiæ præſcripto ne latum quidem vnguem diſcedendi, vigilantiam incredibilem in motibus omnibus tùm animi tùm corporis in perfectionis Religioſæ gyrum flectendis, & in edomandâ tùm voluntatis propenſione qualibet, tùm iudicij pertinaciâ, ſi paululùm modò in vetiti vel vmbram illa hoc-ve niteretur. Hunc in modum decurſo biennio probationis, necdum tamen emortuo teneriori illo, molliorique amore parentum, quo amantiores ſui, filia minimè ingrata non iniquum putabat, paulò antè quàm dies aduenisſet ſolennis edendæ Profeſſionis, quo tempore denuò parentes ſe ſe Turonas contulerant, inteſtináſque ſeditiones ſuo conſpectu, alloquióque in filiæ pectore renouauerant; ne quid vnquam deinceps eo in genere turbaret, obiecit per viſum ſcalam, illi Iacob Patriarchæ ſimillimam, ſponſæ ſuæ Dominus IESVS, vel per ſe ipſe, vel per ſanctum Cuſtodem Angelum. Scalæ pars ima humum contingebat, ſuprema pertinebat ad cælum: per eam ſcandebant quamplurimi, atque vt ſupernè rectà ferebatur, non per decliue, idcircò tantus erat in aſcenſu labor, vt è reptantium fronte ſudor manaret copioſus, quem tamen ſancti Angeli, qui præſto aderant, abſtergebant linteolo. At nihilo ſeciùs, fallente veſtigio impingebant nonnulli in primo ipſo ſcalæ gradu, alij medio interuallo; pauci tantam difficultatem quadam & animi fortitudine, & contentione virium eluctati, ad ſummum victores perueniebant denique. Et quid toto ſpectaculo deſignaretur, qui ſpectaculum obiecerat, ipſe reſerauit, vt aſſolet: ità intellexit continuò virgo, quod ad ſe propriè ſpectaret, ſi quid alicunde impedimenti opponeretur ſcandere nitenti, totum id ex molliore illo amore parentum exiſtere: proinde debilitandum illum eſſe, vel potiùs extinguendum: atque vt intelligeretur, imaginem illam tàm præſtantem non ex vi effectrice imaginum originem duxiſſe, ſed eſſe obiectam di-

uinitùs; viſum conſecuta eſt efficacitas tanta, vt ex eo momento tanquam diruptis vinculis, libera in Deum euolauerit, neque vnquam ipſi cum viſcoſo illo amore parentum luctatio fuerit: quo quidem nullum certius diuinæ actionis indicium eſſe poteſt.

ERGO HOLOCAVSTO ſui ritè per ſolennia vota oblato, momentum nullum prætermiſit, quin in Deum tenderet: vbique matura, vbique grauis, vbique ex Dei nutibus apta. Si quando ab externis ad colloquium accerſebatur, ſermonem nullum ferre, niſi de pijs rebus: ac ſi quis fortè aliò deflecteret, hoc eſt ad ea de quibus idcircò tàm ſæpè loquuntur Laïci, quòd animales homines non percipiunt ea quæ Dei ſunt, nedum ijs afficiuntur; ipſa contrà, reducere in viam, de iiſque orationem habere, quæ voluere animo ſolebat, de dignitate animarum, de iucunditate tranquillæ mentis, déque cauſis illius eiuſdem tranquillitatis effectricibus, vitæ morúmque integritate, vſu frequenti Sacramentorum, ad gratiam Dei, ſi adeſſet, fouendam in pectore, ſi abeſſet, (quo nihil ſit in vitâ ærumnoſius, neque luctuoſius) recuperandam confeſtim. Et quoniam iam tum puella penè ipſa (neque enim annum ætatis ſextum decimum exceſſerat) inſtituere puellulas iuſſa eſt; quam prouinciam iniqui rerum æſtimatores pro deſpicabili habent, illa, & arripuit auidè, & impigrè exornauit: præclariſſimè ſecum agi rata, cui Dominus Deus tanti pretij depoſita credidiſſet. Sed (quæ eſt humanæ mentis inconſtantia) relanguit decurſu temporis non externus quidem ardor is, qui ad præclara illam ſemper incitabat, ſed deſpicientia ſui interior, atque adeò ſummi boni amor: (ecquis enim ſincerus ac fuci expers amor Dei, ſine animi demiſſione eſſe poteſt?) Euæ filia, Euam imitata eſt eatenùs, vt ſeipſam magnificè circunſpiceret, & exiſtimationi ſuæ velificaretur. Videbat ſe cunctis charam eſſe: quæ faceret, quæque diceret cuncta, probari vulgò omnibus: è Sanctimonialibus Monaſterij eiuſdem, omnes, quarum aliqua eſſet auctoritas, ſibi ſtudere: quæ cùm omnia ingererent ſe potiùs, quàm accerſerentur; enimuerò cur non frueretur oblatis, pérque ea, ad altiora, quæ putantur, gradum faceret? Dum ea cali-

ANNVS MDCLII.

go menti obuerſatur, cæleſtéſque ſi non extinguit, certè obſcurat fulgores, adfuit denuò benigniſſimus ſponſus. Nam nocturnâ in quiete viſa ſibi eſt verſari loco ſpatioſo illo quidem, at tabernis, officiniſque cincto vndique, vt in magnis vrbibus videre eſt. Erant res omnes ad pompam prolatæ, quæ ineſcare oculos vel pretio, vel pulchritudine ſolent, vel ſenſuum mollitiem quoquo modo fouere. Vt erant cuncta in bono lumine collocata, nullus erat ſpectantium, quin ijs tanquam præſtigijs irretiretur continuò, atque adeò tabernarum aliquam ſubiret. In ijs (vt ſublimius quiddam eſſe conſtaret ſomnio naturali) Religioſum quendam vidit, tum quidem magnâ celebritate virtutis : (pòſt, ab ſuo Ordine amens perditúſque defecit) is captus inſidioſâ illecebrâ, ingreſſus & ipſe eſt. Hîc verò dum ſe ipſa reſpicit, pedémque parat reflectere, enimuerò obſeptos ad reditum exitus omnes vidit, ſic, vt penè non poſſet non & ipſa in funeſtum illud baratrum ruere. In grauiſſimo illo angore animi, ac propè in vltimâ deſperatione, agmen videt iuuenum fuſco colore, appropinquantium : eorum vnus vexillum ferebat, literis quibuſdam inſcriptum, ignoto ſibi idiomate : tum medio ex agmine vocem exaudit inclamantis cuiuſdam. Pone metum, ac perge fidens : per hos, ſalus tibi parabitur. Nec mora : circunſiſtunt hinc inde mediam, tanquam Prætoriani milites : deductámque per fatalem plateam, tuto demùm loco conſtituunt. Ad ſe reuerſam mirè affecit inſolita ſpecies : ac tametſi quínam tandem eſſent illi ſui vindices, minimè tunc intellexit, quæ Canadenſem nullum vidiſſet vnquam : (pòſt in Nouâ-Franciâ vultus eoſdem agnouit) tamen accedente fatali illo caſu miſeri Religioſi, quem viderat, ſenſim increuit eius in pectore zelus, quem vocamus, animarum, & laudabilis cupido operæ qualiſcumque ſuæ in ijs rebus ponendæ, quæ ad ſempiternam earum ſalutem facerent. Cæleſti flammæ olei aliquantum inijciebat quotannis lectio Literarum quæ Gallicè in annos ſingulos edi iam ceperant, de rebus Canadenſibus : ſentiebátque animo ſuo ſubdi faces ad ea, quæ non à ſe tum quidem aliter perfici poſſe putabat, dum in ſe, ſtatúmque rerum qui tunc erat, reflectebat mentis oculos, quàm quæ per ſomnium nos feciſſe, expergefa-

ANNVS MDCLII.

ti deinde ridemus. Sermonem tamen conferebat frequens eâ de re, cum fidâ in Chriſto ſociâ, ac ſorore, Mariâ ab Incarnatione, quæ & ipſa pari flammâ æſtuabat: verùm, deſiderio tenùs cœpta præclara conſiſtebant: eccui enim veniſſet in mentem, teneras virgines eaſdem, & tàm claris natalibus in extremas orbis oras aliquando miſſum iri? Sub id tempus iniecit Dominus Magdalenæ Pelteriæ mentem eam de quâ diximus, vt ſe ſuáque transferret in Nouam-Franciam, eodem ductaret Sanctimoniales virgines è S. Vrſulæ familiâ, conſtituerétque Seminarium, ad inſtituendas Canadenſes puellulas, perpetuis ſcilicet de ſuo attributis prouentibus. Cùm rumor in Turonenſi Cœnobio increbuiſſet, adeſſe Pelteriam ipſam, iámque ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo impetraſſe, vt in tàm arduum opus idem, & tàm vaſtis illis regionibus ſalutare, ſecum pergeret Maria ab Incarnatione; illúdque agi deinceps, vt eiuſdem optimi Præſulis iuſſu, ſocia ipſi ex eodem Parthenone attribueretur; enimuerò præclaræ expeditionis cupiditate æſtuare vulgò omnes, votíſque omnibus expetere, vt tantum ſibi boni obtingeret. Vna Maria à S. Bernardo (pòſt, ex ſingulari ſtudio ergà S. Ioſephum, Nouæ Franciæ Tutelarem, mutato nomine Maria à S. Ioſepho vocata eſt: eáque nomenclatura permanſit) algere totis præcordijs: quæque antè nil tàm auebat, quàm vt ſe daret occaſio animas illas iuuandi, tàm ab ijs præſidijs deſtitutas, quibus noſtrates abundant; tunc & Pelteriam, & quæ comes adiuncta iam erat, habebat pro conclamatis. Præſentiebat videlicet teter dæmon, quàm ſalutarem operam nauatura illîc eſſet, ſi vnà cum Mariâ ab Incarnatione proficiſceretur: proinde, illum propè horrorem inijciebat animo, vt interuerſo opere Dei, in Galliam ſegnis remaneret, quæ in Nouâ Franciâ tàm impigrè laboratura eſſet. Sed conſilium Dei ſtat, ſtabítque: cùm demiſſo ac triſti vultu iſta animo tàm humilia, támque abiecta coqueret, colloqui aliquando inſtituit cum chariſſimâ in Chriſto ſorore, de ratione ſuſcepti conſilij. Mariam ab Incarnatione adit, quærítque; Num igitur certum eſſet migrare in Nouam Franciam? quidni in Galliâ ſecum conſiſteret? cur per tanta diſcrimina tantos appeteret labores? & eius generis complura. Ad quæ

ANNVS MDCLII.

altera, Deo fidens; *Tu verò*, inquit, *quid mente versas? vbi pristini illi tui ardores, quibus haud ita diu me ad tam præclarum opus incitabas? quidni quæ mecum adhuc tàm concorditer vixisti, addis te sociam? Erit, si nunc hîc consistes, cùm te pœniteat istius propè ignauiæ: quæque Crucem Canadensem refugis, caue ne grauiorem, asperioremque in Galliâ ferre cogaris, & cum perpetuo angore animi, quæ cælestes non igniculos, sed ardores tuâ timiditate restinxeris.* Hîc verò tanquam ex graui somno experrecta Maria à S. Iosepho; *Rectè mones*, inquit, *ac me piget iam mei: nescio quas præstigias obiecerat isti animo Satanas: certum est tecum proficisci, si dabitur: proinde coniunctâ operâ in id ambæ incumbamus.* Nil potuit Mariæ ab Incarnatione accidere iucundius: procumbunt ambæ in genua, incœptúmque Deo commendant: illa cuius res agebatur, ad Prælatæ pedes prostrata, rogat suppliciter, dimittat se porrò, tradátque Mariæ ab Incarnatione sociam. Sed ad tàm repentinam, támque insperatam postulationem perculsa vehementer animo Parthenonis Præses; Tu verò, inquit, alia omnia cogita: mane potiùs, & quam procurationem hîc obibat Maria ab Incarnatione, eam tibi demandatam obi strenuè. Quid faceret? nimirùm ad Deum confugit: & quando communibus suffragijs in Conuentu propediem legenda erat socia Mariæ ab incarnatione, nihil deinceps aliud moranti; petunt ambæ ab eo qui sortes temperat, ne se frustretur optatis. Et valuit precatio: contrà quàm omnium ferret opinio, in Mariam à S. Iosepho conspirant omnes: ita cùm Præses ipsa metueret, ne si obsisteret diutiùs, repugnaret Deo, manus dedit. Quid multa? ambas abducit Pelteria, mœstis licèt Mariæ à S. Iosepho parentibus: sed ne ipsi quidem dissensere, postquam tàm illustribus significationibus Dominus Deus ostendebat, se eorum filiam in opus Euangelij segregasse. Ita parentum, sororum in Christo, sui, victrix, profecta denique Turonibus est X. Cal. Martias, anno quem suprà diximus, huius seculi vndequadragesimo, nondum expleto anno ætatis tertio & vicesimo. Quâ tamen in iuuentâ, inquit Scriptor Gallicus, non modò iuuenile nihil præ se tulit; sed contrà, tot in itineribus quæ antè quàm nauem conscenderent Christianæ Amazones, suscipienda necessariò fuerunt,

ANNVS MDCLII.

fuerunt, vbicunque verſata eſt, etiam in aulâ Regis Chriſtianiſſimi, *Chriſti bonus odor* fuit, impreſſáque reliquit tùm virtutum aliarum veſtigia, tùm ſingularis modeſtiæ imprimis; adeò vt etiam nunc extet locis compluribus illius memoria, coniuncta cum veneratione. In naue autem, quod mirere, illa ipſa quæ mare antè nuſquam viderat, tamen in medijs tempeſtatibus ac procellis confirmabat aliorum animos, & dignis eâ perſonâ ſalibus inſtantis periculi metum extenuabat. Certè in præſentiſſimo illo diſcrimine, de quo nos ad annum ſeculi vndequadrageſimum, cùm nihil propiùs factum, quàm vt nauis, quâ vnà cum lectâ illâ Chriſti cohorte vehebatur, allideretur ad immanem illam molem, quæ ex aduerſo appropinquabat; trepidantibus alijs, conſternatíſque metu, ipſa imperterrita, nihil de vultus ſerenitate remiſit, nullum perturbationis indicium præ ſe tulit: atque ea ipſa firmitas vel frontis vel animi, non mediocriter excitabat deiectos: & verò incolumes tandem omnes Kebeccum tenuere, vt vidimus.

ATQVE HIC TANTO Deo propior, quantò ſe magis à rebus creatis omnibus abſtraxerat, ſic egit annos propè tredecim: vt primò quidem cæleſtibus colliqueſceret delitijs, ac ſecundùm illud beati Iob de ſe, *lauaret butyro pedes ſuos*. Fuit cùm in oratione defixa, videre ſibi viſa ſit ſuum ipſius animum ſub imagine Arcis cuiuſdam, munitiſſimæ iuxtà, & ornatiſſimæ: quam cum ſuſpiceret, ad fores eâdem in imagine adſtitit Seruator humani generis IESVS Chriſtus, radijs gloriæ fulgens vndique, & mirâ pulcritudine ſpectabilis: & porrigens dextram, ad ſéque inuitans; *Tu*, inquit, *externos Arcis aditus ſerua: ego interiora curauero*. Tum, dum abſcederet, ſequi Maria conata eſt abeuntem: ſed oppanſum velum quoddam prohibuit, monuítque, adhuc inſiſtendum fidei iter eſſe. Et paruit: intentáque in id quod inculcatum fuerat, ſenſus omnes ſic ſemper refrenauit, coërcuítque, vt ne vel leuiter quidem vnquam eorum vllus extrà decori honeſtíque limites eruperit. Ceterùm, intrà perbreue temporis interuallum, vt & ingenij valebat acumine, & memoriæ felicitate, Algonquinium, Huronicúmque idioma arripuit, & vtriuſque præſidio mira geſſit, non modò in Canadenſibus puellulis inſtituendis, quæ potiſſimæ ſuſcepti muneris partes erant, ſed etiam in

ANNVS MDCLII.

adultis informandis, ſolandíſque, & quod mirere, ad tradenda Rudimenta myſteriorum fidei Catechumenis. Hinc viri æquè, & feminæ ad eam adibant vulgò, in dubijs de Officio quæſtionibus, atque adeò etiam in aſceticis, præclara conſilia ſapientis in Chriſto Magiſtræ ſuſcipientes: hinc illa veneratio tanta, vt eam inter nomina cetera, etiam Virginem ſanctam appellarent. Poſtquam autem ijs in exercitationibus octennium poſuerat, eidem ſummo rerum omnium moderatori viſum, Mariæ ab S. Ioſepho ſublimiora, difficilioráque proponere. Lac eò vſque ferè propinauerat: deinceps porrexit abſynthium, at, monitæ priùs, ne mutata derepentè ratio virginis animum perturbaret. Haud toto quinquennio antè, quàm è viuis excederet, ſignificauit Dominus, reliquam deinceps ipſi ætatem ſic exactum iri, vt nil niſi fidem, Crucémque geſtaret: atque ex eo momento, vt ipſa declarauit arcanorum conſciæ, nunquam deinceps dolore caruit. Nam corpus quidem penè aſſiduè febre conflictabatur: ſucceſſit aſthma permoleſtum, vnà cum tuſſi perpetuâ, ex pulmonum vitio. Sed hæc ludens tuliſſet (& verò inſigni animi æquitate ſemper tulit) niſi acceſſiſſet crux omnium grauiſſima, hoc eſt deſtitutio, quam vocant, interior, tum, cùm Deus ipſe ſe occulit, & tanquam per cancellos proſpiciens, vt eſt in ſacro Cantico, adeſt ille quidem intimè præſens, animæque inuigilans; ſed ſic, vt fide tantùm deprehendatur, nullo prorsùs ſenſu cæleſtium voluptatum earum, quibus nonnunquam animæ eædem colliqueſcunt. Dictitabat frequens, tria ſe metuere (deprecatura vtique, niſi abſolutiſſimo quodam modo è diuinâ prouidentiâ tota apta eſſet) ne in morbum incideret eius generis, cuius remedia ægrè iuxtà, & illis quæ ægræ adeſſent, crearent moleſtiam: ne vehementiores dolores eſſent, quorum morſibus parientia cederet: ne ſupremi morbi tempore deſtitueretur interiùs, eodem modo quo aliàs, verita ne ſi id contingeret, non ſatis ex animo fidem ſuam Domino Deo præſtaret. Quis Conſiliarius Domini fuit? Abſtulit rubiginem de argento, vt exiret vas puriſſimum: &, ſi quando aliàs, in Mariâ à S. Ioſepho patuit, ſummum Agonothetam certamen forte dare ſuis, non vt vincantur quidem, quod tanta bonitas nunquam ſinit euenire, ſed vt vincant. Quæ metuebat,

ANNVS MDCLII.

cuncta euenerunt, ſed euenerunt tali tantæque illuſtrandæ conſtantiæ fideique, quam tum maximè Deo ſuo probauit, cùm minimè probaturam ex modicâ ſui opinione reformidârat. Nam ſub extremos vitæ menſes aquâ intercute adeò intumuit, vt ne illius vi præfocaretur, cenſuerit Chirurgus incidenda crura eſſe. Ergo tàm altè ferrum immiſit, piè ſæuiens, vt quæ membrana proximè os tibiæ maius operit, appareret: quâ in doloris acerbitate cùm ſemel aliquantum exclamans in nomen I E S V ægra erupiſſet, delictum metuens; Me verò, inquit, parùm in dolore firmam? & adſtantes compellans; Ignoſcite quæſo, inquit, ſi malo exemplo cuiuſpiam veſtrûm animum offendi. Sed acerrimum ex vulnere dolorem excepit non penè minor ex curatione cruciatus: vidit Chirurgus periculum eſſe, ne quæ partes inciſæ in cruribus fuerant, eas languente, ac propè extincto calore naturali, gangræna occuparet: eò remedium vſurpauit tale, vt triduum ipſum doloris vi in momenta ſingula animam actura putaretur. Quæ tamen tanta acerbitas penè ſuauis videbatur, præ illâ interiori deſtitutione quam metuerat, præque angore animi, qui explicari verbis nequeat. Sanè cùm identidem varijs antè temporibus ſic exercita à Domino Deo eſſet, tamen in iſtis tanquam tempeſtatibus & procellis, decumanus is fluctus fuit; at nihilò ſeciùs, cùm tantis angoribus pectus intùs exederetur, foris tranquillitas erat tanta, vt præter eos quibus arcanum habebat nihil, crederent vulgò alij, cæleſtibus eam etiam tum circumfluere delitijs. Triduo tamen antè, quàm è viuis excederet, poſuit tempeſtas: tantáque mentis ſerenitas ex diuinâ conſolatione ſecuta eſt, vt Hieronymo Lalemantio, quo tunc Confeſſario vtebatur, ſic de ſuo ipſa ſtatu prædicauerit. *Duo*, inquit, *pollicitum Dominum ſcio ijs, qui ſe eius causâ opibus, rebúſque huius vitæ ceteris abdicauerint, centuplum hic, in cælo vitam beatam. Prius illud iam percepiſſe me profiteor, abundè quidem: posterius aſſecuturam me ſpero propediem.* Atque ea deinceps alacritas, & exultatio ad extremum vſque ſpiritum tenuit: nec momentum fuit vllum, quo non vel ipſa in gratiarum actionem erumperet, ſortem ſibi ſuam gratulans, quæ procul à patriâ, quam Dei causâ reliquiſſet, procul à commodis ſolatiiſque naturæ, quæ in Galliâ

ANNVS MDCLII.

affatim ſuppeditaſſent, in chariſſimarum ſororum complexu diem obiret extremum; vel quæ formulæ actuum quos vocamus, obſeruantiæ Dei, amoris, animi in ſuauiſſimâ illius prouidentiâ acquieſcentis, ab alijs proponebantur, eas & arriperet auidè, & frequentaret perlubenter: quinetiam paulò ante obitum de ſuo ipſius funere, déque Eccleſiaſticis cerimonijs adhiberi tunc ſolitis ſic agebat, quaſi res alterius ageretur. Tandem pridie Non. April. ſemper ſui egregiè, tùm mente, tùm etiam voce compos, migrauit ad Dominum. Vultus (quod nonnunquam vſu-venit ijs, qui præſtantioris virtutis laude in vitâ floruerunt) Angelicam quandam formam ſpectantium oculis exhibuit, tranſlatæ iam ad Beatorum gaudia animæ, ſi non certum indicium, coniectura certè non leuis: quam ipſam confirmauit ſenſus quidam lætitiæ in Sanctimonialibus ad vnam omnibus: nam non modò non muliebriter iacturam illam tantam, ſi humana ſpectes, lamentis proſecutæ ſunt, ſed etiam animis erectæ, ſic ſibi perſuaſerunt, habituras ſe deinceps gratioſam patronam apud Deum atque huius iam tum vim ſe patrocinij perſenſiſſe pleræque teſtatæ ſunt, cùm id quod à Deo ipsâ ſequeſtrâ, poſtulauerant, aſſecutas ſe eſſe re ipsâ probauerunt. Iam, vix horula fluxerat, ex quo felix depoſitum mandatum humo fuerat eo apparatu qui tali loco ac tempore accurari potuit: cùm ſpectandam ſe ſe præbuit cuidam (virum fuiſſe conſtat ex Relatione Gallicâ) viro igitur cuidam ſpectatæ fidei ſpectandam ſe præbuit Maria à S. Ioſepho, pleno maieſtatis habitu, vultu micanti radijs gloriæ, oculis tàm mirabilibus, vt vel hinc mens tuentis penè colliqueſceret: quos cùm in eum benignè conijceret, tanta ſcilicet flamma amoris Dei eius in pectore exarſit, vt vim illam penè non ferens, tantumnon animum egerit. Ea verò ſpecies tandiu tenuit, quoad eò peruenisſet, quò ad opus aliquod charitatis excurrerat: in reditu autem, eidem felix virgo ſe ſtitit, intimo quodam modo eodem, & à dæmonis præſtigijs tuto vel maximè: cum eóque egit de rebus quibuſdam, quas vulgandas non putauit Maria ab Incarnatione, à quâ hæc ad Paulum Iuuenæum in Galliâ tunc verſantem, perſcripta ſunt.

POSTRIDIE, cum idem ille vir ad Inſulam Aurelianen-

ANNVS MDCLII.

ſem, Huronum Coloniam tenderet per Magnum amnem adhuc concretum glacie, ad vnam & alteram leucam Gallicam à Kebecco diuulſerat maris æſtus, qui eò vſque ſupernè peruenit, moles aliquas, vt aſſolet, quas deinde nocturnum frigus cruſtâ quâdam è tenuiore glacie texerat, interuallis ſcilicet compluribus tanquam vacuis, hoc eſt nullâ aliâ re fultis, niſi tenuiori illâ cruſtâ. Cùm tàm infido, támque periculoſo loco idem ille iter moliretur, periculi neſcius; vocem repentè audit Mariæ à S. Ioſepho, conſiſtere iubentis. Paret continuò, & vbi demùm eſſet, circunſpectans, videt aquam vndique: territus, nec perturbatus tamen, ſcipione quem geſtabat, impacto, tenuem illam cruſtam perfringit, exploraturus, num, quod perſæpè euenit, ſubeſſet glacies ſolidior, vbi tutò figere poſſet veſtigium: ſed demùm haud ſine horrore reperit, nihil, niſi ſubiectas aquarum voragines. Quid faceret? illius ipſius opem fidæ monitricis implorat: tum (rem miram profecto? nec vocandam tamen in dubium, quando de illius vel fide, vel maturitate conſtat, qui expertus eſt) regreditur ocyùs, veſtigiáque ſua relegit pauens: mox poſtquàm in tutum ſe iam receperat, mente verſans periculi magnitudinem, comperit ſe per liquentes aquas ingreſſum aliquandiu, perinde atque ſi humi fixiſſet veſtigia: ſi ingreſſus tamen dici poteſt, qui toto eo interuallo occultam quandam vim perſenſerit, quaſi efferentem, nec ſinentem mergi. Hæc vt dico, ita geſta eſſe conſtanter teſtatur is, qui tanto diſcrimini Mariæ à S. Ioſepho ereptus eſt ope, cuíque vitam ſeruatam refert: addítque inſuper, in ſe ex eo tempore complura alia beneficia profecta eſſe ab eâdem. Id verò quo nomine appellandum ſit, eorum erit ſtatuere, quorum eſt definire de miraculis, déque rebus ijs omnibus quæ ad declarandam ſanctitatem ſeruorum Dei valent: ego rem expono hiſtoricè: erit fortè, cum pluribus alijs indicijs teſtatum è cælo faciat Dominus Deus, quàm grata acceptáque ſibi fuerit in vitâ mortali Maria à S. Ioſepho, quémque locum in beato illo conſeſſu nunc teneat. Certè perraro exemplo chariſſimarum in Chriſto ſororum memor, volente Deo apparuit Turonibus, in Monaſterio è quo educta in Nouam Franciam fuerat, alterâ à felici exceſſu hebdomade, vt ſubductâ ratione tem-

ANNVS MDCLII.

poris compertum eſt. Elizabetha quædam erat Monialis, è Conuerſarum claſſe, quas vocant. Hæc Mariam virgunculam educauerat materno propè ſtudio, dum agebat inter conuictrices; adultiorem dilexerat ſuauiſſimè. Tùm par pari ſemper Maria reddiderat, tùm eam tunc ſuo conſpectu dignata eſt, nec inani fallaci-ve ſpecie. Videlicet expergefecit intempeſtâ nocte dormientem, expergefactam compellauit propè familiariter: &, *Compara te ad iter*, inquit, *ſoror mea: tempus inſtat proficiſcendi.* At Elizabetha attonita primùm, vt euenire ſolet, dum hæc incidunt, mox collecto animo, eâ ipsâ horâ adit ad Præpoſitam, intempeſtiuiùs vtique, ſi non de re tàm inſolenti ageretur: &, Obijt, ait, Mater Maria à S. Ioſepho: venit ad me valefactura, ſignificauítque inſtare mihj profectionis tempus: itaque intrà paucos dies emoriar. Nec diu dilata prædictionis fides: eo ipſo momento morbo correpta Elizabetha, intrà quatriduum vita ceſſit. Felix vtique, quam Deus tàm ſuauiter per chariſſimam animam euocarit: felicior Maria, quam iam tum Dominus Deus tanquam ſponſam ſibi acceptiſſimam ijs modis honeſtarit. Et habent profectò parentes etiamnum, vt audio, ſuperſtites, habent conſanguinei vnde ſibi gratulentur tale tantúmque decus domeſticum. Nunc ad alia pergamus.

CVRSVS RERVM aliarum varius, Domino Deo, vti aſſolet, triſtia lætis admiſceri ſinente, aduerſorum caſuum acerbitatem ſecundis quibuſdam ſucceſſibus diluente. Nam ad Huronicam quidem coloniam quod attinet, Indicæ frugis aliquantum ſuppeditauerunt culta illa noualia inſulæ Aurelianenſis, pro ſationis videlicet modulo; ſed non omnibus is numerus fuit, vt annum hinc totum exigere poſſe putarentur: paratum tamen perfugium oſtendebat Patrum è ſocietate charitas, qui ſuorum in Chriſto filiorum animos ſic procurant, vt ne deſint corporibus. Ergo vitæ innocentiſſimæ perpetuus tenor Leonardum Garrellum, cui eorum hoc anno procuratio incubuit, mirè & ſolabatur, & afficiebat, cùm luctuoſus ſanè caſus ingentem mœrorem vel paſtori obiecit, vel ouibus. Ad VI. Cal. Quintil. cùm in canoâ capaciore Tadoſſacum tenderent totius ferè coloniæ capita & columina, *Petrus Ahandation, Andreas Annenhariſonk, Martinus Honahahoiannik, Renatus Hon-*

ANNVS MDCLII.

deanionhe, Dominicus Onhsdei, Ioſephus Taondechoren; tàm foeda tempeſtas extitit derepentè in Magno flumine, contra locum quò pergebant, vt momento canoam vectoréſque abſorpſerit, & ſic quidem, vt neque eorum vllus, neque ipſa canoa veſtigium deinceps viſa ſit, quæcunque tandem cura adhiberi potuerit ad inueſtigandum. Profecti erant eo conſilio, vt pellium aliquid ſibi aliíſque coëmerent, non pecuniâ (vnde enim ſuppeteret?) ſed farinâ ex fruge illâ Indicâ, gentis more, quæ æris indiga, merces alias permutat alijs. Cum ijſdem vehebatur *Ludouicus*, Ioſephi filius, *Paulus*, Petri, & Martini filia virgo: i omnes parentum fortunam ſubiêre. Ac ſi ex eorum quidem virtute, de ſempiternâ cuiuſque ſalute coniectura facienda, æſtimatu procliue eſt homines intrà Inſulæ ſuæ, tanquam intrà Cœnobij ſepta concluſos, aſſiduè aut in religioſis ergà Deum officíis, aut in ruſticatione occupatos, quibus tàm vigiles hortatores adeſſent, qui tàm frequenti homologeſi mentem expurgarent, in tantâ egeſtate, ínque aſſiduo mortis metu, gratos Deo acceptóſque, migraſſe ad meliora: ſed non potuit tamen, ſi caſus acerbitatem humanâ trutinâ expenderis, non pergrauis ea iactura accidere coniugibus, liberis, conſanguineis, atque adeò toti Coloniæ, quæ vt diximus, ijs tanquam columnis fulciebatur. Omninò conſtitutum Domino Deo eſt, inquit piè Scriptor Gallicus, eos ſublimè ſingularem quendam in modum euehere in vitâ alterâ, quando in hac mortalitate illos eoſdem eò vſque deiecit.

IAM, PER Tadoſſacenſes, quorum ardor fidei egregiè conſtitit, penetratum denuò hac æſtate ad Lacum *S. Ioannis* (*Piagsagami* indigenæ vocant) Nationis quæ Hiſtricis dicitur, ſedem propriam, ſi quam tamen ſedem habere dici poteſt gens vaga: ſed quoniam ad eum Lacum menſes aliquot conſiſtit quotannis, idcircò is illorum quodammodò patria dici poteſt. Cùm propè ad nongentos, ex ſuis illis ſiluis, Tadoſſacum conueniſſent, partim Chriſtiani, partim fidei adhuc expertes; ad emporium deinceps ſat frequens, inuitatus eſt Ioannes Quenius, is cui Tadoſſacenſis Miſſio potiſſimùm attributa, quíque ante biennium eodem excurrerat; vel ad reuiſendos eos quos iam in Chriſto per Baptiſmum genuerat,

ANNVS MDCLII.

vel ad alios adiungendos. Et fecit vtrumque feliciter: nam poſtquam filios in Chriſto ſuos confirmauerat, diebus non plus duodecim ibi loci poſitis, quòd reditum vrgebant ij, qui ſe comites itineris adiunxerant, vix Tadoſſacum redux tenuerat, cùm iter aliud ſuſcepit ad Berſiamiſtas, octoginta ipſas leucas diſſitos. Eò nullus vnquam Sacerdos penetrauerat; Chriſtiani ſi qui aderant, erant vtique ex circumpoſitis Neophytis: quanquam ſtupor ac metus qui oræ illius incolas ad aſpectum Quenij, vel comitum inceſſit, demonſtrauit luce clariùs, aut nullam, aut certè perexiguam aliorum cum alijs conſuetudinem fuiſſe. Vbi factâ exſcenſione appropinquans agmen viderunt, ſteterunt attoniti celsâ in rupe, vnde proſpectus in Magnum fluuium, dubij hoſtéſne eſſent qui aduentabant, an amici. Et meritò metus pauidos inceſſerat: acciderat enim compluries, vt dum ipſi mercaturarum ergò excurrere ſe tutò poſſe ad Tadoſſacum putârant, inciderent in Gaſpeïenſes, homines truculentos ac barbaros, qui nullâ laceſſiti iniuriâ, viribus confiſi ſuis, vltrò in inſontes vicinos impetum facerent, Magno amne ad eos opprimendos turmatim traiecto. Vt verò ſine vllo militari tumultu comparari omnia ad mercaturas viderunt, poſitâ formidine ad ripam fluminis deſcendunt, nutibus vultúſque ſerenitate gaudium ſuum de vicinorum aduentu teſtati: tum ſuâ paucitate excuſatâ, quod in ſiluis partem popularium ſuorum maximam retinuiſſet metus ille, ne ſi vltrà progrederentur, in Gaſpeïenſes prædones inciderent; polliciti ſunt, vere proximo adfuturos ſe denuò numero longè maiori, vt cum Tadoſſacenſibus inirent optatum vtrinque commercium, vel vt aurem præberent ijs quæ nouâ de Religione, cultúque ſupremi rerum omnium procreatoris ac parentis afferrentur. Neque verò horæ multæ fluxerant, cùm incredibili ſuo gaudio aduertit Quenius, comites ſuos Catechiſtas potiùs, quàm mercatores agere. Nam vbi primùm obſeruauerunt à Berſiamiſtis ignorari quæ ſibi tradita de fide in vnum verum Deum ab Inſtitutoribus ſuis eſſent, in familiari illâ collocutione potiſſimorum quorumque myſteriorum notitiam ingerere; quanti momenti res eſſet, inculcare; demonſtrare ſingulare demùm eſſe beneficium præpotentis illius rerum omnium Arbitri ac Principis,

pis, virum ad eos adduxiſſe, dum aliâ omnia meditantur, qui viam cæli panderet, nec difficillimè. Vnus inter ceteros, hanc omninò ad ſtupentes auditores orationem habuit, inquit ipſe Quenius. *Hic*, ait, *quem cernitis pullâ in veſte, vir eſt magno loco apud ſuos, à nobis autem pro Patre, próque Magiſtro habetur. Nam animorum noſtrorum labes, quotquot erant, eluit aquis quibuſdam ſalutaribus, quibus reſperſit ſingulos: docet quotidie quid ad beatam vitam adipiſcendam credendum, quid faciendum ſit: demonſtrauit, eum qui cuncta mirabili opificio molitus eſt, Spiritum quendam eſſe ſummæ cuiuſdam vel potentiæ, vel maieſtatis, ab eóque cælum terráſque vi quadam omni opinione maiore contineri: illum vbique adeſſe, & luſtrare, ac circunſpicere omnia, etiamſi oculis minimè cernatur. Eidem Filium eſſe vnum, quem, vt nos deinceps cognatione & conſanguinitate amplecteretur, hominem fieri voluerit, qui noxis nos noſtris liberaret: Ab eo præmium ac mercedem tributum iri piorum rectè factis, quos euocaturus ſit poſt hanc mortalitatem, eò, vbi mortis in perpetuum expertes, omni bonorum deliciarúmque copiâ in perpetuum circunfluant: Ab eodem animaduerſum iri inſontes tantâ ſeueritate, vt eos in ignes ablegaturus ſit in imis terræ viſceribus æſtuantes, vnde deinceps egredi non ſit integrum. Hunc Dei Filium IESVM nominari, qui cùm in terris verſaretur, leges tulerit hominibus, quibus ſtandum cuique ſit. Ab eo interdictum ſuperſtitioſis tympanis, tabernaculíſque, & omni victu ac conſuetudine cum veſanis dæmonibus. Pamphagiâ item, & Polygamiâ. Ne quenquam interfeceritis, inquit, ne proximi vxorem ad adulterium pellexeritis: ne furto res alienas attrectaueritis: ne mentiamini. Ad cælum nunc quidem pergo, rediturus olim ad exercendum iudicium in homines prorsùs omnes: tum, eos qui pietati virtutibúſque alijs operam dederint, eueham mecum in ſuperas illas ſedes; improbos impióſque in ſempiternos rogos detrudam: veſtrum eſt nunc ſtatuere, vtrum duorum inſiſtere iter velitis.* Ego verò (ſubdit Quenius) neque Concionatorem vllum vnquam vidi, qui maiori ardore diceret; neque concionem quæ audiret attentiùs. Vt erant iſta inaudita pleriſque ferè omnibus, arripiebantur nimirum auiditate incredibili: hinc factum, vt pene ſinguli ſingulos ſibi Catechiſtas accerſerent. Vbi primùm merces aliæ vltrò citróque mutatæ ſunt alijs (id verò celerrimè perfectum) quod reliquum ſuperfuit temporis,

ANNVS MDCLII.

datum hinc inde, ingerendæ excipiendæque Christianorum mysteriorum notitiæ: ita intra paucos dies reperti viginti idonei qui admitterentur ad Baptismum: quos Quenius in Christi familiam transscripsit, in ijs, regionis præfectum, cum totâ familiâ: & quod mirere, vix ille Christum didicerat, cùm sancto Spiritu linguam soluente, in familiari sermone de mysterijs fidei ea loquebatur, quæ & cæleste quoddam præse lumen, & ardorem non vulgarem ferrent. Vrsit certè magnopere Quenium in discessu (neque enim diu consistere tum quidem licuit) vt proximo vere reuerteretur: adfuturum se non modò cum suis, sed etiam cum alijs quamplurimis, quos interim participes facturus esset Euangelici thesauri, quem ipse tantâ animi sui voluptate reperisset incogitans.

Missio P. Gabrielis Druilletij ad Abnaquioios.

OMNIVM VERÒ laboriosissima ad *Abnaquioios* Missio fuit, Gabrielis Druilletij, qui ante quadriennium ad eos iam adierat. Et illum quidem repoposcerant eo interuallo sæpius, nihilque non tentarant per legatos apud superiores, sibi vt restitueretur: sed cùm viderent ij, gentem sanè facilem & humanam, atque ad Euangelij sementem excipiendam idoneam imprimis, habere propè in viciniâ R R. P P. Capuccinos, qui in Acadiâ stabile domicilium fixerant, distulerant tandiu, dum ante biennium concedendum tandem enixissimè flagitantium petitioni rati, illis abducendi secum viri fecere copiam. Ibi cùm hyemem anni quinquagesimi, atque adeò vernum tempus anni consequentis exegisset, post breue dierum quindecim interuallum, quos vel ad corpus vtcunque reficiendum, vel ad colligendum animum exegit cum socijs, abductum de mense Iulio, hoc demùm anno restituerunt, ad VI. Id. April. Incredibile dictu, quàm multa quámque grauia pertulerit toto eo tempore: nam inter eundum quidem, dum iter ductores capessunt per inuia, ad compendium, vt rebantur, suâ ipsorum credulitate delusi, cùm iam ad Abnaquioïorum fines perueniisse se se existimarent, comperiunt vix sibi tertiam partem confectam esse itineris. Et iam tum tamen cibaria in iter absumpta defecerant, nec quidquam deinceps præsidij humana industria, nisi ex venatione promittebat. Ergo dum se ad peragendum sacrificium Druilletius comparat, penetrat in siluam vicinam gnauus venator è Catechumenis:

ANNVS MDCLII.

& (quod mirere vtique, ſi non aliundè certè ob temporis breuitatem) vix rem diuinam fecerat Sacerdos, cùm redux venator alcas ipſas tres tàm exiguo interuallo confoſſas, tractáſque repræſentat. Stupêre cuncti videlicet, & manna illud (ſic enim Druilletius ipſe, nec immeritò vocat) diuinitùs ſubmiſſum ſuſpicere. Tùm corpora optato cibo curant hilares, tùm ex ferinâ quod ſuperfuit (ſuperfuit autem plurimum) in viaticum fumo ſiccant. Vigeſimo quarto quàm profecti erant die, pagum primum tenuere Abnaquioïorum, *Nazanchgak* nomine, mutuâ gratulatione, quantam res expoſcebat, aduentantium, qui tot, támque graues difficultates eluctati eſſent, tot effugiſſent diſcrimina; expectantium, qui incredibili deſiderio Druilletij tenebantur. Atque hi quidem gaudium ſuum teſtificandum ſibi putarunt feſtâ ſcloporum diſploſione: neque enim accidere quidquam potuiſſe aut auguſtius, aut iucundius, quàm aduentum Patriarchæ: hoc enim iam nomine appellare Druilletium ceperant. Et Præfectus vix compos ſui; Nunc enimuerò intelligo, inquit, charam gentem noſtram eſſe ſupremo illi Spiritui, qui cælum moderatur, quando noſtrum ad nos miſit Patriarcham. Multáque eam in ſententiam prolocutus, cùm fine dicendi facto exquiſijſſet, ſatíſne commodè iter feciſſet Druilletius, quæ-ve cura eius leuando labori adhibita fuiſſet, accepiſſétque graues illi moleſtias illatas ab externo quodam, ex gente Etechemeniorum; ad eum conuerſus; Carere te, inquit, ingenio declaraſti, qui tàm indignè Patriarcham noſtrum habueris. Equidem ſi ex eorum numero eſſes, qui me pro Præfecto agnoſcunt, facerem tuo malo intelligeres, quàm grauiter gentem Abnaquioïorum totam violaueris iſtâ tuâ proteruiâ, contumaciáque, nec impunè talia vnquam deinceps auderes. Eâ verò ſcueritate perculſus Etechemenius, tanquam è graui ſomno expergefactus eſſet: Ita eſt, inquit, careo ingenio, qui tàm malè, támque duriter tantum virum habuerim, hoc grauiori culpæ affinior, quòd is de me centiès optimè meritus eſt. Nam cùm in morbum incidiſſem, noctem totam vigil penès me excubauit, precibúſque ſuis tetrum dæmonem fugauit, vitæ inſidiantem meæ. Et verò, quidquid rogat, impetrat ab eo qui cuncta fecit; nam & cùm ex diuturnâ ſiccitate decreuiſſent

ANNVS MDCLII.

torrentes eò vſque, vt penè arente alueo non ſatis aquæ ad nauigandum ſuppeditarent, vbi primùm in preces ſe ſe proſtrauerat, fluxit ſtatim, magno noſtro leuamento, imber copioſus: & cùm in extremâ inopiâ ciborum verſaremur, eo petente ferinam elargitus eſt ſummus ille vt rerum ceterarum, ſic animantium quoque Dominus: eâ verò cùm affatim veſceremur, abſtinebat ferè ipſe, quandiu recens erat, & optima quæque, atque ad guſtatum ſuauiſſima nobis relinquens, hamo ipſe ſibi captabat piſciculos, ſi quando ceperat, veſcebatur ad veſperum; neque enim priùs cibum capiebat: cúmque in grauiſſimis laboribus, aſſidua penè inedia eſſet, tamen dum ſub noctem figenda tentoria erant, vegetior, lætiórque erat: planè ſpiritus eſt, non homo: ego canis, qui in talem virum tàm indigna auſus ſim: præſertim cùm tanta eius eſſet manſuetudo, vt cùm aut intentarem minas, aut iactarem conuitia, illum cauſam ærumnarum eſſe omnium, quas perferremus, dictitans, vel conticeſceret prorsùs, vel ſi quid proloqueretur, videretur ipſum illud quod temerè obijciebam, agnoſcere: adeò placidè reſpondebat. Quare illud fateor, agnoſcóque, me antè ingenio caruiſſe: nunc verò certum mihi eſt reſipiſcere, preces deinceps amplecti, méque in diſciplinam tanto viro tradere. Hæc penè ad verbum ex Gallicâ Relatione reddidi, tùm vt intelligat quiſque, quibus tandem laboribus pro Euangelio filij Societatis IESV ſe ſe obijciant, quæ adeant diſcrimina; tùm vt illud planum fiat, nullam naturam eſſe tàm feram, aut tàm inhumanam, quæ non Chriſtianâ humanitate molliatur.

DICI VERÒ vix poteſt, quantâ vulgò in exiſtimatione apud gentem candidiſſimam eſſet Druilletius: quàm autem non ſimulatè ab ijs diligeretur, tùm alia omnia, tùm illud vel maximè teſtatur, quod cùm vel malitiosè, vel ex vernaculæ linguæ ignoratione ad herum Anglum ex ijs qui in Acadiâ verſantur, famulus retuliſſet, Sacerdotem illum Gallum, qui tanti ab indigenis fieret, in casâ quadam quam deſignabat, oblocutum Anglis eſſe, atque is vera ratus quæ à vernulâ afferebantur, tumultus iam aliquid meditaretur; vbi cognouere Præfecti, ad eius ædes adeunt, & hanc orationem per vnum ex eorundem Præfectorum numero habuere. *Dolemus*

ANNVS MDCLII.

magnopere, ſeruuli vnius imprudentiâ factum, vt ſecùs de noſtro Patriarchâ ſentire ceperis, quàm eius ſumma integritas ferat: excuſamus tamen delatoris inſcitiam. Vtique vernaculæ linguæ noſtræ ſcientiores ſumus, quàm ille de plebeculâ aduena: cúmque interfuerimus cuncti tum, cùm hæc Patriarchæ noſtro excidiſſe ab illo tuo famulo feruntur, illud contrà aſſeueramus, nihil vnquam ab eo de vobis in deteriorem partem dictum eſſe. Ac nobis quidem tradit, ei, qui cuncta molitus eſt, inuiſum, exoſúmque eſſe mendacium: atque adeò, ab eo animaduerti in mendaces: quod cùm perſuaſiſſimum nobis ſit, alieni profectò à mentiendi propoſito ſumus: proinde ſic tecum ipſe reputa, dum nos audis; Homines iſti minimè mentiuntur. Ceterùm, ſic habeas oportet, illum eundem à nobis cooptatum eſſe inter ciues: deinceps gentilis noſter eſt: illum diligimus tanquam Præfectorum noſtrorum ſapientiſſimum, tanquam Legatum IESV veneramur: atque adeò quiſquis illum oppugnat, oppugnat omnes omninò Abnaquioïos. Hæc cùm Præfectus ſingulari quodam ardore eſſet elocutus, perculit nimirùm Anglorum proceres: quare ſeu ipſos puduit inconſultæ credulitatis, ſeu veriti ſunt, ne ex ſcintillâ incendium exiſteret, abalienatis à ſe Abnaquioïorum animis; ad Druilletium per quendam è ſuis, recèns ex veteri Angliâ aduectum in Nouam, ſcientem Gallicè precati ſunt, quod geſtum eſſet, voluntariâ contritum obliuione vellet: ſe quidem deinceps ſtudiosè prouiſuros, ne quam fidem ſtolidis hiſce delatoribus haberent. Satis ſe intelligere, quàm charus eſſet toti Abnaquioïorum Nationi: valiturum id ad nectendam arctiùs concordiam inter Gallos Anglóſque, & gentem ipſam. Ad hæc cùm ſingulari quadam Chriſtianæ manſuetudinis ſignificatione reſpondiſſet Druilletius; Se verò haud magnopere iſtâ ſeruuli iniuriâ commotum eſſe: atque adeò ignoſcere perlubenter, quod ad ſe propriè attineret: vnum id ſibi moleſtum fore, ſi qua mora afferretur Euangelio. Et concordiam illam quidem optandam imprimis eſſe non modò ad fidem Religionémque Chriſtianam propagandam ijs locis, ſed etiam ad mercaturas ipſas, quas quærerent, atque ad rei eorum tùm publicæ tùm priuatæ compendia. Quæ cùm veriſſima eſſe agnoſcere ſe ſe dicerent, eâ comitate delectati, inuitare quiſque ad ſe ſe, vt varias habebant ſedes, precaríque viſere ſe ne grauaretur: & verò, quo-

ANNVS MDCLII.

ties deinceps per Kenebekium amnem nauigans, ad eorum ſparſa per ripas domicilia canoam appellebat, perhonorificè excipiebatur: quoties autem ſermo de illo fiebat, ſemper in optimam partem de eodem apud Abnaquioïos locuti ſunt.

QVOD AVTEM dicebat ille gentis Præfectus, Druilletium deinceps gentilem ſuum eſſe, alludebat ad id quod paulò antè geſtum erat. Nazanchyakenſes, hoc eſt pagi illius incolæ, ad quem tantâ omnium gratulatione peruenisſe illum vidimus, cùm voluerent animo quâ maximè re ſuam ergà eum obſeruantiam poſſent teſtificari, illud cogitarunt, vt virum quaſi ciuitate donarent, at iure quam-optimo. Coacto eam in rem conuentu, dixit pro concione loci Præfectus, idem ille qui Etechemenium tàm acriter obiurgârat, Patriarcham non modò Magiſtrum omnium, quotquot adeſſent, eſſe in ſanctâ fide, ſed etiam gentis totius & eloquentiſſimum, ſi verba de rebus publicis facienda; & prudentiſſimum in dicendâ ſententiâ, quacunque tandem de re deliberandum eſſet; ac tametſi (aiebat Orator & acerrimo iudicio, & apprimè Chriſtianus) diu eſt ex quo lucis vſuram capio, tamen præ illo aliud nihil me eſſe reputo, niſi balbutientem infantulum. Ergo cùm incredibili omnium conſenſu cooptare inter ſuos Druilletium placuiſſet, ad eum adeunt continuò, & mirâ in Barbaris beneuolentiæ teſtificatione ſic compellant. Popularis deinceps noſter es: nobiſcum deinceps vitam exige: tu parens, nos filij; tu Magiſter, nos auditores. Noli, ſi nos viciſſim diligis, tuo diſceſſu nos teterrimorum dæmonum furijs permittere, qui regionem totam adhuc infeſtam habuerunt. Eorum tu quidem furores aduentu repreſſiſti tuo: at, quàm metuimus, ne ſi hinc exceſſeris, eâdem quâ priùs licentiâ graſſentur? Vides ipſe quemadmodùm audientes dicto ſumus: te duce, atque hortatore teterrimis illis ſempiternæ noſtræ ſalutis oppugnatoribus reſiſtimus pro virili: qui illorum è numero rixis præeſt, diſcordiæque mentium caſis noſtris pulſus eſt: neque enim vſpiam inconditos illos clamores exaudis, quos tollere antè ſolebant mulieres: publicè autem tametſi iam exardeſcebamus iracundiâ, in apertum bellum erupturâ in eos, qui ad oſtia fluminis noſtri incolunt, à quibus haud leuis ſuſpicio eſt ſublatum è medio,

arte Magicâ, ac repentinâ quidem morte, vnum è noſtris Præfectis; tamen vbi vetuiſti nos quidquam mouere, paruimus continuò. Multùm antè tribuebamus tùm ſortibus, tùm Pythoniſſarum noſtrarum diuinationi; nunc vtriuſque fraudis vanitas tàm explorata nobis eſt, vt precibus ad Deum non modò tuis, ſed etiam infantulorum, atque adeò noſtris vniuſcuiuſque confiſi, quarum efficacitatem illuſtrem ſanè in modum comprobauit ſalus complurium, quorum conclamata vita erat, nihil hinc extimeſcamus: nequam ille ſpiritus qui polygamiam fouebat, nihil nunc penè apud nos habet virium: perpauci ſunt è noſtris, qui plures vxores habeant: ille ipſe qui pagi huius Præfecturam ambit, ambit vtique fruſtrà, niſi vxorum duarum quas habet, dimiſerit alteram: denique quem dæmonem ebrioſæ intemperantiæ præſidem fugaueras, illum quidem Angli poſtliminiò te abſente, nec ſine ſtrage non modò animarum, ſed etiam corporum ſanè luctuosâ reuocauerunt: at nunc demùm in perpetuum exterminandus eſt, propoſitâ pœnâ, ſi quis deinceps clàm, fatalibus illis liquoribus indulſerit. Quamobrem etiam atque etiam à te flagitamus, ne nos deſertos velis: parens noſter es: eſto idem arbiter rerum omnium noſtrarum: controuerſias noſtras omnes tibi diſceptandas definiendáſque permittimus: quantum nos diligas intelligimus ex tantis laboribus quos noſtrâ causâ ſuſcepiſti; ex precibus quas diu noctúque fundis noſtrâ item causâ, ad eum qui cuncta condidit, ex ieiunijs quibus te vltrò, eidem ſummo rerum molitori nobis propitiando diſcrucias. Et ceſſiſſet quidem Druilletius obteſtationi tàm vehementi, támque ardenti optimæ Nationis in ſe ſtudio, niſi aliud Superiores mandaſſent: abſque obedientiâ fuiſſet, nulla vnquam laborum, nulla ærumnarum acerbitas paſtorem eripuiſſet ouibus: ſed parendum fuit, redeundúmque vnde profectus erat, Kebeccum, infeſtiſſimo vtique itinere, rerum omnium grauiſſimarum perpeſſione. Id adeò intelligi poteſt tùm ex ijs quæ ſuprà commemorata ſunt, in perſequendis ijs quæ tolerauit vir Apoſtolici Spiritus, dum ibatur; tùm ex eo quod per Quadrageſimale ieiunium, aſperrimum vtique ijs locis, omni prorsùs cibo carens, decem ipſorum dierum inediam tolerauit cum

ANNVS MDCLII.

comitibus, quorum aliquot fame, frigoréque abſumpti: ipſe cum ſocio Gallo, poſtquam aliud ſuppetebat nihil, elixauit calceos, tum indumentum interius è corio alces: & quandoquidem iam liqueſcebant niues, etiam fidiculas detractas reticulis: neque enim ijs deinceps magnopere ad reliquum iter peragendum opus erat. Tandem, illius ope, cuius benignitas in ſuos per Euangelicum illud comprobatur quotidie, *Non in ſolo pane viuit homo*, Kebeccum tenuit Druilletius, poſtridie Dominicæ diei reſurgenti Chriſto ſacræ, vix pelle hærens extimâ, exſuccúſque & exanguis totus. Nec verò illa macies, oſque Druilletij penè ex fame luridum generoſos impetus retardauit ſociorum: eorum ex numero alius, item Sacerdos ſub eoſdem dies quinque ſex-ve Neophytis comitibus conſcendit canoam, itérque inſtituit Acadiam versùs, ſi quo modo per illius fines tum ſibi, tùm ſubſecuturis deinceps Euangelicis operarijs aditum pandere daretur ad Etechemenios, Sokoquioïos, Sgrikoioïos, Chagmaquioïos, Mahinganioïos, Amirgankanioïos, Abnaquioïos ipſos, ad quos adhuc per tale iter penetratum eſt, vt meritò horreat is, cui ſit illud ingrediendum; ad alias denique Nationes, quæ fixas & ſtabiles ſedes habent, atque adeò frequentiores ſunt, quàm vagi illi Montani.

Matt. 4.

SED VENIENDVM denique ad Iroquios, peſtem ac perniciem iſtis quidem in oris, vel humani generis, vel fidei Chriſtianæ. Annus totus inſidioſis eorum impreſſionibus infeſtus fuit: ſuo more immaniſſimi hominum venatores latente agmine maiori, locis vliginoſis paluſtribúſque, trans Magnum amnem, progreſſi ſunt per manipulos, carptímque nunc hos, nunc illos ex indigenis, ex Huronibus, ex Gallis, ex fœderatis vndique Nationibus trucidauere. Quæ clades cùm non modò ſenſim Chriſtianos Catechumenóſque attererent, ſed etiam aditus vltrò citróque intercluderent, funeſtiſſimæ vtique & putabantur, & erant: duæ tamen hoc anno plus vel damni in commune, vel mœroris bonis omnibus attulerunt. Prior nex fuit Iacobi Buteuxij, de quo tàm ſæpè memoratum ſuprà: is Attikameguiorum ſuorum inuitatu, cùm eorum in fines tenderet ad deſignatum locum, quo conuenturæ affirmabantur pleræque Nationes ex remotioribus illis, quæ ad Boream

P. Iacobi Buteuxij mors.

ANNVS MDCLII.

ream diuerſæ incolunt, rem fidei ãcturus; ex Trifluuio profectus erat cum familijs Attikameguiorum eorundem aliquot, pridie Nonas Aprilis. Erant in agmine omninò ad ſexaginta viri, feminæ, pueri-ve, turba imbellis: viaticum nullum in iter: ſpes tota apta ex prouidentiâ ſummi Patris, qui volatilia cæli paſcit. Et quàm commoda anni tempeſtas ad conuentum, tàm ad venationem incommoda erat, liquefactis iam niuibus: ità dies plerunque totos planè ieiuni exegerunt. Tandem cùm ex fame languerent omnes, neque humani vllius ſubſidij ſpes affulgeret, ipſo die IESV Chriſto in cælum ſcandenti ſacro, poſtquàm cunctos ritè confeſſos eiuſdem IESV Chriſti corpore Buteuxius refecerat, alij ab alijs, quæritando commodiùs victui diſceſſerunt. Antegreſſis turmis alijs, ſubſecutus demùm Buteuxius eſt cum Gallo comite (miles erat ſilueſtri gentium earum vitæ pridem aſſuetus) & adoleſcente Hurone iam Chriſtiano. Conſcensâ canoâ, progreſſi ſunt aliquantùm eâ ipsâ luce: poſtridie, qui IV. Idus Maias erat, cùm ob frequentia catadupa exſcendere ter coëgiſſet locorum difficultas remis inſuperabilis, dum tertiùm ſuo quiſque impediti onere iter per aſpera vtcunque moliuntur, circumueniuntur ab Iroquijs inſidiatoribus. Ac Huro quidem iuuenis vt antecedebat, viuus captus eſt: in ſubſequentes Buteuxium Gallúmque eminùs perfidi ſclopos diſplodunt: ex vulneribus ſtatim vterque corruit. Tum verò progreſſi ad exiguam prædam victores, vtrumque confodiunt ictu enſium repetito: cùm illi nihil niſi IESV nomen in morte ingeminarent. Biduo pòſt, Neophyti aliquot alij ex diſperſis illis, cùm iter idem inſiſterent, in eaſdem inſidias cecidere, & cæſi ſunt: vnus ex Algonquiniâ gente iuuenis viuus crematus eſt, eâ crudelitate cuius ſpeciem crebrò vidimus: Huronem ad eandem carnificinam reſeruabant, in patrio ſolo vſtulandum, vbi ſe recepiſſent: verùm is in omnem euadendi occaſionem intentus, tandem poſt dierum aliquot ærumnas, angoréſque, dirupit vincula, nudúſque profugit: ex illo hæc reſcita omnia. Vt ad Buteuxium reuertamur, natus eſt in oppido Picardiæ (*Abbatis-villam* nominant) anno huius ſeculi primo. Cùm admiſſus in Societatem eſſet Rothomagi, anno vigeſimo ætatis; deinceps anno ſe-

ANNVS MDCLII.

culi quarto & trigeſimo, Theologico decurſo quadriennio in Nouam Franciam miſſus eſt. Eâ in vineâ tàm laborum, quàm meritorum feraci, laborauit annos duodeuiginti, & ſtrenuè imprimis, & fructuosè. Nam ad fidem traxit, ac adduxit Barbaros ſanè plurimos ex Montanis, Algonquiniiſque: Attikameguios autem ſic excoluit, vt in illâ terrarum vaſtitate Eccleſiam fundauerit, innocentiæ laude florentem imprimis: hos ad nutum agebat, flectebátque: atque adeò peccati labe detersâ penè omni, eorum in mentibus tanquàm in ſolo probè ſubacto, virtutes omnes ſeuerat Chriſtianas, fidem, charitatem Dei & proximorum, caſtimoniam, candorem autem ſimplicitatémque vel maximè. Vir orationis dono perilluſtris: tantâ autem, támque conſtanti ſui abnegatione, vt ieiunaret aſſiduè, humi cubaret ſemper, magnam noctis partem vigilaret: ac tenerâ licèt, delicatáque temperatione corporis, morbíſque penè aſſiduis conflictans, tantâ tamen vexandi ſui quaſi ſiti æſtuabat, vt ei ſedandæ, vel temperandæ, ſuprà vires corpus voluntariâ rerum aſperarum perpeſſione conficeret. Ad Martyrium tàm incensâ ferebatur cupiditate, vt cùm aliquando audiret non neminem, in familiari collocutione prædicantem, adeò horrere ſe ignes Iroquiorum, vt ſi in id diſcrimen veniret, planè cuperet antè, quàm tàm immanium monſtrorum in manus incideret, emori; *Ego verò*, aiebat ijs, quibus intimos animi ſui ſenſus aperiebat, *mecum præclariſsimè agi putarem, ſi me eò reſeruarent. Et eſt quidem eorum crudelitas ingens: lentis autem ignibus torreri, ſupplicium ſanè atrox: verùm, nihil eſt quod non eluctetur diuina gratia: Deúmque medijs in flammis diligere, charitatis eſt & longè purioris, & ſummæ illi Maieſtati acceptioris, quàm quicquid extrà tormenta cruciatúſque facias.* Atque hinc eſt, quòd cùm millies locis ijs verſatus fuit, vbi repentini illi, inſidioſique Iroquiorum impetus metuendi meritò putabantur, vultu tamen ſemper immoto conſtitit, progreſſúſque ſemper impauide fuit eò, vbi diuinæ gloriæ amplificandæ ſpes affulgebat.

PLVS REI & Chriſtianæ & Gallicæ detrimenti attulit clades altera, ex nece Pleſſæi Kerbodotij, qui Arci Triſluuianæ præerat. Is quotidianarum incurſionum impatiens hoſtis callidiſſimi eiuſdem, & audaciſſimi, qui dies noctéſque

ANNVS MDCLII.

immineret, Gallorum pecora abigeret, tùm horum autem, tùm indigenarum, eorúmque qui varijs ex plagis regionis, eódem migrauerant, cædes faceret; conſtituit ſi quà poſſet, arcere longiùs has peſtes. Eam in rem collecto Gallorum, Canadenſiúmque agmine (Galli erant ad quinquaginta, Canadenſes ad decem, aut duodecim) vnà cum ijs lembum conſcendit XIV. Cal. Septemb. pérque aduerſum flumen, in hoſtem fertur, quem in carectis latere acceperat. Et verò vnam & alteram leucam progreſſus, Iroquios videt ſaltuoſo loco, ad oram nemoris, intrà munitiunculam, vt feræ gentis mos eſt, haud facillimam expugnatu. Et fauebat præterea vligo ex parte fluminis, ita vt exſcendere noſtri, niſi cum graui periculo non poſſent. Vrget tamen nihilo ſeciùs Pleſſæus, & iuſtæ iracundiæ indulgens nimiùm; Eamus, inquit, & ſimul tot perfidioſorum latronum iniurias vlciſcamur, ſimul abacta pecora recipiamus. Non defuit ex agmine, qui præcipitem illum ardorem inhibere conatus ſit: exſcenſionem difficillimam eſſe: patere omnes hoſtis audaciſſimi vel ſagittis, vel ſclopis: vbi exſcenſum eſſet, per vluam deinde, hoc eſt in lubrico lapſante veſtigio progredientium, tùm vnumquemque, tùm præcipuè eos qui in fronte agminis eſſent, ad cædem ab hoſte immoto impunè lectum iri: iuberet potiùs omni remorum contentione lembos agi per aduerſum flumen paulò altiùs, dum locum ad exſcendendum commodiorem nanciſcerentur; ſi occurreret, opportunitate vſuros; ſin, ad ripam alteram receſſuros tantiſper, dum quid è re publicâ magis foret, in tuto conſiderarent. Hæc ille, cuius nomen non prodit Relatio: ſapienter vtique, ſi auſcultaſſet Kerbodotius: ſed vt erat iracundiâ commotior; Cur, inquit, hæc diſcrimina opponis? receſſum noſtrum, fugam hoſtis interpretabitur, ex eóque illi creſcet audacia. Nec cunctatus, exſcendit ipſe: ſequuntur tùm Hurones, tùm Galli, hi verecundiâ magis, quàm rei benè gerendæ fiduciâ. Et Hurones quidem, iſtiuſmodi locorum aſſuefacti difficultatibus, minùs incommodè veſtigium per vluam ſuſtinebant: at Galli tùm à veſte, tùm ab armis impediriores, non magis de hoſtili vitandâ petitione, quàm de prolapſionis periculo ſoliciti, greſſum ægrè moliebantur. Hinc funeſtæ origo cladis: om-

ANNVS MDCLII.

nium primus cadit ductor ipſe: confoſſi cum eo Galli ad quindecim: ſeptem in truculentiſſimi hoſtis manus venerunt viui; ita inconſulta viri vnius temeritas non modò ſe ſociósque expeditionis perdidit, ſed etiam rem & Gallicam & Chriſtianam in certiſſimum adduxit diſcrimen. In confeſſo eſt, nihil facilius factu futurum fuiſſe, quàm vt hoſtis, ſi victoriâ vti noſſet, eo die Trifluuianâ Arce potiretur, ac deinceps non modò totam circà oram longé latéque infeſtam haberet, ſed etiam iter intercluderet Kebeccum, tot Nationibus fœderatis, quæ cum Gallis vniuersè mercaturas exercent, à Sacerdotibus Societatis vel inſtituuntur in fide, vel ad fidem pelliciuntur. Omnia conſternatione plena erant: qui è certamine euaſerant, palantes hac illac vagabantur: qui ſuperfuerant, & pauci erant, & amiſſo ductore, deiecti animis: ità ſi Iroquius ſuâ illâ agilitate non minùs quàm viribus formidoloſus, locis pluribus, vt poterat, feciſſet vno eodémque tempore impreſſionem, vix, ac ne vix quidem repellere inſultantem Trifluuiani potuiſſent: ſed non ſiuit benigniſſimus parens eò vſque calamitatem progredi: Iroquius ferociter exultans, captiuos abduxit in patriam, Galli, ceteríque Trifluuij incolæ paulatim ſe ſe à tantâ formidine receperunt. Quarto die quàm dimicatum erat, Trifluuiani quidam viſendi ſtudio, vt fit etiam in rebus calamitoſis (nam ne iſtis quidem parcit curioſitas) ad locum certaminis progreſſi, pauca hæc carbone vtcunque delineata in Iroquij bellatoris clypeo reperere: *Norman-villæus*, *Franco-villæus*, *Poſſonius*, *Palma*, *Turgetus*, *Chailloius*, *San-germanus*, *Onneiochronnonij*, *& Agnechronnonij: vnguis vnus adhuc mihi vulſus eſt, nihil præterea cruciatus illatum.* Nempe hæc, vt licuerat, raptim deformauerat eo in ſcuto Norman-villæus, iuuenis magno & excelſo animo, idémque Algonquinij Iroquiíque idiomatis peritus, quò noſtris ſignificaret, ſe, vnà cum ſex illis alijs, ab Iroquijs viuum abduci ab Onneiochronnonijs, Agnechronnoniíſque (nomina hæc eſſe populorum quorundam ex Iroquijs, diximus ſupra variatione vnius literulæ) nihílque adhuc in ſe fœuitiei depromptum, niſi quod vnguem vnum infames tygres auulſerant: cetera ſcilicet in aliud tempus, ínque locum alium reſeruari. Quæ vt dira truculentáque dein-

ANNVS MDCLII.

de fuerint, non dubium tamen fuit ijs, quibus cognita præſtantiſſimi iuuenis virtus erat, quin forti, conſtantíque animo ab eo tolerata ſint: ſcripſit quidem certè Kebecco in Galliam matrona, & ipſa præſtanti virtute, videri potuiſſe Norman villæum de ſuo illo caſu diuinitùs cognouiſſe: hanc enim ſecum habuiſſe orationem, paulò antè funeſtum illud certamen; Cùm aſſiduè dimicandum mihi ſit cum feris illis Dei hominúmque hoſtibus, nihil procliuius factu, quàm vt aliquando eorum in manus veniam: verùm, ſi id eueniet, ſpero fore vt eorum ignes conſtanti animo perferam: nec deſpero quin præterea hac manu reſpergam aquâ ſalutari Baptiſmi, infantulos aliquot moribundos, & verò etiam fortè adultorum non-neminem, extremo in morbo, præmiſſâ videlicet inſtitutione, qualem adhibere dabitur antè quàm in rogos rapiar. Felix bellator! qui non animo volueret gladiatoriam illam inſaniam, furorémque, quo duellatores noſtri inter ſe confodiunt: (digni, niſi animorum interitus ſempiternus interueniret, qui tàm ſceleſtâ manu occumberent:) ſed cæleſtia decora, artéſque eas quibus Sancti beatam illam immortalitatem promerendam ſibi putauere.

HISTORIÆ CANADENSIS

LIBER NONVS.

ANNVS MDCLIII.

Prouerb. 16

MVTATA deinceps rerum facies eſt ad tempus, in Nouâ Franciâ : expreſſúmque illud Salomonis ; *Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.* Nimirum quotquot erant ijs locis pij piæque, tam luctuoſo rei Chriſtianæ ſtatu, interpellare precibus optimum parentem non deſinebant, reſpiceret ſuos : votáque nuncupabant eam in rem alij alia : illud percelebre, & quantum quidem euentus docuit, gratum Deo, quod diem Præſentatæ in Templo Virginis ſe deinceps præcipuo cultu feſtum habituros vouerunt Montis-regalis incolæ: ex eo enim tempore retuſi ſunt haud obſcurè Iroquiorum impetus ac furores. Hyemem illi quidem totam exegerunt vicinis in ſaltibus, pagum Arcémque Trifluuij ſi non obſidentes, circunſtantes certè : eâ ſpe ſcilicet, fore vt quo tempore frigorum vis eſſet acerrima, altæque niues humum coope-

Feſto Præſentatæ in Templo Virginis voto Iroquiorum impetus retuſi.

ruiſſent, Galli ab omni hoſtium impreſſione ſecuti, déque quiete potiùs, quàm de militaribus excubijs cogitantes, perfacilèin illâ incuriâ opprimerentur. Sed eos fefellit opinio: deprehenſis in niue veſtigijs quorundam, qui ad Oppidum idem propiùs acceſſerant, continuò Galli ſibi ſuíſque rebus inuigilare, duplicare excubitorum numerum, propugnacula firmare: quæ cautiones cùm ſpem omnem perfidis ademiſſent Arcis capiendæ, enimuerò poſtquam deeſſe cepit vnde venatu ſe ſe alerent, feris iam omnibus circumcircà vel captis, vel fugatis; repedauere in patriam, annonam quæritaturi. Verùm adfuerunt breui denuò: vbi primùm ſolutæ ſunt Magni fluminis glacies, concurſare vndique feri hoſtes, ſi quem venatorem è noſtris, aratorem-ve interciperent. Quæ propè obſidio cùm Gallos aſſiduè fatigaret, nec ſine præſenti diſcrimine; re maturè deliberatâ, conſtituunt Algonquinij, inhibere furentes, & vim iniquiſſimam iuſtâ vi depellere. Et adfuit ſuis è cælo Dominus Deus: nulla penè velitatio fuit, in quâ non noſtri vicerint. Celebris illa, ad VII. Idus Maias, quâ cùm Algonquinij in canoâ, tres tantùm Magno fluuio innauigantes, ad ripam vlteriorem latere hoſtem in inſidijs deprehendiſſent, quem adhuc exiguæ Inſulæ quædam circumpoſitæ texerant; derepentè obuersâ ad ripam citeriorem prorâ, non ad fugam, ſed ad collocandam in tuto feminam, quæ nauigiolum vnà conſcenderat, re perfectâ, proram illicò in hoſtem conuertunt inſequentem, (quippe qui fugere illos putauerat,) ſi non virtute, certè numero longè inferiores: quâ roboris militaris ſignificatione adeò territi ſunt Iroquij, quotquot nauigijs tribus inuehebantur, vt ipſi ſedulò capeſſiuerint fugam. Ad Montem autem regalem illud mirabile ſub idem tempus contigit, quòd Galli ſex tantùm & viginti, concluſi ex improuiſo inter ducentos Iroquios, non euaſerunt modò incolumes, ſed etiam ſtragem non paucorum edidere. Et diſploſit quidem turma tota tàm ingens, ſclopos, nec ſine arte & cominùs: ſed impunè: auertente neſcio quâ manu præpotenti, candentes glandes illas, nullus in certamine occubuit, nullus, quod meritò ſuſpicias, vulnus accepit: ex hoſtibus autem, cæſi tàm multi, vt quà fugerant, terra vndique eorum cruore tincta manſerit; & ad mul-

ANNVS MDCLIII.

ANNVS MDCLIII.

tos dies humanarum carnium fruſta non exigua canes in Gallicum præſidium attulerint. Quibus cladibus efferati potiùs, quàm territi Iroquij, conſtituunt Trifluuianam Arcem capere, quantocunque demùm ſtaret: extimulante præſertim animos Barbarorum, dolore concepto ex morte Aontariſati, Præfecti magni nominis apud Annierrononios, qui cùm prodere rem Gallicam vellet, captus ipſe in ſuâ molitione eſt anno proximè ſuperiore, lentíſque ignibus crematus ibidem apud Trifluuium. Ergo cùm rem apertâ vi procedere poſſe diffiderent, ad artes de more vertuntur, & ingenti ſanè collecto agmine militari, primùm manipulos aliquot miſerunt, hos ad Montem-regalem, illos Kebeccum, diſtinendis Gallis interea, ita vt ſuppetias Trifluuianis ferre vel nequirent, vel non auderent, ipſi ſatis in ſe tutandis occupati. Tum lectiſſima eorum legio proximè Trifluuium loco ſinuoſo occultat ſe ſe, ac nocte concubiâ homines rei militaris minimè ignari tripertitum agmen inſtruunt. Imponunt in canoas vndecim, confidentiſſimos quoſque, & ad aduerſam Magni fluuij partem, contrà Arcem iubent conſiſtere. Canoam maiorem onerant bellatoribus alijs decem, qui exiguas quaſdam Inſulas Arci maximè vicinas occuparent. Agmen tertium inter ſaltus, ſiluáſque proximè Arcem delituit. Rebus ita diſpoſitis, expectant ſuâ quiſque in ſtatione Solis ortum: rati, id quod procliue factu erat, fore vt quoniam inſtabat meſſis ſegetis Indicæ (agebatur dies XIII. Cal. Septemb.) aratores in agros quiſque ſuos excurrerent; quorum ex numero raptim aliquem ex inſidijs, ij qui in canoâ maiore verſabantur proximè Arcem, abducerent confeſtim, præter Arcem inuecti, quò cernerentur à Gallis: obuiàm ijs proceſſuros qui vndecim canoas illas ex aduerſo complebant: Gallos confeſtim adfuturos ad ripam, partim conſcendendis nauigijs ad opitulandum capto, partim ſpectando certamini: ac tum demùm acceſſuros ad Arcem eos, qui vicinis in ſaltibus latebant, quam cùm propè vacuam propugnatoribus inuenirent, occupaturos perfacilè. Sed nihil horum proceſſit, Domino Deo ſuos protegente: nam eo die continuerunt ſe aratores noſtri vel in caſulis, vel propè caſulas, neque excurrit vllus longiùs: poſtridiè, cùm nihil prorsùs cuiquam ſuboluiſſet

ANNVS MDCLIII.

de hoſtilibus inſidijs, rogauerunt Galli aliquot, Algonquinios amicos, quærere ne grauarentur pecus quoddam, quod per nemora deerrauiſſet: repertum iri vtique in ſiluis, aut ad Magni fluuij ripam. At non procul perrexerunt qui curam eam in ſe ſuſceperant; progreſſi paululùm, obſeruant in arenâ veſtigia non paucorum, qui illac tranſijſſent, trepidíque renunciant confeſtim, hoſtem profectò adeſſe. Simul meſſores aliquot, qui eo demùm die ad agros perrexerant, citato curſu afferunt, viſos ſibi nouos vultus hominum, veſtes peregrinas: eos, quicunque demùm eſſent, intrà ſiluam latitare. Sed miſſi Galli exploratores cùm vidiſſent neminem, dictorum fidem eleuarunt: quæcunque Algonquinij retuliſſent, ex vanâ formidine eſſe profecta. At XI. demum Cal. Septemb. cùm reditum in agros eſſet eâ dumtaxat cautione, vt ad firmandos meſſorum animos excubiæ conſtituerentur ad ſiluarum terminos; vix deſtinati Galli in ſtatione conſtiterant, cùm impatientes moræ longioris Iroquij, prodeunt ex inſidijs, in eorúmque vnum inuadunt, ex eo, ſi caperent, cognituri quo ſtatu res arcis, pagíque eſſent. At is Euro ocyor refugit arcem verſùs: quem tamen aſſecuti Iroquij, vt pedum agilitate mirum in modum valent, impactâ ter ſecuri ſauciauere grauiter, at extra leti periculum: atque tum demùm dubitare nemo quin veriora eſſent quàm quiſque vellet, quæ priores illi haud leuiter retuliſſent. Ergo aptè comparatis ad reſiſtendum omnibus, cùm poſtridie illius diei canoa illa maior, in quâ impoſitos diximus Iroquios decem, nullâ deſtinatæ rei gerendæ occaſione oblatâ, ad illas alias vndecim ſe reciperet, ad aduerſam ripam tanquam ſtantes in anchoris; viſum noſtris eam inſequi, quò eâ viâ reſcire poſſent certiùs de hoſtium numero. Eam in rem myoparonem conſcendere iubet Præfectus Arcis, bellatores aliquot egregios è Gallorum agmine: & vix ij caput fluuij verſùs, milliare vnum proceſſerant, cùm hoſtiles canoas vident ſinuoſo illo in receſſu conſiſtentes: in eas cùm ſclopum quiſque diſploſiſſet, continuò ad Arcem reuertuntur. Et tympani ſonitu excitus gubernator, quo ſigno moneri ſe voluerat, ſi hoſtem deprehendiſſent qui conſcenderant myoparonem, hoſtes videt effuſo curſu per agros ad pagum properantes, quaſi eſſent oppugnaturi. Tum verò ad arma

ANNVS MDCLIII.

conclamatum: clauſæ portæ bombardæ maiores duæ productæ diſploſæque. Hoc fragore perculſi barbari, pedem referunt, at non ſine prædâ: quippe in obuia armenta verſâ rabie, abigunt in vicinum nemus quidquid potuerunt: nec ſeciùs procurrunt ad fluuium, ex eiúſque ripâ, ſclopos diſplodunt in noſtros illos pugiles, qui è myoparone egregiè ſanè decertabant; & ſcilicet tàm læto ſucceſſu, vt cùm terrâ vndáque oppugnarentur, perpauci à plurimis, tamen incolumes euaſerint omnes, ne vulnere quidem vllo accepto, cùm contrà ex hoſtibus vulnerati ſint complures. Iroquij vt antè in armenta, ſic tunc in ſegetes Gallorum iuxtà, Huronúmque, furorem effuderunt ſuum: neque modò ſata incenderunt, ſed etiam aratra, quotquot ad comportandam meſſem eò traxerant boues. Sed cùm arcis Præfectus bombardam maiorem loco apto collocatam diſplodi tandem in eos iuſſiſſet, Algonquiniíque armati proceſſiſſent, receſſere tandem Barbari, non tanquam victi, ſed tanquam exſatiatâ demùm rabie in ſpeciem hilares, reipſâ eo conſilio, vt noctu pagum incenderent, quem per certa interualla non niſi truncis arborum grandioribus ſeptum eſſe vidiſſent. Nec ars infida Præfectum fefellit: totâ deinceps nocte non modò agitatæ excubiæ, ſed etiam tympanorum ſonitus, cantúſque tubarum penè perpetuus fuit: ac tum demùm ſpem omnem abiecere Barbari Arcis aut fraude aut apertâ vi capiendæ. Vt tamen quicquid poterant detrimenti importarent, poſtridie iterùm per agros fuſi, depopulari ſata reliqua inſtituunt: eminùs tamen: neque enim per igneos illos bombardæ fragores accedere auſi propiùs: ſed vt eſt hominum curioſum genus, Hurones, quorum adhuc in pectore non recordatio tantùm, ſed etiam charitas vigebat ſuorum, qui ab Iroquijs in illâ totius Huroniæ deuaſtatione abducti fuerant, accedunt ſenſim alij ex alijs, de conſanguineorum rebus ſciſcitaturi. Vbi inter ſe agnouere, enimuerò fiducia exorta ingens: tanquam nihil velitationum anteceſſiſſet, ita amicè & familiariter miſceri cœpta colloquia.

Noua de Pace cum Iroquiis colloquia.

SED MAIOR quædam vis, atque humanâ præſtantior adfuiſſe putanda, quæ penè momento efferatos illos animos domuerit, atque à belli meditatione traduxerit ad ſtudia con-

ANNVS MDCLIII.

cordiæ. Ecce enim tibi, dum iſta maximè aguntur, antequam æſtus ille militaris reſediſſet, adſunt cum albo vexillo Iroquij Annierrononij decem duodecim-ve, ad Magni fluuij ripam citeriorem, agere ſe de pace velle clamitantes: proindè è Gallis mitteretur, qui ſecum tractaret. Et miſſus quidem vnus eſt, ſed qui tot fraudum impatiens, ipſo initio exagitauit perfidos, tàm multa ſuperiora dedecora vel objiciens, vel exprobrans; Interfectum Iſaacum Iogueſium, crematos lentis ignibus Ioannem Brebeufium, cum Gabriele Lalemantio: Norman-uillæum, cum ſocijs indigno ſupplicio, nec ſine grauiſſimo cruciatu interemptum: vno verbo, omnia ad eam diem pleniſſima perfidiæ. Ad hæc ſedatè ductor & tanquàm Præfectus ceterorum; Iunior, inquit, es, quàm vt tecum tractari de re tantâ aptè poſſit: poſtulauimus, qui audiret, non qui iaceret conuitia: redi ad tuos: conſule ſeniores, eóſque qui maioris auctoritatis ſunt: ab ijs ſi quid attuleris, proferes. Atqui nihil his opus, excipit Gallus: noui quid mei ſentiant, quámque de vobis opinionem conceptam habeant animis: vniuerſos vos habent pro hominibus fluxæ fidei, qui nihil præſtetis vnquam eorum quæ promiſeritis. Abi inquam, iuſtat Annierrononius, abi ad eos: atque illud ſignifica, læta omnia nos meditari, & iam nunc demùm cor hocce noſtrum fellis eſſe expers. Hæc cùm Gallus ad conuentum retuliſſet, vt vix ac ne vix quidem habere fidem poſſumus ijs, qui fefellerint aliquoties, dubitauit nemo, quin tota ea ſermocinatio ad fraudem pertineret: neque perſuadere ſibi vllus potuit, Iroquios ſeriò de pace cogitare. Quoniam tamen nihil periculi ſuberat, intentis omnibus ad eorum vel impetus retundendos, vel vitandas inſidias; iubent eundem redire ad Iroquios, & ad ea quæ iam dixiſſet, addere; patere ſanè fraudulentos Iroquios eſſe & mendaces, vel inde, quòd eo ipſo tempore quo de pace agere videri vellent, iniuriam Gallis attuliſſent grauiſſimam, ad Promontorium Rubrum, Ioſepho Ponceto, ſacerdote Gallo, cum ſocio Mathurino Franchetotio captis recens. Ad eam orationem obſtupefactus Iroquius; Ego verò, inquit, de captis recèns Gallis nihil prorſùs audiui: verùm, ſi ita eſt vt dicis, iam nunc mittam ad meos canoas duas; quò quantâ maximâ fieri poterit celeritate,

ANNVS MDCLIII.

vetem ſeriò, ne quid de ijs grauius conſulant, aut duriùs eos habeant vllo modo: atque illud tibi confirmo, Gallos tuos, ſi ſuperſtites erunt ad aduentum nuntiorum, breuî hîc affore. Ea verò tanto ardore proloquebatur homo vel pudore ſuffectus, vel iracundiâ, vt nihil dubitares, quin oratio cum ſenſu mentis conſentiret. Ac fecit ille quidem prorſus, quod ſe facturum receperat: quo ſucceſſu, videbimus paulò poſt: tunc præclaris iſtis coeptis de pace interuenit fortuitò aliquid, vnde periculum fuit ne tenuis ille ſpei bonæ radius vbi primùm exoriri ceperat, euaneſceret. Ex Huronum præfectis vnus *Aoneates*, cùm de more, ſuorum aliquot aſſumpſiſſet ad explorandum, num quo loco vicino laterent hoſtes, à Montis-regalis præſidiarijs Gallis accepit, in Inſulâ ſuâ deliteſcere profectò aliquos. Hoc indicio ad eos inueſtigandos pergit Huronius manipulus continuò, & Domino Deo iuſtis obſecundante conatibus; repertos oppugnat, fundítque derepentè, & *Aronhieiarham* ducem cum quatuor è primarijs, captos è fuga retrahit. At dum magno flumine Kebeccum reuehitur, incidit imprudens in Trifluuianos illos Iroquios, quos minimè putarat adeſſe. Ergo dum placidè cum captiuis ſuis inuehitur, iucunda cum illis de bello, déque pace miſcens colloquia, ecce tibi appropinquantes videt agnoſcítque Iroquiorum canoas, ex victore momento victus. Ex eius militibus nonnulli territi periculi magnitudine, obuertunt continuò ad ripam proras, & effuſo curſu ſe ſe in vicinum nemus conijciunt. Alij, turpe rati fugere, cogitationem ſuſcepere funeſtam ſanè, vt quinque illis Iroquijs quos ceperant, interfectis, de ſuâ deinde ſalute cum hoſtibus ſtrenuè decertarent. Sed inhibuit è cælo Deus ferale conſilium, alia omnia voluens animo Aoneates, inhibitis remis Aronhieiarham compellans; *Cernis*, inquit ipſe, *penès me eſſe, vt tibi, ſi libuerit, vitam eripiam, tum te, ſociíſque cæſis, vel fugâ mihi conſulam, perinde atque iſti ſibi conſulunt, vel in confertos populariũ tuorum cuneos irruens, in hoſtili cruore honeſtâ morte defungar. Sed neque tuus, neque ſociorum tuorum ſanguis arceat funeſta illa infortunia, in quæ nos impreſſiones militares veſtræ coniecerunt. Quandoquidem iam de pace agitare conſilia cepimus, malo caput meum hocce, diſcrimini obÿcere, eo conſilio vt pacem redimam, ſi non*

mihi, nepotibus saltem meis, quàm maiorum meorum neces tuo cruore vlciſci. Illud saltem me in morte ſolabitur, ſi moriendum mihi erit, quod vita à tuis mihi eripieur, poſtquam vitam tibi donauero. Tu verò, ſi ad eum modum ſeruatus, ſines me à tuis interfici uus ac perfidioſus in poſterum [illegible] eris in viuis: ac nemo non tibi [illegible], quod vitam eripi ſiueris ei, à quo ipſe vitam eo ipſo tempore acceperis. Sunt iſti qui appropinquant vel conſanguinei tui, vel populares: potes ab ÿs facile vitam mihi meíſque commilitonibus impetrare. Ad hæc Aronhieiarha magno fortíque animo; *Ita eſt*, excipit, Aoneates: *non eo inficias quin penes te ſit, vitam hancce aut eripere mihi, aut reſeruare; verùm, illam ſanè tu mihi reſerua, quò conſulam tuæ. Non ſum tàm deſpicabilis apud meos, poſt bellica facinora haud obſcura pleraque, vt non vindicare te, tuóſque ab omni iniuriâ queam: ac ſi in te fortè ÿ impetum facere velint, tum ego corpus hocce pro ſcuto ad te tutandum opponam vtique. Ego me lentis priùs ignibus exuri patiar, quam vt eò vſque ſim degener, vt poſtquam vitam ac ſalutem tibi debuero, reditúmque in patriam; non rependam accepto beneficio par beneficium.* Erant fortè in eodem lembo, Onnontaerronnoniorum Legati, qui & ipſi diuino ſanè inſtinctu miſſi à ſuis erant de pace, & à Montis-regalis Prę ſidiarijs iuſſi deſcendere Kebeccum ad Proregem, commodiùs certiúſque omnia cum eo compoſituri. Ii animos Huronum mirati generoſos ac fortes, eorum & ipſi apud Aronhieiarham cauſam ſuſcepere, conteſtatíque ſunt, ſi hoſtiliter Annierrononij in Hurones inuaſiſſent, ſe profectò pro ſuis naucleris depugnaturos. Quâ denunciatione oblectatus potiús, quàm territus Aronhieiarha; *Bona verba*, inquit, *populares: vobis ego confirmo, cuncta pacatè ac beneuolè tranſactum iri.* Et lembum impelli iubens continuò, progreditur ſidens Iroquiorum claſſem verſùs, quæ iam canoas maiores ad decem & octo aduerſùs Huronicum lembum præmiſerat. Sed nihil opus Aronhieiarhæ longâ oratione fuit: & ij quos hoſtes Hurones putauerant, aduentabant amici. Nulla pugnæ mentio, nulla inſultatio, qualis hoſtis fortioris tali loco ac tempore eſſe ſolet: ſalutat cunctos beneuolè Andigra ductor Iroquius, & ad Aronhieiarham conuerſus, popularem ſuum; *Eia*, inquit, *Aronhieiarha, confirma ductores tuos: pacem, non bella ferimus: neque quidquam aliud agitamus animo, niſi vt pacem con-*

ANNVS MDCLIII.

ſtituamus. Hæc tametſi læto vultu, atque exporrectâ fronte dicebantur, atque vt facta dictis conſentirent, iam miſiſſet Andigra è ſuis, qui palantes illos Hurones è ſiluâ reuocaret, in quam [illegible] in ripâ canoâ, abdiderant; tamen vix credere Aoneates verſari ſe inter [illegible] ac non potiùs ab hoſtibus circumuentum putare. Id cùm planè ſibi perſuaderet, nequidquam verbis officioſis, & omni beneuoleutiæ ſignificatione in eius ſe ſe animum inſinuare conantibus Iroquijs, in vnâ illâ cogitatione defixus, hæc omnia ad fraudem pertinere, tantóque exquiſitiores cruciatus perferendos eſſe ſibi, quantò ſpecioſior eſſet tota illa pompa verborum; vt erat vir forti & magno animo, ac tum præterea deliberatâ morte propè ferox, ſurgit derepentè, & ad ferales illos modulos conuerſus, quibus vti tali in re gentes eæ ſolent, inſtituit cantu celebrare Martia facinora ſua, quot manu ceciderit Iroquios, quibus cruciatibus horum quemque necauerit, quibus mortem ſuam vlturos nepotes ſuos ſperet, Iroquijs placidè audientibus, pergentibúſque aſſerere, nihil tale ipſis apparari, pacata cuncta, amicáque expectanda potiùs. Neque captiuus es, Aoneate, aiunt hilares, neque periculum vllum imminet tuo capiti, inter fratres germanos verſaris: atque illud tibi perſuade, Gallorum deinceps, Huronum, Iroquiorúmque ingentem conſociationem fore: mitte cantus bellicos: cane, ſi quid canere lubet, quod ad pacem pertineat, conſtituendam hodie, in ſecutura ſecula producendam. *Vos verò perfidioſos*, (pergit Aoneates) *venenatum pectus hocce veſtrum eſt, doloſíſque artibus mens plena: ſi de pace ſermonem inducitis, & Gallis & Huronibus exitium molimini. Noui pridem dolos veſtros; nunc quidem ſatis vobis eſto, Huronum capita mandere: artus alios nondum in poteſtate habetis: ſuperſunt meis adhuc & pedes, & manus, & crura, & brachia.* Hæc prolocutus ceruicem inclinauit, mox, vt rebatur, amputandam: ſed cùm nemo quidquam moueret; *Ergo*, inquit, *vſtulate hoc corpus: nolite familiaribus cruciatibus parcere: actum eſt de vitâ meâ: corpus hocce iam ad doloris ſenſum obſtupuit: neque ignes veſtri, neque exquiſitiores aliæ torquendi viæ mentem hanc labefactant: præſtat hodie emori, quàm reliquias vobis acceptas referre debere vitæ ærumnoſæ cuiuſdam, quam idcirco ad exiguam temporis vſuram*

concedetis, vt poſtmodum repetatis perfidioſiùs. Atqui paulò duriùs agis cum amicis, excipiunt Iroquij: *illud tibi denique perſuade, orationem noſtram cum animorum ſenſu conſentire. Quaſi verò,* inſit *Aoneates: noui ego vos pridem: ſeptemplex eſt veſter iſte animus: pellem vnam ſi detraxeris, ſupererunt tamen ſex aliæ. Illud mihi, quæſo dicite, eſt-ne hæc poſtrema fraudum veſtrarum? Maiores noſtri ſub horumce feralium bellorum initia quid inter ſe tractarint, excidit tàm planè vobis è memoriâ? In conuentu ſuper re tanti momenti habito, quid conſtitutum erat? Nimirum ſi vel muliercula locum detexiſſet, vbi ſudare ad nefas conſueuiſtis, aut pertieam vnam velliſſet earum quæ ferale tugurium continere ſolent, victores arma poſituros, miſeraturos ſortem eorum quos ſuperaſſent in prælio. Atqui non muliercula, ſed ſummus dux Gallorum, locum detexit illum tàm funeſtum, vbi de bellis gerendis deliberatis, ſuis donis ac muneribus perticas euellit; vos tantæ benignitati ingrati, fidem à veſtris datam maioribus peſſum dediſtis: ô labem! ſi neſcitis, illis, in regione Animarum perfidia veſtra ruborem ciet, dum à vobis vident leges ac iura peruerti, naturæ, gentium, & totius humanæ ſocietatis.*

HÆC VERÒ ORATIO tàm vehemens, Iroquiorum quemque perculit, tantóſque fecit motus animorum, vt Andigra ipſe faſſus ingenuè fuerit, eſſe ſe ſuóſque in culpâ: rem totam deinceps aliter adminiſtratum iri. Et tenuit ſatis diu inſolens concertatio: neque enim Aoneates inducere in animum poterat, nihil ſibi imminere periculi, aut ab Iroquijs ſeriò cogitari de pace. Sed non potuerunt certiùs fidem dictis ſuis adſtruere Iroquij, quàm, quod fecerunt, nihil prorsùs iniuriæ neque Aoneatæ, neque Huronum aliorum vlli afferendo. Vbi exſcendendum fuit, Præfectus ex eorum agmine vnus, Aoneatem dimittens cum honoris atque obſeruantiæ ſignificatione; *Macte animo,* inquit, *mi frater: renuntia Gallis, Iroquios nunc demùm de pace & cum ipſis & cum ipſorum fœderatis componendâ, cogitare ex animo: res tuas habe tibi, ſuas ſocij tui ſibi habeant.* Quæ cùm ſilens, atque etiam tum animi dubius exciperet Aoneates, vbi in ſuâ ſupellectili deſiderari ſclopum videt: *Nam quæ iſta,* inquit, *ratio? vnus inermis dimittor ab armatis quingentis?* Hæc verò vox cùm Iroquios vel pupugiſſet, vel perculiſſet, centum ipſos ſclopos objiciunt, iubéntque ex ijs accipere quem vellet maximè. Ita dimiſſus

ANNVS MDCLIII.

honorificè cum ſuis, ac tum demùm liberum ſe, incolumémque eſſe, præter opinionem ſentiens, cum Onnontaërronnonijs Legatis contendit ad Triſluuium, & ſcilicet omnes incredibili perfudit gaudio, tàm læta, támque inexpectata nuntians: quæ tamen ſic habere Triſluuiani denique & ipſi ſibi perſuaſerunt, dum Andiſtam Kebeccum ad Proregem deſcendere cum muneribus, intellexere. Porrò minùs miratus fuiſſet Aoneates tantæ ſignificationem humanitatis, nec Gallis tanta ſe infudiſſet lætitia, ſi quod anno ſequente reddemus, cognouiſſent vtrique, propoſitum Annierrononijs fuiſſe, diſſociare à Gallis Hurones, quod ipſum agitabant pro ſe quoque Onnontaerronnonij: ſed cùm nulla tum talis ſuſpicio emanaſſet, omnia vtrinque peracta officioſiſſimè. Nam & munera populi vtriuſque accepit prorex, Onnontaerronnoniorum, qui priores venerant, in Insulâ Aurelianenſi, qui conuentui dictus locus; Annierrononiorùm, qui poſtmodum adfuere, Kebecci: & cum vtriſque ſic conuentum, poſt accepta itidem munera à Prorege, vt quam citiſſimè fieri poſſet, anno ſequente afforent, paci ex omnium Iroquiorum conciliorum conſenſu ſtabiliendæ: flagitatum præterea ab Annierrononijs vt Ioſephus Poncetus quamprimùm reſtitueretur. Nec verò diu expectandus deinde fuit: cùm hæc menſe Septembri gererentur, adfuit is demùm Kebecci, Nonis Nouembris, Iroquijs ſeptem comitantibus, cum muneribus aliquot, quæ tanquam primitias eſſe aiebant eorum quæ & maioris pretij, & plura afferenda eſſent à ſuis, verno anni ſequentis tempore, ad pacem illam tamdiu expetitam, ſtabiliendam denique: Gallum comitem iamdiu ferales ignes abſtulerant. Ipſe res ſuas expoſuit, vir modeſtiſſimus, ærumnas vtique ſuas alto preſſurus ſilentio, niſi iuſſus eſſet ab ijs, quibus refragari nefas putabat, illas breui commentario perſequi, ne interirent: nos eas reddemus eodem ſeruato temporis ordine. Cauſa captiuitatis laborúmque, charitas: ad XII. Cal. Septemb. cùm feminam è Galliâ, viduam, miſeraretur gementem quod cùm ſegetis aliquantum colligendum in agro haberet, neque ſola aut ſecare poſſet, aut comportare, neminem tamen nanciſci poſſet à quo iuuaretur; hac illácque curſitans in Mathurinum Franchetotiun

P. Ioſephi Poncetilabores, captiuitas, ærumnæ.

tium incidit, plures præterea, ſi poſſet adducturus. Dum de pio officio inter ſe ſermocinantur, ecce tibi, erumpunt è vicino nemore inſidioſi prædones, & vtrumque comprehendunt, ad Promontorium Rubrum; locus Kebecco diſtat leucas tres circiter. Id vbi primùm reſcitum Kebecci, in graui conſternatione animorum, ex iacturâ viri, & præſertim ex ſingulari illius obſeruantiâ ſtudióque, ortâ; non tamen omnes animum deſponderunt. Galli ad quadraginta, Chriſtiani è Canadenſibus incolæ aliquot canoam conſcenderunt poſtridie: atque vt erant locorum periti, ſecuti itinerum compendia, non tamen aſſequi potuêre latrones Iroquios. Vnum illud retulerunt in reditu, ad Inſulam S. Eligij vidiſſe ſe in arboris trunco, vnde detractus cortex erat, vultuum duorum effigiem, carbone vtcunque delineatam, infráque P. Ioſephi Ponceti, ac Mathurini Franchetot nomina inſcripta. Libellum item reperiſſe ſe (chartaceum nécne, haud expreſſêre ſatis) in quo hæc pauca: Hurones ſex ad Iroquiorum mores vitámque tranſlati, Annierrononij quatuor, abducunt Patrem Poncetum, vnà cum Mathurino Franchetotio: nihil dum nobis adhuc mali intulere. Ipſe de ſe memorans, cùm peruenisſem, ait, ad amnem valdè rapidum, vbi caſtra metatum agmen fuerat Iroquiorum eorum, qui ad Trifluuium perrexerant, Reliquiariam thecam Barbarus à quo captus eram ad Promontorium Rubrum, detraxit è collo meo, è ſuo ſuſpendit: ſed cùm aliquando curſitaret per ſiluas, theca eadem reſerata incluſas Reliquias effudit omnes: neque quidquam ſuperfuit, præter chartulam, in quâ, cùm adhuc in Huroniâ verſarer, meo ipſius ſanguine exaraueram nomina Patrum noſtrorum, mortem in Americâ Chriſti IESV causâ perpeſſorum, vnà cum oratiunculâ, in quâ mihi ipſe à Deo precabar necem itidem cruentam, ad maius ipſius decus, & obſequium. Hanc chartulam cùm Barbaro eripuiſſem, nec ſentienti, in eâ aſſiduè addictum me morti legebam, ſic vt recuſare non eſſet integrum. Illud tamen identidem obuerſabatur animo, inuictos quidem illos pugiles immolatos re ipsâ Deo fuiſſe, quòd veris ſolidiſque virtutibus pollerent; me, qui adumbratas tantùm haberem, tantùm per imaginem cruci affixum iri. Reſeruare item licuit piâ fraude,

ANNVS MDCLIII. Coronam Domini (Rosarij minoris genus intelligit) eam occului tàm feliciter, vt Barbarorum oculos , manúsque fugerit: ea vna mihi superfuit ex rebus omnibus, quas mecum portabam tum, cùm captus sum.

PERGIT DEINDE enarrare, quemadmodùm torrentem illum, seu amnem vado traijcere iussus, hoc est sine canoâ, madidus iam totus à noctis superioris pruinâ, tentari ceperit colicis doloribus, sanè molestis, accedente præsertim inediâ, nec tamen quidquam à se precum quotidianarum præteritum fuisse, cùm se eâ consolatione sustentaret, Crucem eam sibi non ab hominibus, sed à Deo impositam: quæ vt nullâ sui parte non esset grauis, accessit ad tantas acerbitates etiam stupor in sinistro crure, atque sub sinistro iridem pede vesicula turgens, quæ vestigium humi frigere vix sinebat, frementibus Iroquijs, quod ne captum amitterent, pernoctandum esset loco alio, ac destinassent: putauerant enim peruenturos se illo die, eò, vbi suppeditaret annona: nam tàm accisæ res eorum erant, vt nihil prorsùs supereresset, nisi aliquantulum carnium elixarum: has, ieiuno hospite, inter se sub dio partiti sunt. In illâ tantâ rerum humanarum destitutione, confugere Poncetus de more, ad opem Cœlitum, Patronorum præcipuè duorum, quos peculiari veneratione prosequebatur, sancti Raphaëlis Archangeli, ac S. Marthæ, illud ipsis secum insinuans, videre ambos, cùm & siti torqueretur, & inediâ, egere se magnopere & re aliquâ quæ sitim temperaret, & iusculo, vnde afflictæ vires leuarentur. Et vix ea mente informauerat, cùm eorum aliquis, à quibus ductabatur, siluestria quædam pruna attulit casu, an diuinâ prouidentiâ: reperta in nemore, postquam illac bellatores propè ad sexcentos iter habuerant, & nocte intempestâ, cùm iam fesso fatigatóque somnus obrepsisset, ab hospite iusculum ferente expergefactus est, quod vnde nanciscì potuerit, conijcere Poncetus non poterat. Postridie gradiendum fuit, habitu tàm incommodo corporis, iuuantibus in illâ tantâ virium imbecillitate, Sanctis Patronis, S. Iosepho potissimùm, quem implorabat assiduè: & horâ à meridie alterâ, cùm peruentum ad fluuium esset, vicinum pago Iroquiorum primo, non modò nihil oblatum quod gustarent; sed etiam impe-

ANNVS MDCLIII.

ratum, vt quicquid Gallicarum veſtium ad amiciendum corpus ſupererat, exuerent. Ita, cùm ſubligaculum tantùm ſupereſſet, iniecta Ponceto chlamys lanea, Mathurino relictus attritus thorax è telâ. Traiecto fluuio, adfuere cum vxoribus quidam ex eodem agmine, qui anteceſſerant, aliis quibuſcum progrediebamur, Indicæ Segetis ſpicas ferentes, cum cucurbitis aliquot. Has mandere coràm captiuis voraces homines, ac tàm ab omni humanitate alieni ſic, vt ne bolum quidem vnum ieiunis obtulerint, inclinante licet in occaſum die. Contrà, vt erant ſeminudi, cantare iuſſi ſunt, ac nihilo ſeciùs progredi, durâ profectò conditione: ſed parendum tamen fuit victoribus, quorum erat hæc prima triumphi ſpecies. Modulos à Litaniis Beatæ Deiparæ Poncetus occepit; tum hymnum addidit de Spiritu ſancto, alióſque ab Eccleſiâ vſurpari ſolitos. Iam confeſſionem Mathurini ſocij exceperat inter traijciendum fluuium: ſic enim is ad mortem ſe ſe, quam ſibi inſtare præſagiebat, ſapienti conſilio comparare voluit. Dum iter pergunt, vident Iroquios ad quadraginta, quinquaginta-ve, cum fuſtibus: per medios eorum ordines gradiendum vtrique fuit, detractis, lacerâ illâ chlamyde Ponceto, attrito thorace Mathurino. Impacti tergo Ponceti aliquoties bacilli tenues. quos Iroquiorum nonnulli paulò humaniores, pro fuſte ceperunt, cúmque, vt fit, celeraret gradum, vt licebat, iſti ſe ſe grandini ocyùs ſubducturus; ecce tibi conſiſtere iubetur ab vno quodam ex infeſto agmine, & prehenſo extractóque altero brachiorum, fuſtem librauit totâ virium contentione, os fracturus vtique, niſi fallente tantiſper niſu, vis tota recidiſſet in cubitum: ita non brachium fractum, ſed vulneratum tantùm eſt. Vt primùm ad pagum peruentum eſt, ferale pegma quinque circiter pedes ab humo extans conſcendere Poncetus iubetur: ſubſecutus paulò pòſt Mathurinus, partim liuidus, partim cruentus à fuſtuario. Hîc Poncetus tàm exaggerato animo, ac tàm propè ſecuro fuit, vt ſe ipſe vix agnoſceret: iniectum tamen formidinis nonnihil à coclite quodam accedente propius, ac manu alterâ gladiolum, alterâ panis fruſtulum ferente. Tum verò ſubijt Poncetum recordatio P. Iſaaci Iogueſii, cui antè annos aliquot, vt vidimus, ijſdem in locis

ANNVS MDCLIII.

recisi pollices erant: cúmque non essem tunc animo comparatus, ad tradendos digitos, inquit (quod ijs mutilatis videlicet, incommoda grauia metuebat, comitatura deinceps ætatem reliquam, si tunc quidem mortem effugeret) inclamaui scilicet mente sanctum Angelum, illius Iroquij Custodem qui accedebat: atque is seu mentem mutasset derepentè, agente Deo, seu non alio consilio accessisset; panem illum Mathurino tradidit, tum recessit. Postmodùm descendere ex pegmate iussi, quod imber derepentè superuenerat, abducti sunt ad vestibulum domunculæ cuiusdam: ibi cantandum denuò, ex Præfectorum imperio fuit: ac tametsi ita comparatus animo Poncetus erat, vt nihil non arriperet eorum quæ imperabantur, dum vacaret culpâ, tamen quoniam ad hominum perpolitorum scilicet, gustum, ad cantum adhibendæ quoque erant variæ gesticulationes, ad quas vir grauis, & Religiosæ modestiæ imprimis retinens, factus minùs erat, quæ tamen gesticulationes, si abessent, periculum erat ne eâ imperitiâ necem sibi accerseret à fastidiosis Barbaris; idcirco Huro quidam adolescens, mirâ profectò tali loco ac tempore charitate, vltrò Ponceti locum ad eos motus corporis, familiarémque saltationem obeundam obtulit se se; ita minùs iniqui in illum fuerunt.

SVB VESPERVM, in cœnam obiectum aliquantum pultis illius, quâ vesci gentes eæ ferè solent, ex Indicâ segete & aquâ: in eodémque tugurio quædam mulier ex innatâ feritate torquem è conchâ veneriâ obtulit Præfectis, quò digitum vnum Ponceto, præcidi vellent, iuberent Quirites egregij. Nec mora: idem ille qui priùs ad pegma accesserat, dextram Ponceti apprehendit, digitos singillatim inspiciens, attrectánsque: mox, quasi votis Ponceti annueret, dextræ mutilationem à Domino Deo deprecantis, tanquam magis ad vsus varios necessariæ, omissâ dextrâ, lævam corripit: & puellulum accersens quinquennem, gladiolum tradit, obijcítque secandum manus istius indicem. Nec detrectauit Poncetus, eâ iam se cogitatione sustentans, expedire tale quiddam à se tolerari, quò cruentâ notâ inustus, fructuosiùs deinde ad conciliandam pacem se se interponeret. Ergo non iam implorare Angelos Barbarorum Custodes ad eam

ANNVS MDCLIII.

arcendam mutilationem, ſed S. Gabrielem Archangelum, ad ſubminiſtrandum tantum roboris, quantum non modò ad ferendum æquo animo dolorem, ſatis eſſet, ſed etiam ad lætitiæ ſignificationem quandam exhibendam: & tanquam omnia ad eius nutum è cælo adminiſtrarentur, ita ſereno vultu ac fronte explicatâ exiguum illud ſacrificium, vt vocat, ſpectauit actor ipſe, aut perpeſſor potiùs hymnum interea celebrem illum de Cruce modulans, *Vexilla Regis prodeunt.* Et quoniam vbertim fluebat ſanguis è vulnere, ad eum ſiſtendum porrectus à quibuſdam carbo eſt eidem illi puellulo, qui digitum reciderat: ille admotus, non tamen cruorem inhibuit prorſùs: cùm flueret adhuc non modicè, inuolutus digitus à quibuſdam alijs eſt folio Indicæ frugis: nec quicquam præterea ad fouendum vulnus additum, donec capitali exemptus pœnæ eſt inſons reus. Poſtridie deductus vterque in pagum alium, quo indictus conuentus erat procerum gentis totius: iter totum Poncetus nudo capite, nudiſque pedibus emenſus eſt, galero iam dies aliquot carens, calceis qualibuſcunque detractis recens à cupidâ mulierculâ, quæ cùm illum ad ſupplicium eò deduci ſibi perſuaſiſſet, particulâ illâ prædæ potiri voluit. Sed eam de Poncetti nece fefellit opinio: triduum quidem vterque propoſitus in publico manſit ſcommatis petulantiæque tùm puerorum, tùm adultorum; atque vt ipſe memorat, vaticinium illud lugubre de Chriſto Domino; *Saturabitur opprobrijs*, ipſi quoque pro ſuo modulo in ſe experti ſunt, nullo penè interuallo. Alij candente tubo reciſum digitum percutiebant: alij calentem fauillam inijciebant, alij candentem lapidem: ita foris dolor, intùs timores: verſabatur enim vterque in illâ cogitatione, ſanguinolentæ Tragœdiæ finem tandem impoſitum iri per horribiles cruciatus. Interea dolorem planè grauem totis duabus noctibus attulerunt vincula tàm arcta, támque breuia, vt cùm è ſublimi loco apta eſſent, vix terram corpus ſuſpenſum tangeret: id vbi animaduertit ſenex quidam ceteris paulò humanior, vincula ipſe aliquantulum laxauit, nec mediocri vtriuſque leuamento. Et iam Mathurino indicem manus vtriuſque lentis ignibus feriâ ſextâ aduſſerant, forti iuuene excelſo animo ferente tàm acres doloris morſus, atque interim dum illa lanie-

ANNVS MDCLIII.

na in ſe exercebatur, ſolennem hymnum Eccleſiæ *Aue maris ſtella* concinente, cùm Dominico deinceps die deliberatum poſtremò eſt à ſenioribus gentis, magno in conuentu quid Gallis illis denique fieret. Sub veſperum, ſignificatum vtrique quid decretum eſſet: ac iam tum abductus à Ponceto Mathurinus, tranſlatus eſt in pagum alium, vbi poſtridie, qui dies naſcenti Deiparæ ſacer erat, crematus viuus eſt; vir inſigni conſtantiâ, ac laude profectò ſempiternâ dignus, qui vitam tàm piâ de causâ generosè profuderit. Poncetus, qui feralis decreti verba vel non audierat, vel minùs intellexerat, idem quoque de ſe ſtatutum putauit, & ſcilicet animo tàm æquo, vt ad omnem cruciatuum diritatem perferendam ſatis ſibi virium ex diuinâ gratiâ affore crederet: verùm paulò pòſt intellexit, donatum ſe, de more illorum populorum, Iroquiæ mulieri, in locum fratris, à fœderatis noſtris capti priùs: de quo cùm incertum eſſet Ponceto viueret, nécne, ita incertum quoque eidem adhuc erat, euaſurus eſſet, an interiturus: nam penès mulierem erat, illum vel reſeruare, vel necare, quibuſcunque tandem libuiſſet modis: ſtatim atque illius domunculam Poncetus ſubierat, iuſſus eſt conſidere in aſſere, ſeu mensâ paululum ab humo extante, haud foco procul: ipſa leſſum ciere cepit lugubri quadam cantione, modulos præiens: excipiebant eos eiuſdem filiæ duæ, ac tum demùm intellexit Poncetus, ſalua ſibi eſſe omnia: mulierem in ſe, de more ſæpè iam tradito, excitare fratrem mortuum, atque adeò ſe in familiam cooptari, eodem illo die naſcenti Virgini ſacro, quo in pago vſtus Mathurinus eſt. Ergo Domino Deo gratias cùm prolixè reddidiſſet pro accepto beneficio, exhilaratus aliunde eſt ex conſortio Huronis cuiuſdam, itidem captiui, quem viderat norátque aliàs: ac ſubinde adfuit Algonquinia mulier, ex eâdem familiâ captiua. Ita pacatis animis medicina fieri cœpta indici illi reciſo; ſed vt iſtis locis, paupertina, ex coctâ radice quapiam, cum linteolo haud mundiſſimo ſanè: ſed tamen ſtudiosè tùm hæc fiebant, tùm alia, vt aſſeueret Poncetus ipſe, nihil ad illud ſtudium addi potuiſſe, ne à Gallorum quidem fœderatis. Nam & ſtraguli partem aliquam ad tegendum corpus dedere, & femoralia, tibialiáque, & calceos concinnauere continuò: &, quod mirum magis,

conchæ veneriæ non modicum, redemptionis nomine, datum Iroquio illi, à quo captus ad Promontorium Rubrum erat. Acceſſit ad lætitiæ cumulum, triduo pòſt, nuncius à Trifluuio, Poncetum repetens, deducendum eò, vt promiſſum ab Andiarâ vidimus. Et, commodùm, is qui repetiturus venerat, ex eâ ipsâ familiâ erat, in quam fuerat Poncetus cooptatus: in altero tamen pago cùm domicilium conſtitutum haberet, ad eum miſit Andiara Hurones duos, qui ſuo nomine precarentur, ne grauaretur ad ſe venire. Et mira narrauere ad Ponceti commendationem Hurones: virum illum adeò charum Gallis, vt ex illius ſalute reditúque penderet prorsùs ſalus illorum, qui ad Trifluuium obſides retenti à Præfecto erant: ita mutuâ vtrinque gratulatione, & comiter cum Iroquijs agere Poncetus, & Iroquij Poncetum impensè colere inſtituunt. Geſtiebat lætitiâ is qui venerat à Trifluuio, quòd incolumem Poncetum reperiſſet: & galerum illicò ſubminiſtrauit, haud magni pretij illum quidem, ſed opportuniſſimum tamen, quòd duodecim iam dies nudo capite Poncetus duraueràt: tum pollicitus eſt eum ſe ad Batauos deducturum, ad veſtem aptam curandam, exin comitaturum ad Gallos. Dum autem ad Arauſicanam munitionem deducitur, agitatum intereà varijs in conuentibus de pace cum Gallis conſtituendâ: quàm ſincerè, expendemus paulò pòſt: valuit tamen id, quicquid fuit, ad Ponceti non modò liberationem, ſed etiam commendationem: nam ſi quid tunc per dolum geſtum eſt, illud preſſum ſilentio manſit apud pauciſſimos: vt ex ijs qui conuentibus non intererant, dubitaret nemo, quin ſeriò tractaretur de pace, ſed ex ijs etiam qui ad conſultandum adhibebantur, plerique ferè omnes idem ſibi perſuaderent.

VBI PRIMVM ad Nouum Belgium Poncetus peruenit, exceptus perhumaniter eſt, tanta vis eſt humanæ conſociationis! vt quia Batauis & Gallis natale ſolum propè idem, in Americâ funeſtum, illud diſſidium de fide nihil penè obſtet, quo minùs ſtudeant alumnis Societatis IESV illi ipſi, qui in Europâ, ínque Oriente eoſdem dirè exagitant. Commendat eo in genere tres potiſſimùm Poncetus, nobilem Batauum ſenem, apud quem, à Præfecto Arauſicanæ

ANNVS MDCLIII.

munitionis exceptus frigidiùs, diuerſatus eſt triduum totum, habitúſque benigniſſimè: matronam Scotam, quæ naturali quâdam ſeu charitate, ſeu miſeratione, omni illum officij genere proſecuta eſt: illud perneceſſarium fuit, quòd vbi vulnus reciſi digiti adhuc perincommodè curatum, eo ſtatu eſſe vidit, cui non poſſet ipſa facere medicinam, Poncetum miſit continuò ad Chirurgum, qui ex arte mederetur malo. Tertius Batauus item fuit, qui oſtiatim mendicare inſtituit, vnde veſtis eidem accuraretur: de quâ cùm & Scota matrona, & bonus ſenex vno eodémque tempore laborarent, imò è ſuis percommodam offerret idem ſenex; tamen omnia repudiauit ſummâ abſtinentiâ Poncetus, præter tibialia è ſilueſtri Iroquiorum officinâ, calceos Gallicos, & ſtragulum, quod in reditu pro lecto futurum eſſet. Ac ne quis non fructus extaret ad ſpiritum pertinens, ibidem confeſſiones excepit duas Poncetus, alteram Bruxellenſis mercatoris, apprimè Catholici, alteram Galli adoleſcentis, qui aliquandiu antè, captus ab Iroquijs, & à Batauis redemptus, eidem pro interprete erat in commune; propriè, famulabatur bono illi ſeni nobili: omnes à Ponceto flagitauere peramicè, polliceretur ſe proximâ æſtate redituru. Ita dimiſſus, à comite deductus eſt ad pagum illius, à quo primùm captus fuerat: is mitior quàm antè, Breuiarium Ponceto reſtituit. Pòſt, biduum exegit in eâ domunculâ, cuius in familiam fuerat cooptatus: tum, cum ſorore, hoc eſt cum eâ feminâ cui fuerat donatus, deductus eſt in pagum principem, vbi de pace agendum erat. Diebus ſingulis agitabantur conuiuia, ad quæ adhibebatur Poncetus inter primos: quinetiam animaduertit corrogari hinc inde munera, ferenda ad Trifluuium: actum demùm in peruigilio feſti diei S. Michaëli dicati, conſtitutum publicè de pace cum Gallis, cúmque eorum fœderatis faciendâ, eo ipſo loco, vbi antè Renatus Goupilius Iſaaci Iogueſij comes & ſocius interemptus ab ijſdem Iroquijs fuerat. Triduo pòſt, Ponceto ſignificatum, illum ipſum Præfectum, à quo ad Batauos deductus erat, ductorem ad Gallos fore: iter aquâ ſuſcipi nequire, ob Lacum Camplenium Autumnali tempore infeſtum ferè tempeſtatibus: terrâ neceſſario eundum. Perculit ea denunciatio Poncetum, iam

propè

ANNVS MDCLIII.

propè defectum viribus: quippè intelligebat octiduum totum per ſiluas ſatúſque impeditiſſimos iter fore: cùm ad illud leuandum humanæ opis nihil affulgeret, ad S. Ioſephum confugit, eaſdem difficultates expertum olim, cum per deſertæ Arabiæ ſolitudines Chriſtum IESVM infantulum geſtaret; tum ad S. Michaëlem, cuius patrocinio plurimùm confidebat.

DIES DICTA profectioni, ad V. Non. Octob. eâ die, accinctus iam ad iter Poncetus, in colle aliquantum à pago diſſito, videt præſtolantes Præfectos, cum primariis alijs, felix iter apprecaturos, commendaturóſque id quod ſibi antiquiſſimum eſſe videri volebant, vt firmiſſimo demùm vinculo pacem inter ſe Gallóſque necteret. Cùm neutiquam ſe defuturum tàm pio officio Poncetus aſſeueraſſet, ductórque cum ſuis oneraſſet ſe ſe muneribus, quæ ad Gallos eâ ipſâ de cauſâ gens mittebat; profecti ſunt demùm, quotquot obuios habuere, idipſum inculcantibus, vt pacis meminiſſet. In grauiſſimis itineris moleſtijs ac laboribus, commodum illud vnum extitit, quod viæ ſocios ſe dedere Iroquiorum plerique, ad Ontarium lacum captandis fibris pergentes: cetera tàm acerba fuere, vt permirum videri debeat, inquit Poncetus ipſe, quem admodùm octiduum totum perſtare incolumis potuerit in imbecillitate virium propè extremâ, per montes, valléſque, per torrentes, ac riuos, atque adeò per fluuiolos haud modicos quatuor, quos vado traijcere oportuit, nullo prorſùs cibo, niſi fruge illâ Indicâ, nullâ potione, niſi frigidæ, nullo tecto, niſi cælo, nullo lecto ſtorea-ue, niſi humo nudâ, vt ſicut priùs in communionem quandam venerat vinculorum angorúmque mentis, Regis gloriæ, ſic in reditu eiuſdem languores experiri contigerit. Acceſſit ad cumulum, quod poſt longas illas ærumnas dierum propè nouem, adfuere iuuenes tres miſſi à primarijs gentis totius, qui nunciarent, Præfectum vnum è ſuis, qui recens à Trifluuio aduenerat, acceperátque munera ad Ponceti liberationem promouendam, retuliſſe Iroquios illos, qui ibidem ad Trifluuium obſides manſerant, in vincula fuiſſe coniectos: iámque eorum nonnullis comminutum cerebrum: id ſe accepiſſe à populari quodam ſuo, peramico: ità, videret ductor Ponceti cum ſuis, num perſequi coeptum iter è re publicâ eſſet, nec nè? ij de Ponceto

ANNVS MDCLIII. ipſo quæſierunt, progredi-ne vltrà hoc rerum ſtatu vellet? Cùm conticeſceret, magnâ fortíque mente paratus ad omnia; ductor ipſe ingenti animi robore; Tu verò, inquit, Poncete, ſi obligare fidem tuam vis, curaturum te enixè ſalutem meam, vitámque, pergam porrò, méque in diſcrimen ipſe conjiciam tuâ cau[illegible] Cùm confirmaſſet Poncetus multoties, vt multoties [illegible]ium ductor flagitauerat; Ergo pergamus porrò, inſit, [illegible]ea facta eſt, ità, conſcenſæ canoæ. Reſcitum poſteà, falſo rumori de obſidibus, cauſam præbuiſſe intemperantiam Algonquinij cuiuſdam, qui cùm ſe vino ingurgitaſſet ad ebrietatem vſque, eluendæ publicæ offenſioni, quam dederat ibidem ad Trifluuium, in vincula eſſet conjectus. Interea nauigatum paulò lentiùs, moras nectentibus identidem Iroquijs ad Magni fluuij, quo inuehebantur ripas, quæ plaga vtique ad venandum opportuniſſima, præſertim in viciniâ Inſulæ Montiſ regalis: cuius quidem cùm iam eſſent in coſpectu, enimuero naufragium penè factum in portu eſt, ad Catadupa ſeu *Saltum*, quem vocant *S. Ludouici*: ſed res intrà metum conſtitit: nam cum aquis luctati aliquandiu, omnes denique Montem-regalem tenuerunt incolumes, IX. Cal. Nouemb. inde poſtridie profecti ſub veſperum, ad Trifluuium peruenere biduo.

Initur fœdus cum gente ignotâ. ANNO EODEM, Domino Deo Barbarorum animos permouente, ictum foedus cum aliâ gente Canadenſium Auſtrali, ad eam diem Gallis ignotâ, hac occaſione. Anno ſuperiore Algonquinij nouem è Sillerianis venatores, cum progreſſi quatriduum eſſent à ripâ Magni fluminis, Auſtrum verſùs, ſub matutinum crepuſculum, dum amnem lacum-ue veſtigando quæritant fibrorum ſedem atque domicilium; per ſiluam hominum veſtigia humi impreſſa deprehendunt. Et Iroquios eſſe rati, vt nulli ferè mortalium præter eos, illac iter habere conſueuerant, omiſſâ tantiſper venandi curâ, veſtigia eadem relegunt ocyùs, at ſilenter: & breui ad caſulam, raptim de more regionis, excitatam deueniunt, in eáque viros quinque vident etiam tum ſomno indulgentes. Inuolant in eos continuò, corripiúntque ſemiſopitos: cúmque ex eis vnus confidentior vim vi depellere inſtituiſſet, ab vno ex Algonquiniijs vulneratus in femore eſt, ſclopo diſploſo. Ergo læti

victores ad Sillerianam ſedem ducunt captiuos illicò : vtque eum in pagum confluxere pridem hinc inde incolæ varij, Chriſtiani plerique, quidam nondum initiati Baptiſmo, horum furor nondum Chriſtianâ manſuetudine edomitus, ſæuire derepentè in miſeros. Ita excepti ſunt captiui fuſtuario: vulſi vngues, reciſi digiti aliquot, admoti candentes titiones. Quæ cùm ægerrimè ferret Natalis Tecvërimat, de quo nos aliàs, pagi Præfectus, fide morúmque integritate inſignis, vt primùm loquentes audiuit, hos verò Iroquios haudquaquàm eſſe, exclamat: conſtare ex ſermone atque ex idiomatæ ex aliâ quapiam Natione eſſe: fortè, vbi tàm immaniter furorem illum ſuum in inſontes effudiſſent homines parùm conſiderati, compertum iri eos eſſe fœderatos. Abnaquioij profectò ſunt, aiebat, aut Abnaquioiorum finitimi: ac niſi me vehementer fallit opinio, eorum aliquem vidi haud ità diu, cùm perrexi ad Nouam Angliam: verùm ipſe piè vel fallebat, vel fallebatur: captiuos ex Natione *Lupi* fuiſſe compertum poſteà. Tum quidem eâ oratione repreſſa tantiſper feralis crudelitas, non compreſſa prorsùs: nam infenſiſſimi illi hoſtes Iroquiorum, nondum in Chriſto regenerati, conclamant, cogendum ergo Concilium, & quid ijs fieret, diſquirendum in pagi totius conuentu. Vidit Natalis efferatiores adhuc animos eſſe quamplurium, quàm vt rationi locum daturi eſſent: ità neutiquam intereſſe funeſtæ deliberationi ſuſtinuit. Nec eum fefellit opinio: tumultuosè addictæ ignibus victimæ inſontes. Et cremati profectò eſſent captiui, niſi Natalis idem vnumquemque priuatim adiens, largitionémque addens orationi, hortatus eſſet, viderent porrò quid agerent: Chriſtianis quidem indignum eſſe eum ad modum deſæuire in immeritos: ſi eorum loco eſſent, quid potiſſimùm vellent de ſe ſtatui? vt ſunt res mortalium lubricæ atque ancipites, nihil eſſe facilius quàm vt ipſi, eorum-ve filij in aliquos inciderent ex eâ ipsâ Natione: an non maiori gloriæ futurum Sillerianis, ſi circunquaque deprædicaretur, eos nouo more, hoc eſt Chriſtiano, perperciſſe captiuorum capiti, quàm ſi iniuriâ nullâ laceſſiti, virus tantum ſuæ acerbitatis in eos per tàm diros cruciatus effunderent? Simul iubet à Chriſtianis Sillerianis hæc inter Ethnicos diſſeminari, intérque Hurones,

ANNVS MDCLIII.

ANNVS MDCLIII.

qui Chriſtiani licet, nonnihil hîc auitæ crudelitatis præ ſe tulerunt, captiuorum inhiantes ſanguini: muneráque ſubminiſtrat ab barbaras mentes expugnandas, quâ profectò arte nulla potior. Ità mitigatis aliquantulùm animis, effecit, vt denuò de re tanti momenti deliberaretur: & in ſecundo illo conuentu pugnatum acriter ab Infidelibus, vt ſaltem ex ijs quinque, dimiſſis quatuor, cremaretur vnus. Id verò cùm periniquum eſſet, quando par, æquáque erat omnium conditio, vt omnes omninò vel fontes eſſent, vel inſontes; illud Natalis excogitat, vnde immane conſilium interturbaret, non omnes adeſſe qui ad rem tanti momenti ſuffragij ius haberent, neque tàm leuiter de capite ac vitâ hominum decernendum eſſ: ex vnius morte ac ſupplicio cruentum bellum extiturum fortaſsè: proinde cogendum Concilium non Sillerianorum modò, ſed etiam vicinorum omnium, quorum non minùs res ageretur, quàm eorum qui adeſſent. Cùm id ſtetiſſet, conuocantur finitimi Præfecti omnes: apud eos eadem exponit Natalis meditatâ oratione, non ex Rhetorum præceptis illâ quidem, ſed ex intimâ vi ſpiritus: támque appoſitè ab perſuadendum dixit, vt decretum ſit, id quod Chriſtiani omnes enixè cupiedant, captiuorum neminem interemptum iri: duos è quinque mittendos in patriam, renunciaturos quid actum eſſet: alios tres tanquàm pro obſidibus fore intereà, dum miſſi redijſſent.

ADVOCANTVR itaque ipſi continuò vincti, vt erant, nudíque, excepto ſubligaculo. Conſidere humi iuſſi de more, audierunt id quod minimè ſperauerant, nemini vitam ademptum iri, ſaluos liberóſque eſſe omnes. Et illicò detracta vincula omnibus, quæ ipſa diſſecta in ignem coniecta ſunt, ſubminiſtrantur veſtes ſingulis: tum ad cantandum ſaltandúmque inuitantur, tanquam in ſecurâ lætitiâ. Nec ſegniter obtemperatum, omnes de vitâ retentâ hilariores, quàm mœſtiores de acceptâ iniuriâ, faceſſunt iuſſa impigrè: tum duobus qui mittebantur mandatum eſt, exponerent in Concilio quemadmodum donati vitâ eſſent à victoribus, tùm quia id ferat Chriſtiana humanitas, cuius ex legibus omnia ſua conſilia factáque moderentur, qui fidem amplexati ſint, tùm vt pacem fœdúſque cum totâ gente ineant, maximâ ipſius vti-

litate. Si tamen ſincere pacem illam, quæ offeratur, adament, faciendum prorsùs eſſe, vt in reditu ducerent ſecum conſanguineos aliquot Sillerianorum, captos ante biennium ab amicâ ipſis vicináque Natione *Sokȣckianâ*: eorum aſpectu mitigatum iri illorum mentes, qui oculis minùs æquis ipſos eſſent intuiti: nodum denique illos fore amicitiæ redintegratæ cum ijs, quibuſcum olim concordiſſimè vixiſſent. Secundùm hæc, dimittuntur læti, ineunte Decembri anni ſuperioris: quid perfeciſſent, apparuit ſub exeuntem Maium anni huius. Adduxere ſecum ſenes duos è gentis primoribus, cum donis varijs, quæ capita totidem erant rerum earum, quas iuſſi erant exponere. Inuecti Magno flumine, ſtatim atque Sillerianorum ſtatio in proſpectu fuit, quatere tympana, non ad claſſicum, ſed ad pacem, gaudiúmque. Et impleuere continuò ripas Algonquinij, hilarè excepturi aduentantes: ſed vbi populares illos ſuos abeſſe, ſuis ipſi oculis deprehendiſſent, vultu illicò demiſſo, corrugatáque fronte teſtati ſunt animi ægritudinem, cum mœrore. Quâ de causâ minùs hîc ſatisfecerint Algonquinijs Sokȣekiani, incompertum: fortè, ait Scriptor Gallicus, naturali moriendi neceſſitati captiui ſuccubuerant: vt vt tamen id fuit, tàm appoſitè miſſi Oratores dixerunt, vt alieniores Algonquiniorum animos ſibi haud difficillimè conciliauerint. Locus conuentui dictus, domuncula Patrum Ieſuitarum: ibi deprompta munera, ſuſpenſáque è fune, à pariete vno ad oppoſitum pertinente, quò faciliùs in oculos incurrerent. Tum, attentis, circunſedentibúſque Sillerianis, Oratorum duorum ſenior ſtans in mediis. *Ego*, inquit, *Silleriani, vnà cum iſtis muneribus mentes ſtudiáque meorum depromo: vt in his nihil abditum deinceps, quando proſtant propalàm, ſic in populariorum meorum præcordijs latet nihil; ruga in ijs nulla, receſſus nullus.* Et hîc torquem ingentem è conchâ veneriâ, reſeruatam extrà numerum earum quæ pendebant, in medio collocat: tum alteram, ex conchâ itidem veneriâ, coloris per interualla duplicis, albi, violaceíque, intextis tanquam Phrygio opere figuris varijs; *Eſt hæc*, inquit, *via inſiſtenda deinceps amicis, qui ad amicos venient: en lacus, en flumina, en montes, en valles: hoc loco onus quiſque ſuum humeris tantulùm ferat, oportebit: ſunt enim hæc Catadupa. Omnia obſeruate*

ANNVS MDCLIII.

ſedulò, aiebat, *quò ne dum vltrò citróque iter inſtituetis, exerret quiſpiam : planum quidem iter deinceps futurum eſt, abſque inſidiarum metu.* Pòſt, ad explicationem ingreſſus munerum quæ pendebant; *En*, ait, *liber iſte eſt, quo continentur ea quæ à popularibus meis commiſſa mihi ſunt, communicanda vobiſcum : ſi quis fortè iſta contemnet* (de ſuis, credo, intelligebat: ad conjecturam enim recurrere cogit Gallicæ Relationis obſcuritas) *dignus erit profectò, cui comminuatur cerebrum.* Ad ſecundum, zonam peramplam è conchâ item veneriâ. *Exurgite*, inquit, *exurgite fratres mei: zonâ hac vos ſuccingite illicò: ſic nobiſcum ſimul ad alcas, fibróſque venandos pergetis habiles, atque expediti.* Ad tertium, conſtans item è conchâ veneriâ, circumpoſitâ lignis quibuſdam tenuibus, oblongis tamen, quæ ex ingenti perforatarum aurium hiatu aptant, geſtántque, haud ſanè ad guſtum elegantulorum noſtratium; *En*, inquit, *vnde aures ipſi perforetis veſtras, quò deinceps eruditi, audientéſque, inter nos, colloquamur, quomodo amici & familiares ſolent, aliorúmque concilijs interſimus alij.* Conſtabat quartum torquibus ſex, ex eâdem conchâ veneriâ ingentibus, quibus Nationes totidem donabantur, quibuſcum redintegrabatur fœdus atque amicitia: illud Orator interpretans; *En*, aiebat, *vt vnum idémque deinceps cor noſtrum omnium erit, ita vnum idémque veſtis genus eſſe debet: ita fiet, vt quicunque in nos incidet ſic amictos, agnoſcat fratres nos germanos eſſe, atque adeò ſibi perſuadeat, qui Nationem vnam laceſſierit, ab eo laceſſitum iri omnes alias.* Hîc conſedit in medio, tubóſque duos hunc dextrâ, illum lævâ prehendit, quintum munus, ex lapide quodam viridi, lævi ſanè, & ad aſpectum perjucundo, cubitum vnum longos: horum alterum nicotiâ ſeu tabaco opplet, tum flammam admouet, fumum hauriens, nec ſine grauitate neſcio quâ, ſuſpenſis animis adſtantium, nec quid vellet, ſatis aſſequentibus. At is ſemper ſibi egregiè conſtans; *Veſtri ſunt*, inquit, *fratres mei, iſti tubi duo: flatum eundem, eundémque pulmonem noſtrûm omnium eſſe oportet, quando vnus idémque omnium deinceps animus eſt.* Sextum munus conchâ item veneriâ conſtabat, partim tanquam vinculis in ſpiram conuolutis, partim torquibus aliquot: ad horum verò explicationem exclamans; *Heu, heu*, inquit, *quantum, quámque graue in diſcrimen nos vtrinque horum*

ANNVS MDCLIII.

captiuorum vincula tantumnon coniecerunt? nunc ſoluta ſunt, nunc periculi formido ſubmota. Olim maiores veſtri cum noſtris maioribus fœdus, amicitiámque inierunt: progrediente die, mutua iſta neceſsitudo obliterata vtrinque fuerat: caſus incommodus ille quidem popularibus iſtis noſtris, commodus tamen genti vtrique fuit: eorum enim calamitas id perfecit, vt cùm iamdiu inter nos minùs noſſemus, nunc redintegrata ſit vtrinque familiaritas. Atenim reciſi ſunt illis digiti: fuſtuarium perpeſsi ſunt, diríſque vexati cruciatibus. Exerraſtis nimirum, fratres mei: pro amicis hoſtes putaſtis verſari in conſpectu: id oculorum veſtrorum vitium tribuendum Iroquijs illis, tàm immanibus hoſtibus veſtri nominis: in eos vos iracundiam veſtram effundere rati, amicos per imprudentiam cecidiſtis.

POSTQVAM ad eum modum perorauerat Orator, Natalis viciſſim loqui cœpit, & graui ſanè oratione, confeſſus totius demulſit animos. *Non poſſum*, inquit, *verbis vllis exæquare conſilij veſtri maturam ſapientiam, fratres mei, dum vos video ex conſideratâ oratione, non ex turbidâ iracundiâ rem haud ſanè commodam moderari. Ac ſi conſilijs quidem meis mos geſtus eſſet, nihil horum quæ memoraſtis, euenisſet: captiui veſtri tàm integris manibus eſſent quàm ipſi eſtis. Illud hîc me ſolatur plurimum, quod id quidquid eſt, diſsimulatis ſapienter: cauſam facti deriuantes in communes hoſtes, hoc eſt in Iroquios. Ac ſi verum dicere volumus, rem prorsùs attigiſtis: laceſsiti enim Silleriani tot támque grauibus iniurijs, haud facilè ſibi perſuadere potuerunt hoſtes non eſſe, quos in vicinis nemoribus non ad venandas alcas, ſed ad ſe ſuóſque necandos latere putauerunt. Sic tamen ferè res habet: In exulcerato animo perfacilè falſa opinio inſidet: dúmque conceptum odium in aliquos animo fouemus, procliue eſt vt rerum ſimilitudine decepti offendamus in alijs. Sed nimirum agendæ rerum omnium parenti Deo gratiæ, pro collato vtriſque beneficio: ac ſic quidem ille ſemper aſſueuit: ex leuibus incommodis ingentes vtilitates trahit. Vt aiebas* (Oratorem compellabat) *cùm anteà inter nos non noſſemus, caſus iſte, incommodus ille quidem veſtris iſtis popularibus, percommodus in commune Nationi vtrique fuit. Agite igitur, fratres mei: nihil hîc deinceps niſi lætum, niſi iucundum, niſi amicum nanciſcemini: indulgete ſanè non modò quieti atque otio, ſed etiam publicæ lætitiæ. Vos verò*, addidit, Hurones compellans, *intelligite demùm, quanti ſit, plus clementiæ, quàm iracundiæ tribuere. Parùm abfuit quin veſtra*

ANNVS MDCLIII.

durities rem præclariſsimam corruperit, próque pace ad quam conſpirant iam omnia nouo vos, nóſque bello, haud ſanè tempeſtiuè, implicaretis. Sed caſtigatâ proteruorum temeritate, cùm præclarè ſibi ſatisfactum profiterentur aduentitij Oratores, immemores acceptæ iniuriæ ad ſaltationem de more conuerſi, modulis illis ſuis qualibuſcunque, paucula ſed læta concinere occeperunt in hanc ſententiam: Tum demùm inceſſendum omnibus eſſe lætitijs, quando munera ſua amicè & beneuolè Galli, Algonquinij, Hurones ipſi accepiſſent. Et Præfectorum iuſſu, loci iuuentus ipſa quoque vt in publicæ lætitiæ, ſic in ſaltationis communionem venit. Chori inſtituti duo, adoleſcentulorum alter, alter virginum: neque tamen dum hæc incidunt, vt in Galliâ, ſaltant permixti, ſed antecedunt adoleſcentuli, ſequuntur virgines, eâ modeſtiæ ſignificatione, quæ Gallos in admirationem rapiat.

VT AD NEOPHYTOS veniamus, tametſi pauca, ad hunc annum pertinentia ad nos peruenerunt, digna tamen hæc ſæculorum omnium perenni memoriâ in illâ quidem barbarie, ínque proiectâ laſciuiâ Huronum totius retrò temporis. Eâ ex gente quidam, annos iam natus triginta cùm toto ſuperiore quadriennio inuitaretur à ſuis ad vxorem ducendam, ſuſcipiendóſque liberos, atque adeò quotidianas eorum interpellationes non ferret diutiùs, ad Sacerdotem adit, húncque in modum compellat. Vrgeor, inquit, quotidie, mi Pater, ad nuptias: inſtant in momenta conſanguinei, vxorémque obtrudunt: ego cùm nihil ſtatuere ex me velim, te conſulo: quid hîc mihi auctor es? Neutiquam eſt tibi interdictum coniugio, infit Sacerdos: citrà noxam ducere vxorem potes. Atqui non id quæro, infit Neophytus: verùm ſciſcitor, vtrum duorum ſit Deo gratius vxorem ducere, an manere cælibem? Equidem, excipit Sacerdos, inficiari non poſſim, quin gratiores Deo, acceptioréſque ſint ij, qui eius causâ delitias corporis abdicant, quò expeditiùs ſanctiúſque IESV Chriſto famulentur. Benè habet, inquit Neophytus: nihil requiro prætereà: certum mihi, conſtitutúmque eſt vxorem non ducere. Vale mi Pater. Hæc in viro perfecit ſpiritus caſti conſilij: in ſexu fragili, quod ſequitur. Virgines Chriſtianæ duæ cùm loco ab arbitris remotiore

tiore proteruos adoleſcentes totidem aduentare animaduerterent, prauo vtique animo; vt pedum celeritate non minùs valent quàm viri, abdunt ſe in ſiluam vicinam; neque antè currere deſierunt, quàm ſe tuto demùm loco eſſe putauerunt. Sed nimirum labyrinthum erant ingreſſæ: cùm ſua veſtigia relegere minimè poſſent, errore inextricabili quò magis progrediuntur, eò ſe induunt in ſaltus magis. Cùm intereà requirerentur à ſuis, neque vllum indicium extaret, pro mortuis habitæ ſunt menſes totos duos, & meritò: cùm enim omni prorſùs commeatu carerent, quis crederet inter teſqua & ſiluas durare tamdiu potuiſſe? Verùm, *Non in ſolo pane viuit homo*: qui implumes auiculas alit in nidis, idem ille paternâ planè prouidentiâ fortes virgines tutatus eſt: toto eo ſpatio, radicibus quas vellebant, famem arcuêre, ſic, vt cùm poſt bimeſtre illud denique interuallum Magni fluuij ripam tenuiſſent, incolumes vegetæque, deprehenſo oculis, vt cuncta ſedulò luſtrabant, Gallorum lembo, Tadoſſacum pergentium, inclamatâ peramanter ope, acceptæ tandem redierint ad ſuos, lætos vtique, ipſæ aſſertâ tam conſtanter pudicitiâ lætiores. Alia, abſimili viâ à ſe intentatam contumeliam proterui iuuenis depulit, gladiolum correptum manu tantum non infixit gutturi procacis: infixiſſétque prorſùs, nî mater accurrens, ictum inhibuiſſet. Vtinam Europææ noſtræ tàm præclara exempla imitentur.

ANNVS MDCLIII.

Matth. 4.

VT AVTEM HIS ſuæ fortitudinis præmium egregiè conſtitit, ſic impiæ temeritatis pœnas acerbas pependit Genouefa quædam vidua. Filiolus huic erat, Stephanus nomine, vixdum nouennis: qui cùm in morbum incidiſſet, nihil non agebat religioſa ad eam diem mulier apud Dominum Deum, & per ſe & per Sanctimoniales, duorum vt alterum impetraret, aut reualeſceret puer, aut ſi obeundus eſſet dies extremus, obiret in Domino. Inſtabat etiam opportunè importunè apud Patres Societatis, vti filioli ſui ſalutem ſempiternam accurarent: & ipſum adeò ægrotum admonebat frequens, ne confitens quidquam prętermitteret eorum, quæ perperàm dixiſſet feciſſet-ve, vtque ſincerum dolorem mente caperet de offenſo Deo. Quæ cùm iteraret ſæpiùs: aſſeuerare viciſſim puer, cor ſuum neutiquam prauum eſſe,

ANNVS MDCLIII.

ſoluto animo eſſet mœſta genitrix. Ingraueſcente in dies morbo intereà, per noctis tenebras, ne quid ad Patres manaret, miſeram mulierem adeunt è conſanguineis aliqui: aiunt, non materni amoris, ſed propè ferinæ crudelitatis eſſe, puerum tali tempore deſtituere: per ipſam ſtare quò minùs reualeſcat: ſinat modò adhiberi remedia ea, quibus gens tota vſa paſſim eſſet, antequàm atrati illi Europæi aduenisſent: re adhuc integrâ, videat an filiolum ſuum emori velit ante oculos, id quod vtique breuî euenturum eſſet, an eius ſalutem medicinâ minimè difficili redimere. Videre ſe quid metueret mater anxia, ne conſilij videlicet ſui rumor ad atratos illos gentis hoſtes perueniret. Valere porrò iuberet inanem iſtam formidinem, rem totam nocte perfectum iri. Hîc recuſare primùm mulier, perinde ac debuit: deſuetis illis pridem tympanis, tumultuoſíſque vociferationibus interdictum ſibi eſſe: non commiſſuram ſe, vt peccato vllo filij vitam conſeruatam velit: abſiſtant moliri talia: ſe neutiquam perpeſſuram. Inſtant tamen nihilo ſeciùs mali propinqui: eóque mulierem officij religionem inter, præpoſterúmque amorem fluctuantem adducunt denique, vt ſi non prorsùs aſſenſerit, diſſimulauerit tamen, vt vulgò ij ſolent, quibus cùm præ ſe alia omnia ferant, non iniucundum tamen eſt quod proponitur. Ergo ad puerum adeunt, cuius res maximè agebatur, illius animum pertentant blandè, quærúntque, númnam emergere è morbo velit? Cùm ſe cupere diceret; Ergo neceſſe eſt, aiunt, locum des noſtris cantionibus, ſináſque excitari tabernaculum, ex quo de morbi tui origine ac naturâ aëris genios conſulamus. Minimè verò, minimè, exclamat puer: atque ad matrem conuerſus; Scis, inquit, ipſa, nobis ſuperſtitionum earum vſu interdictum eſſe: nolo addici ignibus ſempiternis. Sed cùm ſenſim deficerent vires, pergunt nihilo ſeciùs impoſtores: ac primùm ſuſpendunt è collo fruſtula tria ex hiſtrice, tenuia ac rotunda, calculorum eorum inſtar ex ære, quibus vti Europæi ad putandas rationes vulgò ſolemus, illud cauſati, morbum latentem in viſceribus eſſe perſimilem, idcircò, extrahendum eſſe. Tum exquirunt ſtudiosè, num quid viderit per ſomnium? Cúmque reſpondiſſet puer, vidiſſe ſe canoam, canoam illicò fabricant, affe-

rúntque ad ægrum, Genium ſomniorum propitiaturi. Sed cùm nihil procederet, tum demùm lymphati, diſſimulante matre, vt diximus, perſtrepere, tympana quatere, ægrum ſufflaminare: vtque nihil deeſſet, rufum canem cædunt, mandúntque, fugando morbo. Verùm alia omnia tulit euentus: febri intendente, exclamat puer, exuri ſe, necari, iámque imo ſenſu torqueri flammarum Auernalium. Atque hîc denique territi perturbatíque præſtantes archiatri abſcedunt: mater in lacrimis, quod reliquum noctis fuit, exegit, incuſans ſe ſe cum grauiſſimo angore ſeriùs, quod & hæc omnia ſuperſtitiosè fieri ſiuiſſet, & fidei nonnihil habuiſſet auitis ſuperſtitionibus. Adfuit poſtridie mane Sacerdos quî puer haberet cogniturus: verùm, ne ad momentum quidem conſiſtere illum in tugurio paſſa miſera mulier; Adeamus, inquit, adeamus, mi Pater, ad ſacram Ædiculam, conſilium mihi eſt confeſſionem inſtituere peccatorum meorum: & præeunte Patre ſubſecuta illicò, proſtratáque, aut potiùs toto corpore humi abiecta, ſolutáque in fletus vberes; Ego, inquit, eiulans, ego mortem conſciui filio meo: ego rea ſum, ille à culpâ liber: ego mortem commerui, ille dignus eſt qui viuat: atque vtinam ipſa emoriar, ille reualeſcat. Et factum narrans; Ego, inquit, iracundiam moui ei qui fecit omnia: quánam tandem ratione illum placari à me auctor es? Et torquem ingentem è conchâ veneriâ extrahens, En, inquit, vnde mihi illum propitiem: hoc illi munuſculum per egentes offerto meo nomine, quo & mihi, & filiolo meo parcat bonus ac propitius, nec ob matris ſcelus, præcludatur filio cæleſtis regiæ aditus. Apparabam illi veſtem è pelle fibrinâ ſanè elegantem: hanc ego ad te deferam, ſuſpendendam è tholo, quò ſimul ſcelus meum, ſimul dolor de concepto ſcelere omnibus innoteſcat. His peractis, migrauit denique è vitâ puerulus ſemper immotus, ſemper à Tartareis ſuperſtitionibus abhorrens: mater corpuſculum amplexans, oſculáque mortuis labris imprimens; Ignoſce, aiebat, ignoſce, mi fili, ego te interemi: culpa mea cœli aditum tibi ne remoretur: ego, quod grauiùs doleo, feróque, fortè animum tum inquinaui, hæc in te exerceri ſtolidè paſſa. Tum corpuſculum idem ad funus religiosè componens, iunxit ambas

ANNVS MDCLIII manus, & Chriſti Crucifixi imaginem inſerens digitis; En, inquit, illius effigiem, mi fili, qui peccata abſterſit tua: ille te regiâ ſuâ exceptum eo ſtatu collocabit, vbi deinceps moriendi metus nullus erit.

FELICIVS inſtantis mortis periculo erepti Chriſtiani aliquot, qui cùm ſub exeuntem hyemem Magno flumini innauigarent, deprehenſi derepentè inter immanes glaciei moles & cumulos circunſtantes vndique, atque ſe ſe colliden-tes, effugium, ſi humana ſpectarent, videbant nullum: neque quicquam propius erat, quàm vt ex tot molibus aliqua impacta in nauiculam, & eam confringeret, & altis vorticibus mergeret vectores. Aderat fortè Sacerdos, comes periculoſi itineris, qui cùm humanâ deinceps ope euadendi ſpem nullam relictam videret, magna fiducia verti vnumquemque ad preces iubet. Rem miram! vix opem implorare ceperant ſummi moderatoris æquorum æquè, & terrarum, cùm auerſæ moles aliæ aliò, locum ceſſere nauiculæ; ſic vt illæſa intactáque, cœptum porrò iter tenuerit, lætitiam inter, metúmque ſuſpenſis quotquot aderant, dum oculis ipſi intuentur ſuis, quàm ſubitò ſuorum votis adſit beniguiſſimus ac prouidentiſſimus parens.

ANNVS MDCLIV. INTEREA trepidabant in Galliâ pij omnes: atque vt cuique maximè res Dei, ſalúſque hominum ſempiterna cordi erant, ita in commodiſſimè de Chriſtianæ expeditionis ſucceſſu augurabantur. Conſtabat, Hurones ſi non deletos funditùs, exactos certè prorſùs ſuis è finibus, hac illac diſperſos fuiſſe per illam vaſtitatem regionum aut hoſtilium, aut ignotarum: exiguum quidem eorum manipulum fidem colere in Aurelianenſi Inſulâ: at eos ipſos oneri eſſe Gallis, ſatis aliunde egentibus, penuriáque rerum penè omnium laborantibus: impreſſiones Iroquiorum formidoloſas eſſe non modò ad Montem-regalem, atque ad Trifluuium, ſed etiam ad ſtationem vſque Sillerianam, atque adeò ad Kebeccum quotidie vel cædes fieri, vel capi aliquos: Arcem ipſam haud munitiſſimam eſſe, ſeu milites ſpectares, exiguo deinceps numero, ſeu propugnacula fatiſcentia: fibrinarum pellium nihil penè afferri, quòd neque Algonquinij venationi dare deinceps operam, ne ab immaniſſimo hoſte interciperentur, ne-

ANNVS MDCLIV.

que remotiores populi credere ſe tàm infeſto itineri auderent: ita nihil propiùs eſſe quàm vt reculas ſuas Galli reſidui colligerent, nauéque conſcenſâ, quam-minimo tumultu poſſent, reciperent ſe in Galliam. Et cùm ſub idem tempus per nefariam proditionem Arcem quam ſub Regis Chriſtianiſſimi auſpicijs in Acadiâ obtinebat Gallus perfidioſus, cui à Turre nomen, Anglis prodidiſſet, pepuliſſétque veteri Portuſ-regalis ſtatione Patres Capuccinos; iactatum, Proregem ipſum adueniſſe, Kebecco Anglos eoſdem potiri, nihil reliqui factum eſſe in Nouâ Franciâ: ſupereſſe inane nomen, prætereà nihil. Sed nimirum alia ſunt conſiliâ Dei, alia mortalium, quorum vtique cogitationes timidæ nimiùm: quo tempore conſternati ad eum modum animi Gallorum erant, eodem Dominus Deus rem Canadenſium amplificabat miris modis. Id adeò ex rebus huius anni liquebit, & commodioribus ijſdem, & minùs obſcuris quàm ſuperiorum annorum fuerant, quod in eis Scriptor Gallicus ordinem aliquem temporis ſeruauit. Eius nos veſtigijs inſiſtemus, ducémque fidum ſecuti, pergemus quò trahit.

Directa Onnontaerroniorum dolosa conſilia.

MENSE Februario adfuerunt quidem, vt fuerant polliciti, Onnontaerrononij, ſed adhuc ſimiles ſui, hoc eſt vafri, & verſipelles. Palàm, nihil humanius, amiciúſque: clàm nihil infeſtius, neque magis ſubdolum. Vultu læto, & ad fœdus, amicitiámque aptè compoſito, poſt pauca verborum officia de more gentis, vrgent cogatur Concilium. Cùm conuocatum eſſet continuò, vt in re omnium votis expetitâ, exponunt præclari Oratores, ſex ſe habere quæ afferant, muneribus totidem deſignanda: primum, ad mentes Gallorum tranquillandas, ne, ſi perturbatæ forent, haud ſatis aptè caperent quæ eſſent à ſe memoranda, aut verbulo aliquo malè intellecto offenderentur. Secundum, ad teſtificandum id quod volebant illi quidem perſuadere, ſed quod erat à vero alieniſſimum, cor ſuum eſſe in linguâ, linguam in corde, hoc eſt ſe planè ſincerè agere. Tertium, ad defigendam feſtam arborem (qualis in Galliâ Cal. Maij ſtatui locis publicis, atque ad veſtibulum Proregum ſolet) Kebecci medio in fluuio, contrà Arcem, contráque ædes Onontionis, hoc eſt Proregis: futurum vt huius arboris vertex ad nubes vſque

ANNVS MDCLIV.

pertingeret, quò à Nationibus omnibus circumpoſitis cerni poſſet, ſic, vt eò conuenirent omnes, altiſſimâ quadam pace ac quiete ſub eius ramis perfruituræ. Quartum, ad altiſſimum excauandum gurgitem, in quem ſuſpiciones omnes, omnes verborum contumeliæ, & ſi quid prætereà turbare pacem concordiámque communem poſſet, conijceretur. Quintum, ad depellenda nubila, quæ Solem ipſum obſcuraſſent: erant autem nubila, rumores omnes incommodi, qui malignè ab Algonquinijs Montaníſque ſpargerentur. Sextum denique, ad bellicum ahenum, in quo humanas carnes elixare ſoliti erant, tàm altâ humo abdendum, vt nuſpiam deinceps reperiri poſſet.

HÆC VERÒ DVM tàm ſpecioſè, támque plauſibilem in modum venditabantur à bonis Oratoribus, monet Huro Chriſtianus fide, dignitate Præfectus, id ſequi, id agere Onnontaerrononios, vt Hurones à Gallis diſſociarent, diſſociatos abducerent ad ſuam ipſorum regionem frequentandam, eò tráductâ Coloniâ. Id vt quam-commodiſſimè efficeretur, ſe conuocatos noctu ab ijs fuiſſe ad clandeſtinum conſilium, in quo per noctis ſilentium cùm multa diſputaſſent de ſecuturis vtilitatibus, allatam deinde ab ijs fuiſſe viam rei perficiendæ, quæ nulli ſuſpicioni locum daret. Sub veris initium proponerent Gallis Hurones, conſtitutum ſibi eſſe ad Montem-regalem conſtituere ſedem ſtabilem: loci amœnitatem talem eſſe, vt eâ captos anguli illius tæderet, in quem intereà ablegati eſſent: plurimum quidem ſe Gallis debere, quod in eâ rerum omnium deſtitutione tàm benignè tamdiu perditis adfuiſſent: ſed Gallis eiſdem periucundum eſſe debere, quòd Hurones ſibi per ſe deinceps conſulere vellent, arare terram, ſementem facere, excolere fruges, nullo Gallorum ſumptu, nullâ moleſtiâ. Arreptum iri vtique ab iis quod proponeretur, diuturnâ illâ procuratione fatigatis: ita facile aſſenſuros. Poſt, vbi conuaſatum foret, vxoréſque ac liberi impoſiti in canoas cùm exiguâ ſupellectili; dum ventum eſſet ad Magni fluminis diuortium, Trifluuium inter ac Montem-regalem, ductores, relicto ad dextram Monte-regali, curſum ad lævam flexuros: ibi paratos fore Iroquios, ad quadringentos, quingentoſ-ve, qui nouos hoſ-

pites exciperent amicè ac beneuolè, loco quem antè munijſſent: rem intereà arcanam habendam eſſe ab ijs quatuor qui aduocati ad conſilium eſſent (quorum quidem ex numero idem ille Præfectus erat:) vbi ſemel ad locum eum veniſſent, tum demùm conſilij ſui rationem diuulgaturos: neque quidquam tunc periculi fore non modò à feminis & pueris, imbelli turbâ, ſed ne à viris quidem, ſi qui ab eâ diſſociatione alieniores ſe fortè oſtenderent: neceſſe enim futurum, vt imbecilliores fortioribus morem gererent. Eam ipſam in rem oblata munera quatuor eſſe ad ijſdem Oratoribus, illud pactis prætereà, pro arcano habituros Præfectos Huronum, quidquid agitatum in Concilio eſſet, neque cuiquam ſignificaturos. Hæc vbi primùm Patribus innotuêre, certiorem confeſtim faciunt Proregem: is de re totâ vberiùs cogniturus,& Præfectum eundem, & alios,tres quos exitioſæ deliberationis participes ſciebat eſſe, vnà cum primoribus Gallis in concilium vocat: quæſitóque; Num ita res haberet? cùm confirmaſſent, ingens vtrinque ſecuta conſternatio ac propè ſilentium. Addidere vltrò Hurones, nihil hîc ſe, quocunque cogitationem verterent, niſi funeſtum animaduertere. *Id agunt profectò Onnontaerrononŷ*, inquit ex Præfectis vnus, *vt necem vlciſcantur quatuor & triginta bellatorum è ſuis, quos in vetere Huroniâ ante triennium intercepimus, ne ipſi interciperemur: neque enim eos latet qui tunc aderant, niſi anteuertiſſemus, planè de nobis actum futurum fuiſſe poſtridie. Accedit*, inquit, *(quid enim iuuat diſſimulare?) quod Annierrononŷ illud ipſum ſequuntur inſciŷs Onnontaerrononŷs. Et ipſi ſolicitauere pridem animos noſtros ad ſimilem defectionem, neque te id latet, Onontio. Ergo, vt alterutris adhærere ſaluâ officij religione, nobis eſſet integrum, tamen à vobis deficiendo, certiſſimam nobis perniciem acceſſeremus abŷs, qui à nobis eſſent poſtpoſiti. Quanquam vt dixi, neque Onontaerrononŷs, neque Annierrononŷs fidem vllam habere tutò poſſumus: vtrique Huronum reliquias cane peiùs & angue oderunt: vtrique ſanguinem noſtrum expetunt: vtrique vltionem meditantur acceptarum, quas putant, vocántque, iniuriarum, in eo poſitarum ſcilicet, quòd non ad lanienam ſecuti trahentes ſumus, tanquam mutæ pecudes. Porrò ſi vtrorumque conditiones repudiabimus, metuendum profectò ne vterque populus ſic neglectus arma viréſque coniun-*

ANNVS MDCLIV.

gat ad nos perdendos prorsùs, atque ad iniurias, quas ſe à nobis iniurioſi ipſi accepiſſe dictitant, vlciſcendas. Hîc verò aliquandiu conticuere omnes; Hurones, dum quid Prorex reſponderet, expectant; Prorex, dum ſecum aliquantiſper meditatur quid reſponderet. Quod autem addiderat Huro, ſolicitatos ſe ad ſimilem defectionem ab Annierrononijs, neque id latere Proregem, alludebat ad id quod factum ſuperiore autumno fuerat, quo tempore tàm comes ſe in ſpeciem, tàm humanos, tàm pacis faciendæ ſtudioſos Annierrononij illi Legati præbuerant. Nam paucis pòſt diebus quàm diſceſſerant, pacem tàm religioſè ſcilicet polliciti, adiere ad Proregem, Huronum Præfecti, declarauerúntque, Annierrononios, eâ ipsâ nocte, quæ diem illum exceperat, quo fœdus pacémque cum Gallis inierant, veniſſe ad ſe, & ad concilium inuitaſſe: eo in concilio dixiſſe; Quicquid in ſpeciem cum Gallis tractaſſent, definijſſéntque Annierrononij, eò ſpectare, vt Huronum Coloniam à Gallis ijſdem diuulſam, in patriam ſuam transferrent: ibi verſari iamdiu eorum conſanguineos, affines, neceſſarios, ſummo in mœrore, quod alij ab alijs tanta locorum intercapedine diſiuncti, mutuâ conſuetudine carerent: ſi adeſſent ſemel, nihil futurum vitâ illâ iucundius. Idcircò ſe & Poncetum tàm citò Gallis reddidiſſe: vt omni ſuſpicione ex Gallorum eorundem mentibus ſubmotâ, liberiùs agere cum Huronibus poſſent, déque re tanti momenti tractare, & pacatiùs, & efficaciùs. Addita munera ab Iroquiis iiſdem fuiſſe, torques tres, eximiæ, vt ijs locis, elegantiæ, quas proferebant: verùm, addidere, dona illa ex imis Tartari receſſibus extiterunt, allatáque ſunt à dæmone quopiam, eò formidoloſiori, quò magis tenebris & nocturnâ caligine delectatur: hæc tamen repudiare non auſos ſe: ſi enim feciſſent, rixam planè extituram fuiſſe, mox è rixâ bellum: cui bello ſuſtinendo cùm pares præ virium tenuitate minùs eſſent, pacem fouendam interim fuiſſe. Ceterùm, illa ipſa non niſi à metuentibus accepta fuiſſe: expertos enim ſe ſe iamdiu, apertum bellum minùs periculoſum, quàm fictam illam amicitiam. Propoſitum ipſis fortè eſſe, aut Gallos æquè ac Hurones eâ viâ fallere; aut Hurones perdere funditùs, vbi ſemel eos tueri Galli offenſi deſijſſent, aut nouæ Coloniæ viribus

augere

augere ſuas, tum vtriuſque gentis arma ſociata in Gallos conuertere. Hæc, ex anno ſuperiore: vt ad Proregem redeamus, Huronéſque ſilentes in conſilio, poſteáquam aliquandiu ſilentium tenuerat, ex Huronum Præfectis is qui alios ætate anteibat, paucis Proregem in hæc planè verba compellat; *Tuum nunc eſt, Onontio, non noſtrum, fari quid facto opus ſit, nos quidem quadriennium totum pro mortuis & habemur & ſumus: ſi ſpiramus fortè adhuc, ſi auram hanc vtcunque ducimus, ducimus tuo beneficio: oculis tuis vſurpamus lucem: intelligentia ipſa noſtra rationis expers eſt, niſi ſi quam ipſe impertieris.*

COMMOVIT ea oratio vehementer tùm Proregem, tùm Gallos vniuerſos. Videbant fidem nullam fraudulentis perfidioſíſque Iroquijs haberi tutò poſſe: hinc Annierrononios, iſtinc Onnontaerrononios nihil meditari aliud, niſi vt Gallicum nomen exterminarent hoſtiliter: quid definiri cum ijs poſſe, qui dum maximè ſinceritatem obtendebant, ſtruerent inſidias. Tandem è duobus incommodis viſum leuius, cum diſſimulantibus diſſimulare: nihil enim eſſe periculoſius ijs, qui cùm de prodendo cogitarint, patere ſua conſilia ſentiunt. Erit fortè, inquit Prorex, cùm tanto malo medicinam afferat dies, certè conſultiùs nunc feciſtis, Hurones, quàm anteà, qui tempeſtiuè de re tàm ancipiti monueritis. Intereà ſanè diſſimulate conſilium veſtrum, noſtrúmque: ad eos referte, tanquam arcanè, rem bellè procedere: à nobis magnopere probari propoſitum veſtrum: nullam idcircò ſuſpicionem enatam in noſtris mentibus: illud modò accurate, vt rem trahatis in ſequentem annum: inter illas moras, propitio Domino Deo affulgebit aliquid. Nec diſtulere Hurones diutiùs: referunt ad Iroquios, ſuprà votum, conſilium ſalutare procedere: Gallos vltrò mentionem iniecíſſe de nouâ ſede conſtituenda ad ripas Lacus Iroquiorum: videri proinde conſultius, communicari cum ipſis commune conſilium, ſic, vt exiſtimarent nihil clàm eâ de re à ſe agitatum. Cùm annuerent Iroquij, Hurones palàm Proregem adeunt, poſtulántque, nî graue eſſet cogi conſilium, accerſitis Iroquiis: de re magni momenti deliberandum eſſe. Vbi conuenêre omnes, Oratores Iroquij prolatis ijſdem muneribus quatuor, quaſi nondum deprompta eſſent, inuitant Hurones, ad Coloniam cum bonâ Proregis, Gallorúmque omnium veniâ, transferendam in locum longè

ANNVS MDCLIV.

opportuniorem, hoc eſt ad ripam Lacus, qui à gentis nomine, Iroquiorum iampridem diceretur: ſolum illud, vberrimum, amœniſſimúmque, ſi hoſtile antè fuiſſet, amiciſſimum futurum deinceps: ex vtroque populo gentem conflatum iri validiſſimam, formidoloſiſſimámque cunctis, longè latéque, vicinis regionibus: fœdus cum Gallis initum eâ viâ certius, diuturniúſque fore. Ad hæc breuiter æquè, ac grauiter Hurones, prolatis in medium viciſſim muneribus duobus, præfati rem placere magnopere, flagitauerunt tamen ab Iroquijs duo, haud ſanè incommoda: alterum, vt in annum ſequentem differretur migratio: tametſi enim curta domi ſupellex eſſet, tamen non tàm facilè deſeri poſſe annorum iam aliquot ſedem: poſt collectas meſſes profecturos commodiùs, cum aliquo commeatu, qui tunc quidem perexiguus eſſet: alterum, vt ſtruerent interim domunculam atratis illis ſuis inſtitutoribus: quocunque demùm ij tetendiſſent, Huronicam Coloniam ſecuturam vtique. Poſtquàm conticuerant, orationem habuit luculentam Prorex de re propoſitâ, quam ad ſex capita retulit, muneribus totidem deſignata. Primum, vt quandoquidem Iroquiis placebat, nec diſplicebat Huronibus, ex duobus populis vnum conflare, validiorem vtique, & florentiorem; viueretur deinceps æquis legibus: atque vt in omni Republicâ benè moratâ fieri debet, ſolétque, ex æquo onera ferrentur, ex æquo commodis vtrique gauderent: & quod maximè ſub initia conciliare animos ſolet, nouos hoſpites comiter humanéque Iroquij exciperent. Alterum, vt quoniam non omnes comparati ad iter continuò capeſſendum eſſent, concederetur illud temporis ſpatium, haud ſanè longiſſimum, quod expeterent Hurones. Tertium, vt quoniam non eadem fortè ſtudia Huronum omnium, non eadem vota eſſent, ſi qui reperirentur, qui ob priuatas neceſſitudines adire ad Annierrononios, aut etiam ad Sonnontuanorronios mallent, ire porrò ſinerentur: quinetiam liceret, ſi qui vellent, repetere antiquam Huroniam, nouáſque ſedes tanquàm in auitâ poſſeſſione figere. Quartum quoniam incommodius eſſet Iroquijs, tam crebrò Kebeccum vſq; deſcendere, deinceps ad Montem-regalem, ſi videretur, conſiſterent: ſe enim in Arcis illius Præfectum transferre ſummam poteſtatem cum ijs definiendi quæcunque ad communia negotia pertinerent. Idcircò, quod quinto muner-

exprimebat, feſtam illam arborem, quam ipſi medio in flumine contrà Kebeccenſem Arcem depanxiſſent, eódem transferendam eſſe: illud autem confinium cùm ſit gentis vtriuſque, commodiſſimè ibidem haberi poſſe Concilia de rebus omnibus. Denique, quoniam quinque Iroquiorum Nationes eſſent, ſextum munus eò ſpectabat, vt impigrè, & gnauiter Onnontaerrononij Legati in curam incumberent eas omnes ad pacem amicitiámque Gallorum adducendi: ità, ſublatis prorsùs ſimultatibus, omnes & inter ſe, & cum Gallis fœderatis deinceps, amicíſque, concordiſſimè victuros. Placuere cuncta Legatis, Domino Deo vtique barbara, infidáque ad eam diem pectora permouente: ita, læti ipſi à Gallis diſceſſere lætioribus, quod tunc demùm procedere rem tamdiu expetitam viderent, vt ſpes tandem daretur pacis cum Iroquijs omnibus, quæ ſi ſemel coaluiſſet, apertum iri profectò Euangelio oſtium valdè ingens; quódque vnde tantum periculum extiterat, inde tantas opportunitates ad fidem diſſeminandam idem ille præpotens rerum noſtrarum adminiſtrator contrà timidas mortalium cogitationes tàm repentè elicere videretur.

QVARE HYEMS reliqua exacta ſecurè: ad Montem-regalem accurrêre Galli è ſtationibus reliquis ad venandos fibros, quorum ijs locis mira tunc copia, quod iamdiu venari deſitum erat: & feliciter labor ceſſit, geſtientibus cunctis non tàm præſentis opportunitatis intuitu, quàm renaſcentis longè latéque per eas regiones tranquillitatis. Sed vt ſunt res humanæ lubricæ atque ancipites, interuenit menſe Aprili triſte quiddam, quod ſuperiorem illam lætitiam magnopere coërcuit. Dum Galli ad eum modum venantur, nullo metu inſidiarum, quas nullas ſupereſſe placatis Iroquiijs putauerant, ecce tibi ex improuiſò vnus ex jis, adoleſcens eò charior ceteris, quò eius operâ carere vix poterant, Chirurgus cùm eſſet, intercipitur loco ſecretiori, quò ſolus tetenderat ad captandos fibros opportuniùs, ab agmine Onneiochrononiorum. Ij quid Gallos inter, Onnontaerrononios, Annierrononióſque tractaretur, inſcij, corripiunt confeſtim iuuenem, in canoámque imponunt. Nec quidquam de illius caſu fuiſſet auditum, niſi Huro quidam, ex eodem Onneio-

ANNVS MDCLIV.

chrononiorum agmine, vnde inſtinctus neſcias, Gallos admonuiſſet inſtantis periculi. Erat is relictus ad ſarcinas, cum feminis Iroquijs duabus, quæ ſuis coniugibus eâ in expeditione ſe comites adiunxerant: vtque in Inſulâ Montiſ-regalis verſabatur, raptim clàm ijs mulieribus ad Arcem excurrit, monétque benignè, proſpiciant Galli rebus ſuis; adeſſe Onneiochrononiorum agmen, bellum, vt gens ſolet, cædéſque ſpirans. Nec negligendum indicium putauere Galli: diſploſâ illicò bombardâ maiore, ſignificatum ijs qui extrâ Arcem verſabantur, reciperent ſe ſe continuò intrà munitionem. Atque hîc recenſito numero, abeſſe compertus Chirurgus: nec dubitatum, quin aut interfectus iam eſſet, aut captiuus in hoſtium poteſtate verſaretur. Ergo confeſtim ſignificatum illud ipſum eſt & Trifluuianis & Kebeccenſibus, cunctáque trepidatione ac tumultu completa, metu noui belli, quod inſtare vtique Huro monuerat, & quidquid ad eam diem geſtum eſſet, geſtum eſſe inſidioſè. Sed eum tunc quidem fefellit opinio: idipſum ad ſtringendam arctiùs pacem qualemcunque valuit, Domino Deo ſuprà vota rem promouente ad exitum tunc felicem. Ineunte Maio, ad Montem-regalem adfuit agmen Onnontaerrononiorum, neſciorum prorſùs quid eueniſſet. Benignè atque humanè admodum in Arcem acceptis, indicant Galli quid factum eſſet: Gallum iuuenem, cuius operâ maximè cuncti indigerent, dum citrà formidinem venatur, interceptũ eſſe miſerè ab Onneiochrononiis. Hic verò contremiſcere hoſpites, veriti id quod procliue factu erat, ſi vellent ij quorum in poteſtate verſabãtur, ne pœnas cogerentur pendere alieni ſceleris: ſed bono animo eſſe illicò iuſſi ſunt: amicè ac beneuolè ſignificat Præfectus Arcis, non ita comparatos Gallos eſſe, vt inſontes inuoluant cum ſontibus: neque tàm facile ipſos ab amicitiâ decedere ſemel contractâ. Hîc verò mirum in modum recreati Onnontaerrononij, reſumunt animos: tum Præfectus eorum primarius, *Sagochiendagehte*, tantam humanitatem miratus in Gallis, illóſque appellans; *Planè*, inquit, *ſic erit, ſemper vincet veſtra bonitas: neque vnquam dolis noſtris, prauíſque artibus cedet: væ eorum capiti, ſi qui deinceps tàm peruerſi, támque importuni erunt, vt eâ ſibi abutendum putent. Dedo me ipſe vltrò vobis ad captiuitatem, ac, ſi*

ANNVS MDCLIV.

voletis, ad vincula: tamdiu hîc manebo, ſeu obſes, ſeu captiuus, vtcunque volueritis, dum iuuenis ille veſter vobis reſtituatur. Vadem me ipſe præſto ad liberandum eum: ac ſi quâ vel obſeruantiâ, vel ſtudio proſequuntur me mei, viuet vtique is quem deſideratis, illiúſque vita aſſeret meam. Nec effatus plura, canoam continuò cum expeditis remigibus properare iubet ad pagum Onnontae, cuius ipſe Præfecturam gerebat: eò vbi primùm perunêre, renuntiant e-veſtigio quid actum ſit, quid agendum: congregatíſque confeſtim muneribus, mittuntur Legati ad Onneiochrononios, qui captiuum Gallum repetant, reducántque. Et ceſſit res ex animi ſententiâ: iuuenis, qui ad eam diem ærumnas pertulerat illas graues, quibus diuexare captiuos ſolebant adhuc Iroquij, videt derepente mutatam rerum faciem: ſoluuntur vincula: adhibentur officia verborum: vultus illi, hoſtile quiddam anteà ſpirantes, blandum quiddam poſito ſupercilio ſubſtituunt: ità, quantâ maximâ fieri potuit celeritate, ad Montem-regalem ſiſtitur. Poſt mutuam hinc inde gratulationem, quam mirum in modum amplificauit iuuenis ipſe redux, dum Nationes omnes Iroquias inſigni mentium ſtudiorúmque conſpiratione pacem ſpirare, pacem ſequi; non re magis, tàm citò, támque facilè liberatus, ac dimiſſus, quam oratione confirmauit; Onnontaerrononij iam fidentes, hilaréſque munera depromunt ad viginti, capitum totidem tractandorum ſymbola: omnia è conchâ veneriâ erant: pellium nulla hîc apud Gallum Scriptorem mentio. Primum eò ſpectabat, vt feſta illa arbor, quam Kebecco ad Montem-regalem tranſtuliſſet Prorex, altiùs firmiúſque depangeretur. Secundum, ad abſtergendam ægritudinem ex animo Præfecti Arcis Montiſ-regalis, quem inſigni moerore affeciſſet illata perperam Gallo iuueni iniuria: eodémque referebatur tertium, ad potionem ſcilicet, vnde quicquid flauæ bilis intùs in præcordijs fortè ſupererat, euomeret penitùs. Quartum, ad cremanda vincula, quibus arctatæ captiui manus fuiſſent. Quintum, ad diffringendos funiculos, quibus crura conſtricta. Sextum ad vrendos funes, quibus medium corpus incinctum. Septimo, Onnontaerrononiorum Natio tota ferale pegma diſijciebat, in quo idem fuiſſet vulgo ad ludibrium propoſitus. Octauo, Natio Sonnonto-

ANNVS MDCLIV.

chrononiorum eundem extrahebat è loco illo ad probrum deſtinato. Nono, idem factitabant Onioneuchrononij. Decimo, Onneiochrononij à quibus captus abductúſque Gallus fuerat, concremabant quidquid lignorum in funeſto illo pegmate fuiſſet, ſic vt ne hilum quidem cinerum ad poſterorum memoriam ſupereſſet. Vndecimum ad concordiam vocabat, reuocabat ve mentes Gallorum, Huronum, Algonquiniorum, ſi quis fortè ex intempeſtiuo illo caſu cetera metiens, de Onnontaerrononiorum eorundem fide dubitaſſet. Duodecimo, Orator ipſe cautes, muricéſque ſaxorum ſubmouebat, quæ infeſta flumina ad eam diem reddiderant, per quæ ab Iroquijs ad Gallos, à Gallis ad Iroquios nauigandum eſſet. Ad decimumtertium; Ante omnia aiebat Orator, illud mihi omnium maximè cordi eſt, vt in patriâ meâ intueri liceat aliquando, vnum ex atratis iſtis, qui Hurones ad veri Dei cultum vocauerunt, informauerúntque. Ad decimum-quartum; Illum verò nos ſingulari quadam obſeruantiâ proſequemur, & diebus ſingulis excutiemus, mundabimuſque ſtoream, in quâ noctu ſomnum capiet. Ad decimum-quintum; Illius inſtitutionem excipiemus peramanter: ſiquidem conſtitutum nobis eſt, illum deinceps venerari, qui vitæ noſtræ, atque adeò rerum omnium noſtrarum arbiter eſt. Ad decimum-ſextum; Nec verò deinceps noſtra iuuentus bellum vllum molietur, exercebit-ve in Gallos, ſed quoniam tantopere certaminibus aſſueuit, vt vix ac ne vix quidem temperare ſibi poſſit à militiâ; ſic habete, nos ex hoc puncto temporis arma transferre in Ehriehrononios (populi ſunt dicti aliàs Natio Felium, quòd abundat regio felibus grandioribus ſæuioribúſque, quàm ſint noſtræ, ſed ideò celebribus, quod earum pellis molliſſima & pulcherrima eſt) illîc omnia trepidant, hîc alta tranquillitas. Ad decimum-ſeptimum; Ceterum, ſi quid fortè incideret, vnde pax illa turbaretur, alas induam illicò: aduolabo huc quàm-celerrimè: compeſcam præſens quidquid tumultus obortum erit. Ad decimum-octauum; Idcircò aures purgo, aperióque Gallorum attendant ipſi diligenter ad prauas molitiones, ſi quæ fortè exiſtent: méque de omnibus continuò faciant certiorem. Ad decimum-nonum; vnum deinceps Gallorum & Onnontaerrono-

noniorum corpus erit: brachia noſtra inter ſe vno eodemque amoris & beneuolentiæ vinculo apta, connexáque ſunt: quiſquis vinculum illud incidere volet, communis gentis vtriuſque hoſtis eſto. Ad vigeſimum: Porrò nihil clandeſtinè à nobis contrà fiet: Sol iſte conſiliorum omnium noſtrorum teſtis eſt: ſi quis captabit latebras, huic ille mundi oculus lucere deſinat: indignus eſt quem Sol illuſtret quiſquis odit lucem.

HIC VERO SVBIT quærere, vnde tanta tàm derepentè animorum ſtudiorúmque in Iroquijs mutatio, vt cùm ad eam diem vel hoſtilia quęque palàm in Algonquinios, Hurones, Gallos ipſos exercuiſſent, vel pacis ſpecie atque obtentu, perfidioſè fefelliſſent, nunc demùm denuò ſincerè pacem vltrò expoſcere viſi ſint? Ex Gallicis Relationibus cauſas colligo quatuor; Prima ſit, quod dum cædes latrocinantium more exercent, carpúntque nunc Gallos, nunc Hurones carpti ipſi ſunt identidem, dúmque noſtros aut in certamine vexant, aut vrunt deinde lentis ignibus, ipſi viciſſim & internecione, & flammis amiſerunt è ſuis non paucos. Altera, quod dum Gallis ijſdem, foederatíſque Gallorum Huronibus damni plurimum afferunt, ſemper de ſalute déque capite ſoliciti, & prohibiti captare fibros, quorum pellibus tota penè mercatura conſtabat; ipſi viciſſim egebant, eatenus, vt à venando etiam penè prohibiti, perparum pellium cogerent, inſigni regionis detrimento. Tertia, quod vt ex illis ipſis reſcitum eſt, qui Gallum iuuenem reduxere, bellum ipſis exortum eſt periculoſum & graue, eo ipſo tempore ab Ehrichrononijs ſeu Natione illâ felium, quam vocant. Ii incitati ab Huronibus (quorum multi poſt Huroniam vaſtatam penitùs, ad eum modum quem memorauimus ſuprà, eò profugerant, nudi, & egentes, ſi quo modo à tantâ támque iniuſtâ vexatione liceret reſpirare) bellum vltrò intulere Iroquiis, factáque impreſſione in pagum Sonnontaerrononiorum, omnia igni abſumpſerunt. Erant in armis bellatores ad bis mille, ſtrenui omnes, gnaríque militiæ: ac tametſi ſclopis carent, quibus inſtructi dimicare Iroquij deinceps ſolent, tamen non acriter minùs pugnant, ſic aſſueti, vt poſtquam hoſtes ſclopos primùm diſploſerunt, quorum glandibus declinandis ſtudent, ipſi ſagittas torqueant toxico illitas, tàm celeriter, vt

ANNVS MDCLIV.

antequam hoſtes nitrato puluere glandibúſque tubos illos ſuos ad exploſionem alteram inferſerint, ad decem vnus idémque mittere dicatur. Ergo non modò id facinus fecerunt, ſed etiam cùm Iroquiorum manum victricem iter per ſuos fines habere accepiſſent, quà ſe poſt ſuperatos hoſtes recipiebant patrium in ſolum; adfuere expediti, adortíque à tergo, cecidere ex jis octoginta, lectos omnes, qui agmen claudebant. Quinetiam vltrò adiere quidam ad pagum vnum Iroquiorum, ac penè in oculis incolarum, rapuere Præfectum vnum è primarijs, captiuúmque abduxere, par pari referentes, ijſdémque artibus laceſſentes Iroquios, quibus Iroquij, inſontes finitimos tamdiu vexauerant. Ita, cùm omnia bello longè latéque circà ſe arderent, maluerunt Gallos foederatos, amicóſque habere, quàm hoſtes. Quarta, quæ Chriſtianæ fidei præſtantiam commendat vel præcipuè, tribuitur feminis ex Huroniâ captiuis, quæ abductæ varijs temporibus haud exiguo numero, in hoſtile Iroquiorum ſolum, non modò fidem retinuerunt ipſæ inter enſes, rogóſque conſtanter; ſed etiam illius amorem, cupiditatémque iniecerunt ipſis hoſtibus, quamlibet immanibus ac feris, dum *ex bonis operibus* eas *conſiderantes*, quæ ſunt voces Principis Apoſtolorum, ſic ſecum ipſi ratiocinati ſunt, tantam modeſtiam, caſtimoniámque, ac præcipuè tantam in tolerandis aduerſis æquitatem animi, tantum robur in duriſſimis cruciatibus perferendis, eſſe ſuprà humanam vim, atque adeò ab illo præpotente rerum omnium Conditore atque Adminiſtratore proficiſci, quem tantopere Galli prædicarent & cuius cognitione Hurones ipſos imbuiſſent; à quo cùm & præmia ſempiterna bonis, & improbis poenæ item ſempiternæ eædem, & omninm grauiſſimæ, flammarum nunquam extinguendarum proponerentur; non eſſe committendum diutiùs, vt tanto ſuo periculo odia exercerent cum ijs, quos accerſere potiùs ad ſe, atque adeò allicere ingenti ſuo commodo deberent. Sed acceſſere ſcilicet preces eorum ipſorum, quos miſeri cæcíque tantâ cruciatuum diritate vexauerant alios ex alijs, atque ea quinta cauſa eſt. Nimirum ſerui Dei, Dominum imitati ſuum, genti perfidioſæ retribuerunt bona pro malis: proſtratíque ante ſupremum illud ſolium, ſupplicibus

ANNVS MDCLIV.

bus votis precati ſunt à ſummo Monarchâ, reſpiceret tandem bonus ac propitius tot animas, quarum cauſâ cùm cruorem vnigenitus Filius, tamen profudiſſet fruſtrà, ſi quidem in ſempiternum exitium ruere infelices pergerent, nec irritum ſucceſſum fuiſſe in quoſdam ex eâ gente, res ipſa declarare cepit.

P. Simon Menaus ad Iroquiis ſuperiores mittitur.

CETERVM, perfacilè hæc oratio tàm apta, tàmque incenſa Onnontaerrononij Oratoris, Proregem eóſque quos adhibebat ad conſilium Gallos impulit, ad concedendum id quod nunquam antè poſtulatum erat, vt aliquis è Societate IESV ad Iroquios ſuperiores mitteretur. Lectus ad tàm optatam procurationem eandem, & tàm difficilem P. Simon Monæus, vir exploratæ virtutis: nec ignarus idiomatis, ex affinitate linguæ Iroquiæ cum Huronicâ. Quare Prorex, poſtquam aptè & grauiter per Interpretem collaudauerat Oratoris ſtudium, humanitatémque, *Benè habet*, inquit, *Iroquij: nunc demùm diſcuſſa nubila ſunt ſuperiorum temporum: nunc demùm ſpes affulget multò quàm vnquàm certior, conſtituendi foederis inter veſtram Nationem Gallóſque, magno veſtro decore, communi vtrorumque emolumento. Nec dubito quin pax perpetua futura ſit, quandoquidem nec vos vnquam à fide deſciſcetis, nec committent vnquam Galli, vt quidquam faciant, vnde violati foederis inſimulari poſſint. Proinde dabitur quod optatis: mittetur vobiſcum è Societate IESV Sacerdos, qui vos eodem modo excolat, quo Hurones in paterno olim ſolo inſtituerunt ex eâdem Societate alij. Non eſt quòd vos horter ad illum & excipiendum amicè, & audiendum diligenter: videor enim mihi videre in oculis veſtris, ínque iſtà frontis ſerenitate ſtudium ingens & veſtrum, & totius regionis, ad capeſſendam fidem eam, vnde ſempiternæ felicitatis origo exiſtit. Ille idem munera feret, quæ veſtris rependimus, animo vtique haud ſincero minùs, conſilióque coniunctiſsimè vobiſcum viuendi de cetero.* Hîc cùm parata munera oſtendiſſet exultantibus Iroquijs, & quiſnam demùm ex atratis illis Inſtitutoribus profecturus ſecum eſſet, quærentibus, oſtenſus eſt is quem dixi Simon Monæus, & quoniam fugienda procraſtinatio videbatur, dicta dies eſt profectioni, ad VI. Nonas Iulias, quo die totâ Eccleſiâ peragitur feſta celebritas ſanctæ Deiparæ Elibabetham cognatam viſitantis. At paucis poſt diebus quàm profecti erant, ad-

ANNVS MDCLIV.

fuit Præfectus idem Annierrononius, qui Februario ſuperiore princeps legationis fuerat, cum Gallis duobus, qui velut obſides profecti Nouembri ſuperiore cum ijs erant, quibus demandata cura fuerat Ponceti liberandi, reſtituendíque Gallis ſuis. Afferebat idem literas à Præfecto Arcis Arauſicanæ in Nouâ Hollandiâ, quibus confirmabatur, nunc demùm ſeriò cogitare Annierrononios de pace cum Gallis conſtituendâ. Is vbi auditione accepit, profectum iam Simonem ad ſuperiores Iroquios, moleſtè aliquantum tulit præteritam Nationem ſuam, quæ & coniuncta eſſet cum quatuor illis alijs, & fines haberet ita conſtitutos, vt non niſi per eos tranſiri ad illos alios poſſet. Ergo, *Quæ eſt*, inquit, *veſtra ratio, Galli? per tectum in ædes introeundum putaſtis? Atqui per ianuam vulgo veſtri noſtríque introcunt. Nec metuitis ne aut caligo è fumo vos excæcet, igne nondum reſtincto, aut ruatis deorſum præcipites, dum non habetis vbi pedem figatis tutò?* Quæ cùm Prorex intelligeret dicta modeſtè quidem, ſed tamen minaciter; *Æqua*, inquit, *poſtulatis, Annierrononij, atque vtinam adfuiſſetis antequam Simon proficiſceretur! nunc, quod integrum eſt, faciam perlubenter, vt ſi meæ literæ reddi illi poterunt antè quam è veſtris finibus exceſſerit, ad vos quoque adeat.* Et confeſtim ſcripſit per Præfectum eundem ad Simonem, vt ante reditum, iter tantiſper ad Annierrononios reflecteret: ſed quantumcunque Præfectus reditum maturauerit, aſſequi tamen Onnontaerrononios à quibus is deducebatur, non potuit. Quæ verò geſſerit Simon idem, quæque pertulerit, ex eius Diario cognoſcere licet, ex quo iſta excerpta. Vbi Montem-regalem attigit, nactus eſt feliciter comitem itineris, Gallum inuenem magni animi, qui pridem veterem Galliam Nouâ mutauerat. Gradiendum deinceps dies multos fuit per abrupta, per ſaxorum crepidines, per torrentes, &, identidem interruptâ nauigatione, ob latentes rupes in alueo fluminis, canoas ipſas vnà cum ſarcinis comportare humeris oportuit, donec Iroquiorum Lacum præteruecti, latum leucas Gallicas viginti, longum quadraginta; tandem poſt incredibiles moleſtias III. No. Auguſti peruenere ad fluuium, cuius in vlteriore ripâ conſtitutum pagum habent Iroquij. Hîc verò exceptus eſt mirâ omnium gratulatione Simon: & ſtatim ſummâ cum honoris ſignificatione

Eiuſdem res geſtæ apud Iroquios.

ANNVS MDCLIV.

deductus in pagum alium, Gallicâ leucâ diſſitum, exceptus eſt conuiuio à iuuene è primarijs inter indigenas, pro quadam neceſſitudine paterni nominis: OndeſſonK enim Simon vocitabatur ab Huronibus: quod ipſum nomen iuuenis pater, quoad vixit, tulerat. Hîc Præfecti omnes ritè atque ordine officioſâ oratione, Simonem cohoneſtarunt: tum, quod iucundiſſimum animas ſitienti fuit, oblati ſunt à matribus infantuli aliquot, ſacro regenerandi Baptiſmate. Poſtridie, dum pergunt iter, prandium certo loco paratum inueniunt, curâ & diligentiâ Præfecti totius Nationis principis, à quo obuiàm Simoni miſſus erat ſororis filius, cum totâ copiâ, quantulacunque eſt amoenæ regionis: inter cetera, panem attulerat ex Indicâ fruge nouâ. Pernoctandum tamen etiam eâ nocte ſub dio fuit, quod toto illo interuallo itineris & temporis, faciendum quoque fuerat, & ferè permoleſtè, partim ex imbre, partim ex muſcis, quarum, vt æſtas erat, ingens prorsùs exercitus per ea nemora. Supererant leucæ quatuor emetiendæ, ad pagum principem, Onontae appellant: quod iter dum conficiunt, adſunt paſſim varijs à pagis Iroquæj, conſalutaturi: hic fratrem appellitabat, iſte patruum, multi conſobrinum: nunquam, inquit ipſe hæc referens, tàm numeroſam conſanguinitatem videram. Ergo, vbi hilares omnes vidit, & vultu, beneuolentiæ ſtudijſque plurimum præferentes, dum ad pagum appropinquant, orationem Simon habuit ad eorum guſtum, idcircò quod aptè morem eorum in perorando imitabatur. *Pax*, inquit, *mecum graditur: quacunque ingredior, bellum repello, ac faceſſere porrò iubeo remotiores Nationes versùs: comes autem perpetua mihi lætitia, mentíſque ſerenitas.* Quæ cùm grauiter & lentè diceret, eo planè modo, quo perorantes Præfectos ipſe audierat; mirum, quantum ea breuis oratio, & auctoritatis, & gratiæ ipſi conciliarit, præſertim cùm nominatim compellaret adſtantes, abſentes, primarios nomine quemque deſignaret proprio. *Nunquam*, ait, *tantam lætitiæ, tantam ſtudij ſignificationem, ad eam diem videram in Barbaris: &, quod mirere, viri, feminæ, pueri quotquot erant, vultu geſtúque obſeruantiam præferebant, & amorem.* Ergo vtendum occaſione ratus, illâ ipſâ nocte conuocat primarios quoſque, & munera offert duo, alterum ad vultus, aiebat, abſtergendos, quò ne vlla

ANNVS MDCLIV.

vnquam triſtitiæ nebula in ipſis appareret, vtque æquis, amicíſque oculis nouum Oratorem intuerentur: alterum, vt ſi vel paululum adhuc fellis in præcordijs lateret, illud confeſtim eijcerent. Quæ cùm periucundè & à dicente proponerentur, & exciperentur ab audientibus; poſt longam ſermocinationem cùm ipſi tantiſper ſeceſſiſſent in priuatum conſilium, rediere paulò poſt cum muneribus item duobus, ſed maioris pretij, ijs Simonem redonarunt. Et quoniam infantulis illis languidis, qui primi oblati fuerant, aliquantulum ſaccari in os iniecerat, vnde recreati aliqui; tanquam ad Medicum experientiſſimum, ad hominem vndique concurrebant matres cum ægris filiolis, medicinæ illius quidpiam ſuis quoque vt impertiretur, flagitantes: quo ſuceſſu, non ſatis declarat: innuere tamen videtur conualuiſſe aliquos. Sed lætitiæ ſenſus vel vberrimus extitit ex collocutione cum Chriſtianis Huronibus pleriſque, qui ijs locis agebant inde vſque à vaſtatâ Huroniâ. Nimirum auditis eorum confeſſionibus, intellexit, Dominum Deum per ſe ſeruos ſuos rexiſſe, ac corroboraſſe in fide, ínque morum innocentiâ: in ijſque mentibus Templum ſibi extruxiſſe, vbi in ſpiritu & veritate adoraretur.

INTER FEMINAS eniteſcebat Tereſia illa, ex Huronum gente, de quâ dictum annis ſuperioribus: quæ cùm adoleſcentula captiua ducta eſſet in regionem tunc immanitate perfidiáque perditam, tamen non modò fidem ipſa ſuam egregiè retinuit excoluítque in medio prauæ Nationis, ſed etiam deriuauit ad alias. Cùm ad Simonem adijſſet, precatáque ab eo fuiſſet, vt venire ad ſe non grauaretur tantiſper extrà pagum, viſeréque tugurium dignaretur, in quo mater-familias procul à frequentiâ verſabatur; enimuerò ad miratione compleuit virum, ſatis prolixè collaudare nequeuntem benignitatem Domini Dei, qui vbique terrarum ac gentium faciat, vt Simon hæc narrans loquitur, ipſe per ſe Apoſtolos. Habebat illa ſecum in conturbernio, virginem annorum admodum ſedecim ex Natione Neutrâ, captiuam item: hanc tam piè tamque religiosè ad omne Chriſtiani officij decus informauerat, vt & myſteriorum fidei planè gnara eſſet, & precationum formulas omnes adepta præcla-

rè, eaſdem vna cum optimâ magiſtrâ vſurparet quotidie, nec ſine intimo quodam animi ſenſu. Nondum tamen Baptiſmi facta fuerat particeps, pio errore Tereſiæ, quæ fas ſibi non eſſe Baptiſmum cuiquam impertiri putauerat, niſi qui proximè à morte abeſſet. Nimirum id Dominus Deus reſeruauerat Simoni, qui incredibili quodam ſenſu lætitiæ ſpipiritualis, primam illam ex adultis in Chriſto regenerauit eo loco, vbi antè, quam Iſaacus Iogueſius illò adijſſet, mentio nulla neque Baptiſmi, neque fidei, neque verò ſummi omnium rerum procreatoris & parentis, ab orbe condito facta fuerat. Accepit item admirans, Chriſtianos nonnullos, quos identidem Iroquiorum eorundem importunitas lentis ignibus addixiſſet, diritatem illam tanti cruciatus ſic tuliſſe, vt & conſtantiam in fide egregiè retinuerint, & ſacrum IESV nomen ad extremum vſque ſpiritum ingeminauerint. ANNVS MDCLIV.

INTEREA conuocabantur Præfecti gentis omnes, adfuturi ad deſignatam diem: & is apud quem diuerſabatur Simon, ſeu re ipſâ egregiè ſemper animatus in Gallos fuiſſet, ſeu loqueretur tantiſper ad gratiam, ſeductum hoſpitem ita compellat, vt diceret, ſe vt nunquam alieno animo fuiſſet à Gallis, ita lætari magnopere, quòd cuncta nunc demùm videret ad pacem propendere. Onnontaerononios etiam ſuos eam in rem conſpirare animis: miſſum recens à Sonnontoërrononijs, qui cum muneribus id ipſum vrgeret, promouerétque, ſuorum nomine: torques tres è conchâ veneriâ in id ipſum ab Onnienhrononiorum Legato allatas: mentionem pacis in beneficij loco ab Onneiochrononijs poni: ſpem eſſe Annierrononios haud repugnaturos obſtinatiùs: ita, bono animo eſſet, quando regionum earum felicitatem circumferret ſecum. Vbi dies adfuit (fuit is ad V. Id. Sextil.) conuocati ſunt publico præconio in Simonis ipſius (Ondeſſonk vocitabant, vt dictum eſt) caſam quotquot ius ſuffragij habebant: is, vbi omnes vidit ad audiendum compoſitos, primum omnium rem tantam aptè auſpicaturus, procubuit in genua, & quantâ maximâ potuit vocis contentione, nudo capite, iunctiſque manibus, precationem concepit huronico idiomate, ad ſummum rerum omnium procreatorem, beni-

ANNVS MDCLIV.

gniſſimumque parentem hominum ; reſpiceret bonus, & propitius ſéque, & quotquot aderant Iroquios, neque hos modò, ſed etiam gentem totam, inijcerérque cunctis, maximè ijs qui deliberaturi conuenerant, mentem eam, quæ eſſet è maximâ illius gloriâ futura, ſempiternæ cunctorum illorum in commune felicitati maximè ſalutaris. Deuouere ſe diris omnibus, rebelles & contumaces dæmones, qui ad eam diem cultum ſacrilegij pleniſſimum ijs in regionibus vſurpaſſent : faceſſerent porrò in ſpecus Auernales ; adeſſent autem ſancti Angeli Tutelares tùm locorum, tùm hominum eorum qui adeſſent : cum ijs agerent intùs in animo, quæque ipſe allaturus eſſet, altè eorundem in mentibus defigerent. Aſſurgit deinde, & tanquàm actor in ſcenâ, inquit ipſe, captat ſingulorum beneuolentiam, vnumquemque nomine compellans, prædicans propria vniuſcuiuſque Nationis, tribus, familiæ, decora ex chartulâ, addénſque, omnibus ad ſtuporem mirantibus, etiam vniuſcuiuſque facta præclariora. tum, vbi ad eum modum eorum in animos ſe ſe inſinuauerat nouus Orator, adiun t, capita ſe habere vndeuiginti, quæ proponat non modi Proregis nomine, ſed etiam Huronum, Algonquiniorum atque adeò Nouæ Galliæ totius : ad ſingula capita munera totidem de more gentis depromens, eò gratiora, quò noua magis : nam ad concham veneriam, addebat tubos è vitro rubro, ſi non magni pretij, elegantes ſanè : & ſcilicet in primum munus centenos repoſuit, ac pellem præterea alces, aptè ad vſum quemlibet ſubactam, læuigatámque. Tota porrò oratio, quæ duas ipſas horas tenuit, eò ſpectabat, vt repreſſis, inhibitíſque cædibus, pax demùm firma, ſtabiliſque vtrinque coaleſceret : expetitam illam à Gallis fuiſſe, Gallorúmque fœderatis : expetendam vtique Iroquijs ipſis eſſe : ex eâ ſecuturas opportunitates tales, quales oblatæ nunquam eſſent. Si bellum illud, aduerſùs finitimam Nationem felium ſuſceptum, exardeſceret magis, ſuppetias à Gallis latum iri : quo quid tali tempore optabilius ipſis eſſe poſſet ! Si mercaturarum ratio haberetur, pace initâ, & venationem commodiorem tutiorémque fore, & longè commodiùs pelles diſtractum iri in Kebeccenſi emporio, ex opportunitate fluminis. Sed nihil iſta eſſe, ad præcla-

ram occaſionem adipiſcendæ ſempiternæ felicitatis, ad quam factus ſit animus hominis, immortalis vtique; atque ad declinandos ſempiternos illos rogos, de quibus iam ipſi à captiuis Huronibus inaudiſſent: cuius quidem de acerbitate ſupplicij coniecturam facere ipſi perfacilè poſſent, ex ijs quæ exercuerint ſæpenumerò in captiuos: quam acerbitatem, perbreuem licèt, ſi cum æternâ illâ, & nullâ vnquam temporum diuturnitate finiendâ componatur, quo non labore, quo non ſumptu depellendam à ſuo quiſque corpore putet? Addidit ſub finem, dolere ſe, pro amicitiâ próque noua neceſſitudine, caſum *Annencraos*, Præfecti apud gentem, maximæ auctoritatis, ob bellicam præſtantiam, dotéſque præclaras alias, qui captus recès ab Ehriehrononijs, ſeu Natione felium, in nouo illo bello fuiſſet: & ad abſtergendas lacrimas eas, ſuum quoque munus attribuit?

PLACVISSE mirum in modum Oratorem, orationémque, compertum breuî inde eſt, quòd cùm ij, vbi Simon finem perorandi fecerat, in concilium diſceſſiſſent, accerſito vno quodam ex gente Annierrononiorum, qui commodùm inter audientes adſtiterat; vbi conſtituerant inter ſe de re tanti momenti, poſt duas horas circiter rediere læti ad Simonem: ac primùm quidem omnium, Præfectus primarius, & tanquam gentis totius Orator in pauca totam Simonis orationem contraxit, capita omnia ſinguláque exactè recenſens: tum ad cantum conuerſi omnes, vti in publicâ lætitiâ ſolent, hortati ſunt Simonem, ipſe vt intereà preces ad ſupremum illum, quem diceret, Principem cæli terrarúmque funderet, quâ oratione nihil ipſi potuit accidere iucundius. Vbi illi canere, Simon precari deſierat, cum mutuis muneribus ad capita ſingula: primùm, gratias prolixè egit Orator idem, Proregi Gallo, quòd tàm ex animo Iroquiorum genti ſtuderet: deinde Gallis in commune, quòd ergà captiuos quinque, de quibus anno ſuperiori, ex Natione Lupi fœderatâ, perhumanè ſe geſſiſſent, perfeciſſéntque cum Algonquinijs à quibus capti erant, vt incolumes dimitterentur. Tertiò, Sonnontoërrononiorum nomine grates item egit, quòd operâ Gallorum eorundem, depulſi ignes Algonquiniorum Huronúmque eorundem fuiſſent, à corporibus popularium

ANNVS MDCLIV.

ſuorum item quinque, captorum in velitatione quadam ex illis quotidianis. Hîc verò, perinde atque ad ſuperiora illa duo capita, ſecutæ ſunt acclamationes conuentus totius, ſinceræ cuiuſdam lætitiæ indices; ac ſecundùm hæc, aſſurgens Præfectus alius, ex Onneiochrononiorum Natione; *Onontio*, inquit, *Onontio*, Proregem abſentem licèt, appellans, *admirabilitatem habet vox tua: vno eodémque tempore motus duos ingeneras in animo meo contrarios: hinc me ad bellum excitas, illinc ipſum me ad pacem inflectis: nimirum ita comparatus es: auges, ditáſque eos, quos diligis: terrorem incutis ijs quos inuiſos habes.* Hæc vbi prolocutus fuerat, ſimul ingens viri ſtudium, ſimul incredibilem obſeruantiam præ ſe ferens, torques quatuor è conchâ veneriâ ingentes expromit, gratijs Proregi agendis, quòd gentem totam & ad bellum fortiter cum nouo hoſte gerendum, & ad pacem ſtabilem perpetuámque feriendam cum Gallis, fuiſſet adhortatus. Tum Præfectus idem ille, totius gentis Orator, Simonem denuò compellans; *Auſculta*, inquit, *Ondeſſonk: per me tibi loquuntur totæ quinque Nationes: atque in hoc pectore reconditos ſenſus habeo Iroquiorum omnium: porrò lingua mea meo pectori egregiè ſeruat fidem. Quatuor Proregi referes, ad quæ tota noſtra deliberatio reuocatur: quæ, qualiáque ſint, accipe. Primò, ſummum illum rerum noſtrarum, atque adeò vitæ ipſius arbitrum quem prædicas, ignotum nobis adhuc, auemus noſſe. Secundò, locus deinceps, quo loco de rebus Gallorum, Iroquiorúmque deliberationes inſtituentur, pagus Onnontaë erit. Tertiò, illud à vobis flagitamus, locum deligatis ipſi, quem maximè commodum opportunúmque iudicabitis apud nos, vbi ſedem ſtabilem Gallis conſtituatis: & quandoquidem corda noſtra poſſeſſuri eſtis, in totius regionis meditullio, & tanquam corde figite domicilium: eò nos conueniemus ad capeſſendam inſtitutionem quam tradetis: vos indidem in totam regionem commodè diſpergemini: vos, induite paternum in nos animum: nos tanquam obſequentes filij, morem geremus omnes. Quartò; Quandoquidem nos, Prorex ipſe ad bellum cum nouo hoſte ſtrenuè gerendum incitat, tàm acriter cum ipſo pugnare certum nobis eſt, quàm concorditer vobiſcum viuere.* Ac tum demùm deprompſere munera maximi omnium pretij: quæ tamen, ſubdit Simon ipſe, nihil erant ad oris ſerenitatem, atque ad ſignificationem lætitiæ,

ANNVS MDCLIV.

tiæ, quam frons, vultus, oculi, oratio præferebat. Atque ea fuit dexteræ Excelsi mutatio insignis vel maximè: qui Barbari ante annos aliquot inauditâ cruciatuum immanitate Sacerdotes è Societate IESV necauerant, qui vi, dolo, insidijs, ferro, flammâ Huronum gentem exciderant; qui omnia cædibus ac latrocinijs longè latéque compleuerant, eosdem agnis mitiores nihil nisi pacem spirare ac loqui, tàm breui temporis interuallo.

ERGO CONVIVIA instituta de more: ijs dum læti indulgent, Simon in rem attentus suam, hoc est in procurationem animarum, Christianorum confessiones excipere, erigere mentes anteà luctu & formidine perditas, regenerare per Baptismum non infantulos modò, quotquot offerebantur, sed etiam ex adultis Præfectum primarium, cui in Ehriehrononios ducendi, demandata prouincia. Iuuenis erat præclaris corporis animíque dotibus, cuius in familiaritatem se eò vsque Simon insinuauerat, vt iam ei multa de fide tradidisset. Cùm ergo propediem profecturus esset ad bellum periculosum, armatis penè bis mille summo cum imperio præfuturus; vrget magnopere Simonem, Sacramento se se Baptismi aduersùs hostem sanè formidolosum corroboret. Cùm moras necteret Catechistes; *Quid tu verò*, inquit, *differs vltrà? si hodie credo, an non hodie possum Christianis aggregari, per illam aquam regenerantem, cuius de præstantiâ atque necessitate tàm multa mihi à te memorata sunt? Sitim postquam accendisti, non restingues? præsertim cùm tàm certum discrimen vitæ ac salutis sim euestigiò aditurus. Quid? imperium penès te est vitæ ac mortis? possísne, aut omninò audeas præstare, me non eo in bello obiturum? id si, quod omen auertat summus Deus quem per te & nosse cepi, & sanctè colere, ac venerari instituo, id, inquam, si euenirct, qui te stimuli conscientiæ pungerent; sors mea quàm luctuosa esset? Cetertùm, si Iroquiorum Nationi benè vis, vt præfers, & ego mihi persuadeo; non illud perpendis, me neutiquam fortiter dimicaturum, nisi antè baptizatus fucro? Contremiscerem videlicet totus, ad singulos iactus sagittarum: ac quoties eæ circà tempora volitarent cum sibilo; pauidus, enerυatúsque, de fugâ potiùs, quàm de certamine cogitarem, reformidans in momenta rogos illos sempiternos, quos memoras. Quòd si te retardet suspicio fluxæ meæ fidei, sic tibi persua-*

ANNVS MDCLIV.

de, mi frater, ne, quoad viuam, Christianum fore, curaturúmque ne quid Christiano homine indignum conſciſcam. Non potuit non credere tàm incenſæ orationi feruidus Catechiſtes: poſtridie mane iuuenem, à pagi frequentiâ ſeductum tantiſper, aſpergit aquis ſalutaribus, vtrius maiori voluptate, neſcias: certè Ioannes Baptiſta (id enim ei nominis Simon indidit) totus lætitiâ geſtiens, ruit illicò in amplexus parentis in Chriſto ſui: arctéque complexus, confirmat multoties, ſe deinceps in IESV ſpes omnes ſuas collocatas habiturum.

INTEREA quæritatur Simon vbique, ad ſolenne epulum, quo, de more, illius diſceſſum cohoneſtandum Præfecti cenſuerant: conuocantur in eius tugurium viri, feminæque primariæ, incredibili omnium lætitiâ. Et epulas condiuit ſalutaribus documentis monitíſque, nouus ſympoſiarches: ac ſpe iectâ de celeri reditu, quem concupiſcebant omnes, poſt publicum quaſi præconium dat ſe in viam ad reditum, exiguam illius ſupellectilem comportandam vnoquoque comitum certatim ſibi depoſcente. Progreſſi ad leucæ Gallicæ dimidiæ circiter interuallum, vident congregatos optimates gentis, magno numero, ad valefaciendum, flagitantes à Simone reditum quam-celerrimum: eâ ſpe ſe interim ſuſtentatum iri: ac eâdem ſpe ipſe viciſſim tùm alios, tùm Chriſtianos potiſſimùm conſolatus eſt: firmo animo eſſe interim iubens, & Chriſtiani officij aſſiduè memores. Poſtridie, deuenere ad lacum quendam, cuius ad oram in conchâ propè arenti, aquam reperiunt, ad quam guſtandam Simonem inuitant, ab eâ ipſi refugientes, quòd illi à dæmone quodam latente aſpergi fœtorem dicebant. Cùm guſtaſſet, ſubridere ille leniter, poſtquam quid rei eſſet, compererat. Nimirum vidit fontem eſſe, cuius aqua, perinde atque illa Oceani, ſalſa ſit: quod ne fruſtrà iactare crederetur, ex eâ ad radios Solis tantiſper concretâ, ſal conficit eorum in oculis. Ex eóque aliquantum ſecum detulit, Gallis oſtentandum tùm locis alijs, tùm Kebecci maximè. Nec ſuo fructu iter caruit: biduo poſtquam profecti erant, dum Iroquiorum flumine inuehuntur, in viculo ad oram conſtituto Chriſtianos ex ſuis Huronibus Simon reperit, viros feminaſque: omnium excipiendæ tanto interuallo confeſſiones fuerunt ſingu-

lari, inquit, vtrinque lætitiâ : nec diu pòſt, ad Baptiſmum puerulum bimum obtulit mater iam Chriſtiana, quò in cælum, aiebat, aliquando pergeret, ſocius beatæ vitæ futurus ſorori, aliquandiu antè interemptæ ab Iroquijs ijs ipſis, quibuſcum habitare coacta fuerat. Hinc peruentum ad locum, quem Gallorum ſedi Iroquij ipſi deſtinabant, amoenum vtique, & omni ex parte commodiſſimum. Prata circùm longè latéque rapiebant oculos : copia piſcium ex flumine ingens ; & , quod optandum ad fidem diſſeminandam magis, concurſus eò frequens vicinarum omnium Nationum. Et iam loci poſſeſſio tanquam inita erat à Chriſtianis aliquot item Huronibus, qui & ipſi ſingulari quodam pietatis ſenſu Confeſſarij copiam nacti aliquando, cupidè homologeſim inſtituerunt. Tandem poſt menſem penè exactum, Kebeccum tenuerunt, III. Id. Septemb. cùm profecti fuiſſent ad XVIII. Cal. Septemb. eiuſdem : vt, ſi ex temporis interuallo facere coniecturam liceat, cùm ad amoenum illum locum ad Gallorum ſedem deſignatum peruenerint X. Cal. Septemb. ac deinde commorati omninò aliquandiu fuerint ad Montem regalem, atque apud Triſluuium ; par penè diſtantia vtrinque ſit, à pagis inquam, Iroquiorum, ad amoenam illam ſtationem deſcendendo, atque à Monte-regali ſcandendo ſurſùm versùs. ANNVS MDCLIV.

SED MIRVM, inter cetera quæ de ſuo itinere tantâ fide Simon narrat, prætermiſſum ab eo fuiſſe quod aliæ literæ habent, in reditu antequàm ad Montem-regalem adijſſet, Annierrononiorum agmen impetum in canoam feciſſe, quâ Simon vehebatur : comitum, qui duo tunc cum ipſo in illâ canoâ erant, alterum interfeciſſe, Simonem coniecciſſe in vincula ; aliquot prætereà Hurones, aliquot Algonquinios mactaſſe : ſed alterius comitis conſtantiâ perfectum, vt breui dimitteretur : neque enim perfidiam eam impunè futuram genti Annierrononiorum : vltores vtique breui Onnontaërronios, neque hos modò, ſed etiam alias tres Nationes Iroquias fore. Cúmque illud obtenderent ſceleſti, non eſſe quod tantopere commoueretur : neque enim ſe prohibere quò minùs reciperet ſe ad ſuos : caſu factum potiùs, quàm deſtinato conſilio, vt alter interficeretur : abiret porrò ſi lu-

ANNVS MDCLIV

beret ; *Egòne*, inquit, *ſcelerati, veſtram vt perfidiam imiter? deſeram Simonem, commendatum à quatuor ipſis Iroquiorum Nationibus fidei meæ? ego vt eius ſalutem prodam? quâ verò fronte ſiſtere me audeam meis, Simone captiuo? Agite potiùs: conÿcite me in vincula: duorum enim alterum certum mihi eſt, aut eum Gallis ſuis incolumem, ad Montem-regalem repræſentare, aut cum eo pergere quocunque ducetis. Verùm, ſic habetote, fore vt breui tàm importunæ temeritatis pœnas pendatis vniuerſi.* Valuiſſe eam firmitatem animi apud latrones malè ſibi conſcios, euentus oſtendit. Simonem exolutum vinculis, comiti reſtituerunt, comes Gallis ad Montem-regalem repræſentauit: & ad ſancti gaudij cumulum, ditatus eſt ante diſceſſum munuſculis duobus, omni potioribus gazâ, Nouo Teſtamento quod Brebeufij fuerat, cui tantâ cruciatuum diritate vitam antè eripuerant, & pio libello, quo vſus erat Carolus Garnerius, ab ijſdem interfectus, vt reddidimus ſuo loco. Vtrumque & viuum & morientem Simon cùm vidiſſet, nec ſine tantæ admiratione virtutis, nimirum præclarè ſecum actum putauit, quod ijs tanquam Reliquijs famulorum Dei auctus eſſet.

PORRO REDVX Simon, nihil cunctatus, retulit ad Proregem, Gallóſque primarios quo loco res eſſet, quámque auidè expeterentur Sacerdotes è Societate, ad inchoandum opus Dei: & nihil addubitatum, quin in ver proximum adornanda eſſet expeditio vtraque, & ciuilis, Gallicæ Coloniæ ad pagum deſignatum, & Chriſtiana, Catechiſtarum, qui gentem ad eam diem conuulſam, nec dilaceratam modò, ſed etiam dilacerantem, ſanctæ caſtæque in Deum ac IESVM Chriſtum fidei elementis imbuerent. Iam tum deſignauit Prorex, qui imperitaret Coloniæ: iam tum certatim Gallorum ſe quiſque iuuenum ad augendum colonorum numerum obtulit: vt ex tàm incenſis ſtudijs facilè agnoſceres, eum profectò qui nouit conſtituítque tempora & momenta, pias mentes intùs incitare. Dum hæc gerebantur, interea miris incrementis procedebat Chriſtiana res Huronicæ Coloniæ, beatâ in Inſulâ, & ad ſtuporem mutatâ in meliùs. Nimirum ligna ipſa regionis plaudebant manibus, dum tàm breui interuallo, pro ſuperſtitioſis cantibus auorum, nihil deinceps auditur, niſi ad ſummi procreatoris

ANNVS MDCLIV.

laudes pertinens. Incredibilis auſcultantium docilitas acuebat Catechiſtarum animos : vix , inquit auctor Relationis Gallicæ , ſecernas feſtos dies à profeſtis , niſi ex frequentiore numero eorum , qui feſtis diebus piè ac religiosè ad ſynaxim corporis IESV Chriſti accedunt : alioqui , profeſtis ipſis diebus conueniunt omnes ad ſacrificium. Feſtis autem lucibus , nihil magis ex cæleſti illâ ſpecie Eclceſiæ enaſcentis. Cura ingens à Catechiſtis impenditur in pueros , puellaſque, ceu Chriſtianæ Reipublicæ Seminarium : quotidie ex Æde ſacrâ egreſſi , immigrant in atrium domus Patrum : ibi loci, ſeorſum diſpoſitis hinc pueris , puellis iſtinc , Catechiſtica traditur inſtitutio , eâ modeſtiâ auſcultantium , quæ iuuentuti veteris Galliæ ruborem inijciat , inquit idem. Et verò , ſi quid immodeſtiùs à quoquam dictum factum-ue fuerit, plectuntur in commune omnes : hoc eſt , ſi è puerorum numero peccarit aliquis , non modò ille pro ſuo merito obiurgatur , ſed etiam omnes priuantur eo die ientaculo : ſi qua puella geſſit ſe minùs decorè , tùm in illam , tùm in ſocias , par pœna conſtituitur : ità , continent alij alios : nec, vbi peccatum quidpiam , carent obiurgationibus rei : videlicet vapulant ceterorum omnium conuitio , quod pro pœnâ ipſis grauiſſima eſt. Et quoniam mira eſt vocum ſuauitas , puellarum præſertim , illud ipſum donum naturæ Catechiſtæ ad Conditoris gloriam ſapienter piéque tranſtulerunt : ſcripſerunt ſacra Cantica , Huronico idiomate , ad numeros Hymnorum Eccleſiaſticorum : hæc & arripiunt incredibili celeritate , & incredibili cum audientium voluptate modulantur : nec quiſquam non iucundiſſimè affici poteſt , dum ſiluas lucóſque reſonare animaduertit ſummi Numinis laudibus , ijs locis vbi ante annos quindecim nihil niſi aut barbarum , aut turpe , aut ſuperſtitioſum auditum vnquam fuerat. Ipſi illi ferales modi abigendis malis Genijs à quibus morbos importatos dicebant , frequentari ſoliti ad ægrotantium caput , conuerſi in pia Cantica : accerſuntur puellæ cantatrices , quæ non tàm ægrotantes eâ vocum modulorúmque dulcedine mulceant , quàm exorent optimum parentem , cuius ad arbitratum res nobis ſecundæ aduerſæque fluunt : eæque ipſæ tali tempore canunt ſibi. Certè vna reperta , quæ cycno dulciùs ex hac mortalitate migrauerit ,

ANNVS MDCLIV.

poſt grauem diuturnúmque morbum : quo toto interuallo & intimos dolores tulit virili fortitudine, nec vnquam à Deo precata eſt vt ſe priſtinæ reſtitueret ſanitati : ſed centiès illud in dies iterabat : *Videt* IESVS *quid ſit mihi potiſsimùm condacibile* : *videt* IESVS *me in grauibus doloribus eſſe* : *hos ego ferre volo, quando hos vult ipſe à me ferri.* IESVS *me diligit: nouit idem concupiſcere me diligere ipſum* : IESVS *ſolus eſt vitæ noſtræ arbiter* : *morem ipſi geri par æquúmque eſt.* Tum ſub extrema vitæ momenta, ſacros illos Hymnos mirâ vocis ſuauitate, mirâ oris vultúſque ſerenitate ingeminans, ſacráque IESV & Mariæ nomina penè labris terens, efflauit animam. Ipſa ſomnia, quæ aliàs ad ſuperſtitionem obſeruabant impiè, nunc nihil ipſis penè obijciunt, niſi Deum, cæleſtis patriæ gloriam, æternos cruciatus, ſanctos Angelos, à quibus in cœlum euocentur. Tribuendum verò ſomnio, necnè, ſit neſcias, quod iuuenis extremo morbo conflictans, appropinquantem ad ſe vidit puerum ſingulari formâ, qui in eum blandè intuens, & ſcilicet intùs in animo ingenerans ſenſus de Deo tàm ſuaues, vt nihil vnquam tale eſſet expertus; ſuper iacentis corpus viuificæ Crucis ſignum efformauit, ex quo repentè conſecuta ſuauitas : ipſe quidem tunc ſibi perſuaſit, Angelum Cuſtodem fuiſſe : nec pòſt ab eâ opinione deduci potuit.

SED NIHIL TAM valuit ad cæleſtes ardores in adultorum mentibus inflammandos, ac Auguſtæ Deiparæ in Inſulâ Aurelianenſi Sodalitas hoc primùm anno conſtituta. Lecti primùm, lectæque ad duodecim tantùm : nam virorum fœminarúmque habitus delectus eſt : conſtitutæque vtriſque in commune, piæ & aſcetica exercitationes, vt in Europâ fieri in Templis ſolet, vbi feminæ promiſcuè cum viris Miſſæ, diuinóque Officio interſunt, & audiunt conciones. Ergo Dominicis feſtíſque lucibus ſub auroram in ſacram Ædem conueniunt : ibi in duos diſtincti choros, pro Officio S. Virginis, quod exoluere nondum queunt, legendi rudes, Rotarium recitant, hinc viri, illinc feminæ ſeorſum, *ſexus* vtique *deuotus*, inquit Auctor idem Gallicæ Relationis, non minùs in Nouâ Franciâ, quàm locis alijs. Tenet conuentus horam vnam circiter : nam poſt ſingulas decurſas decades, in-

terquieſcunt paululum, ſiléntque, audiendæ breuiuſculæ hortationi quam habet Sacerdos is, cui Sodalitij cura incumbit: eius vices, etiam ad exhortandum, obit Congregationis Prefectus, quem legerunt ipſi, & aptè quidem, virum præſtantis probatæque virtutis, incenſúmque animarum ad Deum pertrahendarum ſtudio. Ergo identidem ſilentium abrumpens, monet Sodales nunc hæc, nunc illa ſecum reputent: V. C. poſt primam decadem, eo ipſo tempore, omnes, quotquot in Ædiculâ ſint, in oculis eſſe Matris Dei: poſt ſecundam, veram ſincerámque venerationem tantæ Reginæ in eo eſſe poſitam, vt peccatum Sodalium quiſque horreat: eo ſymbolo agnitum iri Mariæ progeniem: poſt tertiam, id ſummè placere Matri Dei, ſi poſtquàm ex Ædiculâ exierint, non continuò ipſius obliuiſcantur: ſed eam compellantes, dicant per interualla; *Cupio enimuerò, alma Virgo, tibi famulari:* poſt quartam; Fratres mei, dum ſuis tentationibus, petitionibúſque infeſtis vrget nos teter dæmon ad peccandum, videt potiſſimùm Patrona noſtra, à quibuſnam potiſſimùm noſtrûm obſeruetur, diligatúrque: quare ſi quid tale inſidet, dicamus ei ex animo, *Mater* IESV, *filium tuum diligo, pluríſque facio quàm voluptatem eam, cuius praua cupiditas mentem meam ſolicitat:* ſi perget moleſta eſſe tentatio, pergamus ipſi iterare eadem: quiſquis IESVM amat, affici peccato nequit. Hæc quanquam artificij expertia, plus tamen mouent animos Fidelium horumce, quàm magnifica illa eloquentia, quæ tantopere ab Europæis Sodalibus expetitur, quæritúrque: quóque habent Hurones plus ſimplicitatis, hoc accedunt propriùs ad eum, cuius ſermocinatio cum ſimplicibus. Planè illud ſequuntur, illud ambiunt, vt ſint integri, & ab omni prorsùs labe intacti: quo in ſtudio, religioſis eorum votis ſic Dominus obſecundat, vt ſtatim atque nuptæ innuptæque admiſſæ ſunt in album illud Sodalium, ſpem prorsùs omnem flagitioſi deponant eas illo pacto deprauandi. *Mariæ filia eſt: fruſtrà eius pertentes pudicitiam: filia ſum Virginis*, aiunt ipſæ, ſi quis fortè impudentior audet vllam de re turpi interpellare. Et verò vix credibile eſt, ait Auctor Gallicus, expertus ipſe quod memorat, quàm mundæ ſint mentes eæ, quámque vel ab vmbrâ peccatorum ge-

ANNVS MDCLIV.

ANNVS MDCLIV.

neris iſtius abhorrentes : atque hinc vel maximè enitet quæ quantáque ſit vis diuinæ gratiæ, quæ tàm cæleſtem mutationem effecerit in ijs, quibus quadraginta ipſa ſæcula licuerat quicquid in hoc genere libuerat. Neque modò pudicitiam ad eum modum excolunt, ſed etiam Chriſtianas virtutes omnes, ſublimem quendam in modum, vſurpant : de condonatione iniuriarum, exemplum hoc eſto, quod ruborem noſtratibus viris feminíſque inijcere meritò debeat. Filium, quem vnum habebat videns mater contuſum fuſtibus, grauitérque ſauciatum ab aliâ muliere, quam æſtus iracundiæ impotentior abripuerat ; tametſi cruor qui copiosè defluebat, ad vlciſcendam eam importunitatem vehementer commouebat præcordia, continuit tamen ſe ſe : neque modò nihil fecit, nec dixit aſperius, ſed etiam ad Confeſſarium adiens ſuum ; Veni, quæſo, inquit, mecum tantiſper in Ædiculam: video cor meum prauum aliquid machinari : ſed illud tu nobis inculcas, Matrem IESV lenitate clementiáque vnicè delectari : dixiſti non ſemel, ipſam cùm filium ſuum in Crucem agi videret, lacrimas quidem fudiſſe ; ſed eodem ipſo tempore tantam iniuriæ atrocitatem ab eâ condonatam ijs, à quibus tàm indignum in modum habebatur in filio. Ego defleo quidem iniuriam allatam filio meo : verùm, opto vt hæ lacrimæ lacrimarum Matris Dei ſimiles ſint : vt id conſequar, ignoſco ex animo ei quæ me tàm grauiter violauit. Dum hanc animi excelſitatem aduocatus Sacerdos ſuſpicit, collaudátque, ecce tibi adueniebat vulnerati pueri matertera. Hæc vbi primùm inaudierat de iniuriâ illatâ ſororis filio, cum manipulo virorum ad id euocatorum tendebat ad eam à quâ tàm inhumaniter habitus puerulus fuerat, eo conſilio vt par pari rependeret : ſed commodùm vicina femina Chriſtiana agmen videns, accedénſque propiùs, *Quò tu*, inquit, *ſoror mea ? fugit-ne tàm citò è memoriâ, filiam te eſſe Matris Virginis, neque alio modo acceptas iniurias Chriſtianos vlciſci debere, niſi parcendo ? Perge potiùs ad communem inſtitutorem, ab eóque precare vt tuæ menti faciat medicinam.* Et valuit pia oratio : femina omiſſo protinùs prauo conſilio, iter flectere ad Ædiculam : ità dirempta lis. Vtinam quos pro Barbaris tamdiu Galli habuimus, horum deinceps facta imitemur.

VT

ANNVS MDCLIV.

VT VERO ILLVD præcipuè comprecantur à Domino Deo ſolicitè, velit bonus ac propitius adeſſe tùm vbique, tùm præſertim agentibus animam; ità, mirum quàm propè ſuauiter obdormiſcant in Domino. Prima omnium ex nouâ illâ ſodalitate migrauit ad ſuperos (neque enim relictus admodùm locus de illius beatâ in æternum ſorte dubitandi) *Magdalena Andoroſia*, in ipſo flore ætatis: quippe nondum annum trigeſimum exceſſerat. Hæc cùm in pleuritidem incidiſſet, qui morbus eo anno graſſabatur ijs locis vehementer, antequàm morbi vis ægram lectulo affigeret, ad Sacellum beatæ Mariæ perrexit, confeſſionémque peccatorum inſtituit, flens vbertim, ſingultímque orationem interrumpens identidem, tàm piè, vt negauerit Confeſſarius ſe vnquam tantopere commotum animo fuiſſe. Tum, Sacrum totum genibus nixa audijt, nec ſine grauiſſimo dolore corporis, adeò vt exiens, profiteri coacta fuerit, ſe viribus defici: verùm, addidit, nihil tanti eſt: quandoquidem deſerenda vita, volo Dei parentem vel in ipſo extremo ſpiritu venerari. Cùm ad eam horis pomeridianis adijſſet Confeſſarius, rogaſſétque quî valeret; Noli, inquit, noli, mi frater, de hoc corpuſculo eſſe ſolicitus, computreſcet breui: de Deo potius verba fac mihi: hæc enim vna res mentem meam ſolatur ac reficit. Neque re magis, quàm oratione teſtata eſt, quantopere corpus negligeret: quandoquidem toto eo tempore nihil vnquam quæſiuit, nihil poſtulauit, quod ad corpus pertineret. Iacebat ponè, genitrix, anus Chriſtiana, iamdiu: hæc affirmauit filiam dies noctésque precari ſolitam aſſiduè: accidiſſéque nocte quâdam, vt cùm has voces iteraſſet ſæpè; *Capiat te, IESV, mei miſeratio, animam, vbi exceſſerit è corpore, duc in cælum*; exclamaſſe derepentè; *En; IESVS aduenit, miſertus mei. Quàm pulcher es, mi IESV, quàm pulcher es! ergo mei miſereberis? quando animam in labris habeo primoribus, duc me in cælum.* Poſtridie, cùm videret alius è Societate Sacerdos, qui ad eam adierat, ipſam tantumnon emori, Roſarium eius dextræ inſeruit, perbreues quaſdam orandi formulas ad tempus accommodatas præiens: at illa non tàm paucis contenta, vltrò compellare IESVM Crucifixum, tanto ſenſu pietatis, vt adſtantibus lacrimas elicuerit. *Ergòne*, aie-

ANNVS MDCLIV.

bat, *IESV, benigniſsime, præpotens arbiter vitæ mortalium, mei cauſâ, egentis mulierculæ, ſuſtinuiſti Cruci affigi in eum quem video modum? Nimirum peccata mea, IESV, corpus tuum totum dilacerauerunt. Execranda verò peccata, execrandam peccatricem! Miſeram me, quæ in cor vnquam vos admiſerim, quando pedes, manúſque IESV tàm indignum in modum perforaſtis. O IESV, qui mortem, peccatorum meorum causâ obijſti, cur non ipſa emorior acerbitate doloris inde conceptâ, quod tàm ſæpè incurri in tui offenſionem.* Et vires impetu colligens, aſſurrexit vt potuit, IESV M in imagine quantâ maximâ potuit obſeruantiæ ſignificatione adoratura: ac penè continuò egit animam, vix egreſſo Sacerdote, qui non tàm citò emorituram putauerat.

MORTVA pòſt altera eſt, coniugi haud diu ſuperſtes: feminæ, *Felicitas*, viro, *Armandus* nomen fuit. Is anno ætatis decimo-ſeptimo baptizatus, tempus vitæ reliquum, quod annorum propè viginti fuit, exegit ſic, vt ſemper quidem in Chriſtiani hominis officio fuerit, ſed ex paucis menſibus, conſtitutâ Sodalitate, ſcilicet incenſum illud Deo placendi ſtudium mirè intenderat. Solenne illi fuerat, etiam rigente hyeme, Miſſis intereſſe quotidie duábus, iunctis ſemper manibus, genu flexo vtroque: eâ frontis oríſque totius conformatione, quæ nihil præ ſe ferret barbarum. Itabat deinde ad opus, profeſtis diebus, & laborioſiſſimum quidem: quippe plerunque cædebat arbores, ad noualia: dúmque interquieſcebat, Roſarium recitabat videlicet, ſæpè quinquies ſexieſque in die. Itaque, *Conſummatus in breui, expleuit tempora multa*: in morbum incidit, quem, tametſi initio perleuis videbatur, letalem tamen fuiſſe declarauit exitus. Relatus, pro voto, ad Xenodochium Monialium Kebeccenſium, quæ ex religioſo inſtituto hoſpites ægros excipiunt, ab accerſito Sacerdote precatus eſt, vti ſe ad mortem Chriſtianè obeundam compararet: intelligere enim ſe, breui ſibi eſſe moriendum. Conteſtatus ſæpius dolere ſe intimè de offenſo Deo, addidit, *Nec vitam ſe longiorem concupiſcere, nec metuere inſtantem mortem*: quæ tàm pia verba vix protulerat, cùm in delirium incidit tale, qualis vitæ curſus multos annos fuerat: delirans, nihil niſi Deum, diuina-ue loquebatur. Felicitatis

Sap. 4.

ANNVS MDCLVI.

caſus is fuit : cùm paulò poſt mariti obitum , frater germa-
, quem vnum habebat , Kebeccum cum Iroquiorum agmi-
duentaſſet ad Trifluuium , quibuſcum pridem conſueue-
tanquam non Huro , ſed Iroquius eſſet : atque ad ſoro-
canoam miſiſſet , ad colloquium tanto interuallo inui-
tans ; veriti Patres ne ſi à fratre abduceretur in Iroquium ſolum , vbi vix res Chriſtiana enaſci ceperat , eadémque haud ſanè confirmata , Neophyta periculum adiret fidei, atque adeò ſalutis ſempiternæ ; diſſuadent vehementer iter formidoloſum : nhil tantopere eſſe , cur tàm alieno tempore adiret ad fratrem : deſcenderet ipſe Kebeccum potiùs , ſi tàm vehemens eum viſendæ ſororis cupido inceſſerat. Reſtitit illa initio aliquantum : agnoſcere ſe quidem egregiam voluntatem Patrum ergà ſe , ſed nihil eſſe quod tantopere metuerent : in eâ ſpe ſe eſſe , fore vt & fides ſua , & innocentia morum illibata permaneat : diligi quidem à ſe fratrem germanum , at IESVM multò ampliùs. Cùm inſtarent Patres, periculum eſſe , ne adiret illud , quod proponebant , diſcrimen fidei ; accidere ſæpè , vt ex rebus in ſpeciem minimè noxijs, ſtrages deinde lugubres animorum conſequantur ; ex tenui ſcintillâ , exiſtere perſæpè incendia , quæ pagos totos abſumant : vniuersè incautam confidentiam exoſam Deo eſſe , metuendum ne in periculo deſerat eos , qui obſtinatiùs periculum adeant ; *Ergóne* , inquit femina ſapiens , *fratris conſpectu , ſi IESVM ex animo diligo , carendum eſt ? actum eſt, quantumlibet naturalis charitas reluctetur , carebo tamen illius conſpectu , atque colloquio : conſiſtam hîc , neque pergam vlteriùs , vel ſi mors deſiderium illud meum vehemens excęptura ſit.* Et conſtitit, manantibus vbertim lacrimis : verùm , vt intelligeret quiſque quantam ſibi Chriſti famula vim attuliſſet ; continuò paſſa deliquium eſt tale , vt horas ipſas quatuor & viginti tenuerit : mors conſecuta ſit néene , haud reperio : conſecuta tamen videtur , quando haud diu coniugi ſuperſtitem fuiſſe, tradit Relatio : vt vt fuit , non potuit illuſtriori documento confirmare forti animo mulier , quàm intimè dìligeret IESVM , quæ eius causâ non modò fraterno amori nuncium remitteret , ſed etiam vitam penè prodigeret.

AD EANDEM Sodalitatem pertinet illuſtre in re tenui mo-

ANNVS MDCLIV.

numentum ære perennius ſimul ſingularis obſeruantiæ erga auguſtam Deiparam, quam venerari proprio cultu ceperant, ſimul grati animi ergà beneficos. Annos iam aliquot Huronum egeſtatem tantam, quantam diximus, ſubleuare ſuis opibus ceperant Sodales illuſtriſſimi Domus Profeſſæ Pariſienſis. Viſum nouis Aurelianenſis Inſulæ Sodalibus haud abs re fore, ſi quanti miſericordem iſtam largitionem facerent, quantulacunque illâ ſuâ tenuitate teſtarentur. Ergo re cum Patribus communicatâ, conſtituunt, torquem è conchâ veneriâ ad eos mittere, offerendam Matri Dei, cum Epiſtolâ, cuius ſententias Huronico idiomate conceptas mandauit P. Franciſcus Mercerius literis, Gallicámque explanationem ſubtexuit, adiunctâ formulâ quâ ſummæ Reginæ inopes clientes munuſculum ſuum offerunt: quóque eſſet ſanctæ Dei genitrici iucundius, in torque eâdem totâ è globulis conchæ illius veneriæ contextâ, quâ nihil pulchrius habent, nihil maioris pretij, ſolo albo, globulis vnde voces efformabantur, nigris, prima verba quatuor Angelicæ ſalutationis efformarunt, *Aue Maria gratiâ plena.* Dedicationem torquis tradidimus libro ſecundo; Epiſtola hanc habet Sententiam.

SINCERE A NOBIS *obſeruamini, fratres. Ante annum tantùm ingenij noſtri acies ſe ſe exeruit, atque eo primùm tempore in mentem nobis venit venerari Mariam Matrem IESV: quo ipſo tempore accepimus, conſtitutos eſſe vbique terrarum conuentus quoſdam piorum hominum, quò ipſi diceretur in intimis præcordijs; Ita eſt mater IESV: intueris cor meum, vidéſque ipſum neutiquam mentiri, dum illud profitetur; Cupio, Maria tibi honorem impendere. Renunciatum nobis eſt, pulcherrimum ſpectaculum eſſe Lutetiæ Pariſiorum, vbi honor ingens vobis defertur ab hominibus; vos viciſsim præcipuum veſtrum decus in colendâ impenſiùs Mariâ collocare: Vos anteceſsiſtis, nos ſubſequi volumus: Mater IESV, quæ in egentes reflectit identidem oculos, vos impulit ad egentes minimè negligendos: annos iam multos magni pretij munera ad nos miſiſtis. Idcircò conuenimus, diximúſque; Quid mittemus viciſsim ad magnos illos famulos Virginis. Subiunximus; Reculis noſtris haud indigent: ſunt enim opulenti: mittamus ad eos torquem è chonchá noſtrâ veneriâ, in quâ expreſſæ ſunt voces, qui-*

bus expreſſa ſalus eſt è cælo miſſa per Angelum, ad Virginem eandem. Quot globuli ſunt in torque, tot Roſaria intrà Lunarum duarum ſpatium recitauimus. Ceterùm, globuli nigri ſinguli globulorum duorum alborum pretium æquant. Hanc torquem vos illi offertote, ac dicitote illi, certum & conſtitutum nobis eſſe, illam venerari. Et cuperemus quidem, quantum ei honoris à vobis defertur, tantum eidem deferre: ſed non perinde ac vos, valemus ingenio ad eam colendam: ac tum demum illi honorem maiorem habebimus, cùm precata fuerit Mater à Filio, vti nos aptè animo ingenióque comparet ad eam colendam. Id ſi continget, gratiſſimum, ſat ſcimus, vobis erit, perinde atque gratum nobis eſt, quod eam perfectius veneramini, quam ipſi veneremur. Gratulatur ſibi arator, dum ſpicas omnes agri ſui videt maturas: mœſtus eſt, ſi meſſis tempore aliquas nondum maturuiſſe deprehendit. Vos Virgo Dei mater reſpicit tanquam ſpicas agri ſui maturas omnes ad cæleſtem felicitatem, qui in eius cultum totis cordis viribus incumbitis: nos eadem reſpicit tanquam ſpicas nondum maturas, quippe qui nondum valemus ingenio, quíque primulùm eam cepimus venerari: id verò ei ægritudinem affert. Vos, quandoquidem eam diligitis, poſtulate à IESV, perficiat, vt ager Virginis maturus totus breui ſit, taliſque, vt ipſi ſatisfaciat. Dúmque Roſarium recitabitis, eſtote noſtri memores: nos vicißim dum recitabimus, veſtri recordabimur. Germani fratres ſumus, quandoquidem genitrix IESV communis vtrorumque mater eſt; nos ipſa diligit: ipſam volumus diligere: Hæc Echom ad vos noſtro nomine perſcriberet rogauimus: nam loqui quidem ſcimus, ſenſa mentium noſtrarum chartis committere neſcimus. Oachonk, Præfectus Sodalitatis; Ludouicus Taïeron, Ioſephus Sondaſkon obſeruant vos, & minimè ſimulatè ſalutant.

VT AD NEOPHYTOS alios tranſeamus, prætereundum minimè eſt quòd cùm agmen Iroquiorum, Onnontaërrononiorum puto, aut mixtorum certè ex Onnontaërrononijs, aliíſque ſuperioribus (neque enim Annierrononij manſuefacti adhuc erant) hyemem cum Algonquinijs exigere conſtituiſſet; mira fuit inter vtroſque concordia, ſtudiorúmque conſenſio, Nationis vtriuſque ſuperbiam, & arrogantiam propè inſitam à naturâ perdomante Deo: cui enim alij tribuas tàm repentinam mutationem in ijs, qui ad eam diem mutuis odijs ſic ardebant, vt nullum non crudelitatis genus

ANNVS MDCLIV.

exercerent alij in alios, ſi quando in aliorum manus veniebant alij? Iroquij certè nemini vnquam Algonquiniorum parcebant, quocunque demùm loco intercepiſſent. Vtqúe diuinam in vtroſque benignitatem ſuſpicias magis, non dubitarunt Algonquinij, cum Iroquiis ijſdem miſcere connubia, datis nuptui tùm viduis quibuſdam mulieribus, tùm filiabus ſuis aliquot. Et videtur Dominus Deus factum ipſe probaſſe: nam cùm noui illi mariti in venatione verſarentur cum vxoribus iam Chriſtianis, ipſi nondum baptizati, prædáque aliquot iam dies nulla occurreret; ad eas conuerſi, En aliquot dies iam ſunt, dixere, ex quò harum ſiluarum vaſtitatem luſtramus, nullo operæ, laboris-ve pretio: vos, quandoquidem imbutæ eſtis notitiâ illius, qui animantes condidit, quidni preces ad eum funditis, quò mittat vnde alamur? Cùm illæ nihil cunctatæ ſe ſe abieciſſent in preces, cibum à Deo, tanquam filioli à parente flagitantes, rem miram! etiamſi loca vicina, omnia longè latéque luſtraſſent antèa moeſti venatores, & perſtudioſè quidem, irrito prorsùs exitu; poſtridie tamen quàm fuſæ preces eæ ad Dominum fuerant, ibidem alcen prægrandem deprehenderunt, ceperúntque, prorſùs ſtupentes, admirantéſque vim tàm celerem, támque manifeſtam imperatæ vxoribus precationis.

CESSIT ETIAM tandem Deo, Cocles ille Inſularis, atrox quondam exagitator fidei. Homo præfidens, & eloquentiæ laude elatus; qualis apud eos eſſe poteſt, qui nullis neque præceptis, neque doctrinis inſtituti, ducem naturam ſequuntur; in conuentibus Algonquiniorum, in quibus ferè ſemper dominatus eſt, aduerſatus erat iamdiu Euangelicis operarijs: ac tametſi ipſe quoque Baptiſmi gratiam pòſt expetijt, obtinuítque, tamen inolita prauitas ferè ſemper plus apud miſerum, quàm Chriſtiani officij decus valuerat; donec proſtratus, hoc eſt longo & diutino morbo fatigatus, intellexit denique, hominem ſe eſſe, ac parere Deo didicit. Sed nihil illum tàm abiecit, ac ſpecies quædam per ſomnum obiecta, quæ cùm tantam mutationem eius in mente fecerit, vix tota naturalis fuiſſe iure videatur. Ergo viſus eſt ſibi ad montis cuiuſdam radices conſiſtere, cuius vertex nubes ſuperabat, ſic vt ſummum apicem non poſſet oculorum

acie attingere : tum viſa itidem vox ad aures accidere iubentis multotiès ; Scanderet porro per præruptum : iter illud inſiſtendum ſibi prorsùs eſſe. Cùm hæſitaret, territúſque quò ſe verteret, non haberet, quippe cùm impares vires ſuas eſſe intelligeret, præcipitijs præſertim omni ex parte ſe ſe obijcientibus ; ecce tibi ſcalam videt ad latus, vnáque Sacerdotem è Societate IESV, qui prehenſâ dextrâ, ipſe, præiens, aſcenſum præbuit perfacilem. Hinc expergefactus, ſecúmque reputans quanto in periculo fuiſſet, quámque benignè Dominus Deus, immerentem admonuiſſet officij ; fiduciam ingentem cepit animo, eò re ipsâ perueniendi, quò amica vox ita vocabat, vt opem quoque ſuppeditaret. Quare ſub extremum vitæ tempus, miſeri corporis abiectâ curâ, cui tàm eneruiter toto ſuperioris ætatis tempore ſeruierat, in eo totus eſſe, vt animo mox è corpore diſceſſuro proſpiceret. Itaque Confeſſarium, quoties ab eo inuiſebatur, excipere periucundè, hortari vt accederet propiùs, eáque ſuggereret quæ apta maximè ad formidoloſum illum tranſitum cenſeret eſſe. Cúmque Sacerdos de ſummâ illâ præpotentis Dei maieſtate verba faceret, inueheretúrque acriter in eorum temeritatem atque audaciam, qui repugnare tanto Principi non vereantur ; æger imis ſenſibus perterritus, At tu, inquit, precare ab eo qui cuncta condidit, ſinat ſe flecti miſericordiâ ergà miſerum, auertátque à meo itinere crimina ſuperioris ætatis omnia, quò ne vnum quidem animam agenti occurrat. Tum IESV Chriſti Cruci affixi ſigillum identidem & intuens, & oſculans ſuppliciter ; *Inte*, aiebat, *in te vno ſpes repoſitæ omnes meæ : quando mortem guſtaſti, æquum eſt me mortem ſubire : & quando eam ipſe ſubiſti cauſâ meâ, eſto ergà me miſericors, & tuæ illius regiæ fores mihi pandito. Cadauer hocce odi & execror : illud ſtatim atque iuſſeris, exuam libens.* Atque in hac Chriſtianæ humilitatis exercitatione, Dominíque Dei fiduciâ exceſſit è terris Paulus Teſſæat : illuſtri documento quàm de nullius baptizati ſempiterna ſalute deſperandum ſit, quoad vel tenuis halitus ſupereſt.

AT NATALIS Tekverimat, Sillerianus ille anteſignanus fidei, ſemper ſui ſimilis, ſemper ſibi conſtans, dum naſcentem illam Eccleſiam tùm inſigni mentis firmitudine,

ANNVS MDCLIV.

tùm factis præclaris, exemplíſque morum illuſtribus tuetur; hoc quoque anno oppugnatus ab infidelibus eſt qui virum cane peiùs & angue oderant, quòd omnes, quotquot erant, tanquam lupos ab ſuo grege arceret, hoc eſt à baptizatorum contubernio, paſtor inuictus. Filiolum habebat, numeroſâ aliorum prole deſtitutus, quos omnes ante diem mors, ſi naturam ſpectes, acerba abſtulerat, hoc chariorem, quod & omnium minimus natu erat, & præclaris, perinde atque germani, dotibus inſtructus. Cùm eum quoque mors eripuiſſet, præclaram vt ſibi videbantur, occaſionem nacti fidei hoſtes, moeſtum parentem aggrediuntur, eóque delabuntur ſenſim, vt ex veteri calumniâ, iacturam eam tàm grauem, fidei tribuerent. At is non diu paſſus moleſtos Oratores de re impiâ verba facere, ad omnes, quotquot adhuc obligatos tenebat vetuſta peruerſitas, orationem habuit non verba, ſed fulmina iaculantem. *Nolite putare*, inquit, *fratres mei, vllis me aut minis, aut blanditiis, aut præmijs propoſitis, de fide poſſe deduci: hanc cùm pluris faciam, quàm quidquid poteſt eſſe in hac vita optabile, ad extremum vſque ſpiritum retinebo. Neque res aduerſæ animum meum frangunt, neque ſecundæ emolliunt, neque minæ commouent. Nil tanti eſt ſi contemnamur à vobis, ſi nullo loco habeamur, ſi putemur carere ingenio, quòd amplexi ſumus fidem, quòd preces ad Deum noſtrum frequenter fundimus, quòd eidem nos parere velle profitemur: etiamſi, quod idem ille communis hominum omnium parens omen auertat, diſcederent turpiter à ſancto propoſito omnes ad vnum alij, tamen perſtarem immotus, neque quidquam de ſuſcepto vitæ tenore mutarem. Ac ſi vos quidem noſtro exemplo adducti, legem Dei ducem ſequi voletis, & Baptiſmo piè caſtéque initiari, veſter ſum totus: ſin perſtabitis in contumaciâ, ſic habetote, neminem, ſi audiar, eorum qui corde ſunt prauo, qui ore diſtorto, qui vxorum duarum vno eodémque tempore mariti, qui tympana necdum abiecerunt, qui anilibus maiorum noſtrorum ſuperſtitionibus ſeruiunt adhuc; intrà Sillerianorum Chriſtianorum ſepta admiſſum iri.* Atque hæc non magis oratione profeſſus eſt, quàm re perfecit: ſi quis Ethnicorum figere domicilium ibi loci inſtituit, extrà ſepta illa mapale metatus eſt.

NEC PRÆTEREVNDI præclari in fide Tadoſſacenſium progreſſus: ij necdum ſunt plenè ſtabiles, ſed de more cunctis

cunctis ijs locis ante annos haud plus viginti longè latéque vſurpato, ad hanc diem hyemem in ſiluis ad venandum exegere. Illis hoc anno adhæſit Petrus Ballioquetus è Societate Sacerdos : ac tametſi perhumanè habitus eſt ſemper à Tadoſſacenſium Præfecto, tamen fieri non potuit, quin dura aſperáque multa toleraret. Humus pro lecto, cortex cedrinus pro tecto, menſes toti traducti ſine pane, ſine vino, ſine ſale : vt ad famem ſedandam adhiberetur nihil, niſi carnium aliquantum, anguillarum-ve ad fumum ſiccatarum. Conuenere deinde de more, Tadoſſacum omnes ſub appetentis veris initium, rationem ſui reddituri, pérque ſacram homologeſim expurgaturi pectora. Hoc anno cùm iuuenis quidam ex vnâ turmarum, in quâ complures ſe ſub ineuntem hyemem diſtribuerant, ſuas quiſque ſecuti neceſſitudines, flagitio ſe ſe aliquo, illo venationis tempore contaminaſſet, (quodnam peccati genus, tacetur, coniectura vehemens eſt ex eo genere fuiſſe, quod vel nominari vetat Apoſtolus) Is, vbi ad portum appulſa canoa eſt, antequàm exſcenderet, ex ſeuero tùm Sacerdotis, tùm primariorum Fidelium ſupercilio, ſuſpicatus id quod erat, iam fuiſſe qui anteuerteret, certioribus faciendis ijs quos oportebat, de ſuſcepto ſcelere; exſcendit tamen impigrè, idcircò nihil turbatus, quòd iam ſecum conſtituerat, quidquid impoſitum pœnæ fuiſſet, obire gnauiter, vnum illud deprecaturus, ne fidelium conſortio carere iuberetur. Ergo adit ad illos, eâ mentis demiſſione quæ reum deceret (neque enim auſus eſt in Sacerdotis conſpectum primò ſe dare) inſtat, precatur ab vnoquoque vehementer, ne ſe è ſuo conuentu, merentem licèt abigerent: nihil non facturum, perpeſſurum-ve, quod pœnæ nomine indiceretur. Hîc poſtquàm conſültarant inter ſe, de re haud leuis momenti ad ſecutura tempora, conſenſu denuntiant; Indignum quidem illum eſſe, qui inſontes inter, verſetur reus, contaminatus inter integros : quoniam tamen ſat ſcirent imitari ſe Deum debere, qui reorum flectatur dolore & lacrimis; hac quidem vice actum iri cum ipſo clementiùs, quàm culpæ atrocitas exigat : dicto die adſit ad Sacelli fores, prouolutus in genua, iunctis palmis, nudo tergo, eóque habitu veniam ſupplex poſtulet ab omnibus, quotquot alij ex

ANNVS MDCLIV. alijs itarent ad Sacellum, precetúrque vti pœnas de ſe exigant ob perpetratum facinus, quo & Dominum Deum proteruè violauerit, & publicæ offenſioni fuerit Fidelibus. Nec cunctatus diu incenſus pœnitens: quidquid erat præſcriptum, obiuit, lætior quòd in Fidelium conſortio retineretur, quàm de publicâ illâ verecundiâ deiectior. Faxit Dominus Deus (ſubdit Auctor Gallicæ Relationis) diu teneat ardor tàm ſimplex! vt non temerè pœna tàm publica exigenda à ſontibus, ità nec impediendum quòminùs eam vſurpent, ſi quidem vſurpare non renuant.

MINVS operosè conſuluit vxor egregiè fidelis, viro infideli, hoc eſt baptizato illi quidem, ſed eò vſque oblito Chriſtiani officij, vt abolitam ſuperſtitionem conſulendi tetri dæmonis, quam aliàs exercuerat antè, quàm fidei nomen dediſſet, tantumnon repetierit. Dum per ſiluas vagatur infelix venator, impotens inceſſit cupido artem malè priùs familiarem tractandi denuò, tanto interuallo temporis: adeò quemque ſibi inuigilare oportet, ne praua vitæ prioris ſtudia ſuis quaſi præſtigijs ludant animos, eo præſertim in genere, quo nullum planè periculoſius, Auernali prædone illud etiamnum vſurpante, quod olim dictitabat; *Reuertar in domum meam*, & quaſi ius ſuum repetat, ita miſeros exitialibus agit intemperijs ad id ipſum, quod execrati antè tàm ſolenni cerimonia fuerant, dum in ſacro Baptiſmo illud iubentur profiteri; *Abrenunciare ſe diabolo, & pompis eius.* Ergo fas omne abrumpens, excitat ferale tabernaculum, in illúdque ſe conijcit, reclamante, renitentéque nequidquam vxore, religioſâ in paucis feminâ, & cæleſtes iras denunciante, ſi porrò pergeret. At cùm obſurduiſſet impius ad tàm opportunam orationem, nihilóque ſeciùs ad opus Tartareum ſe ſe accingeret, pia mulier ſigillum Chriſti Domini è Cruce pendentis, quod aptum è Roſario, geſtabat, inde vbi erat, extractum clàm, imponit tabernaculo exterè: & rem miram! homo ad canendum, vlulandúmque nefario illo ritu, perfidioſum in modum comparatus, muſſare nequijt, neque vocem vllam emittere è præcordiis: ità cum rubore exire coactus demùm eſt è ferali ſpeculâ, vxore tum demùm ſontem obiurgante pro merito, gratiáſque benigniſſimo Deo ingeminante, nec ſine geſtienti

Luc. 11.

lætitiâ, quòd tàm facilè, támque citò, & artes elusisset tetri dæmonis, & virum à tàm nefariâ impietate abduxisset. ANNVS MDCLV.

DISPAR Christiani alterius factum, mirabilem prorsùs exitum habuit. Ibidem in siluis Ioannes Baptista Ekhinechkasat, Præfectus egregiè Christianus, cùm in morbum incidisset, vnde mortem consecuturam putabant omnes, adeò contabuerat; in extremâ opis humanæ cuiuscumque destitutione conuersus ad Deum, in aquam tepidam infundi iubet, corticis nescio quid, vnà cum summis stolonibus, ramusculi ex abiete. Tum rerum omnium auctorem compellans, poculúmque tenens dextrâ; *Domine Deus*, inquit, *in quem credo, quem colo & veneror, per te & à te extitit cortex ille, extiterunt isti stolones, vnde pharmacum illud: tàm in promptu tibi est: hac viâ vires mihi restituere, longámque tabem depellere quæ me conficit, atque stirpibus plantísque aliis, quibus vulgò vtuntur Medici: cùm nihil non possis efficere eorum quæ effecta vis, quæso, precórque, consana me, ac iube pharmacum hocce salutare esse ex fide hauricnti; In nomine Patris &c.* Dictum factum: vix hauserat, cùm derepentè simul vitalis succus partes omnes peruasit afflicti corporis, vímque artubus addidit nescio quam; simul videre sibi visus est vir pius circunstantes puerulos, ore longè pulchriori, vt ipse retulit, quàm sancti Angeli, quos vulgo in Imaginibus exprimimus Christiani, atque ij lætâ fronte bono animo esse iubebant, neque enim vim morbi progressuram vltrà. Vt vt id posterius fuit, certè conualuit illicò hoc feliciùs, quod hac specie mirè confirmatus in fide ipse est; alij non potuerunt tàm insperatam sanitatem non mirari in eo, qui pro deplorato habebatur ab omnibus.

ATTEXENDVM denique illustre charitatis exemplum, hoc excelsius, Dominóque Deo gratius, quò minùs è gustu, éque genio Canadensium, qui, vt passim vidimus, alia omnia vsurpabant ante susceptam fidem. Languebant in vili cortice, hinc puer annorum admodùm duodecim, illinc soror quadrima, parente vtroque orbati. Ante annos viginti, quotquot pueruli eò reciderant, de eorum vitâ actum erat: sic enim aiebant homines planè à misericordiæ sensu alieni, satiùs esse illos reste adductâ cripere è tot tantísque ærumnis, quàm vitam ad dies aliquot prorogari ipsis sinere, quæ pro-

ANNVS MDCLIV.

fectò in illâ extremâ deſtitutione diuturna eſſe non poſſet. Et periculum erat ne quid hîc tale eueniret, ſi quis fortè nondum Chriſtianus incideret in miſellos: præſertim cùm pueruli collum ſtrumæ fœdum in modum cingerent, depaſcerentúrque; ſoror, fœdo itidem alui profluuio laboraret. Tale ſpectaculum non tulit ſiccis oculis Antonia Oüaliſtitecqe, femina Chriſtiana, virtute magis quàm ætate florens. Hæc præclaram ſibi occaſionem oblatam interpretans exercendæ re ipsâ Chriſtianæ charitatis, cuius de laudibus tàm multa támque præclara ex ſuis in fide Inſtitutoribus audijſſet, conſtituit illicò cum animo ſuo, tàm ſedulè eorum curam ſuſcipere, ac ſi ſui eſſent. Ergo mundare cepit corpora pædore fœtoréque obſita, mutare ramuſculos, qui pro ſtoreâ erant, fouere igne, noctu præſto eſſe, quoties opus erat, corrogare à Gallis, qui aderant, dulciarij quidpiam: quæ tantâ vultus ſerenitate peragebat cuncta, vt facilè agnoſceres cæleſte quoddam robur piæ menti additum ad ea tàm libenter ſuſcipienda, perficiendáque, à quibus Nationum earum ingenium tantopere abhorret. Hæc cùm obſeruaret, ſuſpicerétque Præfectus Tadoſſacenſis, noctu conuocat ſuos, & hanc omninò ad eos orationem habet. *Auſcultate, fratres mei, auſcultate ſomno excuſſo tantiſper: etenim de re magni momenti agitur. Non canes ſunt ij, quos derelictos ad caſularum noſtrarum fores videmus, ſed ex noſtro hominum genere: éſtne æquum igitur eos deteriori loco eſſe, quàm canes? Et canes quidem mulcetis, canibus eſcam veſtrâ manu porrigitis, canes nonnunquam deoſculamini, canes, quocunque pergitis, adhibetis comites, & ad ſequendum allicitis, ac propè inuitatis: cur non igitur tantum ſaltem humanitatis exercemus in eos, qui naturæ communione coniuncti nobis ſunt? Eos Deus ipſe fidei noſtræ committit: hos curate, inquit, ipſis prouidete: filij mei ſunt. Atque vt id nobis præcipit, ita quemadmodùm iuſſa facturi ſimus, obſeruat, explorat quid agamus, audit quid dicturi ſimus: vno verbo, quales nos aduersùs eos miſellos extiterimus, talem ſe ergà nos profectò exhibebit.* Vt verò orationi facta conſentirent, vxori præcepit vir egregiè pius, vti Antoniam in eo charitatis opere iuuaret pro viribus: tum, vbi ſub veris initium, relictis ſiluis, Tadoſſacum reditum eſt, miſellos in ſuam ipſius canoam impoſuit, vexítque ad Sillerianam ſtationem, vbi haberentur commodiùs.

HISTORIÆ CANADENSIS

LIBER DECIMVS.

INTER HÆC exactâ hyeme, ſuſpenſis Gallorum, Huronúmque & Algonquiniorum animis, quò res tandem euaderent, & an pax illa cum Iroquijs tàm optanda, conſtituta eſſet, ecce nouæ turbæ. Appetente vere, Algonquinij, qui menſes aliquot in Inſulâ Aurelianenſi cum Huronibus exegerant, tenui annonâ ex meſſe autumni ſuperioris vitam viréſque vtcunque ſuſtentantes, vbi acciſa res fuit, in futurum tempus proſpecturi, Sillerianam ſtationem repetiere, agriculturæ daturi operam, & ſuos quiſque agros ad meſſem ſubacturi. Dum in eam curam incumbunt toti ſecuriùs, quàm cautiùs; eorum ſortem miſeratus Ioannes Ligeoſius Religioſus Laïcus è Societate IESV, vir probatæ pridem virtutis, & gentis peramans, admonuit peramicè, ſibi vt conſulerent: ne-ve in quotidianis Annierrononiorum hoſtium incurſionibus metum tanto-

ANNVS MDCLV.

Ioannis Ligeoſij nex, atque elogium.

pere ablegarent, vt non assiduè exploratores constituerent
ANNVS MDCLV. certis locis, qui in omnia intenti, si quid fortè ingrueret ab hoste, dato signo monerent continuò; tùm, quàm possent celerrimè, Sillerum refugerent. Id ipse vobis operæ, inquit, impendam hodie: vos deinceps alij ex alijs agetis excubias. Cùm gratias egissent, recepissentque parituros se se salutari amici monitoris consilio, ad siluam vicinam progreditur: ac vix in eam penetrauerat, cùm glans plumbea è sclopo emissa cor medium traijcit, sternítque pium exploratorem. Scelus nefarium conscium Iroquius emissarius, qui cùm manipulum anteisset popularium suorum quadraginta, ad cædes, vt soliti erant, Algonquiniorum Montanorum ve profectum, latuerat post sepem, si quæ fortè præda non ferarum, sed hominum suæ atrocitati occurreret, tantisper opperiens. Vt solus Ligeosius erat, nemo fuit qui de funesto casu moneret incautos, nemo qui hostem arceret. Ergo accurrit continuò ad exanimem prædo, securíque impactâ, obtruncat immeritum: tùm, de more feræ Nationis, auulsâ capitis cute, cum toto capillitio, ad suos se recipit ouans, & tanquam re benè gestâ, sibi gratulans scilicet. Intereà iacuit truncum corpus ad vesperum vsque, donec solicitis iam, tùm Patribus, tùm Algonquinijs, de Ioanne, cùm hac illac diuersi absentem requirerent, postquàm diu ore clamores nequidquam sustulerant varijs locis; tandem tristi spectaculo corpus suo sanguine respersum conspiciunt, referúntque lacrimabundi, iacturam sanè grauem graui luctu eiulatúque prosequentes, vt par erat. Nam fuit vir apprimè religiosus, & cui multùm non Algonquinij modò, sed etiam Gallica Colonia debet, cui suos labores sudoréque singulari charitate impendit annos vnum & viginti: officij retinentissimus, maximi animi in rebus arduis tùm suscipiendis tùm perficiendis, idémque ab omni non modò peccato, sed etiam peccati specie perstudiosè refugiens: Neophyti quidem certè quàm altè insiderent in animo non potuit illustriori documento testatum relinquere, quàm animâ, hoc est vitâ, eorum causâ ad eum quem diximus modum profundendâ. Corpus conditum à Patribus in communi tumulo, quem excauatum habent in Sacello: recordatio
Psal. III. interitura nunquam est, siquidem *In memoriâ æternâ erit iustus.*

Porrò casus tàm inopinatus eò vsque perculit Algonquinios, vt omni omninò sementis cogitatione abiectâ, diffugerint alij aliò, vitæ suæ quoquo modo consulturi. Kebecci pars consedit, pars perrexit Tadoussacum vsque : tùm hi autem, tùm illi haud ita diu pòst Sillerium repetiere, postquàm munitionis qualiscunque moenia Gallorum cura industriáque aliquantò altius extulerat, vt locus idoneus arcendæ Iroquiorum impressioni esset, si fortè eò vsque sibi confiderent, vt de eâ oppugnandâ susciperent cogitationem. Et paulò pòst accessere coloni noui ad centum, præsidio tanquam diuinitùs submisso, ingenti excipientium lætitiâ, maiori aduenientium vtilitate. Nipissirinij fuere, olim vicini Huronum, opulenti, vt ijs locis, neque à fide alieni iam tum, cùm erat eorum fortuna florentior. Ad eos iam Societatis Sacerdotes excurrerant: atque, vt se dabant initia, spes erat fore vt felicissimè res cederet, nisi Iroquiorum importunitas etiam illic disturbasset opus Dei. Excepti ingenti gratulatione, tùm à Sillerianis Neophytis, tùm à Gabriele Druilletio, Missionis Superiore, viro noto iam satis, ex ijs quæ de eo memorata sunt suprà. Postridie quàm aduenerant, consilij sui rationem exposuere coràm, oblatis de more muneribus. Orationem ad tempus accommodatam habuit grandæuus Præfectus, patriâ & grauitate, & eloquentiâ pollens: Extorres se, ac profugos nouas sedes quærere coactos fuisse, quandoquidem natale solum ferro flammáque Iroquij vastauerant: in illâ ærumnâ, venisse sibi in mentem pristinæ amicitiæ cum fœderatis Huronibus, recordatósque se esse, inuitatam gentem suam ab ijs fuisse, ad vetus contubernium: eo animo aduenisse se, aduenturos breuî totidem: deinceps omnia inter ipsos communia fore: nepotum suorum communes hostes, communes amicos futuros. Excepta est hæc oratio summâ studij significatione ab Sillerianis, & mutuis verborum officijs, declaratum, quàm iucundus, quámque opportunus illorum aduentus esset. Nec cunctatus Præfectus, postridie Kebeccum descendit, Proregem salutaturus, reuisurus tanto interuallo Franciscum Mercerium, Sacerdotem è Societate, eiusdémque Societatis ijs in tractibus tunc Superiorem, quicum olim, dum res Huronum florebant, egerat familiariter. Post primam salutationem conuocatis hinc

ANNVS MDCLV.

Nipissirinij ad Sillerianos se recipiunt.

ANNVS MDCLV.

Gallis, istinc indigenis, Proregem appellans senex, eadem ferè repetijt, quæ Silleríanis iam exposuerat, verùm, maiore & verborum, & sententiarum apparatu. *Nulla*, inquit, *Onontio, patria deinceps est Nipisiriniorum: ex quo apud nos Gallorum vidi neminem, vagus semper fui, hac illácque latebram quaritans. Et polliciti quidem eratis, Galli, vos post biennium adfuturos denuò: sed cùm non biennium modò, sed etiam triennium elapsum sit, nulli spe vestri reditus, tum demùm, id quod proximum fuit, ad vos descendi, memor pollicitos vos fuisse, exceptum me iri à vobis si huc migrarem. Feci quod insinuastis: neque ipse veni modò, sed etiam adduxi vxores, liberos, nepotes: omnes tanquam vestro in sinu consistemus, nisi molestum vobis est. Tuum erit deinceps, Onontio, fouere nos, ac tutari, tuísque opibus & consilio perficere, ne Iroquiorum diritati vnquam pateamus: habes hîc reliquias gentis Nipisiriniæ: eas si tibi eripi sines, nulli iam sumus.* Et oblatis muneribus, non ex conchâ veneria, sed ex fibrorum pellibus permultis, orationem conuertit ad Achiendasse (hoc nomine Hurones Franciscum Mercerium, ibidem tunc Missionis Superiorem appellabant) *Tu verò*, inquit, *qui tantoperè nobis studuisti, cùm in patrio solo nostro versarere, in quo spes penè omnes meas repositas habebam, quem expectabam seruaturum nepotes, filios, consanguineos meos; neutiquam, sat scio, studium illud deposueris: vinculum illud quò arctiùs stringatur, ne munusculum hoscè repudia.* Et in dicto, faciseulum item fibrinarum pellium ad eius pedes aduolui iubet.

VT PERIVCVNDE excepta est senis oratio, nec repudiari munera potuerunt sine offensione offerentium; consentaneum erat, vt vicissim nouos hospites munerarentur Prorex, Mercerius, Silleriani: ac Prorex quidem & Mercerius dies aliquot distulerunt; Natalis Tekgerimat, Sillerianorum Christianorum Præfectus, Gabriélque Druilletius, cui incumbebat procurandorum eorundem in spiritualibus prouincia, vnà cum appositâ oratione sua obtulerunt. Ac Natalis quidem apto exordio excusans, si fortè minùs vrbanè excepti à se suísque essent noui hospites; *Naturali moriendi necessitati*, inquit, *concesserunt, mi frater, Præfecti nostri quotquot erant, ætate grandiores: si quis eorum superstes esset, ab eo exquisijssem, quemadmodum excipi Nationes totæ solerent, si quando aduenirent totæ: nunc, cùm*

id

ANNVS MDCLV.

id deſit, vnum vobis cupio declaratum, ſummum gaudium meum, meorúmque eſſe de veſtro aduentu. Vnà Sillerianam munitionem tenebimus, propugnabimúſque: vnà venabimur, vnà piſcationi operam dabimus: communia tecta erunt, communis vitæ conſuetudo. Proinde abſterge lacrimas tuas, atque ad modeſtam lætitiam mentem tuam traducito. Vnum eſt quod præſtare nequeo: noſti morbus quàm careat ingenio: modò hos, modò illos corripit, nullo neque ætatis, neque fortunæ diſcrimine: ſi quid tale ingruet, tuum erit magno & forti animo ferre: cetera pro noſtrâ tenuitate deliniemus, aut etiam fortè depellemus. Ceterùm, quoniam filium fratris (an ſororis) tibi Iroquiorum eripuit crudelitas, excitandum tibi illum à tumulo auito ritu intelligo: proinde torquem hanc collo indue tuorum alicuius, qui & eius nomine vocetur deinceps, & te tanquam patruum recreatur. Dum hæc diceret, ad ſingula capita munera promebat ex more: torquem hanc in vltimum locum reſeruauerat, vtpotè maioris pretij.

NATALIS orationem excepit Druilletij oratiuncula, ad rem atque ad tempus conſideratè accommodata. *Ego*, inquit, *cùm hîc non ſim educatus, capies fortè minùs quæ dicam balbutiens: ſed ſi linguæ veſtræ vim minùs exæquat meæ vis, cor tamen idem eſt, cogitationes eædem, quæ illius, qui proximè ad te verba fecit. Torques hæc quam manu teneo, vinculum aptiſſimum erit ad noſtras vtrorumque mentes colligandas: hanc habeto, ſimilque intelligito me lubente in hoc noſtro præſidio, nobiſcum vos, nepotes veſtros, vxores, liberos, verſaturos. Neque verò ferre poſſim vos ex veſtis penuriâ ſeminudos, vt eſtis, perſtare diutiùs: en vnde amiciamini. Et quando ÿdem nobis foci, tecta eadem deinceps futura ſunt, qui hoſtis veſter erit, idem noſter futurus eſt. Si te vexabunt Iroquÿ, me vexabunt pariter: en arma, quibus eorum furiales impetus propulſes. Vnum habeo quod inculcem præ ceteris: audias me videlicet attento animo, ſi quando de Deo verba faciam, (faciam autem frequens) hoc eſt de ſummo arbitro rerum noſtrarum, cuius ſumma in noſtras hominum mentes corporáque vis ac poteſtas eſt.* Hæc quatuor breuis orationis capita munera totidem commendauere: quæ poſtquam ſingula exceperat Præfectus ingenti ſuâ ſuorúmque approbatione, cuius ſolenne gentis *Ho, ho*, imis ex præcordijs hilarè eductum, indicium fuit, retractans deinde ſingula, in compendium redegit quæ dicta

ANNVS MDCLV.

à Druilletio fuerant, iuuenésque appellans circunstantes; Audite, inquit, atque adeste animis. Videtis quantâ hîc humanitate atque suauitate excipiamur: penè obruimur bonorum cumulo: nulla vnquam vestras mentes subeat hodiernæ lucis obliuio. Atque hîc denuò festiuo seu cantu, seu clamore testificati sunt omnes, facturos se vtique quæ commendaret senex: gratiásque amplissimas habere se tàm beneficis hospitibus professi sunt.

DIEBVS aliquot interiectis, per quos nouis hospitibus lustrare loca licuit, singuláque quæ à veteribus colonis vsurparentur, considerare, accersiti à Prorege sunt, adstante Mercerio: atque is ad gentis genium orationem accommodans, per Interpretem vnà cum donis; *Vestra*, inquit, *munera iucunda mihi fuerunt: habete hæc vicissim, atque intelligite; Nolle me quemquam vestrum loco esse non munito: palum primum ad muniendum figitote. Nolim item vos esse inermes: si hostis ingruet, arma vnde repugnetis sufficientur: vos modò valete animis, fortitérque aduersùs atrociſsimum hostem dimicate. Et quoniam video viduas senésque vestros egestate premi, curam illam in me suscipio, vt vtrisque tribuantur ad victum necessaria: & ad illos quidem quod attinet, qui in morbum incident, præsto est Xenodochium, vbi habeantur percommodè: nec vlli vestrûm deerunt qui illud procurant. Vnum est quod præ ceteris commendatum vobis velim, vt audiatis perattentè, eum qui de Deo, rerum omnium procreatore verba vobis facturus est: illius est iter ad cælum vobis munire, rectáque, & opportunas institutiones eam in rem tradere: vestrum, quantâ maximâ poteritis diligentiâ ac solicitudine in id negotium omnium maximum grauiſsimúmque incumbere. Ac, si nescitis, quædam sunt isti tàm sanctæ sedulitati inimiciſsima, vinolentia, polygamiáque imprimis: si vos ipsi saluos vultis, ab ebrietate tanquam à teterrimo dæmone refugite: & singuli singulis contenti estote vxoribus, omníque cauete studio, ne priscam consuetudinem hinc tandem aliquando exterminatam postliminiò reuocetis. Denique quoniam ad me perlatum est, Iroquiorum perfidiâ ereptum vobis superiori hyeme fuisse Præfectum è primarijs, reuiuiscat sanè is vestro more: illum perlubenter videbo denuò vobiscum inambulantem.*

VBI DESIERAT loqui Prorex, orsus Mercerius est ritu eodem, hoc est singulis muneribus singula orationis capita

distinguens: illud inculcauit potissimùm, si, vel cùm patrium solum incolerent tàm procul dissitum, eis semper studuisset, sempérque de sempiternâ eorum salute fuisset solicitus; multò magis id sibi faciendum deinceps, postquàm in suum quasi sinum confugissent. Ergo secutæ sunt festæ acclamationes de more: dein additum epulum, ad idque non viri modò, sed etiam feminæ, pueri, puellæque inuitatæ. Carnium erat affatim, & scilicet cum aliquo nitore, vt Gallorum mas est, apparatarum: ceterarum rerum nihil defuit, quæ in Cnadensium conuiuijs adhiberi solent. Secundùm epulum, ad saltationem conuersi, singularis lætitiæ indicem illius, quâ noui hospites tantâ humanitate excepti gestiebant, choream sic instituerunt, vt ad tympani sonitum, numeris iucundum suis, saltarent viri seorsim in gyrum, seorsim virgines, sic vt nullus se se contingeret: ac vultum quidem corpúsque varios in habitus flectebant, at tantâ modestiâ, Christianæ præsertim virgines, vt verecundiam illam quotquot adstabant Galli spectatores, vehementer suspexerint.

Iroquiorum Annierrononiorum noua importunitas.

AT IROQVII non vno modo omnes se gessere. Annierrononij quidem semper sui similes, hoc est semper feri importunique, vbique suæ immanitatis cruenta vestigia reliquerunt: quod nunquam anteà tentarant, ad triginta leucas ipsas cis Kebeccum progressi, hoc facilius incautos fefellerunt, quòd nunquam eò venturi fuisse putabantur. Maximè insigne eorum audaciæ monumentum fuit, quòd ad Insulam vsque *Anserum* (locus est cis Kebeccum, leucas Gallicas duodecim inde dissitus, amoenus, vbérque in paucis) cùm excurrissent ad VI. Cal. Ionias, quem in diem inciderat festa celebritas Corporis Christi; adoriuntur ex improuiso è siluâ, in quâ insidiosè latuerant, patrem familias, vnà cum vxore liberísque paulò longiùs è pago progressum. Prædones sex, in vnum impetum fecere: qui cùm resistere repugnaréque potius duceret, quàm viuus in tàm truculentorum hostium manus venire; dum fortiter pro vitâ dimicat, plumbeis displosorum scloporum glandibus traiectus est: cùm nec vxor quidem raptantes se sequi sustineret, mactata est crudeliter ab ijsdem: sobolem corripiunt, vinciúntque, hoc est, cum puerulo admodum sexenni, virgunculas tres, quarum natu maxima decennis, circi-

ANNVS MDCLV. ter, octennis altera, tertia paulò minor natu; & ad triſte ſeruitium abducunt inſontes. At non diu prædâ potiti ſunt: per iuſtam vim coacti penè continuò fuerunt reſtituere, quos per importunam immanitatem rapuerant. Quatriduo pòſt quàm abſceſſerant, dum præter Montem-regalem nauigant Annierrononij alij aliquot, inaudiuere ſuperſtitem adhuc eſſe vnum è ſuis, à Gallis autumno ſuperiori captum in certamine, cuius de vitâ pridem deſperauerant, necatum rati, vt cuique procliue eſt ex ſuo ipſius ingenio metiri alios. Cùm vix ſibi perſuaderent illum viuere, Galli à quibus captiuus aſſeruabatur, hominem producunt eminùs, dántque in conſpectum. Vt ad colloquium ventum eſt, aſſeuerat ipſe ſtupentibus, haberi ſe perhumaniter à Gallis, ac ſi vincula illa exciperent, quibus irretitus tenebatur, nihil eſſe quod requireret prætereà: proinde ſe ſorte ſuâ delectari. Mirati vehementer Gallorum humanitatem, tum quidem abſcedunt, poſt dies autem aliquot reuerſi, in aduersâ ripâ conſiſtunt, canois inuecti pluribus. Harum vnâ quadam qui vehebantur, dum accedunt propiùs, credo ad colloquium, delapſi ſunt ſenſim incautiùs in vorticem rapidum ſanè, vnde ſe expedire nequierunt, quantamcunque tandem remorum vim brachiorúmque adhiberent, quippe mipacti in breuia: eo loco deprehenſi à Gallis in ſcaphâ accurrentibus, cùm opitulari ſocij nequirent, eiuſdem infortunij metu; abducuntur in Arcem, viſuri cominùs ſcilicet popularem illum ſuum, at non pro arbitratu diſceſſuri. Ad eos tres, acceſſere poſtridie quinque alij, ex agmine eodem: cùm enim ipſi quoque in canoâ progreſſi eſſent paulò longiùs, ex illo ipſo vortice delati ſunt ad ripæ plagam, quam tutam crediderant: at eos fefellit opinio: Gallorum iuuenum ex Arce manipulus adfuit illicò, ſclopis inſtructus: ità, cùm repugnare ſine præſenti vitæ diſcrimine nequirent quinque, longè pluribus; vltrò deditionem fecere, captiuíque códem abducti ſunt. Nec mora: in lembum impoſiti omnes, cum idoneâ Gallorum militum manu, Kebeccum ad Proregem mittuntur. At Annierrononij præclaram ſibi occaſionem rati recuperandi ſuos, occurrunt ſcaphæ, diſplodúntque continuò ſclopos ex canois, quotquot erant. Inter captiuos vnus erat, Præfectus ex totius Nationis primarijs, vir pari

bellicæ fortitudinis, & prudentiæ laude clarus apud ſuos. Is quantâ maximâ potuit vocis contentione appellans populares; *Necatis me*, inquit, *commilitones: abſiſtite: res deinceps conſilio gerenda, non armis: habemur perhumaniter à Gallis, quorum in manus imprudentiâ noſtrâ venimus: quid laceſſitis nihil malè neque de vobis, neque verò de nobis meritos? In illud potiùs incumbite, vt pax fœdúſque ſtabile inter nos conſtituatur: eâ viâ ſaluti tùm noſtræ priuatim, tùm publicæ in commune conſuletis.* Vox erat amicior, quàm vt negligerent: itaque ſpondent ſe enixè curaturos quod Præfectus factum cuperet: deinceps nihil hoſtiliter geſtum iri: repedare ſe continuò in patriam, prouiſuros ne quid incommodi recentes captiui caperent, hoc eſt tres eæ virgunculæ eum puerulo: ſic de permutandis vltrò citróque ijs qui in vinculis eſſent, commodiùs actum iri: pacem ex eâ permutatione ſecuturam. ANNVS MDCLV.

NEC FEFELLERVNT tum quidem: ipsâ feſtâ luce S. Ignatij, hoc eſt pridie Cal. Sextiles adfuerunt Annierrononij quatuor, acturi de pace. Captiuos reducebant, non modò illos quatuor, ſed Gallos prætereà iuuenes duos, quorum alter captus erat recens ad Triſluuium, alter in eorum manus venerat autumno ſuperiore ad Montem-regalem. Interpretem prætereà habebant ſecum, Gallum item iuuenem, qui ante quinquennium captus ab ijſdem, reſeruatúſque, Iroquium idioma præclarè arripuerat. Excepti perhumaniter noui Legati ſunt: ſtatímque miſſus nuncius Kebeccum ad Proregem, cum literis: quibus de illorum aduentu ſignificabatur: & aduolauit is continuò ad Triſluuium, rei tanti momenti operam daturus. Poſt mutuam ſalutationem, gratulationémque, vbi ventum in conſilium eſt, profeſſi ſunt palàm Annierrononij, ſe quidem auere magnopere, pacem, fœdúſque inire cum Gallis, longéque malle vicinis talibus amicis vti, quàm hoſtibus: ad Algonquinios autem, Huronéſque quod attineret, non poſſe adduci gentem ſuam, vt vllâ cum ijs conſociatione iungeretur. Videret Prorex quid faciendum ſibi Galliſque cenſeret: neque enim Annierrononios ab eâ mente abductum iri. Allata munera de more, Annierrononij deprompſerunt ad nouem, quæ totidem fuere legationis capita. Reſtituere ſe Proregi eos, quos ſors belli captiuos fece-

Gallos inter Annierrononiósque pax conſtituitur.

ANNVS MDCLV.

rat : nihil tàm cupere ſe, quàm vt pacem fœdúſque cum Gallis conſtitueret : illos nihil vnquam hoſtile ab Annierrononijs perpeſſuros. Repetere ſe viciſſim nouem illos Annierrononios, quos haberent Galli in vinculis : intereà ſe ingentes habere gratias pro humanitate, quàm toto eo interuallo Galli ijdem in eos exercuiſſent. Valere ſe iubere caliginem illam bellorum, quam iam nunc diſcuſſam prorsùs vellent Annierrononij : in rebus tàm turbidis vitam ipſam inſuauem eſſe : eadémque de causâ abſtergendum cruorem, qui varijs locis amnes per cædes decoloraſſet. In poſterum, humanè exciperentur à Gallis Annierrononiorum ij, quos ad eorum ripas aut eieciſſet naufragium, aut cauſa aliqua alia adduxiſſet. Flagitare ſe magnopere vnum ſaltem è Gallis Sacerdotibus, qui ſecum pergeret ad Annierrononios; non dubitare ſe, quin ſi veniret, pax inter vtramque Nationem firmaretur in perpetuum. Vnum eſſe quod profiterentur palàm, nunquam adductum iri gentem ſuam, vt vllâ cum Algonquinijs Huronibus-ve conſociatione iungeretur : populi vtriuſque odium tàm altè impreſſum eſſe in Annierrononiorum mentibus, vt illud nulla vnquam temporis diuturnitas poſſet extinguere. Perculit vehementer Proregem Gallóſque barbaræ gentis denunciatio tàm contumax : quam enim tandem pacem iniri poſſe cum Barbaris, qui pacis mentionem cum fœderatis Algonquinijs Huronibúſque ne ad aures quidem admitterent? quid in tàm arctâ conſociatione & Algonquiniorum & Huronum, atque adeò in quotidianâ conſuetudine, tutum Gallis eſſe poſſe, qui permixti vtrique populo, noctes diéſque eandem ſubituri aleam eſſent, eâdem in formidine victuri? Quæ ſi non adeſſent, tamen turpe eſſe Gallici nominis maieſtati, deſerere ſocios inermes, egentes, derelictos, & barbaræ hoſtis tàm atrocis immanitati permittere. Cùm tentati fruſtrà ſæpius eorum animi hîc fuiſſent, tandem vbi locutus Prorex erat cum concilio, Annierrononios appellans; *Quando*, inquit, *eò vſque inſedit veſtris pectoribus, nullam cum fœderatis noſtris pacem inire, illud ſaltem ſeruabitis in poſterum, vt ſi bella cum Algonquinijs Huronibúſque geretis, procul noſtris finibus geratis. Sat multas cædes oculis vſurpauimus : ſat cruoris fuſum vidimus : ſat multos tumultus nocturnos diurnóſque pertulimus;*

ANNVS MDCLV.

dandus demùm locus publicæ tranquillitati. Equidem mutuum inter nos fœdus & firmius & ſanctius eſſet, ſi Algonquinios quoque, Huroneſque complecteretur : verùm, quando aſſentiri nunc quidem tàm æquæ poſtulationi renuitis ; ſaltem illud maneat, vos ad Triſluuium ſecures, enſésque, & ſclopos fixuros deinceps, hoc eſt non vltrà progreſſuros, Kebeccum versùs. Si quos locis remotioribus, ex Algonquinijs Huronibus-ve deprehenderitis, agitote ſanè vt lubebit : cis Triſluuium abſiſtite quidquam hoſtile moliri. Dura ea ipſa conditio viſa Barbaris : verùm, cùm permagni facerent Gallorum amicitiam, repugnare non ſunt auſi : præſertim cùm in ſubitarijs illis impreſſionibus vt victores fuiſſent ſæpiùs, victi tamen quandoque fuerant, ſícque attriuerant, vt ipſi quoque attererentur. Vel ex eo coniectura fiat quòd Algonquinia mulier cùm virum ſuum in vincula coniectum iam videret à quinque iſtius gentis prædonibus, correptâ derepentè ſecuri, eum qui obuius primus fuit, necauit ad dextram, eodémque momento ad ſiniſtram conuerſa, obtruncauit alterum, tum ſolutis continuò viri vinculis, reliquos tres, quos in fugam attonitos audax feminæ factum egerat, inſecuta, aſſequi non potuit. Iis igitur de cauſis conditionem Annierrononij acceperunt, cum muneribus quibus eos vicißim Prorex redonauit : omnium gratiſſimum, nouem illi captiui fuere. Et fidem vtcunque ſeruauerunt : nam ex illo tempore nullam quidem cædem fecere cis Triſluuium : ſed cis Triſluuium tamen inſidiosè latuerunt, cùm ab ijs cæſus eſt Leonardus Garrellus, Gallus, è Societate IESV Sacerdos, vt anno ſequenti narrabitur. Tum quidem, quod enixè flagitauerant, miſſus cum illis eſt Simon Monæus, ex eâdem Societate, idem quem anno ſuperiore primum omnium Sacerdotum ad Iroquios ſuperiores excurriſſe vidimus.

Audax feminæ facinus.

ERGO LÆTI rei ſucceſſu Annierrononij cum ſuo Inſtitutore ex Monte-regali cùm ſoluiſſent XVI. Cal. Septembris, nono pòſt die obuios habuerunt Onnontaërrononiorum Legatos ad duodeuiginti, miſſos Kebeccum de pace à quatuor Iroquiorum ſuperiorum populis, cum muneribus vt ijs locis, magni pretij. Conſalutarunt peramanter alij alios : vtque Simonem iam apud ſe viderant Onnontaërrononij, gratulati ſunt vehementer Annierrononijs vectorem talem : & habe-

ANNVS MDCLV

rent eum perhumaniter, hortati sunt. Tum professi se Kebeccum descendere ad firmandam in perpetuum pacem, non modò cum Gallis, sed etiam cum Algonquinijs, Huronibúsque; auctores Annierrononijs fuerunt idem quoque faciendi: sic fœdus demùm fore stabile: sic quiete & tranquillitate publicâ perfruituros iucundiùs: sic securos demùm futuros, postquam deinceps neque Algonquinij Huronésque ab Annierrononijs, neque ab ijs Annierrononij, metuerent. Ita, ostentatis muneribus, Kebeccum versùs perrexerunt iter: Annierrononij omnia verbis saltem polliciti, cursum itidem tenuerunt. Vt ad nouam Onnontaërrononiorum legationem veniamus, Montem-regalem Trifluuiúmque præteructi, & vtrobique excepti peramicè, Kebeccum sub exeuntem Augustum peruenerunt. Postquam Proregem consalutauerant, dum dies concilio dicitur, lustrauere læti omnia. Habebant secum feminam, vxorem Præfecti primarij, illius eiusdem, quem à Simone baptizatum apud Onnontaë, superiore anno vidimus, in procinctu expeditionis aduersùs Nationem felium. Is cùm deprædicaret palàm, se singulari Dei munere non modò victoriam retulisse ex hoste nec minùs bellicæ rei experienti & longè superiori copijs, Baptismi vi, vt aiebat, depellente à suo corpore sagittas, circà tempora vtrinque in momenta stridentes; sanctam cupiditatem vxori iniecerat itidem capessendi fidem, Deúmque Gallorum noscendi, tàm potentem eundem, & tàm beneficum. Ergo cùm se viro Kebeccum descendenti adiunxisset vltrò, commodùm, dum S. Vrsulæ Moniales inuisit, inter virgunculas ceteras, quæ in illo virtutis Seminario educantur, vnam suspexit præ alijs, *Mariam Agentohons*, ex Huronum gente, à matre traditam in sanctam illam disciplinam, ante annos iam aliquot. Hæc mirabili quâdam ingenij felicitate eò vsque profecerat in arripiendis ijs quæ Magistræ tradebant, vt annos vix nata quindecim, æquales suasiam tum doceret vicariâ operâ pro Monialibus: & Gallicam linguam sic didicerat; vt peregrinam vix crederes, hoc mirabiliùs, quod cùm Hurones alphabeticis elementis Europæis septem careant, vt antè vidimus, B, F, L, M, P, V, X, efformare vulgò nequeant voces, quibus literarum earum aliqua plures-ue continentur: peritè præterea legens,

legens, ſcribénſque tùm Gallicè tum Latinè, voce autem ad cantum ſuauiſſimâ. Vbi eam primùm vidit, audiítque vxor Præfecti, mirum in modum tali indole delectata, petijt à Monialibus, liceret ſibi cum eâ colloqui extrà ſepta, clathráque. Cùm educta eſſet, multáque tùm è memoriâ recitaſſet, tùm è chartulâ legiſſet Huronicè, ſtupentibus feminis quotquot aderant cum illâ primariâ; cibum cum illâ ſumpſit ad crates: tum, cùm filiam appellaſſet Iroquia, *Nomen·claturam arripio*, inquit acerrimi ingenij virguncula, *perlubenter te agnoſco pro matre: tu viciſſim agnoſcis me pro filiâ? Cùm annuiſſet*, *Ergo*, *pergit Maria*, *fac vt arctiori quodam neceſſitudinis vinculo Iroquÿ tui copulentur nobiſcum: nobiſcum tanquam cùm fratribus agite deinceps. Et quandoquidem me pro filia agnoſcis*, *mitte ad me ex ſororibus meis Iroquÿs quotquot poteris commodè: ego ipſis ero pro ſorore primogenitâ: ego illas inſtituam: ego eas docebo orare, ac ſummum rerum omnium parentem venerari: ego illis tradam peramanter, quæcunque mihi Magiſtræ meæ quas vides, tradiderunt.* Et in cantum repentè prorumpens, ſacros Hymnos modulari inſtituit Gallicè, Latinè, Huronicè, tantâ ſuauitate, támque potenti illecebrâ, vt vix mulier, quæque adſtabant cum illâ aliæ, compotes ſui eſſent. Quærere quantum temporis ſpatium neceſſarium eſſet, ad Iroquias puellas ad hunc elegantiæ, peritiæque gradum, perducendas, & ad Gallicam illam elegantiam promouendas. Et occaſione vtendum rata Maria, nullo quoquam mortalium quidquam ſuggerente, facultatem petijt à Monaſterij moderatrice, munuſculo donandæ matris ſuæ. Cùm ea annuiſſet, è ſcriniolo affert confeſtim Maria gladiolum in vaginâ, affabrè factum; thecámque cum varijs loculis, exiguam, at eleganter filis aureis variegatam, quorum ſinguli ſingula inſtrumenta capiebant, forfices, ſcalpellum, & alia eiuſdem generis: illum Præfecto, hanc Præfecti coniugi, matri deinceps ſuæ offert. Valuit res in ſpeciem ludicra ad rei Chriſtianæ Iroquiæ fundamenta iacienda: vt non tàm naturâ duce, quàm cæleſti aliquo moderatore præeunte, hæc & dixiſſe, & feciſſe, virguncula videri poſſit. Nam, verbis quoque munus, quod aiunt, exornans; *Hoc munuſculum*, inquit, Præfecti vxorem appellans, *pro monumento tibi eſto huius noſtræ mutuæ neceſſitu-*

ANNVS MDCLV.

dinis : ſi id gratum tibi, iucundúmque accidit : confidam te deinceps mihi futuram pro matre. In ver proximum expectabo ſorores illas meas. Magiſtræ meæ eas tanquàm filias complectentur, ego tanquam ſorores peramanter excipiam.

IAM, LEGATIS Onnontaërrononiorum audiendis, dicta dies erat ad pridie Id. Septemb. Ea dies in Dominicam eo anno incidit : atque adeò cùm ſanctè feriata eſſet, frequentior conuentus fuit. Munera quatuor & viginti afferebant, quæ à legationis Principe ſublimè ſuſpenſa è fune, apto hinc inde ex perticâ, adſtantium omnium oculis ſubiecta ſunt, ad pompam minimè iniucundam indigenis, quibus, vt ſuum cuique pulchrum eſt, concha veneria, è quâ cuncta dona conſtabant, mirè placet. Tum ad dicendum ingreſſus Orator, primùm omnium compellat Algonquiniorum Huronúmque primarios, qui conuentui intererant, ingreſſúſque in eam orationem eſt, quæ vehementer expetebatur, omnia ad pacem vergere. Eam in rem, tertiam munerum partem, hoc eſt octo, ipſis propriè aſſignauit ; primum, ad abſtergendas lacrimas, quarum vim tantam populi illi duo deplorandis ſuorum cædibus, funeribúſque profudiſſent ; alterum, ad eluendum cruorem, qui eorundem vel fluuios, lacúſque decoloraſſet, vel montes infeciſſet : tertium, ad ſecures, telorúmque genus omne excutiendum ex eorum manibus ; ex cordibus, omnem bellorum certaminúmque cogitationem vellendam : quartum, ad rationem reſtituendam ſuæ ſedi, alludebat ad opinionem illam totis longè latéque regionibus illis peruagatam receptámque, in iracundiâ, ínque acceptarum iniuriarum vlciſcendarum cupiditate, atque adeò in qualibuſcunque mentis commotionibus vehementioribus, mentem, ſeu facultatem illam animi cuius eſt ratiocinari, excedere è corpore : ei reuocandæ, proprium munus attribuunt : quintum, potionem vocabant aptam ad ſenſum omnem amaroris, felliſque, & irarum, diſpellendum ocyùs : ſextum, quò aures accommodarent ad audiendum verum, mentionémque pacis in poſterum ſtabilis admittendam : in motibus enim animorum turbidioribus homines vulgò & orbari luminibus, & obſurdeſcere : ſeptimum, quò ſibi perſuaderent, Nationes quatuor Iroquiorum ſuperiorum conſenſu in pacem

ANNVS MDCLV.

minimè fucatam conſpirare : neque vnquam eas hîc diſcordes inter ſe fore : octauum , quoniam ſemper inſanirent Annierrononij , nihílque niſi certamina cædéſque anhelarent; ſecurim ipſis ereptum iri , ſi pergerent , ab ijſdem Nationibus quatuor Iroquiorum ſuperiorum : faciendum enim prorsùs eſſe , vt pax totâ regione conſtitueretur. Alia deinceps munera omnia Proregi oblata ſunt , quippe quæ ad Gallos cuncta ſpectarent. Prima ex eis quatuor , vulgaria , conciliandæ beneuolentiæ : Quintum eò dirigebatur , vt mittere ad ſe Prorex vellet Gallorum agmen, quò vnus deinceps ex vtroque populus fieret , ad eum modum , quo ante annos aliquot Galli ijdem apud Hurones ſtabilem ſedem fixiſſent. Sextum , ad impetrandos ab eodem , Sacerdotes aliquot Gallos , qui Iroquiorum eorundem liberos inſtituerent ad fidem. Septimo flagitabant lectam Gallorum militum manum , qui furentis felium Nationis bellicos impetus propulſarent. Octauo, offerebant Patribus Societatis IESV, locum totius regionis amoeniſſimum , ad Onnontaë, ſeu Onnontague pagum, hoc eſt in meditullio Nationis totius , quò vndique commodè confluerent : & quoniam illa initia grauibus ferè moleſtijs abundant , ad eas vtcunque leniendas ſtoream offerebant , in quâ poſſent noui hoſpites conquieſcere aliquantum ; id munere nono deſignabant. Decimo feſtam illam arborem , quam antè Kebecci , mox ad Trifluuium , pòſt , ad Montem-regalem depanxiſſent , ibidem ad pagum Onnontague erigendam eſſe : hoc eſt , eo loco deinceps habitum iri concilia cuncta de pace , déque rebus maioris momenti alijs quibuſlibet : eò , arborem illam tàm ſublimè fixum iri , vt à circumpoſitis vndique populis cerni facilè poſſet. Vndecimo , ibidem ſupernè figere Solem volebant , quò ijſdem in concilijs luceret ſemper : hoc eſt , fucum omnem fraudémque arcendam deinceps ab ijs deliberationibus , ſic , vt ſincerè omnia peragerentur. Duodecimo, focum parabant omnibus qui ad ſe viſendos venturi eò forent. Decimo-tertio , brachia corroborabant Proregis : quò ſicut antè Algonquinios Huronéſque, abſque eo foret , prorsùs perituros , texiſſet , & tanquam in ſinu fouiſſet ; ſic ad Iroquiorum quoque ſalutem paternas illas curas deriuare ne grauaretur. Decimo-quarto aſſeuerabant,

ANNVS MDCLV.

vnum idémque, ad pacem cum Gallis conſtituendam quod attineret, cor eſſe Nationum Iroquiarum ſuperiorum quatuor: neque quidquam ſimulatè hîc à ſe tractari. Decimoquinto arma flagitabant, quò dimicare minore periculo poſſent cum Natione felium. Munus vltimum à Præfecto quodam oblatum eſt apud Hurones aliàs, tunc apud Iroquios, à quibus ante annos complures captus in bello fuerat, gradum eum dignitatis obtinente. Is poſtquàm finem dicendi fecerat Orator Iroquius, aſſurrexit, popularéſque appellans ſuos, hoc eſt Hurones; *Nolite*, inquit, *putare, fratres mei, me cum cælo, animum quoque mutaſſe: tametſi apud Iroquios verſor iamdiu, non tamen propterea ſtudia mea eò vſque mutata ſunt, vt non Huronibus meis benè velim ex animo: vt idiomate, ſic animo ſenſúque Huro eſſe pergo. Si in hac tàm neceſſariâ, tantique momenti deliberatione fraudem ſubeſſe conſpicarer, conticeſcerem vtique, neque committerem, vt tàm indignè proderem populares meos: nunc cùm norim penitùs quid ferant hi qui adſtant, Oratores; ſuadeo magnopere, vti duci vos ſinatis eò quò res vocat.*

GALLORVM erat, mutuis oblatis muneribus ſignificare, grata & iucunda ſibi accidiſſe quæcunque ab Iroquijs propoſita fuerant, eadémque ſancire: ſed quoniam conſtitutum erat legationem viciſſim adornare ad Iroquios; non tributa, ſed oſtenſa tantùm ijſdem ſunt munera, quæ propediem delaturi Galli erant, eorundem in comitatu Iroquiorum Legatorum. Deſtinati ad expeditionem tanti momenti ſunt Sacerdotes duo è Societate IESV, Ioſephus Chaumonotius, iamdiu Huronici idiomatis ſciens, acceptiſſimúſque genti; & Claudius Dablonus, recens è Gallià aduectus ad eam ipſam Miſſionem. Et alternauerant quidem ſat diu Gallici Concilij ſententiæ, addubitantibus pleriſque, expediret, nécne, caput ac vitam Sacerdotum duorum credere Barbaris, ad eam diem perfidioſis, antè quàm Simon Monæus redux, retuliſſet quid egiſſet cum Annierrononijs: ſed cùm vrgerent Onnontaërrononij vehementer, cenſuit Prorex, ex guſtu vtique mittendorum; in re vnde tantæ vtilitates ad fidei decus ſecuturæ ſperarentur, nihil non periclitandum eſſe: præſertim cùm ſi tergiuerſarentur Galli, Barbari cunctationem illam in deteriorem partem interpretaturi eſſent. Ergo

Ioſephus Chaumonetius & Claudius Dablonus ad Iroquios mittuntur.

profecti ſunt cum Onnontaërronon̄ijs ducibus, Patres, XIII. Cal. Octobris pleni ſpei bonæ, cui interior quædam ſuauitas præludebat. Et feminæ ægrè diuulſæ à Monialibus, atque à Mariâ ſuâ : Maria vt nullâ in re diuino inſtinctui deeſſet, ſimul ſcripſit ad eas, quas nunquam viderat, ſpe tantùm præceperat, ſorores Iroquias, à Chaumonotio precata, vti dum eò peruenisſet, legere ad eas Epiſtolam ne grauaretur, ſimul, ad elegantiæ indicium, veſtem miſit Gallico more perfectam, quò iam tum intelligerent quid inter ſuarum pellium ſordes, & eas munditias intereſſet. Nec tenuit ſe diu mater, quin adoptitiam filiam conſalutaret ex itinere : quo ſenſu, indicant literæ datæ ex Monte-regali à Chaumonotio, ad Moderatricem Monaſterij Kebeccenſis S. Vrſulæ, quas hîc reddere libet, eò aptiùs, quò declarant quàm piè, quámque ſalutariter iter illud perageretur. *Cras*, inquit, *ſi Domino Deo acceptum erit, vltimas amicorum deſeremus ſedes, tecta domiciliáque hoſtium inquiſituri. Vxor Præfecti Iroquÿ flagitauit à nobis, vti in itinere ſe inſtitueremus ad fidem, vnà cum ſex alÿs, viris partim, partim feminis, præter Sonnontuanos duos, ex gente Iroquiorum à nobis remotiſsimâ. Ita quotidie manè & veſpere precibus dant operam, Fideles, Catechumeni-ve octodecim : ad hos enim quos duxi, acceſſerunt noſtri Hurones iam Chriſtiani. Precata eſt à me vxor Præfecti noſtri, ſcriberem, ſtaturam ſe promiſsis, miſſurámque non filiam quidem, cuius tenerior eſt adhuc infantia, ſed germanam ſororem vnam, Mariæ veſtræ propè æqualem. Eadem vxor Præfecti cùm Kebeccum deſcendens hîc reliquiſſet conſanguinearum vnam, nihil ei potius fuit, ſtatim atque huc peruenimus, quàm vt illam ad me adduceret, precibus itidem operam daturam : ipsáque, ſpectante me, quorum myſteriorum explicationem iam à nobis audiuit, Proſelytæ tradidit : vtinam poſtquàm ad natale ſolum redierit, idem vſurpet, lucretúrque Deo conſanguineos omnes ſuos. Hæc eadem à me precata eſt, vti ad vos eius nomine ſcriberem, nunquam, deinceps facturam quidquam, quod diſpliceat ei qui fecit omnia : conſtitutúmque ſibi prorsùs eſſe, fidem & amplecti nunc, & ad extremum vſque deinceps vitæ ſpiritum colere. Mariam, filiam ſuam adoptitiam ſalutat, ſimúlque Moniales omnes. Commendo vobis, & veſtris precibus exiguam hancce Eccleſiam, cum ſuis Paſtoribus iter facientem. Omninò Dominus Deus ſemper* ſui ſimilis eſt ; ſemper

ANNVS MDCLV.

ANNVS MDCLV. tenuibus initijs delectatur, *infirmáque mundi eligit, vt confundat fortia.*

1. Cor. 1. VT AD EVNTES reuertamur, poſtquàm ſe denuò Patres cum comitibus, adiunxerant quibuſdam, è ſuis, quiad canoas conficiendas anteceſſerant; aliquantùm iam progreſſi trans Montem-regalem, die Dominicâ proximâ, quæ incidit in VI. Id. Octobris apparato raptim Oratorio ex frondentium arborum ramis, Miſſam celebrauere, vini liquore expreſſo ex labruſcis, quæ tum maturuerant. Pòſt, gratiis ritè Deo actis, leucam circiter Gallicam cum exiguâ cohorte emenſi, obuios habuere Sonnontaërrononios venatores: ij poſt mutuam ſalutationem gratulationémque, aſſeuerauerunt à ſuis adornari legationem ad Gallos: nec futili indicio: comprobatum enim deinde eſt, rem vt memorabant, ſic habuiſſe. Quæ de itinerum difficultate tàm multis locis à nobis memorata ſunt, transferri huc quoque debent: nauigandum fuit per torrentes potiùs, quàm per flumina: & identidem de more vectandæ canoæ humeris, ad Catadupa, quæ frequentia occurrunt, præſertim ad amnem vſque Otihatangue, ad ſoli Onnontaërrononij fines; eò peruentum I V. Calend. Nouembris. Locus peramœnus eſt idem, & vberrimus: amœnitas & pratis, Inſuliſque, ſparſis hac illac mira venuſtate; vbertas partim ex fruge Indicâ, cuius tùm Inſulæ illæ omnes, tùm continens egregiè ferax: partim ex piſcium, & quidem exquiſitiſſimorum copiâ tantâ, vt credi vix poſſit: Aſſeuerabant incolæ, lacum quendam, cuius ad ripas pridie pernoctauerant, eò vſque piſcoſum eſſe, vt hyeme, diſruptâ glacie piſces hauriantur potiùs, quàm vulgari piſcatione capiantur. Sed nihil tàm nouos hoſpites delectauit, quàm incolarum omni ſe ſe indicio prodens humanitas: nec mirum: piſcatores ad viginti Hurones erant, baptizati iampridem in ſolo patrio, dum res Huronica ſtabat: pòſt, victores victi captique ſecuti fuerant. Ii vt Chaumonotium, vetterem in fide Inſtitutorem agnouerunt, vix ſe ipſi capere præ gaudio. Alij amplexari virum, iniectis collo brachijs: alij inuitare ad epulas: alij mittere munuſcula: vt lætitia illius diei abſtergere facillimè potuerit itineris totius ſuperioris moleſtias. Delectauit vel maximè cuiuſdam ex eis ardor, hor-

tantis vt preces Chriſtiano ritu publicè ſub dio præiret: neque enim, inquit, tugurium vllum hîc tàm ingens eſt, vt adſtantes omnes capere poſſit. Et ceſſit res ex animi ſententiâ: ipſi Iroquij necdum fideles, interfuere tamen præclaræ cerimoniæ, eâ modeſtiæ attentioníſque ſignificatione, quam afferri par fuit: fideles Hurones tàm auidè cuncta arripiebant, ac ij qui poſt diuturnam ſitim, fontem tandem nanciſcuntur, vbi illam extinguant. Ergo, quoniam nondum ij omnes capeſſiuerant fidem; Chriſtianorum quidem confeſſiones excepit Chaumonotius eueſtigio, aliis, ex pago quondam Contareiâ, qui dum res publica ſtabat, ſemper à Chriſtianis inſtitutis alieniores ſe ſe præbuerant, volentibus tamen, lubentibúſque prima fidei rudimenta tradidit: felicibus, ſi rem benè æſtimare volumus, quibus res ſecuræ, exitio, aduerſæ præſidio tunc primùm eſſe ceperunt. Tametſi verò in partem publicæ lætitiæ venerunt eâ die Chriſtiani omnes, tamen ſingularem præ ceteris voluptatem animo *Otehenha* cepit, ac tantam, vt eam verbis exprimere nequierit, atque adeò elinguis manſerit aliquandiu, re, non oratione motum interiorem exprimens. Erat is apprimè Chriſtianus, qui ſuæ domunculæ olim felices inquilinos habuerat, hoſpites dicam potiùs, Carolum Garnerium, cuius de obitu iam à nobis memoratum eſt, Leonardum Garrellum, cuius de nece dicetur anno proximè conſequenti. Is vbi motus ille mentis geſtiens, aliquantum deferbuerat, Chaumonotio narrauit ærumnarum ſuarum ſeriem, quarum ſumma fuit, quòd cùm ſe ſuſtentaſſet aliquandiu in ſolo patrio, deinde tantam pertæſus ſolitudinem, deſtitutionémque, præſidiorum præſertim, quibus ſempiterna ſalus quæritur, conſtituiſſet Kebeccum migrare, cum familiâ, Præfectis duobus eadem ex gente mox ſecuturis, in canoam fibrinarum pellium eo numero impoſito, cui ferendo nauigiolum par erat, ipſe deinde cum ſuis conſcendens, cúmque filiâ *Renati* cuiuſdam *Ondoaſcha*, nauigauit aliquandiu feliciter, donec ab Onnontaërrononijs, tunc infenſiſſimis Huronici nominis hoſtibus deprehenſus captúſque eſt, vnà cum ijs pellibus, muneribúſque, quæ Præfectorum illorum nomine deferebat ad Gallos. Addebat, familiam, quæ numeroſior erat, tranſcriptam in varias Iroquio-

ANNVS MDCLV.

ANNVS MDCLV.

rum familias fuiſſe : ex eâ feminam vnam, cùm accepiſſet apparari ſibi rogum ab illius conſanguineis, cuius in locum donata de illarum gentium more fuiſſet, profugiſſe clàm in ſiluas cum filiolo, quem Renatus ipſe baptizáſſet: de Renato ipſo, accepiſſe ſe anno ſuperiore, cùm in militari Onnontaërrononiorum expeditione in Nationem felium ſuſceptâ, miles verſaretur, interfecti illius corpus repertum fuiſſe in pagi cuiuſdam, eiuſdem Nationis, excidio; In numero captiuarum fuiſſe eiuſdem Renati filiam, cum Marthâ *Aatio*, feminâ eximiæ cuiuſdam virtutis : quæ cùm victores haud ſatis pro accelerantium libidine ſequi poſſet, tùm quòd genu alterum intumuiſſet, tùm quòd filiolum geſtaret, quem lactabat, ex inolitâ genti barbarie in itinere crematam viuam fuiſſe, Domino Deo egregiam illius conſtantiam tùm in vitâ tùm in morte rebus exercente duriſſimis : filios eiuſdem duos adultiores, manus quidem effugiſſe Abducentium : ceterùm, eo tempore ignoratum adhuc fuiſſe, vbinàm locorum eſſent. Quæ cùm lacrimabiliter enarrarentur ab Otehenhâ, à Chaumonotio non ſine lacrimis exciperentur; dum iam relicto flumine terrâ iter Onnontaë versùs perſequuntur, obuios habuere bellatores ſexaginta Oneȣtehȣerrononios, militari pergentes agmine ad Nationem, quam perforati Naſi vocant, ductore *Adontachan*, qui ſecundæ legationi præfuerat, ad Montem-regalem ab Onnontaërrononijs paulò antè miſſæ. Is, vt magnæ auctoritatis erat apud ſuos, rogauit Chaumonotium, vt diem poſterum ibidem tranſigeret, quò cognoſcere ex ipſo liceret de causâ aduentus, déque totâ coeptæ pacis ratione: cùm id negari viro non poſſet, acquieſcendum fuit.

POSTRIDIE, cùm conueniſſent omnes, Chaumonotius, aptè ex artis præceptis orationem ad tempus perſonáſque accommodans, orſus eſt à commendatione Adontachan ipſius, in hanc ſententiam. *Primùm omnium*, inquit, *gratias habeo ſupremo rerum conditori, quòd intueri coràm licet virum tantum, cuius vox tàm valida eſt, vt tanto temporis interuallo etiam nunc ad Montem-regalem audiatur. Quòd autem aues de aduentus mei causâ cognoſcere, facis tu quidem ex communi hominum ſenſu, qui de rebus ad ſe pertinentibus ſciſcitari diligenter ſolent. Nimirùm id effecit tua illa ad Montem regalem legatio : poſtulaueras mitti ad*

vos

ANNVS MDCLV.

à Gallis, qui pacem inter gentem vtramque, amicitiámque necterent: ego eâ de causâ adſum: ego idcircò longum ac difficile iter ſuſcipi, vt Onnontaërrononiis, Gallíſque vna deinceps eadémque lingua ſit, vnus idémque Sol, cor vnum & idem: vno verbo vt Onnontaërrononij Galliíque, germani fratres ſint in poſterum. Secutis bellatorum acclamationibus, pergens Gallus Orator; *Et quoniam*, infit, *iam hîc rumor increbuit, nec temerarius ille quidem, pacem à Gallis meis cum Annierrononiorum gente ſic fuiſſe conſtitutam, vt non ea Algonquinios Huronéſque complecteretur; ſic habeto Adontachan, ſic habeto; quod dat Natio parùm æqua accipiendum fuit: erit fortè, cùm & ipſi quoque ponant inueterata odia: vos, qui animo eſtis excelſiore, planè addecet, cum Algonquinijs & Huronibus perinde atque nobiſcum dextras coniungere: eo modo pax, quam tantopere vtrique concupiſcimus, & firmior erit & diuturnior. Ceterùm quoniam audio vos eò pergere, vbi Gallos duos reperturi ſitis permixtos ijs, quos eſtis oppugnaturi; quæſo precórque, vti eorum habeatis rationem: ex veſte illos perfacilè agnoſcetis: iam nunc in eos humanitatem exercete:* atque hîc munus offert luculentum ſatis, ex conchâ veneriâ nominatâ tàm ſæpè. Acceptum munus fuiſſe, orationem acceptiorem res probauit: mirum in modum exhilarati bellatores, ad cantum, ſingularis cuiuſdam approbationis indicem conuerſi ſunt, & diuerſis quidem modulis, in ſeptem diſtinctis tanquam ſtrophas. Omnium prima ſententia hæc fuit, Præfectum quod diei reliquum erat, poſiturum in agendis gratijs pro grato ac iucundo nuncio, de legationis causâ: alterius, gratulatio fuit ad Chaumonotium, pro felici aduentu: tertiâ accendebatur ignis ad eundem fouendum: quartâ aiebant, Onnontaërrononios deinceps fatres germanos Gallorum fore: quinta ſecures in altiſſimas voragines abijciebat, quò pax deinceps longè latéque ijs in finibus floreret: ſexta Gallos in poſſeſſionem inducebat Ontiahantaguæi fluuij: atque hîc iucundus Poëta potiùs quàm Orator, piſces omnes per formas appellauit varias, quotquot per amnem vagabantur, hortans vt ipſi vltrò in Gallorum retia concederent, ne-ve genus ſuum propagandum deinceps ducerent, niſi ad Gallorum oblectationem, cibúmque: honorificum ipſis fore, ſi tàm beato fine vitam clauderent: quæ tàm ſcitè támque venuſtè perſe-

ANNVS MDCLV.

quebatur, vt toti coronæ amicum risum elicuerit. Septimâ denique imos pectorum Onnontaërrononiorum sinus referabat Gallis, quò in penitioribus illis recessibus legerent ipsi, quàm iucundus Onnontaërrononijs Gallorum aduentus accideret, & postquam perorauerat, secutum munus Gallorum munere luculentius, ex materiâ eâdem. Addidit Chaumonotius, munus perhumanè accipiens, Adontachan vocem ad eam diem ad ripas omnes hinc inde Ontarij Lacus peruenisse illam quidem: deinceps, vltrà Lacuum omnium maximum penetraturam, & totâ Galliâ exauditum iri, perinde atque tonitru. Hæc verò clausula eò vsque Præfectum bellatoresque delectauit, vt peramicè Chaumonotium ad epulas inuitauerint: ita finis festæ cerimoniæ impositus.

PROGRESSOS porrò, labores semper ijdem comitati: pernoctandum semper sub dio fuit: ac tametsi vtcunque suppeditauit interea, vnde vescerentur, tamen ferculorum exquisitissimum semper fuit cucurbita sub calenti fauillâ tosta: panis mentio nulla, nedum vini. In illâ itineris parte, confessionem excepit Chaumonotius Teresiæ illius, ex Huronum gente, quæ denuò, Sacerdotis nacta copiam, non poterat se ipsa præ cælestis voluptatis magnitudine continere: eiusdémque soror cùm adfuisset paulòpòst, & ipsa homologesim fecit longo interuallo, solutáque in lacrimas, calamitatum suarum seriem exposuit, cædem præsertim filiorum duorum deplorans, ab Iroquijs immaniter trucidatorum, eâ ætate, quæ nondum arma capessere potuisset. Tandem Nonis Nouembris eiusdem, Onnontaë pagum tenuerunt, in ipsis Iroquiorum superiorum finibus, nescias vtrorum maiore lætitiâ, eorum qui expetitos vehementer excipiebant hospites, an eorum qui excipiebantur. Ad tertium inde milliare, hoc est ad leucam Gallicam, obuium habuerunt qui aduentabant, *Gonaterezonium*, vnum è Præfectis, & primarium quidem. Is consistere agmen aduentitium cùm iussisset tantisper, breui, sed officiosâ imprimis oratione excepit Chaumonotium cum socijs: tum in fronte gradiens, graui incessu deduxit manipulum, dum ad milliare cis pagum, præstolantes primores aduertunt, qui & ipsi officij causâ eò vsque processerant. Atque hîc inuitatos ad epulas, hoc est ad cucurbitam, dum vescuntur, compellat *OKonchia-*

rennen, alius ex Præfectis : diu expetitum Gallorum aduentum, nunc demùm ſibi iucundiſſimum accidere, fauſta ſe omnia ſperare ex eo : ac quando iuuenes ipſi, qui nihil niſi arma neque loquantur, neque tractent, vltrò pacem expetijſſent, eiuſdémque ſequeſtri fuiſſent; ſenum eſſe, abiectis & armis, & bellicis cogitationibus, pacem eandem & ratam habere, & ex imis præcordijs complecti : id verò ſe libenter facere : ſupereſſe Annierrononium vnum, cui propoſitum eſſe videretur excitare denuò nubila circà Solem, oculum illum mundi, cui Galli tantum ſplendorem aduentu ſuo adderent: ſed ruituros illos omnes inſanientis populi impetus, ac frendentibus nequidquam contumacibus, fruituros Iroquios ſuperiores iucundiſſimâ Gallorum conſuetudine. *Proinde poſſeſſionem, quod felix fauſtúmque eſſet, inirent optantis ſoli, & tanquam in ſuum domicilium, ſic in parata tuguria pedem inferrent continuò.* Hæc ita meditata excepit Chaumonotius ad guſtum gentis, verbulis tum quidem tribus, diſſertationem prolixiorem ad conuentum reſeruans; orationem Okonchiarennis pro potione ſibi ſuiſque eſſe iucundiſſimâ, quæ moleſtiam defatigationémque itineris ſuperioris totius, momento abſtergeret : miſſum ſe ab Onontione, quò plenè gentis poſtulatis ſatisfaceret: nec dubitare ſe, quin omnes ſatisfactum ſibi prædicaturi eſſent, poſtquàm in conuentu palàm expoſuiſſet, quorsùm veniret cum ſuis. Hæc ſingulari quâdam attentione audiebantur à circunſtante multitudine, & propè cum ſtupore excipiebantur, mirantibus cunctis à Gallo tàm venuſtè támque eleganter Iroquiorum ſermonem idiomáque vſurpari. Tum exurgens Okonchiarennen, ſigno dato Chaumonotium ſociósque per confertam turbam deducit, partim in oblongum ordinem hinc inde diſpoſitum, partim ſequentium ponè, donec ad pagum peruentum eſt, cuius viæ mundæ præter ſolitum erant, tecta ſupernè cooperta pueris. Et introductis Gallis in paratum tugurium, illi magnam partem non poſt ſalutationem, vt fit, recedere, ſed propellere quíſque ſocium, tectúmque complere, ita vt vix conquieſcere tantiſper licuerit : præſertim cùm ad epulum ſtatim vocati ſint, ad quod tamen eâ die minimè adierunt : quippe cùm feria ſexta eſſet : quâ luce cùm per leges Eccleſiæ interdictum ſibi eſſe

ANNVS MDCLV.

ANNVS MDCLV.

carnium eſu monuiſſent Patres, nihilo ſeciùs ab alijs vocati ſunt deinde ad conuiuium, piſcibus fibríſque ſuffectis in locum ferculorum eâ die haud legitimorum. Ne verò quem inceſſat religio, quòd Chaumonotius ipſe cuius ex relatione iſta deprompta ſunt, feriâ ſextâ & piſcium & fibrorum promiſcuè mentionem facit; operæ pretium ſit monere, iam ante annos aliquot declaratum Lutetiæ Pariſiorum à Theologis eſſe, conſenſu, fibros eo eſſe ex genere animantium, quibus perinde atque piſcibus, quocunque tempore veſci liceat, quippe qui ſint ex amphibijs, vt ex ijs quæ à nobis ſuprà de eorum cubilibus latibulíſque tradita ſunt, planè liquet: ijs adeò non minùs quàm teſtudinibus veſci fas eſſe Eccleſia orthodoxa voluit. Vt filum orationis reperamus, altâ iam nocte, turbâ dilapsâ, conuenere in idem tugurium ſeniores omnes: eorúmque ex numero vnus poſt officioſam conſalutationem gentis totius nomine deſignatum, profert munera duo ex conchâ veneriâ, vnumquodque globulorum quingentorum, ad abſtergendas lacrimas, quibus etiam tum Gallorum oculi maderent, ob cædes eorum in finibus anno illo nefariè perpetratas (ab Annierrononijs intellige, quorum nomini parcebant) & ad vocis firmitatem reſtituendam, quam quidem debiliorem eſſe ſolito, ipſo in aduentu agnouiſſent; alterum, ad robur addendum ſtomacho, quo ne deinceps aut fuſca vox eſſet, aut laterum minor firmitas, ad eloquendum perneceſſaria. Neque minùs floridè reſpondit Chaumonotiùs, Onontionis æquè, & Achiendaſe, hoc eſt, Proregis, & Franciſci Mercerij (qui tum toti Societati, vt diximus, in Nouâ Franciâ præerat) oculos in Onontagueïos obuerſos, contemplari quo loco res eſſent, illa præſertim de quâ ageretur: idcircò, eorum nomine offerre ſe munus globulorum bis mille, è conchâ veneriâ, ad pandendum oſtium tugurij, quod ſibi ſuíſque ad hoſpitium attributum eſſet, quò Gallis omnibus pateret, quàm humanè haberentur, quàm nitidæ ſtoreæ eſſent, in quibus ſederent, quàm ſerena frons hoſpitum ſuorum. Quæ oratio cùm mirè oblectaſſet adſtantes, poſtridie mane, ante Solis ortum inuitantur Galli ad conuiuia diuerſa, alia ex alijs: adque cùm facere nequiret Chaumonotius, quin ſe ſineret pertrahi, præclarè diſſimulans,

hac illac raptim diſcurrit ad ægrotos complures, quibus ità ſatisfecit, vt polliciti ſint, ſe poſtquam è morbo emerſiſſent, daturos nomen Catecheticæ inſtitutioni. ANNVS MDCLV.

SED MVLTÒ iucundior lux ſequens fuit, quæ incidit in diem Dominicam. Eo die congregati Præfecti quindecim, Chaumonotium ſecum in concilium adhibent, nondum publicum, quale illud de quo paulò pòſt, ſed arcanum: in eo quatuor declarata. eidem, omnia ad rem, atque ad votum. Primum, parem eſſe conſtantiam *Agochiendaguetari* (is Præfectorum quaſi Præfectus penè pro Rege gentium earum eſt) & Onontionis: atque adeò nullâ vnquam cuiuſquam molitione diremptum iri amicitiam, quæ inter vtrumque tàm firma coaluiſſet. Alterum, deſignaturos ſe è ſuis iuuenibus ſelectos aliquot magni animi, roboríſque, qui Huronum Legatos miſſos de pace, Kebeccum honorificè reducerent. Tertium, curaret Chaumonotius Onontioni ſignificari, quidquic attentarent Annierrononij in Iroquios, etiamſi cædes alicuius ex ijs fieret, non propterea non ſtaturum fœdus: faceret idem Onontio, ſi quid tale in Gallos praui ijdem, ac peruerſi Annierrononij auderent, perpetrarentve. Quantum, & quoniam tum ex Chaumonotij oratione, tùm aliunde accepiſſent, ſe nullâ re tantopere deuinciri poſſe Onontionem, quàm ſi Sacellum erigerent, vbi exercitationes obire ritè poſſent ſuas, qui aut fidem iam capeſſiuiſſent, aut de eâ capeſſendâ cogitarent; ſignificari eidem Onontioni curaret, ſe quamprimùm operam rei tàm expetitæ daturos. Hæc verò omnia cùm ſibi magnopere probari ſignificaſſet Chaumonotius, tamen ad hos poſtremum adiecit; Tum demùm vidiſſe Præfectos, quâ re potiſſimùm adiungere ſibi poſſent animum voluntatémque Onontionis: atque eas voces ſecuta læta acclamatio, deliberationi finem impoſuit. At non propterea diſceſſere ſtatim omnes: ex ijs Præfectis nonnulli, adeunt denuò ad Chaumonotium ſub noctem, ab eóque precantur, memorare ſibi ne grauetur, quid in veteri Galliâ ageretur, quæ eſſet tanti regni adminiſtratio, quæ ſcita, quæ leges? Et Chaumonotius tàm præclaram occaſionem nactus Euangelicæ ſementis fructuosè iaciendæ; *Ergo*, inquit Chriſtianus Orator, *accipite æquis mentibus quæ dicam, & altè infigitote animis ea, ad quæ vobis explican-*

ANNVS MDCLV.

da ipſi vltrò accendiſtis ſtudium meum. Quæ caligo regiones haſce veſtras occupauerat pridem, eadem ſeculis compluribus Galliæ noſtræ offuſa miſerabilem in modum fuit: neque modò Galliam, ſed etiam orbem penè vniuerſum peruaſit tetra ſuperſtitio. Vnus terrarum angulus extitit, vbi ſemper affulſit veri Dei cognitio, eiuſdémque cultus legitimus. Aliarum gentium quædam pro Deo peruerſiſſimos homines coluere, quædam animantium varia genera, quædam Solem, ſideráque, pro Solis ſiderúmque molitore, veneratæ ſunt: omnes eò deuolutæ infelicitatis, vt tanquam medijs in fluctibus amiſſo clauo, & ſcilicet claui moderatore ſubtracto, tanquàm ad ſaxa & ſcopulos, ſic ad impietatem alliſæ miſerrimum naufragium ſempiternæ vitæ ſalutíſque fecerint. Tenuit extrema illa calamitas ſecula pluſquam triginta: donec miſeratus ſuos optimus ille & clementiſſimus vniuerſitatis Conditor, opem tulit miſeris, non per ſeruorum qualemcunque, ſed per ſuumipſius Filium vnigenam, quem in orbem terrarum ſic miſit, vt in huius noſtræ naturæ communionem venire voluerit. Hinc ad Incarnati Verbi myſterium delapſus, ſeriem illam mirabilem rerũ ad Chriſtianæ fidei primordia progreſſúſq; pertinentium expoſuit ſtupentibus, ac vix compotibus ſui: vt cùm Chaumonotius horam ipſam & dimidiam peroraſſet, placidiſſimi tamen animi ſignificationem præ ſe tulerint omnes, tædij ne ſuſpicionem quidem reliquerint. Conuentum diremit cœna, apparata vt ijs locis: quanquam ſuam tenuitatem modeſtè quoque excuſauere, Onontagueïenſes epulas nihil eſſe dictitantes ad ſplendorem illum quo Kebecci Legati ſui haberi à Gallis conſueſſent.

POSTRIDIE, concilium viciſſim Chaumonotius conuocauit, non publicum prorsùs, ſed tanquam arcanum, quò conciliatis ſibi primariorum mentibus, faciliùs deinde id quod volebat ab omnibus impetraret. Capita quatuor propoſuit, magni profectò momenti ad rem Chriſtianam ſtabiliendam ijs locis. Primùm, vt quandoquidem tranſacta res erat de Huronibus, iam in amicitiam fœdúſque receptis, rationem quoque Algonquiniorum haberent, quorum par cauſa eſſet: ſi eò Nationis Iroquiæ Principes Præfectíque incumberent, Legatos, totius Algonquinij populi nomine vere proximo miſſum iri. Secundum, huius primi conſectarium erat, probarent Algonquiniorum eorundem conſilium, honorificum

Iroquio nomini; & tùm Iroquiis iiſdem, tùm Gallis per- ANNVS
commodum, vt vbi primùm ad Onontaë pagum domicilium MDCLV.
Galli fixiſſent, eódem non Hurones modò, ſed etiam Algonquinij immigrarent. Tertium, vt ſi ſincerè Onnontaërrononij pacem fœdúſque icere cum Gallis, cúmque Gallorum ſociis & amicis animum inducerent, relaxarent captiuos aliquos Algonquinios, captos diuerſis temporibus, eâ viâ par pari relaturos Algonquiniis, à quibus dimiſſi benignè captiui Iroquij fuiſſent, nec ſine muneribus: id adhuc in Onnontaërrononijs deſideratum eſſe. Quartum, ſi eiuſdem pacis ſtudio tenerentur, deſinerent porrò ſecures librare in Nationem *Naſi perforati* dictam vulgò: non enim aliter pacem planè ijs locis regnaturam. Hæc cùm placidè audita ab Iroquijs eſſent, ſuper propoſitis capitibus deliberationem à ſe inſtitutum iri reſponderunt: tum ſub veſperum eiuſdem diei, conueniunt è ſenioribus ad triginta, in idem Chaumonotij tugurium, & per ſpeciem familiaris colloquij poſtulare inſtituerunt, iucundum aliquid nec cognitu indignum narrare ne grauaretur. Hîc verò tàm præclaram ſibi occaſionem gratulatus Chaumonotius, de Conuerſione S. Pauli verba ad eos fecit, tàm ad guſtum, vt cùm finem facere vellet diſſerendi, flagitarint pergeret porrò, & ad ea quæ dixerat, adderet aliquid de orbis primordijs. Nec cunctatus, poſtquàm de eo argumento expoſuerat quæ ſacræ literæ produnt, digreſſus eſt ad præcipua myſteria fidei, támque appoſitè ad perſuadendum, illa perſecutus eſt, vt antè quàm excederent Iroquij, ex eorum numero vnus venerari coràm ceperit eum à quo cuncta ſint condita, precéſque ad eum conceperit; duo alij rogarint, quid ſibi demùm faciendum eſſet, vt ad Fidelium numerum aggregarentur.

ET TAM ſanctam lætitiam auxit aduentus Legatorum duorum ex pago Oneïdtio: ij cùm ad V. Id. Nouembris adfuiſſent, precati ſunt ſuorum nomine, vti intereſſe ſibi liceret conuentui, in quo de re tanti momenti agendum eſſet: quod cùm æquiſſimum videretur, ijdem, adſcitis aliis compluribus, ſub noctem ad Chaumonotium adiere, & oblato munere globulorum mille, ex conchâ veneriâ quàm gratus ſibi ſuiſque, aduentus Chaumonotij ſociorúmque accideret, ſignifi-

ANNVS MDCLV.

cauerunt. Nec verò ſibi Chaumonotius defuit: ſed mirâ frontis ſermoníſque hilaritate profeſſus eſt, quando Onontio, atque Agochiendagueſe, hoc eſt, Prorex Merceriúſque vnus atque idem eſſent, æquum eſſe, vt cùm à Mercerio iam cooptati eſſent in filios, ab Onontione quoque adoptarentur: eam in rem munus viciſſim Chaumonotius obtulit haud maximi pretij illud quidem, ſed tamen opinione gratius. Ergo biduo pòſt ingenti agmine deductus eſt ad locum Gallorum ſedi atque domicilio deſtinatum, leucas quatuor diſſitum à pago, vbi primùm pedem fixerat. Vix quidquam à naturâ videre ſit abſolutius: ac ſi ars, vt in Galliâ, ceteráque Europâ, accederet, haud temerè certaret cum Baijs. Pratum ingens cingit vndique ſilua cædua, ad ripam Lacus Gannentaæ, quò Nationes quatuor principes Iroquiæ totius regionis tanquam ad centrum nauigiolis confluere perfacilè queant, & vnde viciſſim facillimus aditus ſit ad eorum ſingulas, per amnes lacúque circunfluentes. Ferinæ copia certat cum copiâ piſcium, atque vt ne deſit quidquam, turtures eò vndique ſub veris initium conuolant, tanto numero, vt reti capiantur. Piſcium quidem certè vis tanta, vt piſcatores eſſe ferantur qui intrà vnius noctis ſpatium anguillas ad mille ſinguli hamo capiant. Pratum interſecant fontes duo, centum propè paſſus alter ab altero diſſiti: alterius aqua ſalſa ſalis optimi copiam ſubminiſtrat: alterius lympha dulcis ad potionem eſt: &, quod mirere, vterque ex vno eodémque colle ſcaturit. Sed hæc dum cuncta Galli ſuſpiciunt, Iroquij offerunt peramanter; ecce tibi lugubre ſpectaculum Chaumonotium graui mœrore concutit. Puer vix decennis ex hoſtili Natione felium, captus in bello, illicò ad rogum damnatus eſt, feræ gentis de more, extirpato illo quidem penè, ex Chriſtianorum Huronum, Algonquiniorúmque pectoribus, ſed in Iroquiorum præcordiis adhuc ſic ſæuiente, vt odia in alteram quoque vitam protendentes, ne poſt mortem quidem beatos eſſe patiantur, quos per omnem ſuppliciorum acerbitatem ex hac mortalitate ſuſtulerint. Hinc potiſſimùm angor Chaumonotij, gnari quemadmodum tali in re cœci populi adhibere ſe ſe ſoleant, vt videlicet Baptiſmo donari haud ſinant eos, quibus ignes parauerint. Sed pio aſtu eorum immanitatem eluſit: cùm, vt

fit,

fit, captiui videndi deſiderium præ ſe ferret, inſontis ſortem ſanè acerbam miſeratus, & pauca prolocutus, per quæ ſalutarem aſſenſum eliceret in re tàm deploratâ ; ſitim finxit, ſi finxit tamen, qui re ipsâ ardentiſſimâ ſiti teneretur ſempiternæ felicitatis calamitoſo puero conciliandæ : tum allatâ frigidâ ſic vſus eſt, vt guttas aliquot conſultò in ſtrophiolum ex ore regerens, ſatis habuerit vnde maculam originis in captiuo ablueret, & ſi quid præterea labis propriâ culpâ contractæ adhæſerat. Sic confirmatus puer, tractus ad pyram eſt : & quod mirere, lentos ignes horas duas ſic pertulit, vt neque eiulatus fuerit prorsùs, neque ingemuerit : diuturniorem cruciatum non tulit ætatulæ imbecillitas. Felix vtique, cui tàm opportunè paterna optimi Dei prouidentia obiecerit à quo in filiorum ſuorum ſortem tranſcriberetur. ANNVS MDCLV.

INTEREA cùm ad Proregis munera depromenda, tradendáque, & ſcilicet honeſtanda verbis, diem Dominicam proximam legiſſet Chaumonotius (incidit ea in XVIII. Cal. Decembris) quod benè toti regioni, gentíque vniuerſæ Iroquiorum verteret, auſpicari ſe auguſtiùs non poſſe ratus, quàm incruento ſacrificio Corporis Sanguiniſque Agni, qui peccatum mundi ſuſtulit ; in religioſam imprimis cerimoniam partem exornauit domunculæ *Theotonharæſon*, piâ lætitiâ geſtientis dignam ſe viſam, cuius in ædibus primùm Chriſtiano ritu à Gallis Sacerdotibus litaretur. Nimirum ea fuit Præfecti Iroquij coniux, quæ ſuperiori æſtate Kebecum vnà cum viro deſcenderat, quæque Mariæ virgunculæ indolem illam tàm præſtantem demirata, nihil ſe non facturam ſponderat, quod ad promouendum opus fidei pertineret. Et re præſtitit quod oratione præ ſe tulerat : cùm in itinere, vt diximus, profiteri cepiſſet Cathecumenam, præſtanter deinde, ad ſuos reuerſa, conſtitit ſibi : & nullis neque calumniis, neque calamitatibus de ſalutari conſilio dimoueri potuit : ſed de eius conſtantiâ anno ſequente : nunc ad propoſitum reuertamur. Cùm omnia comparata ad eum modum eſſent, ecce tibi horâ vnâ circiter & alterâ ante meridiem adfuere Legati *Oigoienij* compertóque, inſtare horam celebris conuentus illius, ad Chaumonotium adeunt, flagitántque vti concilium in poſterum diem differre ne grauaretur, licerétque feſſis de viâ,

ANNVS MDCLV.

lucis illius reliquæ modico ſpatio ad quietem relaxationémque vti. Ergo poſtridie ſuſpenſis animis Iroquiorum, qui mira expectabant; Chaumonotij ſociorúmque, rei euentum Domino Deo commendantium quanto maximo ſtudio potuere; præſtans Orator præfatus, negotium nullum vnquam tanti momenti in vllo Iroquiorum concilio agitatum, cùm omnia ſuperiora, quotquot ab omni retrò ſeculorum memoriâ maiores eorum frequentaſſent, de rebus aut bellicis, aut ciuilibus eſſent, quæ omnia exiguis, fluxíſque mortalis vitæ limitibus comprehenderentur; agi nunc de re ad omnem æternitatem pertinente, quâ nihil formidoloſius eſſe poteſt, ſi malè verteret; nihil, ſi felix futura eſſet, tàm optandum; tanquam in theatro deinceps, de gentis more inambulans, & vocem, geſtum, motúmque corporis omnem ad eorúmpopulorum vſum accommodans, munera deinde exhibuit ad triginta, pretij quidem haud maximi, ſed aptiſſima ad id quod ſequebatur. Præcipua fuere, ſecundum, ad quod, torque è conchâ veneriâ in cororam conformatâ, Iroquiorum omnium quotquot aderant, ordine caput circundans, animum vniuſcuiuſque ſuâ in ſede reponebat, poſt tot annorum tumultus: quæ res tametſi ad eorum mores, vt diximus, maximopere accedens; tamen initio eò vſque noua viſa eſt, vt inter ſe cuncti attoniti reſpicerent: ſed id delectauit deinde omnes: nec minùs, quod tertij muneris loco potionem ex exili aheno obtulit vniquique. Actor idem potiùs quàm Orator, ſanè gratam, ſuauémque, quæ omnem mœrorem, omnémque ſenſum ægritudinis imis ex præcordiis abſtergeret. Affecit eos item vehementer munus noſtrum, arbuſcula, cuius rami deſcripta habebant nomina Præfectorum eorum, qui iam è vitâ ceſſerant, quorum mortem deſignabant eo, quòd in ſupremâ parte reciſi erant: ſed vndique pullulabant rami alii inferiores plurimi, valentes iidem viridéſque imprimis, quò inſinuaret, eoſdem illos Præfectos ſuis in nepotibus reuixiſſe: omnium oculos cerneres perdiu in illâ defixos arbuſculâ. Pari aſſenſu vndecimum exceptum eſt: ex parte extremâ vnâ ſtrophioli, effudit cinerum reliquias *Teotegoniſenij* cuiuſdam Iroquii, ſepulti ad Triſluuium, ex aliâ, cineres item Gallorum aliquot demortuorum: tum vtroſque permiſcens, prædicauit, Iroquios dein-

ANNVS MDCLV.

ceps, Gallóſque ſeu per vitam, ſeu poſtfatum, vnos eoſdémque fore. Ita præclarè animos Orator comparauit ad munus ſequens, omnium pulcherrimum, non idcircò tantum, quod maioris pretij, quàm reliqua: ſed ideò vel maximè, quòd ad fidem ſpectaret. *Sic porrò habetote*, inſit Chaumonotius: *quæcumque adhuc dona vidiſtis, fomenta quædam leuia fuerunt ærumnarum veſtrarum, rerúmque perpeſſu grauium, quæ quotidie plurimæ in vitâ incidunt: neque verò aut depellere morbos à vobis, aut arcere mortem queam: ſed illud ſpondere tamen poſſum, præſto eſſe alexipharmacum quoddam incredibilis efficacitatis, cuius vobiſcum communicandi causâ tot perincommodi itineris labores non modò non refugi, ſed etiam appetij. Si neſcitis, eſt id ſummi Dei cognitio, cultúſque per fidem eam, quam Galli pridem profitemur, quam ad vos defero, quam ſalutari imprimis, ſapientíque conſilio, ipſi vltrò Kebecco requiſiſtis. Quoniam autem* (addidit) *illius eiuſdem fidei candori fuligo quædam calumniarum offuſa eſt à maledicis, grauium, ſi vera eſſent, quæ iactata ſunt, at periniquarum, quando ea omnia tàm abſunt à vero, quàm à nocte dies; ecce*, inquit, *tanquàm duplici in ſpeculo, vnde oculis ipſi veſtris quæ inſinuo intueamini.* Et folia chartacea protulit duo, alterum ſuo candore nitens, neque vllâ infectum maculâ, alterum tanquam carbone, ſic notis literíſque aliquot temerè exaratis obductum, ſordénſque, quibus literis notíſque ineptæ illæ, ſed atroces tamen calumniæ contrà ſanctam fidem iactatæ continebantur. *At non*, ſubdidit, *ſinendum vt tàm inepta mendacia de veritate triumphum agant: laceranda ſunt potiùs vſtulandáque.* Tum ſingula calumniarum capita vt refellerat, ita partem deformatæ chartæ illius lacerabat, in ignémque vicinum coniiciebat, tanto & vultus ardore, & fulmine orationis, vt Iroquiorum nemo eſſet, cuius in vultu incredibilem quendam animi motum non legeres.

HÆC PORRO calumniarum capita quæ fuerint, non expreſſit Gallica Relatio, ex nonnullis tamen quæ ſubdit infrà, compoſitis cum ijs quæ ſuprà de Huronicis à nobis allata ſunt, intelligere poſſumus, iactatum ab hoſtibus fidei fuiſſe. Vbi primùm fidem colere Iroquij inſtituiſſent, malis propè omnibus conflictaturos, lue populari, & annonæ ſterilitate tantâ, quantam Hurones ipſi ſenſiſſent, quibus nihil vnquam proſperè ceſſerit, ex quo peregrinas illas Gallo-

ANNVS MDCLV.

rum religiones capeſſiuiſſent. Quinetiam commenti ſunt, ineptè illi quidem, at aptiùs quàm optandum fuiſſet ad rudis plebeculæ animos alienandos, Gallis, adductis hoſtili cupiditate vlciſcendarum iniuriarum quas à Canadenſibus vniuersè, ab Iroquiis autem potiſſimùm accepiſſent, id eſſe propoſitum, vt quamplurimos ſecum in cælum abducant, vſtulandos lentis ignibus per otium, eâdem animi oblectatione, quam ipſi in vſtulandis Gallis, Algonquiniis, & Huronibus perſentiſcant: neque vllam præterea Gallos illos mercedem aſſequi tot laborum, curarum, ærumnarúmque, quas appetant, ad ſe præclarâ illâ ſcilicet fide imbuendos. Addidere Hurones quidam, impij deſertores, idem profectò euenturum Iroquiis, quod experti ipſi ſint, vbi primùm fidei aures animóſque accommodaſſent, neque venationem, neque bellicas expeditiones eos ſucceſſus habituras, quos antè habuerint, quòd ſomnijs atrati illi Galli fidem omnem abrogent, atque adeò vetent quidquam credulitatis ijs haberi: &, eorum filiolos miſſum iri in Galliam, deſcripto cuiuſque nomine: eò vbi peruenerint, variegari eorum corpora notis quibuſdam, ductibúſque longioribus ex carbone: eæ notæ vt progrediente die obliterentur ſenſim, ità ſenſim miſerorum corpora contabeſcere, morbíſque premi grauibus, donec tandem intereant. Sed eâ de re incidet rursùs mentio: nunc illud addamus quod Claudius Dablonus ſpectator ipſe deprædicat, ſi nullum præterea præmium Chaumonotius ſperaſſet tot laborum, támque grauium, qui eâ in expeditione exantlandi fuerunt, tamen præclarè cum eo ſibi actum videri, quod eâ luce tantâ pompâ, tantáque audientium approbatione, ſummum Deum, ſummíque Dei Filium IESVM Chriſtum populis ijs annunciauerit. Ceterùm, complura munera alia addidit, vt complura erant præterea capita legationis: à Monialibus S. Vrſulæ Kebeccenſibus peramanter exceptum iri filiolas eorum qui aderant, & omnes omninò Iroquias virgunculas, ad Francicam elegantiam inſtituendas: æquum eſſe viciſſim, vt nouis hoſpitibus ſuppeditarentur vnde ſe tolerarent, hyeme præſertim; præcipuè Sacellum ſeu Ædicula conſtitueretur, vbi munia ea quæ ad ſummi rerum omnium procreatoris cultum pertinerent, obirent decorè: vere proximo

adfuturam lectam manum Gallicæ iuuentutis, cúmque Gallis venturos permultos tùm ex Algonquiniis, tùm ex Huronibus: eò, & inſtrui maturè canoas, & ſepem depangi, & ſtoreas ſterni oportere: atque hîc ingeminata læta concionis acclamatio. Hortatus deinde eſt Iroquios remotiores, ad migrandum, transferendóſque pagos in locos viciniores ſtationi, quæ apparabatur, Gallorum, quò commodiùs omnes vel inſtituerentur ad fidem, vel in communionem venirent opportunitatum omnium, quæ ex Gallorum ſocietate & conuictu obuenturæ eſſent: (id verò addidit, vt gratificaretur Onnontaërrononiis, quorum tanquam in ditione verſabantur) munúſque adiunxit aliud, quo quatuor ipſæ Nationes ſecurim Annierrononiis extorquerent. Et quoniam optabant vehementer Algonquinii, ſuos ſibi captiuos reſtitui, illud etiam inculcauit, in memoriam reuocando factum *Ondataȝaȝtenſium* vicinorum, qui recèns ad Montem-regalem Gallis captiuos tredecim benignè reddidiſſent. Quod ſi tantam externorum curam præ ſe ferret, æquum non eſſe, vt ſuorum obliuiſceretur. Verſari apud Oneiȝtchrononios Carolum Garmantium Gallum, duræque captiuitatis ærumnas tolerare iamdiu: hunc libertate donari, ius amicitiæ hoſpitalitatíſque poſtulare: & Nationis Præfectum, qui in conuentu aderat, appellans; *Tuum vero eſt*, inquit, *quid hîc faciendum putes declarare. Equidem acriori ingenio es, vt non prouideas, quo beneficium iſtud pertineat, quod à te Gallorum nomine flagito: nolim perſequi pluribus, quantam voluptatem capturus inde ſit Onontio, quantam Galli ad vnum omnes, quantam propriè Garmantij conſanguinei ac propinqui: vides ipſe quis futurus eſſet ſenſus animi tui, ſi Onontionis loco eſſes, dum filium; ſi Galli cuiuſpiam, dum fratrem: ſi alicuius ex Garmantij conſanguineis, ſi cognatum tibi tamdiu deſideratum reſtitui demùm cerneres: hæc tu pro tuâ prudentiâ expendes: interim ego à vobis Iroquij, illud expeto depoſcóque vniuerſim, ne deinceps aures veſtras calumniæ patere patiamini: hac enim vnâ viâ graſſari deinceps poſſe arbitror hoſtes, ſi qui extituri ſunt, publicæ tranquillitatis.* Cùm ad eum modum Chaumonotius peroraſſet, mirum quanta ſecuta ſit gratulatio. Mirabantur alij rationum pondus: alij actionem tàm vehementem eandem, támque iucundam: fue-

ANNVS MDCIV.

runt qui dicerent, si ad vesperum vsque dicere perrexisset Orator, tamen neque aures, neque animos sic expleri potuisse, vt non diutiùs audire disputantem libuisset. Et res ipsa Oratorem mirè placuisse declarauit: solutâ concione, princeps Oïogoeniæ legationis læto vultu ad Chaumonotium accedens propiùs; Te verò, inquit, pro germano fratre adsciscere, consilium mihi est: quâ tàm breui oratione satis significauit quanti virum faceret: neque enim apud eas Nationes excogitari quidquam potest aut ad necessitudinem arctius, aut ad dignitatem honorificentius. Porrò Præfectorum omnium nomine significatum est, postridie in conuentu, Nationum omnium quæ adessent, sententiam manifestatum iri. Intereà eâ ipsâ luce, cùm in vicinum nemus, ad preces optimo Deo fundendas secessisset Chaumonotius, accurrunt ad eum continuò Iroquiæ mulieres quatuor, Catechumenas professuræ: & nouem subinde aliæ eodem motu incitatæ, secutæ sunt: in his postremis, germana soror erat Præfectorum gentis omnium Principis. Virorum, quod ingemiscas, timiditas maior fuit: cùm sub illius eiusdem diei vesperum ad Chaumonotium adijssent: eundémque horas duas de fide, fideique mysterijs disputantem perattentè audiissent: atque, vt ipsi professi sunt, nullo tædio; confessi tamen sunt, credere se quidem intùs in animo, ac maximè probari sibi quæ disputata essent; at retineri se pudore quodam, quò minùs quod mente reconderent, declararent publicè. Vt tetrum dæmonem semper similem sui esse peruideas, vafrum, subdolúmque, qui miseris sic illudat, vt cùm nihil Iroquijs sit in bello, periculísque adeundis audacius, ijdem in salutari fidei capessendæ profitendæque consilio, *Phrygiæ* sint, non *Phryges*: mulieres contrà, quod vbique ferè nascens Ecclesia experta est, & libentiùs & faciliùs audiant vocantem Deum. Nec inficiari tamen infelices ausi sunt, quin acerrima incitamenta ad fidem haberent, tùm alia, tum illud potissimùm, quod cùm in nuperâ illâ expeditione in Nationem felium susceptâ, vouissent, se, si quidem victoriam reportarent, amplexuros fidem; vicerint deinde magnificè, eóque mirabiliùs, quòd mille & ducenti, hostium propè ad quatuor millia fudissent. Nec verò detrectare se posse, quin, quod polliciti essent, præstarent aliquando: tum qui-

dem pudore ſe ſe deterreri. Quanquam virorum quoque non- ANNVS
nulli exitiosâ illâ verecundiâ ablegatâ, Catechumenos iam MDCLV.
tum profiteri inſtituerunt. Hoc maiori gloriâ, quod facem prælaturi ſint alijs, & ſcilicet olim in primis lapidibus numerandi ædificij viui illius, quod hoc demùm anno aſſurgere apud Iroquios cepit, ſummo artifice & per ſe & per operarios ſuos tum quidem fundamenta iaciente, opus deinceps, vt ſperamus, benignè promoturo.

CERTE, SI VT SE dederunt initia, cetera proceſſiſſent, nihil non ſperandum fuerat: fides quàm laboriosè inducta apud Hurones ſit annis ſuperioribus, Annales ſuperiores declarant: ac tametſi tandem aliquando cæleſte ſemen hæſit in ferocibus animis, tamen nihil vnquam ad pompam tale viderunt gentes eæ, quale id de quo nunc agimus. Illuxerat quidem læta fauſtáque imprimis immenſis illis tractibus dies ſuperior: at lætior ſequens fuit, inquit Relator Gallicus, de muneribus memorans oblatis poſtridie ab Iroquijs, in conuentu, vt ijs locis, ſanè celebri: neque enim diutiùs procraſtinare ſiuit incenſum ſtudium. Ergo poſtquàm horis matutinis infantulum vnum, virgunculas duas, nec ſine aliquâ cerimoniâ baptizauerant Patres; ſub meridiem conueniunt in tugurium idem, primarij quique loci ciues, cum iiſque aliarum Nationum Legati, & ſcilicet tanta promiſcuæ plebis frequentia, quantam capere domus potuit. Vt publicam lætitiam cernerent, initium dedere gratiarum actioni Cantica ſex non modulata tantùm, ſed etiam geſtu motúque totius corporis aptiſſimè id deſignantia ad quod referebantur. Primum ſolus inchoabat per ſenem cantorem Agochiendaguete, omnium Præfectorum princeps & anteſignanus, cuius ſenex idem perſonam ſuſtinebat, iterantibus alijs ad numerum, quæ ipſe præierat. Sententia eiuſmodi fuit, *Pulchram verò, pulchram regionem, quæ Gallos colonos deinceps habitura ſit.* In altero, præcentor deſignatus hæc pauca ſolus primùm modulabatur; *fauſta prorsùs nuncia, fauſta prorsùs nuncia*: quæ eadem vbi cuncti geminauerant, præcentor iterùm ſolus; *Ex animo*, aiebat, *modulor: ex animo colloquium tecum, mi frater, inſtituimus: ex animo ſermo noſter cæleſtis eſt.* Tertij ſententia hæc erat; *Salue mi frater: feliciter aduenerís*; & inſertus erat tan-

ANNVS MDCLV.

quam verſus intercalaris, concinentibus cunctis; *Aï, aï, aï, hi.* Tum pergens vnus, addebat; *Suauem verò vocem tuam!* & omnes denuò repetebant, *Aï, aï, aï, hi.* Canticum quartum hoc habuit peculiare, quod cantores ad numeros, pedibus, manibúſque, & tubo, quem in conuentibus ad fumos nicotiæ ſeu tabaci captandos geſtant ſemper, ſtoream leniter percutiebant tantâ conſenſione, vt aſſeueret is qui interfuit, Claudius Dablonus, miram inde ſuauitatem extitiſſe, ſententia hæc fuit; *Salue mi frater iterùm ſalue: ſincerè ſerióque eſſum accipio.* Quintum hæc habebat. *Vale bellum, valete ſecures, ad hanc diem deſipuimus: deinceps fratres germani futuri ſumus; fratres inquam, germani.* Sextum denique conceptum erat in hanc ſententiam; *Vale bellum, valete arma: hodierna cauſa omni ſui parte præſtans eſt: dum ad nos aduenis, tuguria noſtra fulcis.* Secuta munera quatuor ſunt: ad priora duo cùm pluribus diſſeruiſſet Agochiendaguete, quantopere ſibi gratularetur arctum foedus amicitiámque cum Prorege, ita clauſit orationem vt diceret, id quod maximè optabant Patres; *Quandoquidem Hurones, Algonquiniósque pro filijs agnoſceret Ononcio, æquum eſſe vt ijdem à ſe quoque cooptarentur: atque adeò ſe iam tum eos adoptare.* Tertium, omnium maximè commouit eorundem Patrum, Gallorúmque omnium præcordia, non tàm quod pulcherrimum omnium fuit, quæ ijs locis vnquam viſa eſſent, granis ſeu globulis conſtans ex conchâ veneriâ, quinquies mille (quid enim id ad Europæam magnificentiam) ſed idcircò, quod *Munus fidei* fuit, hoc eſt, quòd eo declarabat idem ille Iroquij conuentus princeps, *certum ſibi eſſe profiteri fidei candidatum, certum idem eſſe ſuis. Proinde,* ſubdidit, Chaumonotium appellans; *Nullus te, mi frater, labor deterreat: perge, quamlibet fatigere, perge tamen inſtituere nos: diſcurre per tuguria, neu abalienere, ſi tardiores nos experieris in percipiendis ijs quæ ad precem pertinebunt: illam in his capitibus, iiſque mentibus altè defigito.* Atque hîc inſigni ardore commotus, vt inſolito modo vehementem illum motum animi ſui declararet, Chaumonotij prehendit dextram, deductúmque in medium arctè amplexans ſtringénſque, torquem illam fidei aptat in zonam, injectúrque ſanctæ cuiuſdam voluptatis ſenſu colliqueſcenti; tum, Ego, inquit, *cælo terráque ſpectantibus, conteſtor*

conteſtor palàm, quomodo te, frater, amplector; vos autem quotquot adeſtis, populares, illud mihi teſtificabimini, quomodo hunc Chaumonotium ſtringo; ſic certum mihi eſſe deinceps cum Fidelibus coniunctiſſimè viuere. Addidit etiam plura, & compluries ad iurisjurandi firmitatem: quæ quoties iterabat, toties iubebat Chaumonotius ab aſtantibus clamorem tolli lætum, fauſtúmque, quò id ſibi maximè probari quod omnium Princeps prædicabat, pro ſe quiſque conteſtaretur. Acceſſit munus quartum, at longè minoris pretij, neque immeritò: eò enim tantùm referebatur; vt declararet, iam bellico aheno in Nationem felium, ignem ſubijci: expeditionem ſuſceptum iri profectò ſub vernum tempus proximum: intereà Huronum Legatos dimiſſurum ſe poſtridie, cum quindecim è ſuis ad præſidium, per formidoloſum iter.

VIX DESIERAT Agochiendaguete, cùm aſſurgens princeps Oïogoeniæ legationis, exorſus eſt dicere. Ad dimidiæ horæ interuallum circiter, orationem protraxit, & eloquenter, & cum ingenij ſignificatione. Summa fuit: Multum ſe ſuóſque debere Proregi, quod ſe non dedignatus eſſet cooptare in filiorum numerum: non commiſſuros vnquam, vt degenerarent: ac tametſi adoptati quoque fuerant, diuerſis temporibus ab alijs Nationibus haud inglorijs; tamen ſuperiorem illam gloriam nouâ iſtâ dignitate obſcurari. Teſtificandæ verò lætitiæ ſuæ, etiam ipſe in cantum prorupit, excipientibus cunctis quæ præibat, ad numerum quoque, ſed lentiorem, minúſque viuidum, quàm illi ſuperiores fuerant: ipſe in medio ſaltans in modum Gallis quidem nouum, atque inſolentem, agitánſque commotiùs manus, pedes, caput, oculos, os denique, conſenſione vel ſecum, vel cum alij ſanè mirabili, iterabat *Io, io, triumphe*, hoc eſt voculas quaſdam vernaculas, quæ eam haberent ſententiam; *A, a, ha, Gaïandere, Gaïandere; E, e, he, Gaïandere, Gaïandere; O, o, ho, Gaïandere, Gaïandere:* atque illud ſuum Gaïandere quod toties iterabatur, explanans, *Gaïandere, inquit, apud nos præſtantiſſimum quiddam ſignificat: & quando nihil eſt fide illâ, cuius nobis præſtantiam tantopere prædicas, excellentius, idcircò illam ego feſto noſtro Gaïandere deſigno:* atque hîc munerum ſuorum primum obtulit. Secundum addidit, Oneïsterrononiorum nomine,

ANNVS MDCLV.

quod cùm eius frater germanus eſſet, aiebat, æquum erat vt Proregi, à quo & ipſe quoque adoptatus fuerat, gratias referret, quas ipſe tunc abſens referre minùs poſſet. Tertiò affirmabat, quòd munus pridie Chaumonotius obtulerat ad extorquendam ab Annierrononio ſecurim, haud irritum fore, cúmque ad concordiam adductum iri. Quartum hoc magis delectauit, quòd attingebat fidem propiùs: aſſeuerauit ſiquidem, non patrem modò, ſed etiam filios duos fidem eandem amplexuros: patris nomine, Onnontaërrononios, ſeu Onnontaguerrononios; filiorum, Oïogoënſes, Onneïaȣtióſque deſignans. Quinto, cooptabat in germanos fratres, Hurones atque Algonquinios. Sexto, ſpondebat deſcenſuros Kebeccum vere proximo, qui deducerent Gallos iuxtà, & indigenas, quotquot migrare ad Onontaeïum pagum vellent. Diuinum verò ſpectaculum: Nationes tàm efferatas ad eam diem, támque immanes, tàm ſolenni ritu, tantóque ardore animorum, vnâ eadémque luce tanquàm collum fidei ſubmiſiſſe: ac quanquam non caruerunt deinde cetera difficultatibus, vt annus conſequens oſtendet, tamen vix ſperari potuerat Iroquenſis Eccleſiæ fundamenta tàm citò, aut, tàm illuſtrem in modum iaci potuiſſe, ſi præterita cum præſentibus componeres. Ceterùm, breui reſponſione, munuſculíſque duobus gratias egit ingeniosè Chaumonotius tàm frequenti concioni: munerum alterum pertinebat ad ſarta tecta tugurij, quod cùm commodatum eſſet, æquum erat quæ tanta frequentia attriuerat, reponi ab ijs à quibus precariò teneretur: alterum, ad emundandam ſtoream, in quâ deinceps concilia habenda cum Gallis, Gallorúmque fœderatis eſſent. Denique, vt nihil ad feſtam lætitiam deeſſet, viginti viri, feminæ-ve ad Catechumenorum numerum ſub veſperum eius diei acceſſerunt. Neque cunctati qui concilio interfuerant, poſtridie ad Sacellum, quod tàm enixè Chaumonotius expetierat, erigendum conuerſi, eundem cum ſocio, ſub ſacrificium peractum, iubent ſecum loco apto dimetiri quantum vellet longitudinis latitudiníſque: nam altitudo quidem maior eſſe non potuit, quàm lignorum, vnde ædificia apud illos conſtant: ita e-veſtigio excitata raptim Ædicula ſacra, ſummo rerum omnium procreatori, quod felix fauſtúmque in

omnia deinceps ſecula futurum eſſet, quotquot ad extremum vſque orbis diem fluxura ſunt, ad XIV. Cal. Decembris qui dies commodùm incidit in feſtam celebritatem Dedicationis Baſilicæ Principum Apoſtolorum Petri, Paulíque: ac tametſi non ex marmore conſtitit, vt auguſtiſſima illa Romana Baſilica, ſed ex cortice, vt fieri apud Canadenſes vulgò ſolet; non tamen commodè minùs illic quàm Romæ, ad beatam felicitatem patefacta ianua eſt infantulis tribus, qui eodem illo tempore, Baptiſmo impertiti ſunt.

EX EA DIE tanquam ſigno dato concurſus factus ad Baptiſmum. Non iam, vt aliàs apud Algonquinios, Montanóſque & Hurones, opus fuit clàm per piam fraudem infantulos breuî emorituros emendicare ad ſalutare Sacramentum, à ſollicitatis multâ prece, & quandoque pretio parentibus: matres vltrò non ſuis modò filiolis, ſed ſibi ipſis quoque incenſiſſimo quodam ardore fidei illum depoſcebant. Ad IX. Cal. Decembris diſcurſans Chaumonotius per vicina tuguria, in feminam incidit iam tum ſanè religioſam. Hæc vbi primum de fide diſputantem Chaumonotium audijt, continuò tanti boni non modò ſibi, ſed etiam ſuis conciliandi ſtudium ingens præ ſe tulit: vbi illum alloqui cominùs licuit; *Expectabam*, inquit, *hoc ipſum: en, ego me tibi ad ſalutarem inſtitutionem, filiolam hanc meam ad Baptiſmum iam nunc trado: quinetiam precor à te, excurrere ne graueris ad villas aliquot haud procul hinc diſſitas: famulos famuláſque, quotquot habeo, volo illicò baptizari: tu, quod tuo commodo fiat: rem vrgeto. Ego verò perlubenter*, excepit Chaumonotius; *nec morabor diu: tu interim iſtâ virtute felix, perge vt inſtituiſti: largum ac liberalem fidei tuæ muneratorem præpotentem cæli terrarúmque effectorem habitura.* Hanc poſtridie huius diei conſecuta eſt anus, ſanè fortunata vel hoc nomine, quòd ad illud vſque tempus vitam ipſi prorogatam benigniſſimus Deus voluit, quæ ſi vel paulò antè ſublata è viuis fuiſſet, obijſſet expers tanti beneficij, ſed nimirùm ſic ſortes noſtras temperat munificentiſſimus in filios ſuos parens. Aiebant illi ipſi qui declinioti iam ætate locis iſtis erant, nunquam ſe eam niſi anum vidiſſe, & iam tum obſitam rugis: vnde facile fuit intelligere tunc centenariâ maiorem fuiſſe: certè neptem, hoc eſt filiam filiæ videbat nuptam, auctámque liberis: auia

ANNVS MDCLV.

enim fuit Teotonharaſon illius lectiſſimæ & Chriſtianiſſimæ feminæ, cuius in tugurio hoſpitabantur Galli Sacerdotes. Ergo cùm felici vetulæ Chaumonotius ſacram Chriſti IESV effigiem videndam obtuliſſet, poſtquàm eam attentiſſimè inſpexerat, ipſum illum mirâ ingenuitate appellans. *Age*, inquit, *noli me deſerere : age poſt exitum è vitâ in regiam tuam cæleſtem euehe me : nec ſinito vt à te vnquam diuellar.* Sic animo comparatæ paucis diebus interpoſitis, per quos illi explicata ſunt fidei myſteria, quantum grandis illa ætas capere potuit; ſignaculum fidei per publicum Baptiſmum ſolenni cerimonia impreſſum eſt, Dominica ſecundâ Aduentus.

PRIMA AVTEM, quæ in IV. Cal. Decembris incidit, cùm anguſtius tugurium eſſet illud, in quod Patres hoſpites Teotonharaſon exceperat, in aliud amplius coacta concio, ad Catecheticam doctrinam. Apparatus, tenuis nobis, illuſtris eo loco viſus, & meritò : neque enim quidquam vnquam tale aut viderant, aut auditione acceperant, ad vnam immanitatem exercitati, ad alia omnia adhuc rudes. Primùm omnium præmiſſæ à Catechiſtâ in verba concepta ſunt ſtatæ preces, voce contentiori, à turbâ voce item contentiori ingeminatæ : dein, explicata è myſterijs capita ea, quæ eſſent pro fidei fundamento : quæ myſteria vt in animos imperitorum ſubirent altiùs, ſacræ eorum Imagines oculis ſubiectæ ſunt, eâ cum venerationis ſignificatione, quam res ipſa poſtulabat : poſtmodùm, ad acuendum ſtudium diligentiámque, diſtributa præmiola ijs qui explicata aptè reddidiſſent : &, quod mirè cepit mentes haud eò vſque barbaras, vt non, quod de priſci illius Orphei ſequacibus Poëtæ finxerunt, Iroquij quoque cantu flectantur; & voce, & fidiculis numerosè ſonantibus, adhibita ſacra modulatio : ea incendit audientium animos ad iſtius generis conuentus celebrandos deinceps perſtudiosè. Ita, concurſus ingens conſecutis deinceps Dominicis diebus ad doctrinam ſacram : ad Baptiſmum, admiſſi penè quotidie nunc hi, nunc illi, vt eorum & ardor vehementior, & myſteriorum peritia maior ſuadebat : à peruigilio quidem certè feſtæ lucis S. Franciſci Xauerij, ad Octauam vſque exeuntem, nullus à tàm optato miniſterio vacauit dies. Et iam tum è ſterili hacte-

nùs ſolo, fructus ad cælum decerpti. Omnium prima, poſt Patrum aduentum, Baptiſmum expetierat virgo annorum admodum viginti, initio, ſpe emergendi ex febri ecticâ, quæ ima penetralia ſenſim depaſcebatur; pòſt, in ſpem regni cæleſtis ſic erecta, vt cogitatione omni aliâ abiectâ prorsùs, in aſpectu tantùm, atque oratione Sacerdotis à quo baptizata fuerat, acquieſceret, illa ſupernæ vitæ gaudia crebrò memorantis. Ac mutatio quidem illa fuit, perinde atque omnes aliæ iſtius generis, dexteræ Excelſi: ſed, ſi externa ſpectes, valuit fortè ad id ipſum, tale quidduam, quale ſub idem tempus clamores exciuit piæ feminæ, ex Huronum gente, auidâ aure mentéque excipientis quæ eodem illo in Sacello Catechiſtes perſecutus eſt. Cùm enim inſigni quodam ardore, nec minori eloquentiâ diſputaret de illis lætitijs, quas ex perenni illo beatitudinis fonte hauriunt quotquot Deo in cælo fruuntur; illa penè ſui impotens, ſublatâ derepentè voce; *Me verò*, inquit, *mi frater lancinas: eſt huius mucronis, quo me ſaucias, ſanè penetrabilis acies.* Hîc attonitus Sacerdos, quærere ex eâ quid id rei eſſet, quod vulnus, quam tàm penetrabilem aciem memoret? *Nec vides ipſe*, ſubiecit mulier: *de te queror atque expoſtulo, quòd necdum mihi declaraſſes, quæ qualiáque nobis gaudia in cælo reſeruentur: itaque nunc angor animo, idcircò, quòd ad hanc diem ignoraui duo, alterum, quanta me in ſempiternum tempus felicitas maneat; alterum, quanta ſit optimi Dei, à quo immenſum illud gloriæ pondus expecto, ergà nos munificentia.* Vt vt id fuit, ægra virgo nullâ moeroris nullâ metus ſignificatione placidiſſimè mortalitatem immortalitate mutauit, VI. Id. Decembris. ANNVS MDCLV.

CVM INTER hæc læta, nec ſterilia fluxiſſet ſpatium totum, quo Aduentum in orbem terrarum Verbi Incarnati peculiari religione recolit Eccleſia; in pernigilio Natalis Verbi Incarnati eiuſdem, epulum dedit Chaumonotius Iroquiorum primarijs, quotquot in pago ſubſtiterant, occaſionem captans ſuauiſſimi Myſterij explicandi. Et perlubenter excepta eius oratio: nemo non quæ explanata fuerant, mirum in modum probauit: ſed tum quidem res intrà applauſum conſtitit, quo ferè modo in Europâ: omnes ad audiendum Eccleſiaſtem confluunt, ſi quis eloquentiâ pollet vigétque; mutatio mo-

ANNVS MDCLV.

rum in melius, prauorúmque ſtudiorum emendatio perrara. Fuit tamen è Præfectis quiſpiam, qui poſtridie mane pro foribus Sacelli ſtans, mox ingreſſus, iuuenum vnumquemque hortatus ſit tùm ad preces ritè caſtéque concipiendas, tùm ad audienda diligenter ea quæ à Catechiſte explanabantur: ipſe, quaſi aliorum tantùm res ageretur, videbat meliora probabátque; vt idem faceret, præpoſterus quidam pudor, & carnis prudentia, & delira illa commenta, quæ diximus, tum quidem inhibuerunt. Feliciores feminæ, quæ conſideratâ credulitate quæ proponebantur, expendentes, haud difficillimè & Catechumenas profitebantur, & Deo ſe prorsùs velle obtemperare, re ipsâ teſtatæ ſunt. Inter ceteras vna fuit, quæ ipſo initio illuſtri documento declarauit, quid poſſit in ànimo benè comparato fides. Defuncto coniuge, cùm in matrimonium à pleriſque, vt in florenti ætate, expeteretur, mentionem eam intulit homo inter ſuos vel militari virtute illuſtris, vel inſignis venandi peritiâ, quas dotes duas, qui habent, illis in tractibus impleſſe putantur numeros omnes. Illa gratiis actis verecundè, ſignificauit illicò, certum ſibi eſſe, nemini niſi Chriſtiano nubere: neque enim perfectam eſſe poſſe inter coniuges conſenſionem animorum, ſi Religionis diuerſitate diſtrahantur. Cùm ſe quoque is fidei nomen daturum ſpopondiſſet; Ergo adito, inquit, Gallum Sacerdotem, parentem, myſtagogúmque noſtrum: nec dubita quin faciam; quicquid ille facto opus eſſe denunciauerit. Paret lætus, conuenítque Chaumonotium, & conſilij ſui rationem aperit: ſed cùm ex eo quæſiſſet, vt fit, Sacerdos, res eius vt haberent, comperto hominem iam coniugio obligatum eſſe, vxorémque habere legitimam; Ad Baptiſmum quidem, inquit, quod attinet, ſi Catechumenum interim gnarum ac ſtudioſum profitebere, nihil vetat quò minùs intrà aliquod temporis interuallum illius fieri poſſis particeps: ceterùm, per Chriſtianæ Religionis caſtiſſimas leges non licet viro cuiquam, de aliâ vxore ducendâ, ſuperſtite priori cogitare, nedum agitare conſilia: idipſúmquæ femina ſignificat. At illa, Valeat ergo, inquit, nouus amator: non committam vnquam, vt aliquid faciam, admittam-ve, quod cum ſanctæ fidei pugnet inſtitutis. Sed nondum certaminum finis; vix procus vnus re-

ceſſerat, cùm alter haud minùs illuſtris inter ſuos, rei ignarus mulierem quoque de coniugio interpellat. Cùm illum pariter conſtantiſſimè reijceret, inſtat per ſe, pérque alios homo moleſtior: ſi conditionem oblatam recuſet, nemini nupturam vnquam: tantíne eſſe exteras illas religiones, vt ſpretis auitis ritibus, ſe ipſa adigat ad miſeriam? ſi perſtet in inſano propoſito notam illius exiſtimationi inuſtum iri. Hæc audiebat immota, iam tum ſuprà firmam petram nouum fidei ædificium ſtatuens, cùm inſtigante Satanâ, Præfectus quidam è principibus, homo ſtolidè ſuperbus ad eam adit, interpellátque de flagitio. Illa verecundans hominem ablegat primò ſedatiùs, fidei ſanctitatem memorans, quæ inolitas pridem totâ regione corruptelas damnaret, proſcriberétque: tum, quoniam non modò non cedebat, ſed etiam libidine æquè, & iracundiâ æſtuans, intentabat minas; ſubducit ſe ſe induſtriè Catechumena, ac fugâ ſe proripiens adit ad Chaumonotium, reíque totius exponit ſeriem: conteſtans denuò, neque ſe vllius vnquam perſuaſione de concepto propoſito ſuſcipiendæ fidei dimotum iri, neque quidquam quod illius ſanctitati aduerſetur, facturam. Atque ea res, ſtatim, vt fit, vulgata, tantam ad opinionem ipſius pudicitiæ, cuius ſemper perſtudioſa fuerat, acceſſionem attulit, vt illius conſtantiam collaudarint omnes, digniſſimam prædicantes, quæ ad Fideles per Baptiſmum adiungeretur. Felix vtique, quam cùm iam tum Spiritus Dei egerit, dubitari vix poteſt quin eis accenſenda ſit, quos filios Dei eſſe pronunciat S. Apoſtolus. ANNVS MDCLV.

QVOD VERÒ Veritas per ſe ipſa tradidit, Satanæ regnum nequaquam in ſe diuiſum eſſe, tùm aliàs ſemper, tùm hîc apud Iroquios luce meridianâ clariùs demonſtrauit reterrimus prædo humani generis. Vt antè per Emiſſarios ſuos, falſos ineptóſque rumores ſparſerat, apud Algonquinios Montanóſque primùm, mox apud Hurones, quibus Nationes eas omnes à fide deterreret, tanquam à peſte mortalium, famem, bella, luem importante, quaſcunque in regiones induceretur; ſic apud Iroquios commenta partim eadem, partim antè inaudita diſſeminauit, ne teterrimæ ſeruitutis iugum, quâ eos tot ſecula oppreſſos tenuerat, excuſ- ANNVS MDCLVI.

ANNVS MDCLVI.

sum vellent. Ipso huius anni initio multum negotij sanctæ fidei præconibus somnia facessiuere : quibus cùm iam tum fidem omnem abrogandam esse declarassent ijs, qui de capessendâ Christianâ Religione seriò cogitarent ; incredibile dictu quàm multos, virorum præsertim, ea denunciatio perculerit. Nimirum sibi seriò persuadent eorum quamplurimi, nonnulli fortè fingunt ; In somniis rem & publicam omnium, & priuatam vniuscuiúsque verti : si ea ad quæ impellunt, ex animi sententiâ successerint, salua omnia ; si quid negatum ab aliis, ab eo qui somniauit, neglectum ; nullam deteriorem pernitiem fingi posse. Id adeò Magistris fidei molestiam facessiuit incredibilem, dum nec probare poterant impiam superstitionem, nec indigenas ab insanâ mente tàm citò deducere. Oïogoënienſis quidam per somnium noctu viderat homines decem, in flumen gelu concretum per foramen vnum, in diffractâ glacie apertum, subeuntes, egredientes per simile alterum. Expergefacto nihil potius fuit, quàm vt obiectam per somnium imaginem re ipsâ repræsentaret tempore perfrigido, quasi id suâ magnopere interesset. Ergo ad epulas vocat decem è familiaribus : simul somnium, simul consilium suum exponit : certum sibi esse facere quod monebatur, reperiret modò qui numerum implerent. Probantibus cunctis, operámque suam ad præclarum scilicet facinus deferentibus, postquam cantatum saltatúmque abundè erat, in rem præsentem venitur : perforatur amnis fractâ glacie, locis duobus : alter ab altero dissitus passus quindecim erat: primus immergit se, qui alios ad audendum impulerat : cùm emersisset feliciter, rigens tamen, sequuntur alij ex aliis, eodémque modo emergunt, ad decimum vsque : is, quo casu nescias, certè non extitit, funestóque exitio monuit alios, si saperent, nullam deinceps credulitatem accommodare insidiosis somniis.

Somnicum superstitio Fidei Christiana incrementis obstat.

IBIDEM fanaticus alius cunctos non terrore modò, sed etiam horrore compleuit. Cùm somniasset dari à se epulum ex humanis carnibus, optimates omnes in tugurium suum cogit, & vultu sermonéque ad lamentationem composito ; Actum me est, inquit, fratres mei : perij, sat video : est id enim mihi obiectum somnium, cui satisfacere neutiquam potero,

potero, reluctantibus vobis: verùm, ſic habetote: meum vnius exitium exitioſum Nationi totiерit: me enim mortuo, terra tota, quanta eſt ſedibus reuulſa ſuis, peſſum ibit. Tum attonitis omnibus, in illiúſque vultu defixis, per ambages, vt aſſolent, pérque ænigma delineat ſomnium ſuum: in cœtu toto vnus tantùm Oedipus repertus. Video, inquit, epulum dare cogitas ex carnibus humanis: en, germanum meum, illum tibi trado: vtere eo vt lubet, ac, ſi è re cenſes, in fruſta diſcerpito. Cùm horrerent omnes; At, inquit miſer ſomniator, feminam, non virum, ſomnium meum depoſcit. Hîc reſpirare paululùm qui aderant, poſtquàm nihil propriè ſibi periculi ex ferali ſomnio parari intellexere: ſed miſera legenda fuit cuius in caput vertererur exitium. Virginem deligunt, cuius de natalibus nihil comperio: illud certum; eam ignaram quò totus apparatus ſpectaret, victimarum more veterum, ornatam mundo muliebri fuiſſe, vt in eâ pauperie, quàm exquiſitiſſimo, adhibitas armillas, torques, coronas: Conuenit ad ſpectaculum, vt rumor increbuerat, ingens frequentia: mox, vbi qui ad Thyeſtæum conuiuium vocati fuerant, conſedêre, ſtatuitur in medio Virgo, vt credebatur mactanda, ſacrificulóque traditur, hoc eſt veſano ſomniatori. Nemo ſpectantium non miſeratione commouebatur inſontis: nec tamen hiſcebat vllus: oculis tantùm, nutibúſque quid intùs in animo premerent, loquebantur. Suſpenſis ad eum modum mentibus, ſtolidus accedit, &, ſeu ferrea illa præcordia miſeratione quoque tangerentur, ſeu inhiberet cædem pudor, ſeu terreret maleficij conſcientia; Satis eſt, inquit vociferans: nihil præterea depoſcit ſomnium meum. Ita, abſceſſere omnes, affecti variè: virgine quid factum ſit, non addit Relator: credibile valiturum tantum diſcrimen ad ſtudium fidei eius in animo ingenerandum, quæ barbaram immanitatem abominetur, execretúrque. Hæc priuata: at publicè, id quod nondum tàm apertè neque apud Hurones, neque apud Algonquinios Montanóſque annis ſuperioribus obſeruatum erat, comperti Iroquij infandam cerimoniam quotannis ſomniorum dæmonio peragere, haud abſimilem inſanæ licentiæ Bacchanaliorum, quæ etiamnum multis locis à Chriſtianis nomine tenùs hominibus exercetur, *Honnonouaroriam* vo-

ANNV MDCLV

ANNVS MDCLVI.

cant. Hæc cùm à ſenioribus indicta eſſet publicè in V. Cal. Martij, continuò viſi per pagum concurſare bacchantium veterum more, viri, feminæ, pueri, ſeminudi omnes, & ſcilicet per acerrimum frigus, cuius acerbitatem ferre vix poſſent ij ipſi, qui veſte multiplici ſuffarcinati tunc erant. Horum nonnulli ridiculâ illâ concurſatione ſibi ſatisfaciunt; alij, quorum natura indoléſque malignior, prætereà obuiis quibuſque nocent. Sunt qui aquâ reſpergant eos, in quos incidunt: ſunt qui è foco raptos torres iaculentur, quà fors tulerit; ſunt qui carbones fauillámque temerè ventilent, diſpergántque: ſunt qui lebetes, patinas, ceterámque iſtius generis ſupellectilem diffringant; ſunt qui fuſtes præferant, ſicas, gladios, enſes, ſecures, tanquam impacturi: & ſcilicet tenet ficta amentia, donec quod cuique occurrit ſomnium, explicatum ſit, & quod depoſcebat, perfectum. Et in explicatione quidem ſæpenumerò plurimùm laboratur: cùm enim, vt dictum ſuprà, non niſi per ænigma proponant id quod ſomniarunt, vel naturali phantaſiæ errore effictum, vel à præſtigiatore dæmone obiectum; operoſum eſt coniectoribus, ſenſa illorum aſſequi, ex quo quandoque temporis multum elabitur, antè quàm rem attigerint: & tamen non deſinunt toto eo interuallo lymphati furere, ſic, vt ſi te aut nolle vltrà laborare in re vanâ ſignificaueris, aut certè non ſatis perſpicaci ſis ingenio, vt rem acu, quod aiunt, tangas; minitentur ſe cuncta iniectâ flammâ crematuros: éſtque, cùm minas incendia conſequantur. Id adeò illo ipſo tempore penè vſu venit in Patrum tugurio, abſentium tamen (nam in publicâ illâ inſaniâ haud ſubſiſtendum in pago rati, rus conceſſerant.) Cùm ijs ità abſentibus vnus ex malignis ſomniatoribus in eorum ſe ſe mapale coniecíſſet, flagitabat vociferans, ſomnium vt ſibi ſuum explicaretur. Reſpondente nemine, perſtabat tamen, inconditis clamoribus addens minas. Tandem indignatus hoſpes Patrum qui aderat; Quid tu verò, inquit, inſanis tandiu? quid vis tibi? Ego, ſuſcipit inſanus, Gallum neco: id ſomniaui, id omninò perfici volo. Benè habet, ait alter: en, ſatisfac ſomnio tuo: & confeſtim veſtem furenti obiicit, Francico more perfectam, in quam ad ſacietatem ſæuiret, de more Nationum earum ſcilicet: quippe ſæpenumerò præ-

clari ſomniatores poſtquàm occidere ſe aliquem ſomniarunt, ſatisfactum ſomnio ſuo aiunt, ſi illius cuius de nece agebatur, obijciatur veſtis, in quam nocturnum illum ſuum furorem effundant. At priori illo conquieſcente, cepit viciſſim furere hoſpes, veriùs, furorem fingere, Gallorum hoſpitum vitæ & capiti proſpecturus in poſterum, impedituruſque quò minùs quidquam tale in eos, quos ſuis excepiſſet ædibus, attentaretur. At non, inquit, Galli hoſpitis cædem inultam eſſe patiar: incendam caſam meam, illiuſque incendium ità pagum peruadet, vt totus deflagraturus ſit. Et eijciens continuò quotquot in ædibus erant, (erant autem permulti, conſanguinei, amici, famuli, externi, qui ad eum tumultum accurrerant) occluſo oſtio, ignem variis locis inijcit; donec erumpente iam fumo, rediens domum Chaumonotius, ſciſcitánſque quid rei eſſet, vbi factum accepit, effracto oſtio intrò irruens per medias flammas pergit ad focum, præuſtas ſudes diſſipat, extinguit ignem, & hoſpitem blandè emittit, mirantibus cunctis viri facilitatem, morem gerentis externo homini in re vnâ, in quâ ægerrimè parere populi iſti ſolent: ſed maior vis agentis Dei erat. Pergit tamen extruſus idem per vicos tuguriáque tumultuosè concurſare: incenſurum ſe omnia clamitat, vlciſcendæ Galli neci: obijciunt vicini canem, quem mactet: at non id ſatis, inquit: eſſet pœna longè crimine leuior: obtendunt alterum: ac tum demùm à furore ſe recipiens, ſi furor tamen, ac non potiùs furoris ſimulatio fuit, domum redit, nihilo commotior, ac ſi nihil turbarum tumultúſque extitiſſet.

VIX DESIERAT, cùm eius germanum fratrem inſaniendi quoque præpoſtera cupido inceſſit. Ridiculè à calce ad caput amicit ſe ſpicis è fruge Indicâ, ad eum ferè modum quo Satyri apud nos in dramatis prodire in ſcenam ſolent. Adiungit ſibi feminas duas, furiarum inſtar ſparſis crinibus, ore atrato, lupinis tectas pellibus, vecte nec tenui armatas. Eo habitu mirificè probato, diſcurſat Satyrus aliquandiu per tugurium: mox tectum conſcendens, omnia miſcet inconditis clamoribus, tanquam in extremo exitio pagus eſſet: tum erumpens foras, ante-euntibus furijs; & in obuia quæque vectes illos ſuos impingentibus, pagum totum graui oberrat

ANNVS MDCLVI.

inceſſu. Necdum ferè è tugurio exierant, cùm ſuccedit mulierecula alia, armata ſclopo, quem à neſcio quo ex ſomnio emunxerat. Aiebat eſſe ſe in procinctu militaris expeditionis aduersùs Nationem felium : pugnaturam ſe cum gente, & ſcilicet captiuos deducturam ſecum poſt victoriam : victoriam enim certiſſimam eſſe, omni aſſeueratione affirmabat vociferans, vel vlulans potiùs: ac ni ita foret, diris omnibus deuouens caput ſuum. Subſecutus eſt illicò bellator itidem furioſus. Arcum geſtans, ſagittáſque, & ſicâ ſuccinctus, ſaltitat, cantat, clamat, minatur : tum in mulierem irruens, earum ex numero, quæ plurimæ mixtæ viris ingreſſæ tugurium ad ſpectandum fuerant, ſicam intentat gutturi, prehendit comam, & ſuſpenſis omnibus, ad euentum, capillos paucos ſecat, mox abſcedit. Sed adfuit continuò vates egregius : is obiectum ſomnium ſibi fuiſſe mentiebatur ſanè præſtans : illius enim ope diuinaturum ſe quid quo loco quiſque occuluiſſet. Veſtis tota ad riſum ciendum accommoda imprimis : illud peculiare, quod tanquam caduceum geſtabat dextrâ, quem intendens, indicabat latebras. Ad eius latus adſtabat continenter adminiſter egregius : is è vaſculo liquore neſcio quo poſtquàm os oppleuerat, eundem illum liquorem cachinnans refundebat in vatem, caput, vultum, manus, caduceum ipſum reſpergens. Agmen clauſit illâ quidem vice, vnus è pagi optimatibus miſerandum in modum deformatus. Videlicet totus cinere coopertus erat : nec tamen ità ſomnij vi perturbatus, quin ſe compotem ſui eſſe, ſatis oſtenderet : nam cùm in Patrum caſam eſſet ingreſſus, in quâ foci complures, ex alijs quidem omnibus fauillam carbonéſque diſſipauit hac illac ſublimè : ex illo Gallorum, nihil planè attigit. Huius ſomnium quoniam aſſequebatur nemo, idcircò ad triduum, quo ridicula inſania claudi debuerat, adiecta eſt quarta dies, incredibili Chaumonotij ſociorúmque vel mœrore, vel incommodo. At Satyrus tempore vtendum ratus, quoniam ſupellectilis partem haud exiguam diſtribuerat in ſomniatores, de ſuo ſatisfaciens ijs, quibus aliquid à Gallis emungere propoſitum eſſe videbatur (propoſitum autem erat, vt euentus docuit, penè omnibus) ſomnio item iacturam eam reſarcire conſtituit. Ait, obiectum ſibi noctu triſte ſimulacrum, quod

aptè ad id quod ſequebatur, delineabat, ab eóque imperatum ſibi, vt fibrinas pelles cogeret ad quadraginta. Ceterùm, tàm malignam monſtri illius in ſe vim fuiſſe, vt de humano ſtatu, rectáque mente deiectum, in belluam transformauerit: ità per vicos & compita ſe haud iam hominem eſſe, ſed belluam clamitans, pelles interim expetitas hinc inde corradebat, haud prorsùs inſanus ſomniator. Quid hoc infelicis gentis ſtatu deploratius, niſi adfuiſſet è cælo auxilium in tempore? Sane in medio Nationis prauæ atque peruerſæ, & ſcilicet ad omne genus immanitatis ad eam diem proiectiſſimæ, triumphauit tamen fides; neque teter dæmon id quod ſequebatur, aſſequi valuit, vt ſanctæ fidei præcones perderet: nam tametſi ſatis ipſi ſibi noſtri perſuadebant, ſomnia quandoque, ſuorum alicui vitam ademptura, tamen, quod mirere, non modò nullus in publicâ illâ licentiâ attingere ipſos auſus eſt; verum etiam ipſi præclarè perſtiterunt in incœpto, tùm precibus palàm peragendis, tùm conſignandis Baptiſmo ijs, quos neceſſariâ myſteriorum cognitione imbuerant.

QVÆ CETERIS præclaram cupiditatem prima iniecerat, prima quoque ſacro fonte hoc anno abluta eſt, ringente Satanâ licèt, péreque emiſſarios ſuos nihil non contrà moliente. Teotonharaſon illa fuit, femina ad omnium ſeculorum memoriam clara: cui certamen ſanè forte dedit Dominus, ſed vt vinceret. Cecinerant illi aliquandiu antè, Hurones quidam à fide Apoſtatæ, fore, vt ſi fidem amplecteretur, ſimul eius in ædes calamitates, ærumnæque omnes irruerent. Et quaſi ex compoſito res ageretur, ita continuò perfidioſam orationem luctuoſus euentus ſecutus eſt, &, ſi humana ſpectes, alieniſſimo tempore. Dum maximè naſcentis fidei opus feruebat, dum in illius ipſius feminæ ædibus celebrabantur preces, dum ipſa Baptiſmum ſtudioſiſſimè ambiebat; ecce tibi derepentè ſternitur ipſa primùm ingruentis morbi vi malignâ: poſtridie quàm eius auia baptizata fuerat, eius mater iam Catechumena, crus fregit: vtque nihil ad mœrorem deeſſet, lenta febris corripit, ſub eos ipſos dies, filium eiuſdem, duodennem admodum, neque moribus barbarum, neque indole, poſtquam iam non modò communes Chriſtia-

ANNVS MDCLVI.

norum omnium preces, ſed etiam Catechiſmi inſtitutiones longiores memoriâ comprehenderat. Tabeſcebat ille in dies: mater nihilo habebat leuiùs: nec tamen quidquam de illâ conſtantiâ remittere, Catechiſtarum ſenſus quis eſſet per eos dies, quanta ſolicitudo animi, quàm incenſæ ad Deum preces, cogitare quiuis poteſt, eorum dumtaxat, qui exquirere cum S. Paulo poſſunt. *Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Sed fidelis Deus paſſus non eſt, neque illam tentari ſuprà id quod poterat, neque hos ſuâ ſpe excidere. In ipsâ morbi atrocitate plena fidei Teotonharaſon cùm baptizari voluiſſet, X. Cal. Februarij mortem in momenta expectans, & ab omnibus conclamata, reualuit derepentè, vel attonitis, vel rubore ſuffuſis ijs, qui infauſta omnia prædixerant: & diuinâ bonitate munerante iam tunc tantam fidem, eius filius, cuius ima penetralia febris illa ectica ſic depaſta erat, vt proximè obiturus eſſe putaretur, ſtatim atque ſacris aquis tinctus eſt, item momento non tantùm febre caruit, ſed etiam priſtinam virium firmitatem recepit. Quinetiam cùm Teotonharaſon iam valens vigénſque, materteras videret duas in eodem verſari diſcrimine, quo ipſa paulò antè liberata erat, earum alterâ penè animam agente, alterâ laguente ex febri tàm contumaci, vt remedijs nullis cederet; vtramque appellans, ſéque ipſam cum filio pro certiſſimis diuinæ beneficentiæ exemplis proponens; *Agite*, inquit, *quid vltrà nectitis moras? perÿstis, niſi capeſſitis fidem; ſi capeſſitis, & vobis certò in totam æternitatem conſuletis, &, vt ſpero è morbo emergetis. An non ego nudiuſtertius eodem morbo languebam? an non vitâ meâ, & filÿ, actum putabatur? Et valemus tamen, vt cernitis, ambo fidei ope recreati. Mihi credite, matertera: non aliam medicinam nanciſcemini.* Commouit incenſa oratio feminas minùs contumaces, quàm vulgò aliæ ſuis addictæ ſuperſtitionibus eſſe ſolitæ erant: Sacerdotem iubent acciri continuò, geſtiente Teotonharaſon: is de Baptiſmi efficacitate ad beatam æternitatem prorsùs neceſſarij, affert paucis, at aptè opportunéque, quæ afferri ſinebat tempus: æternitatem inculcat præcipuè declinandam, ignibus nullo vnquam tempore conſopiendis infeſtam; ſequendam beatam illam, omni opum genere, dignitatum, oblectationum quas capere hu-

2. Cor. 11.

mana mens incluſa corpore vllo modo queat, cumulo refertam : & Deo ſimplicia illa pectora intùs permouente, Baptiſmum vtrique perſuadet. Nec cunctandum ratus, vtramque extemplò regenerat : &, quod diuinam quandam vim potentiámque declarat, vtraque ſtatim è morbo conualuit. Ita, adiunctæ Teotonharaſon, cui quantum deberent, nullâ ſatis oratione exprimere poterant, diſſeminare vbique, vel oculis potiùs intuentium obijcere quid eueniſſet ſibi, cum ſingulari fidei præconio, cuius capeſſendæ cupiditatem in aliarum animis ingenerabant ſenſim, & ſcilicet efficaciſſimè reuincebant calumnias impiorum apoſtatarum. ANNVS MDCLVI.

INTEREA feruebant conſilia de expeditione aduersùs Nationem ſelium, de quâ inſinuatum anno ſuperiore : hîc quæ ex victoribus Onnontaërrononijs à Chaumonotio Dablonóque reſcita ſunt, attexere operæ, pretium. Et laceſſitos quidem ſe ferebant Iroquij, acceptâ iniuriâ ex nece cuiuſdam popularium ſuorum, quem caſu, an deſtinato conſilio, interfecerat recens, vnus ex triginta Legatis, qui ad Sonnontuanum pagum miſſi erant ad confirmandam pacem cum Iroquijs ſuperioribus, maximè cum Sonnontuerrononijs. Sed viciſſim ipſi Nationem ſelium laceſſiuerant, non modò par pari referentes, ſed etiam pro vno Sonnontuerrononio, quinque & viginti ex triginta illis Legatis à Natione ſelium, interficientes : nam reſidui quinque fugâ ſe ſe ſubduxerant. Cùm iam omnia ad bellum vergerent, capti Onnontaërrononij duo ſunt à pluribus ex Natione ſelium : horum alter euaſit fugâ, alter cùm in publicum Nationis conſilium adductus eſſet, tantâ eloquentiâ pro ſe dixit, vt ſorori illius interfecti, in locum demortui fratris traditus, euaſiſſe iam ſibi periculum capitis videretur. Et eò quidem ſpectabat dedentium mens & voluntas, de gentis more, omnium penè retrò ætatum vſu confirmato, cuius ipſius exempla non pauca, ſuprà attulimus. Aberat mulier tum, cùm abſolutus Sonnontuerrononius ſuffectus eſt in vicem demortui, & gratulantibus cunctis, à ſqualore ſordibúſque, ad munditiem nitorémque veſtium traductus, quæ tanquam mox ad ſuos redituro ſuppeditatæ perhumaniter ab amicioribus quibuſdam erant : ſed cùm accepiſſet in reditu, quid factum eſſet ſe abſente, non modò

ANNVS MDCLVI.

non inducere animum potuit, eum vt acciperet comiter, quod vt faceret, ſuadebant vulgò omnes; ſed etiam impotenti vlciſcendæ fraternæ necis cupiditate æſtuans, aſſeuerauit, finem nullum lugendi facturam ſe ſe, dum is viueret. Nihil non egerunt optimates, vt pertinacem mulierem ab exitioſâ mente deducerent: etiam atque etiam videret quid ageret: bellum graue & periculoſum cum vicinâ gente tàm leui de causâ non ſuſcipiendum videri. Sed cùm nihil flecteretur, tandem, quæ nimia fuit concilij facilitas, permiſſus muliebri impotentiæ infelix Onnontaërrononius. Adhuc in conuiuio ſecurus verſabatur, cùm extrahitur derepentè, & ad furiam illam ducitur. Vbi primùm feralem caſam attigit, veſtes illæ dono datæ recens, detrahuntur ſolicito, & iam tum quorſùm res ſpectaret, auguranti. Exclamauit tamen antè, quàm ad rogum deduceretur, vnà ſecum Nationem felium arſuram: nec pœnas leuiores de ſuâ nece exactum iri. Neque aliter euenit quàm prædixerat: ſtatim atque ad pagum Onnontagueïum de illius morte renunciatum eſt, continuò ſuſcepta expeditio à bellatoribus mille & ducentis: tantáque celeritate vſi ſunt, vt eorum aduentus rumori præuerterit. Incendit obuia quæque miles, per arua, pérque vicos, nullo cuiuſquam delectu, nullâ miſeratione. Collegere tamen ſe ſe aliquando viri: cúmque recenſuiſſent copias, animaduerſo ſe & numero longè ſuperiores eſſe, & locorum naturâ; in munitionem ſe ſe recepere, ſanè validam, è truncis arborum prægrandibus. Ibi oppugnati ab Onnontaërrononijs, interpellatíque de deditione à Ducibus duobus: quorum alter anno ſuperiore, vt reddidimus, baptizatus, inſigni diuinæ opitulationis fiduciâ; [F] *Agite*, inquit, *ſaniora conſilia capeſſite: ni vos veſtráque dedatis, actum vobis eſt: pro nobis certat ſupremus vitæ Dominus.* At hoſtes cùm ſuperbiùs reſpondiſſent, nullum ſe vitæ Dominum agnoſcere, niſi ſuam cuiuſque dextram, & ſecurim; omni ex parte oppugnari munitio, aditúſque, ſi quà detur tentari. Acerrimè contrà obſeſſi repugnant, clade obſidentium non mediocri: ſiquidem cæſi penè quotquot audentiùs adrepere ad munitionem conati, nuda corpora miſſilibus ſeu ſagittis, ſeu ignitis glandibus obijciebant. Atque hîc illud contigit permirum, quod cùm vndique collimaretur

maretur in Christianum illum Præfectum, & sagittis & glandibus hinc inde circumsonantibus, intactus tamen tegente Deo, inuiolatúsque permansit. Cùm tamen sternerentur passim Onnontaërrononij, iussi sunt à Ducibus, canoas, quas de more gestabant secum, pro scutis hosti opponere anteriùs, capútque & pectus tegere: id consilij salutare fuit imprimis: nam tanquàm testudine, sic ijs tecti, ad munitionem denique succedere. Hîc cùm nouus labor cum nouo coniunctus discrimine surgeret, quòd vel perfringendi essent trunci arborum, vel aditus supernè tentandus; cùm ad prius illud & tempus deesset, & vires, ad posterius conuersi generosi bellatores, non montes illi quidem montibus, quod de Gigantibus Poëtæ fabulati, sed canoas canois imponunt, ijs tanquam gradibus, munitionis tandem crepidinem omni ex parte tenuêre. Fregit ea fortitudinis militaris significatio obsessorum animos: ita, accedente præsertim nitrati pulueris inopiâ, de fugâ cogitare cepere: quæ res exitio fuit: nam cæsis quotquot ferè alij ex alijs fugitabant, facilè victori fuit munitione potiri: in eam ingressus miles, ad internecionem cecîdit tùm bellatores, quotquot substiterant, tùm feminas, puerósque, turbam imbellem, imbecillámque: & tanta vis cruoris fusa esse dicitur, vt ad genu vsque in sanguine gradiendum esset: miserabili vtique documento, quanto anteslet clementia crudelitati: potuit enim hominis vnius vitâ Nationis penè totius salus redimi. Vt ad victores reuertamur, dum ouantes ad suos se recipiunt, trecenti circiter è Natione felium qui euaserant, collecti in agmen, rati, id quod ferè euenit, Onnontaërrononios progressuros hoc incautiùs, quod nihil superesse deinceps sibi persuadebant, vnde periculi quidquam crearetur; constituunt abeuntes adoriri ex improuiso, vel suorum vlturi neces, vel proprio quisque dedecori consulturi. Et res fortè processisset, nisi panico propè terrore perturbati ad Onnontaërrononiorum clamorem, quem casu magis quàm certo consilio complures deprehenso hoste sustulerant; dedissent se in fugam, ante certamen victi: ità illi quoque vagi ac palantes cæsi ad internecionem.

ANNVS MDCLVI.

HOC IGITVR bellum est, de quo appetente vere re-

ANNVS MDCLVI.

dintegrando, consilia penè totâ hyeme agitata sunt. Et bellico quidem aheno, quod vocant, subiectæ prunæ sunt inde vsque ab exeunte autumno superiore, quò in illud, dum feruet, conijceretur ab vnoquoque quidpiam : hoc est, iam inde denunciatum est palàm ac publicè, redintegratum iri bellum in felium Nationem, vere proximo, quò quisque in id conferret pro facultate nonnihil aut armorum, aut cibatus; aut consilio rem iuuaret. Postquam menses ipsos tres supposítus ad eum modum aheno ignis erat, vt loquuntur, de mense Februario, ad pagum Onnontagueïum venatores plurimi conuenerunt è pagis Sonnontuano, Oïgoënióque, ad militare conuiuium. Hos demereri studuit Chaumonotius tùm munere, tùm oratione : munus, è conchâ veneriâ globuli bis mille : oratio, Non eos pedem ponere in ditione Onnontaërrononiorum modò, sed etiam in Galliâ, quando ambæ gentes in vnum eundémque deinceps populum coalescerent. Optare se magnopere, vt, si per locorum intercapedinem liceret, videret Prorex, quos qualésque apud Onnontaënsem pagum filios haberet : gauisurum vtique intimis præcordijs : ceterùm, abstergere se se cruorem, quo respersa adhuc essent eorum corpora, ex recente illo certamine cum Natione felium : & quoniam inuitatus ab ipsis esset ad aliquid supponendum aheno illi bellico, facturum se perlubenter, additurúmque aliquantum nitrati pulueris : quæ postrema verba mirificam ab ijs approbationem gratulationémque retulerunt. Accessit munus ab Onnontaënsibus, in Gallorum gratiam : precati sunt enim ab aduentitijs illis venatoribus, vti ergà Patres, tales se adhiberent, quales ergà optimos parentes optimi filij adhibere solent : dissimularent si quid fortè in eorum quotidianâ consuetudine tanquam peregrinum displiceret : ante omnia modestissimos se se exhiberent stato precum tempore. Et commodùm, inter illos eosdem iuuenes reperti Hurones non pauci, ingens Chaumonotio gaudium attulere. Nimirum fidem illibatam tandiu in animis retinuerant, neque vllâ ærumnâ de constantiâ colendi summi Dei potuerant dimoueri. Didicit ab eis multa præterea, quæ ad illustres illas reliquias desolatæ Ecclesiæ pertinerent. Renatum Tsondihgannen, quandiu vixit, quotidie

mane ac veſperi operam dediſſe precibus, & ſingulis Sabbati diebus, Chriſtianum vnumquemque monuiſſe, de ſequenti die Dominicâ. Tobiam diceres in captiuitate poſitum monita ſalutis dare ſuis popularibus, & vnumquemque in fide confirmare, incenſiſſimo ſtudio propagandæ gloriæ Dei, & ſempiternæ cuiuſque felicitati conſulendi.

DVM HÆC geruntur, adfuit Legatus ab Onneiȝtenſibus, ad III. Id. Februarij. Is cùm & ſociarum Nationum Legatos, & Chaumonotium ipſum in concilium acciuiſſet, Chaumonotius prior Legatum compellans; *Quàm libenter*, inquit, *hîc te conſpicio, cum alijs popularibus fœderatíſque tuis! illud vnum ad publicam lætitiam ſupererat, vt adeſſes. Proinde, quando aduenisti, illud te maturè admoneo, vt ſi pacem ſocietatémque Gallorum expetis, primùm omnium attendas diligenter, ne cuius te maligni ſermones, ad concordiam impediendam conficti, decipiant, nec-ve credulitatem vllam aduerſis rumoribus antè tribuas, quam veri illi, an falſi ſint, tute pro tui ingenij ſagacitate expenderis.* Perbreuem, ſed accommodam loco temporíque orationem ſubſecutum munus eſt globulorum mille è conchâ veneriâ: at Legatus viciſſim torquem altero tanto ampliorem dextrâ præferens, tum vnam prætereà & alteram eiuſdem magnitudinis per interualla expromens, tria dixit item breuiter: primùm, torquem illam idcircò à ſe offerri, vt abſtergeretur cruor fuſus ab Annierrononijs poſt mentionem pacis cum Gallis ineundæ fieri cœptam: alterum, habere ſe ingentes gratias pro adoptione, (de quâ ad finem anni ſuperioris:) nihil enim ſibi accidere potuiſſe honorificentius, quàm vt à Prorege cooptarentur Oïgoënſes Onneiȝtenſéſque, in filios: tertium, vt quod Chaumonotius ipſe cum Mercerio ad Kebeccum, non ſuſceperat modò, ſed etiam penè perfecerat, abſolueret ocyùs, ſedémque ſtabilem figerent demùm Galli apud Iroquios amicos, ſocióſque. Atque hîc, vt quantam lætitiam animo concepiſſet de adoptione, non modò verbis doníſque, quod iam facere inſtituerat, ſed etiam geſtu ipſo, motúque corporis declararet, & canere ipſe, & ſocios ad canendum inuitare: id vbi abundè peractum, ad dicendum conuerſus, mira de eâdem adoptione perſecutus eſt, ad horæ dimidiæ interuallum. Nunquam Comœdus in

ANNVS MDCLVI.

ſcenâ perſonam vllam aptiùs ſuſtinuit, inquit Gallicus Relator: nomine recenſebat proprio, quotquot deinceps conſanguineos affines-ve habiturus eſſet ad Montem-regalem, ad Trifluuium, Kebecci. Excurrit deinde in Nationis ſuæ laudes, factáque bellica tàm copiosè, vt horas duas ipſas ea pars orationis tenuerit; tàm facetè vt nullum tædium caperet auditores, ſpectatores-ve: nam Actoris potiùs perſonam agebat, quàm Oratoris: adeò omnia loquebantur, vultus, inceſſus, geſticulatio: nam per hypotypoſes certamina ſuorum, ac victorias, hoſtium fugam, trepidationem, neces non tàm narrabat, quàm ſubijciebat oculis, opinione iucundiùs. Sed ſucceſſit tantæ lætitiæ ſpectaculum ſanè luctuoſum & atrox. Illâ ipsâ die ſub veſperum rediere bellatores tres ex eodem pago, cum capillitijs tribus, detractis, vt facere ſolent, neſcio quibus, non hoſtibus certè, quando aiebant ipſi, ignotum ſibi eorum idioma fuiſſe quos interemerant: captiuos ducebant præterea duos ex Natione ſelium, viros præſtanti ſpecie, ac validos imprimis: ætas haud dum annorum triginta. Ii (quâ de causâ haud compertum, credibile iniquiore loco aut tempore interceptos) dediderant ſe ſe ipſi penè vltrò Iroquijs, rati, contrà quàm ex parte euenit, quando certamen nullum interceſſerat, neque vis vlla adhibita fuerat, humaniùs ſecum actum iri, quàm cum ijs qui prælij aleam tentare auſi eſſent. Et verò ea viſa fuiſſe mens Onnontaërrononiorum ipſorum maximam partem: nam vbi ad eos victores retulere quemadmodùm res haberet, continuò ſinguli ſingulis familijs addicti ſunt, demortuorum loco futuri. Verùm, id ipſum exitio alteri fuit: nam cùm *Aharihoni* datus fuiſſet, bellatori inclyto, & ob rem præclarè geſtam ſæpiùs, perilluſtri; homo arrogantiſſimus idem, & crudeliſſimus indigniſſimum in modum deditiium illum habuit, prodidítque. Germanus frater Aharihonis cùm nuper à bellatoribus Nationis ſelium interfectus eſſet in certamine, non potuerat exſatiari illius necis vlciſcendæ cupido impotens, ne quadraginta quidem bellatorum cruciatu, quo eius manibus litauerat, viuos cremans: etiam hunc adiungere voluit, alia omnia voluentem animo, & iam ſecurum ſui capitis, quando eò ſolennis cerimonia mancipationis illius pertinebat. Ergo

ANNVS MDCLVI.

cùm demereri Aharihonem ſtuduiſſet, &, motis gnatus, ceruos quatuor tradidiſſet ad epulum adoptionis; in medio conuiuio, dum is more patrio caneret, ad oblectandos conuiuas, aſſurgit Aharihon, & hunc quoque germano ſuo fratri immolari ſe velle denunciat. Horruere conuiuæ, exanimatus penè metu captiuus eſt: haud ſic tamen impos ſui, vt non num quâ effugium pateret, circunſpiceret diligenter. Et iam oſtium ſpectabat, fugâ ſibi conſulturus, cùm ianitores duo, ſeu ſatellites potiùs, adminiſtríque furoris ſuperbiſſimi hominis, trepidum comprehendunt, mox crematuri. Ac tum primùm animaduerti cepit, horror ſupplicij quid valeat ad perturbandos animos, quantumlibet feroces, vbi ex improuiſo intentatur, exercetúrque.

COMPLVRIBVS iam exemplis confirmatum ſparſim vidimus, captiuos, ſeu Algonquinios, ſeu Hurones, ſeu Iroquios, quotquot lentis ignibus exurebantur, obfirmato rabie animo, & præceptâ pœnarum ab hoſtibus per ſuos repetendarum ſpe in furorem versâ, canere medijs in rogis ſolitos, fortia ſua facta, ſuorúmque memorare, minitari, diris deuouere eos à quibus cruciabantur: hic præter ſpem, expectationémque deprehenſus, & à medio conuiuio ad ignes tractus, alia omnia præ ſe tulit, demonſtrauítque naturæ humanæ imbecillitatem tandem aliquando dolori, dum grauior eſt, ſuccumbere. Certè denunciata cruciatus diritas neminem non perturbaſſet, eorum dumtaxat qui ſibi ſuæque infirmitati relinquantur: nam ſancti quidem Martyres cùm diuinis niterentur præſidijs, erigerentúrque mirificè in ſpem inſtantis felicitatis, atque adeò rerum mirabilium obiectu perſæpè diſtinerentur; ridebant videlicet ad ea, ad quæ horrere conſueuit humanæ naturæ conditio. Vt ad miſerum redeamus, conuenerat immani Aharihoni cum aſſeclis, dimidiam corporis partem, ad vmbilicum ſcilicet, ad mediam vſque noctem ducto cruciatu torrere, à pedibus facto initio: mox, quò ſenſus doloris eſſet acerbior, tempúſque daretur deguſtandæ lanienæ, tanquam crudeles pacti eſſent inducias, ad auroram vſque interquieſcere; tum exuſtum iri ſuperiorem partem corporis, ne qua pars ſuo careret cruciatu. Et verò Perillis illis res ad mediam noctem ſucceſſit è ſententiâ: ignium

ANNVS MDCLVI.

admouebant ſenſim tantum, quantum ad intolerabilem dolorem, non quantum ad vitam eripiendam ſatis eſſet. Vlulabat miſer iuuenis horrendum quendam in modum per ſilentes noctis tenebras, clamoréſque tollebat immenſos: lacrimas exprimebat ignium morſus vberes: nemo penè toto vico erat, qui non miſerationis ſenſu aliquo tangeretur. Ita quidam ex Aharihonis ipſius propinquis ad ferale pegma accedens propiùs, cultrum infixit languentis pectori: ſed letale vulnus non fuit: valuit tamen ad reliquam lanienam accelerandam: veritus ſiquidem Aharihon ne ſibi mors partem reliquam deſtinati cruciatus præriperet, ſi necteretur mora, continuò ad cremandam partem illam ſuperiorem corporis incubuit minùs ſegniter. Reputent hîc interim tantiſper rogo, Societatis IESV obtrectatores, laude nè an probro digni ſint, qui ad tàm efferas Nationes tendere non dubitant per mille terrarum mariſque diſcrimina, quò barbara pectora Chriſtianis inſtitutis deliniant, & demulceant, & à ferâ illâ vitâ traducant ad Sanctorum manſuetudinem. Omninò præſagiunt, alicui ex ſuo numero ſtaturam eam victoriam cruore, & capite: victoriam inquam: neque enim diffidunt quin aliquando conceſſuræ ſint gentes omnes eæ in leges Euangelij: ſed infiniti labores exantlandi priùs, quotidiana vitæ pericula adeunda. Sanè illo ipſo tempore è tribus bellatoribus, qui contrà Nationem felium anno antè profecti fuerant, vnus in reditu, ſeniorum concilio conuocato, tanquàm ad rem quæ plurimùm publicè intereſſet, memorauit pro concione, occurriſſe ſibi dum hoſtem veſtigat, teſtudinem immenſæ cuiuſdam magnitudinis, moliſque: paulóque pòſt, viſum ſibi *Taronhiaʒagui*, ſeu pumilionem quendam, qui ſe pro cæli Principe arbitróque venditaret. Hunc eam omninò orationem ad ſe habuiſſe. Ego, inquit, & cælum moderor, & terrarum curam gero: ego hominum genus conſeruo: ego bellantibus tribuo victorias: ego vobis imperium terrarum conciliaui, ego vobis ſubieci finitimas Nationes, Hurones, Petunios, Ahondihrononios, Atiragenre Kios, Atiaonrekios, Takʒlguaerrononios, Gentaguaerrononios: vno verbo, meo beneficio eſtis quiquid eſtis. Quare, ſi ab eodem me tegi vultis in poſterum, meiſque firmari præſidiis, audite orationem meã, quæ-

ANNV MDCLV

que iubeo perficite. Denuncio primùm omnium, vos in reditu nacturos Gallos tres in pago veſtro, eundémque vos ingreſſuros pagum, tum, cùm peragetur Honnonoʒaroria. Quæ vbi vera eſſe compereritis, curatote continuò offerri mihi ſacrificium canum decem, decem globulorum è conchâ veneriâ, in vnamquamque caſam : torquem ordines decem latam, granorum heliotropij demenſa quatuor, fabarum totidem : tibi attribuantur mulieres nuptæ duæ, quibus ad dies quinque, vtcunque collibitum fuerit, vtare : hæc niſi perficientur omnia, exponam prædæ Nationem totam tuam ; ſi peracta fuerint, quid porrò faciendum ſequatur, tibi ſignificauero. Addebat, his dictis pumilionem videri deſijſſe, fidem autem vaticinio factam ſtatim : ceruum enim, cùm fortè illac pergeret, à ſe vocatum continuò accurriſſe, vltróque letale vulnus accepiſſe, ab eodem ſe inflictum. Ceterùm, tametſi totum id fictum conſultò ab imbellibus iuuenibus videri queat, qui tandiu morati in hoſtico, vt aiebant, nullum militare facinus feciſſent ; conſtat tamen miſerum tàm lurido & deformato ore fuiſſe eo tempore, vt facilè quiſque ſibi perſuadere poſſet, obiectum illi vtique tetrum aliquod ſpectaculum fuiſſe : nam ſuper illam horridam frontis vultúſque ſpeciem, quæ intuenti cuilibet formidinem ingenerabat, etiam excreabat ſanguinem : nec quidquam miſerum leuauit execrandum ſacrificium, peractum, vt voluit, à ſenioribus.

INTEREA decurrebat menſis Februarius : nec occurrebat ſatis, quâ potiſſimùm ratione ſignificare poſſet Chaumonotius Kebeccum, quid apud Iroquios ageretur, quantóque ardore expeterent vulgò omnes, vt ſtabilem demùm ſedem tùm Patres Societatis IESV, tùm Galli reliqui apud ſe conſtituerent. Nec minùs angebantur Patres animo, dilabi ſic tàm præclaram occaſionem : nam tametſi aſſiduè in Domino laborabant, illa tamen ſolicitudo inceſſerat animos, vtendum profectò eſſe occaſione : & quando tanti referebat ad fines fidei propagandos, pacem cum gente bellatrice imprimis eâdem, & ad eam diem ferâ, conſtitui ; cauendum omni ope, ne Iroquiis Galli, non Gallis Iroquij defuiſſe viderentur. Præſertim cùm diuinum quiddam agnoſcere eſſet

ANNVS MDCLVI.

in totâ iſtâ procuratione : nam cùm ſeniores iuxtà, ac iuuentus nouos hoſpites vrgerent, non ad ſocietatem modò, fœdúſque, ſed etiam ad tecta communia, vitæque & conſuetudinis conſortium ; tamen, dum, vt fit, parùm æquus aliquis muſſabat, nihil eſſe quod tantopere externi illi retinendi viderentur, obtendebant ſeniores, neutiquam ſe iuuentuti poſſe obſiſtere, quæ Gallorum ſocietatem expeteret cupidiùs ; iuuenes contrà clamitabant identidem, propoſitum eſſe videri ſenioribus rem Iroquiorum publicam peſſundare, Gallis admittendis : & tamen tùm hi tùm illi factum maximè volebant quod priuatim reprehendebant ſeu exitioſum. Cùm nullâ humanâ viâ expedire negotium ſe poſſe putarent Patres, ad cælites, de more confugiunt, vouéntque Deo nouémdiale Sacrum ad S. Præcurſoris decus, quò tàm gratioſi ſequeſtris operâ res tanti momenti conficeretur. Et ſub idem tempus accito in concilium Chaumonotio denunciant ſeniores ; Cunctationem demùm omnem abigendam : triennium iam eſſe, ex quo in dies expectentur Galli, ſemper moras alias ex aliis interueniſſe : moleſtas ſibi eſſe iſtiuſmodi comperendinationes : niſi in præſentiâ conſtituatur firmi quidpiam, haud vltrà eâ de re deliberatum iri. Videre quidem ſe nullius lucri cupiditate talis, quale ſequuntur qui mercaturas faciunt, duci Patres ad ſedem ſtabilem figendam ſuis in terris : vnum id ab ijs ſpectari, vt fides illa, quam tanti facerent, & meritò, apud ſe propagaretur: quæ cùm ita ſint, aiebant, quidni properatis ? quidni curritis ? Oculis ipſi veſtris vſurpaſtis, quanta noſtra frequentia fuerit ad veſtrum Sacellum, ex quò extat: in tuguriis noſtris, peramanter eſtis excepti, quoties aut ad viſendos ægrotos, aut ad filiolos noſtros, atque adeò adultos baptizandos veniſtis : precibus publicis interfuimus ſemper magno numero : necdum tamen id efficitis, quod ipſi tàm vehementer expetijſſe videri vultis ? Ad hæc Chaumonotius, ſucceſſu lætior, & opem diuinam animo implorans ; *Ita eſt*, inquit, *ita planè eſt, Iroquij, vos, non veſtra, quærimus : nec verò ſapientis conſilij fuiſſet hominibus vltrò paupertatem profeſſis, poſt abdicatas ſpes ampliſſimas, patrium ſolum deſerere, longè vtique vberius ad res quæ in vitâ putantur iucundæ, longè rerum plurimarum pulcherrimarúmque, ex diſciplinarum traditione*

ANNVS MDCLVI.

traditione excultius, ignotis regionibus mutare, niſi ad animas Orco, tetróque dæmoni ereptas, veri Dei, Chriſtíque IESV mortalium vindicis notitiâ imbuendas, ex quâ deinde notitiâ ſempiterna felicitas conſequatur. Sed, quo loco res ſit, videtis ipſi; Si, vt in Europâ ferè, certa exploratáque itinera eſſent, per quæ Kebeccum remeare poſſemus, & quantâ à vobis humanitate excepti ſimus, memorare coràm; non tandiu, mihi credite, rem, vobíſne, an nobis iucundiorem neſcio, diſtuliſſemus: nunc, cùm per ſiluas teſquáque, per ſaxorum immanium crepidines, per paludes lacunáſque gradiendum ſit, nullâ tritâ non viâ dico, ſed ſemitâ; quemadmodum ſine duce itineris peruenire eò liceat. Ducem vitæ quærimus: hunc date: proficiſcemur ante noctem: ac ſi qua ſubeſt adhuc in mentibus veſtris de noſtro in vos ſtudio, dubitatio, ibit ſocius meus, ærumnáſque illas omnes exſorbebit magno animo; ego interim vobiſcum obſes ſubſiſtam. Hæc cùm ſanè fidenter prolocutus Chaumonotius eſſet, neque magis oratione quàm vultu atque oculis, nihil magis ſibi cordi eſſe declararet, quàm vt continuò iter capeſſeretur; circunſpectare Iroquij alij alios, dum quiſque publicas rationes, vt ferè fit, priuatis poſthaber. Quippe de venatione quiſque cogitabat, tanquàm de certiſſimo compendio, & ad pelles fibrinas ſpe & cupiditate inhiabat: cùm ſe iuuenes duo ad iter offerunt, è primariis pagi totius, Deo vtique candida pectora permouente, & omiſſâ venationis curâ in præſens, comitaturos ſe Kebeccum, eum è Patribus qui ire vellet, profitentur. Nec longâ conſultatione opus fuit: cùm Chaumonotius & peritus idiomatis Iroquij eſſet, & cunctis percharus, Claudius Dablonus ſe ſe perlubenter iturum teſtatus, poſtridie Cal Martias cum comitibus proficiſcitur. Incredibile dictu quid toto illo temporis locorúmque penè inacceſſorum interuallo pertulerit: quoniam tamen ex ijs quæ abundè ſuprà de variis itineribus, Dei causâ eundem in modum ſuſceptis, intelligere quiſque ſatis poteſt, quanta hîc beatarum ærumnarum ſeges fuerit, illo præſertim anni tempore; verbulo, rem perſtringo: Dablonus frigora, imbres, famem, ſaxa, paludes, riuos, flumina, per ſexcenta mortis præſentis diſcrimina menſem penè totum eluctatus, tandem III. Cal. Aprilis Montem-regalem ſoſpes cum vtroque comite tenuit: paulò pòſt, Kebeccum

ANNVS MDCLVI.

cùm descendisset, facilè persuasit Proregi, Patribúsque, omni morâ postpositâ, occasione propè diuinitùs oblatâ vti, ac mittere quam-primùm, qui sedem stabilem apud Iroquios, paulò antè hostes atrocissimos, deinceps Gallici Christianíque nominis perstudiosos, figerent. Nec diu disquirendum fuit, qui potissimùm mitterentur: cùm vnusquisque certatim eam sibi prouinciam deposceret, delecti è nauis operariis ad præclaram expeditionem vnà cum Dablono ipso, & locorum deinceps vtcunque gnaro, & gentis; *Franciscus Mercerius*, qui proximè totius Societatis in Nouâ Franciâ Superior, abdicauit ipse se se triduo antè expletum triennium, quæ erat eundi cupiditas; *Renatus Menardus*, *Iacobus Freminus Sacerdotes*; laïci, ad domestica ministeria, *Ambrosius Broarius*, *Iosephus Bourserius*: accessit cohors Gallorum externorum quinquaginta, frequentando pago. Exeunte Iulio, profecti sunt omnes: atque vt erat anni tempestas longè commodior, minori labore, tempore breuiori, destinatum locum tenuerunt.

Sacerdotes quatuor & laici duo è Societate IESV, ad Iroquios, cum eis Gallis quinquaginta proficiscitur.

VIX SOLVERANT, cùm classis, qualem non naues rostratæ, sed canoæ facere possunt, appulsa Kebeccum est, ad inauditos adhuc rudibus populis, tormentorum maiorum fragores. Algonquinij erant, leucas quingentas, vt ea gens longa amplaque locorum spatia obtinet, indidem Kebecco dissiti, Ontagakios vocant. Aduentus causa hæc fuit: cùm ante biennium ex ijs nonnulli ad locos vsque excurrissent, quos circà Magnum amnem occupant Galli, in reditu abduxerant secum Gallos iuuenes duos, cupidos, vt fit, rerum nouarum videndarum, cognoscendarúmque. Ii, nec inuito Prorege, cui semper cordi fuit & Christianæ fidei amplificatio, & Gallici nominis dignitas; duces secuti commodos, cum ijsdem feliciter tàm longum iter emensi, vt eorum ad fines peruenere, sibi persuaserant fore, vt post exactam hyemem cum venatoribus, proximo deinde vere Kebeccum reducerentur. Sed eos fefellit opinio eatenùs, quòd pro anno, biennium totum abesse oportuit. Anno toto quinto & quinquagesimo exacto cum bonis hominibus, tandem qui penè soli abierant, suâ industriâ opportunáque oratione, & scilicet consuetudine vitæ Christianis hominibus haud indignâ, vt

euentus docuit, collegere Algonquiniorum manum haud modicam, ducenti & quinquaginta fuerant, canois inuecti quinquaginta, ijs mercibus graues, quas Galli maximè concupiscebant, fibrinis pellibus. Vt primùm facta exscensio, continuò ad Arcem deducti, Proregem salutauere, muneráque obtulere duo, affinia imprimis, si quorsùm offerrentur spectes. Postulabant, Gallos secum liceret abducere, tùm laïcos ad vitæ communis societatem, tùm Sacerdotes ad institutionem gentis totius, quæ sanctam fidem capessere, animum induxisset. Non potuit repudiari tàm iucunda postulatio: post consueta verborum officia, & beneuolentiæ comitatísque significationem, qualem res promerebatur; pollicetur Prorex, ituros vtique cum abeuntibus, Gallos, partim quales expeterent, ad ciuilis vitæ societatem, partim, quæ res longè potior, optabiliórque, ad totam Nationem imbuendam Euangelij cognitione, atque adeò ab auitâ superstitione ad vnius summi rerum omnium conditoris notitiam cultúmque traducendam, vnde sempiterna pendeat felicitas. His ità constitutis, quoniam plurimùm intererat vt ante hyemem ad suos se se reciperent, vrgere reditum Algonquinij: lætíque suprà modum versari se eo loco, vbi & idiomatis sui scientes tàm multos reperirent, & incredibilem humanitatem omni in genere experirentur, omni celeritate adornare reditum. Dies viginti circiter commorati, canoas conscendunt: attributi à Prorege Galli iuuenes triginta; à Ioanne Quenio, qui, profecto iam Mercerio ad Iroquios, rem Societatis administrabat, Gabriel Druilletius, Leonardus Garrellus ambo insignes operarij. Ac de Druilletio quidem dictum iam sæpè: de Leonardo Garrello, mox dicendum: Nam vti vel prædixerat, vel persuaserat, ea in expeditione paucis pòst diebus obiit. Cùm aduerso amne Trifluuium versùs nauigarent, obuium lembum habuere, à Præfecto loci eiusdem missam celeriter per internuncium monente, inuigilarent sibi, cautéque ac circunspectè graderentur: Annierrononiorum agmen adesse, & latere haud procul in insidiis. Sed non perinde ac par erat, excepta fida monitio: Ontaʒakij, iuuenes ferè omnes, atque adeò confidentiores, & nullas vnquam artes, nullam vim Annierrononiorum experti, nocte quidem tàm

P. Leonardi Garelli sanctè in expeditione pulchrè mors.

ANNVS MDCLVI.

ſolerter remos inhibuere, vt locum inſidiarum præteruecti, poſtridie Triſluuium tenuerint; mox quaſi cunctis defuncti diſcriminibus, freti numero, non modò iucundis fragoribus ſcloporum quos in auiculas diſplodebant paſſim, artis admiratione, hoſti ſignificabant quo loco eſſent, in ſe ipſos perfidi; ſed etiam aſpernati eſſe dicuntur indicium fidi Annierrononij iuuenis, qui Gallis ſtudens, indicauerat populares ſuos ex inſidiis improuisò impetum facturos in præternauigantes, proinde omni ſtudio declinare paratas inſidias niterentur. Et verò, cùm minimè experientes Argonautæ moras identidem necterent, quaſi præteruolantes aues inſectari tempus ſineret; Annierrononij facti pridem ad artes omnes, per fluminis diuortia iterùm anteeunt, occupántque Iſthmum opportuniſſimum ad id quod ſequebantur: etenim ſtringendus omninò locus nauigantibus erat, ſi progredi ſursùm vellent. Ita, cùm monuiſſent excubitores, adeſſe claſſem Ontaʁakiorum, in ipſam crepidinem ſclopetarios immittunt, totâ ex acie lectos, &, quò impunè emittere ſclopos in prætereuntes liceret, crebrâ tectos arundine. Antecedebant temerè claſſem canoæ ſex, vectoribus partim Huronibus, partim Ontaʁakijs: vbi eo loco fuêre, vnde non excipere funeſtas glandes corporibus non poſſent; continuò diſploſere ſclopos Annierrononij, ſtrage prætereuntium tàm ſubitâ, vt conciderint complures antè, quàm vnde mors obiiceretur, agnoſcerent. In canoarum iſtarum vnâ nauigabat Leonardus Garrellus, de ſuis iucundâ ſermocinatione eâdem, & vtili diſtinendis, magis, quàm de ſuo capite ſolicitus. Ita, dum in aliorum vtilitates totus incumbit, excipit letale inter ſcapulas vulnus, & fractâ vnâ ſpinalium vertebrarum, ſupinus corruit. Accurrunt è ripâ prædones, & ſemiuiuum vnà cum aliis in munitionem trahunt, quam tranſuerſarum arborum obiectu raptim parauerant, retardandis, ſi fortè exſcenſionem facerent, Ontaʁakijs. Et illi quidem repentino tumultu exciti, correptis continuò armis, in ripam exſcendunt, hoſtémque perſequuntur: ſed generoſum impetum breui retardauit obiecta, quam diximus, munitio: ac tametſi vallum vndique cinxere cominùs, tamen tàm ſtrenuè repulſi ſunt ab Annierrononijs, ſclopos vndique explodentibus, vt cùm ca-

pere munitionem primâ impreſſione nequirent, coacti ſint, quod proximum erat, tanquam caſtra metari, multâ vi obſeſſum Annierrononium ad duorum alterum adacturi, aut ad deditionem certis conditionibus faciendam, aut ad captandam fugam per nemus: vtrumque fruſtrà: nam ita ſe intrà munitionem continuêre obſeſſi, vt vim vi repellendo, acerrimè reſtiterint, inferiores illi quidem numero, magnitudine animi, ac militaris rei peritiâ ſuperiores. Ergo cùm diutiùs ſubſiſtere Ontaʏakij nequirent ſine graui incommodo, quibus tantum itineris ante hyemem conficiendum eſſet; compellant ipſi vltrò Annierrononios, non iam de deditione, ſed de pace: addunt munus de more, ſaluum quaſi commeatum poſtulantes: cùm nihil ſibi vnquam diſſidij cum Annierrononiis fuiſſet, æquum eſſe vt pacatè ſe in patriam reuerti ſinerent: præſertim cùm fœdus ferijſſent cum Gallis, è quibus aliqui ſecum proficiſcerentur: euenturum fortè, vt pari in re parem gratiam liceret rependere: vtcunque id foret, fortium animorum eſſe temperare ſibi in victoriâ, nec victum ad internecionem cedere velle. Sed truces animos nihil tàm modeſta commouit oratio: oblato munere repudiato, nihil non hoſtile expectandum, re magis quàm ſermone denunciauere. Ergo Ontaʏakij ad artes ipſi quoque conuerſi, truncos arborum ingentes quam-maximo poſſunt ſtrepitu cædunt; in ſpeciem, quaſi conſtitutum ſibi eſſet intrà ſuam munitionem manere tandiu, dum Annierrononij diſceſſiſſent priores; re, vt hoſte alia omnia cogitante, abſcederent noctu, & quantâ maximâ poſſent remorum contentione patriam versùs tenderent. Et ſucceſſit iuſta fraus: profecti per noctis tenebras, ſuis omnibus in canoas impoſitis, inſanos hoſtis implacati furores eluſerunt, relictis in munitione Gallis militibus tribus tantùm è triginta: nam alij ad Trifluuium ſubſtiterant, ex illius bidui difficultatibus periculiſque, perincommodum iter futurum opinati: neque verò Druilletium canoam conſcendere paſſi ſunt, nequidquam contendentem pergere ſibi vt liceret. Annierrononij conſpicati poſtridie mane abſceſſiſſe Ontaʏakios, Gallos ſecum ad Montem-regalem deportauere, vnà cum languente Garrello, poſtquam tàm indignum in modum tanto viro illuſerant, vt etiam detracto induſio, nihil

ANNVS MDCLVI.

ANNVS MDCLVI.

planè vnde corpus tegeret, præter femoralia vili ex cannabe reliquerint. Quanquam videtur eos aliqua tantæ immanitatis pœnitentia cepisse: postquàm diu multúmque fractum corpus versauerant in omnes partes, immites ijdem, & imperiti Chirurgi, extrahendæ, si quà possent, glandi plumbeæ; impositum in canoam, Patribus restituerunt cum duplici munusculo, & doloris significatione: casu factum fuisse id quod euenerat, non certo consilio: è suo numero aliquem, dum in Hurones OntagaKióisque sclopum displodit, vulnerasse Gallum Sacerdotem. Quid facerent læsi? accipiendum fuit quod dabat gens versipellis: dimissi sunt nullâ cuiusquam noxâ.

AT GARRELLVS, postquam semiuiuus absque vllo fomento neque vulneris, neque virium, triduum ipsum iacuerat, suo ipsius respersus sanguine, vbi Montem-regalem deportatus est, miserationem commouit scilicet omnibus, cum mirâ quâdam veneratione coniunctam. Intuebantur in eum alij, tanquam in virum Apostolicum: ipse se ad instantem obitum religiosissimâ solicitudine comparauit. Eo loco nactus ingenti mentis suæ solatio, Claudium Pijartium, Sacerdotem è Societate, huic omnia sensa consiliáque sua ingenuè aperuit: atque ex eo maximè rescitum, quid per eos dies animo voluerit. Illud eximium, quod ne tum quidem cùm vulnus accepit, neque deinceps, cùm tàm inhumaniter tractus in munitionem, vestibúsque spoliatus est, vllo iracundiæ aut abalienationis motu concitatus est aduersùs immanes illos vexatores: quin, diuinæ IESV Christi benignitatis memor, eas voces continuò vsui pauit, *Domine ignosce illis*: eodémque tempore incredibili quâdam suauitate fruebatur intùs, eâ videlicet ex cogitatione, abstractis ad eum modum vestibus, aptiùs se eidem Christo IESV in Cruce morienti conformari. Verùm, alia quoque accessit seruuli cum Domino similitudo: cùm parum diu tenuisset iucundissima illa mentis tranquillitas ex Deo præsente, & dulcissimos illos sensus affundente, successit nox tenebrosa mœroris, & horribilis illa solitudo, quam identidem experiuntur serui Dei hoc grauiùs, quòd dulcedinem illam interiorem experti, vident penitiùs sentiúntque, quid inter vtrumque mentis habitum interfit: certè nullam se

ANNVS MDCLV

tantam acerbitatem expertum eſſe in vitâ, eidem ſuo Confeſſario profeſſus eſt. Cùm tamen benigniſſimus parens idem occultâ quâdam vi confirmaret famulum ſuum, vt facere ſolet tali in tempore, acquieuit ſemper Leonardus, ſingulari quâdam cum demiſſione diuino beneplacito, gratias aſſiduè ſummo Deo referens, quòd ſe tàm pretiosâ morte dignaretur. Quo die ad Montem-regalem deportatus eſt, hoc eſt I V. Non. Septembris, confeſſionem peccatorum ter inſtituit, & exactiſſimè quidem: tum ſecundùm ſacro-ſanctum viaticum Corporis Domini, ſacro oleo ad extremum certamen inunctus eſt, fortis pugil, qui præclarè ſibi ad extremum vſque ſpiritum conſtans, in partem precum venerit, eo tempore concipi à ſacramenti Miniſtro ſolitarum, incensè reſpondens ad ſingula: & iterans crebrò voces eas, *Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te: fiat voluntas tua. Vnum mihi illud dolet*, addebat, *quod non ſatis acriter in diuinæ gloriæ proſecutionem incubui: ceterùm, habeor indulgentiùs, quàm par ſit.* Obijt paulò ante mediam noctem quæ diei illi ſucceſſit, hoc eſt intrà I V. Non. Septembris. Funus honeſtatum quantum locus tempúſque tulerunt: à nemine certè quidquam prætermiſſum, quod ad ſignificandam venerationem pertineret. Vir fuit præclaris naturæ gratiæque dotibus inſtructus: & inde à primâ infantiâ dicatus Deo. Natus eſt in Lemouicibus, in oppido *S. Aredij de Pertică*, anno nono huius ſeculi, V. Id. Octobris. Parentes habuit pios & religioſos, nobilem vtrumque. Pater militiâ diu functus, nec inglorio modo, ſub Henrico Magno, quarto huius nominis Galliarum Rege, pietatem ſic coluit, vt pro exemplari eo in genere proponi nobilium cuique poſſit. Cùm de eo vſurpari ſemper potuerit illud S. Iob, *Ab infantiâ meâ creuit mecum miſeratio*; tamen fulgor tàm charæ Deo virtutis explicare ſe ſe in eo cepit illuſtriùs, poſtquàm familiæ regendæ, gnauus vtique in omni genere pater-familias, operam dare cepit. Solenne quidem illi ſemper erat, opificibus variorum generum ſubminiſtrare vnde opere faciendo victitarent: at in annonæ caritate egentes vnus omnes alebat, quouis tempore ſtipem illis ſuâ ipſe manu offerre ſolitus, quoties ad eius ædes adibant: ac ſi, vt ſæpenumerò accidebat, mutuum frumentum

Eiuſdem præclaris dotes.

Iob. 31.

ANNVS MDCLVI.

peterent, qualiſcunque numerus eſſet, dimidiam ſemper partem donabat gratis, partis alterius pretium vt non repudiabat, ſic exigebat nunquam: ſub extremos verò vitæ dies ſyngraphas huius generis, quas penès ſe non paucas habebat, declarauit ſe velle incendi: neque tàm piæ voluntati defuerunt pij heredes. Mater, *Franciſca de Gentilÿs*, ſic Chriſtiani officij partes omnes excoluit, vt omnibus veneratione eſſet, Chriſti bonus odor vicinis, atque finitimis, quorum nonnulli domicilium mutaſſe perhibentur idcircò, vt commodiùs religioſiſſimæ feminæ conſuetudine conuictúque fruerentur. Solenne illi fuit, quotidie ſacro-ſancto Miſſæ ſacrificio intereſſe, quotidie veſperi legendo recolere quod de IESV patiente ſancti nobis Euangeliſtæ tradiderunt, quo myſterio afficiebatur imprimis; diebus quibuſque Dominicis & feſtis, ſacram Euchariſtiæ ſynaxim obire, cuius itidem guſtu intimè permouebatur. Verbi Dei audiendi occaſionem prætermittebat nullam: piæ lectioni erat addictiſſima: nec ſuauius quidquam rebatur, quàm de Deo diuiníſque myſteriis colloqui. Hinc ardor ille, quem iniiciebat vulgò aliis, diligendi Dei, ſanctiſſimíſque eius legibus obtemperandi: hinc mira quædam efficacitas ſolandi proximi, tenebroſámque illam caliginem, quæ ex nimio mœrore oritur ſæpè, abſtergendi ex animis. Supremus vitæ dies talis contigit, qualem optauerat: vt enim totâ ætate eximiè coluerat auguſtiſſimam Deiparam, ita concupierat emori aliquo dierum illiorum, quos eius venerationi varios addixit Eccleſia: & voti compos, eo die exceſſit è terris, quo primùm terras illuſtrauit naſcens mater Dei.

ETALI VXORE ſuſcepit vir liberos decem, filios nouem, vnam filiam. E filiis, duo in Clerum tranſſcripti, dum hæc ſcribimus ſuperſtites, caſtè famulantur Deo, in Collegiali Eccleſiâ S. Aredij: vnus, quem potiſſimùm dilexit ſuſpexítque Leonardus, venerabilium Patrum Recollectorum inſtitutum amplexus eſt, in Religioſâ illâ familiâ etiamnum illuſtris, in quâ diu tyronibus præfuit. Poſtremus omnium fuit is, de quo ſcribimus, vel Benoni, ob matris dolores, vitæque diſcrimen quod ea adiit, ex partu ſeptimeſtri; vel Beniamin, ob præclaram indolem, quæ vel in primâ ætatulâ pueruli effloruit. Tum quidem, quod de aliis pleriſque, maximè de B.

de B. Aloysio Gonzagâ proditur ; vix putatus posse viuere, atque adeò pro mortuo primùm habitus, ab vtroque parente Deo dicatus est : vouit enim vterque in eam se curam incubiturum, vbi primùm puer idoneam ætatem attigisset, vt Religiosæ cuipiam familiæ, vel earum quæ primæuam instituti disciplinam castè tenent, vel earum quæ ad eandem postliminiò sunt reuersæ, se se addiceret. Sed cùm desperaret obstetrix de vitâ infantuli, eum ipsa continuò baptizauit, susceptore famulo quodam, qui in nobili familiâ consenuerat : ex eius nomine Leonardi nomen inditum infanti, matre non modò approbante, sed etiam gestiente, tùm quòd peculiari quâdam propensione S. Leonardum colebat, toto Lemouicensi tractu percelebrem, tùm quòd id nominis ipsius patri fuerat. Obstetricem tamen fefellit anticipata de infantuli morte opinio : non modò vixit, sed etiam valuit viribus, ac fecundâ semper valetudine vsus est, donec eam Nouæ Franciæ labores attriuerunt. Nihil commodius illius indole fuit : elementa literarum arripuit perfacilè, vbi opportunum illa tradere fuit : ac iam tum haud compos sui per ætatulam, dictitabat tamen assiduè, fore se Iesuitam : nec quidquam illi accidere poterat iucundius, quàm si eâ nomenclaturâ designaretur. Mater quidem Iesuitam suum vocabat : nec vllo aptiori incitamento vti poterat ad ardorem discendi, illius in animo ingenerandum, quàm si inculcaret, vt faciebat frequens, si quidem Iesuita esse vellet, necesse esse toto nisu in studia literarum incumbere. Id verò & iam tum auidè puer arripuit, & tenuit deinceps constantissimè, tùm domi, tùm in Collegijs ad quæ missus deinde est : ibi, nemini condiscipulorum assiduitate cessit ; modestiâ, comitate, continentiâ facilè superauit omnes. Ieiunium diei Sabbati seruauit à primâ pueritiâ, demerendæ augustissimæ Deiparæ : mox per Quadragesimam singulis hebdomadis, dies tres eâdem seueritate quâ adultorum quisque, exigebat item ieiunans : ad annum ætatis sextum-decimum, partem reliquam addidit. Et iam tum in se animaduertere voluntariâ verberatione ceperat, quam occultissimè ille quidem, at non sic, vt pios exploratores fallere semper posset, à quibus plagarum crepitus exaudiebantur identidem. Paternæ

ANNVS MDCLVI.

ANNVS MDCLVI.

etiam in egentes miſerationis heres, puerulus ſuffurabatur domi quidquid ad manum erat, ad eos ſubleuandos, quoties ad ianuam videbat quiritantes : id cùm eſſet deprehenſum, monitus eſt cum leui obiurgatione, non licere ad eum modum furari : de ſuo, non de alieno largiendum eſſe, ſi qua largitio fiat : ea verò oratio ſic animo inſedit, vt intactis deinceps rebus domeſticis alijs quibuſlibet, ipſe ex quotidiano demenſo ientaculi, prandij, cœnæ, detraheret non modicum, quod ſeponeret in egentes. Sed piam fraudem mox detexit vultus ſqualidior, corpúſque macie extabeſcens : ità, ne ſe ipſe excruciaret vlteriùs, ſubminiſtratum aliunde, vnde miſericordiam exerceret. Eum ad modum tranſactâ pueritiâ, Lemouicam miſſus eſt, pòſt, Burdegalam : vtrobique pro ſpeculo iuuentutis eſſe potuit, adeò virtutum omnium decora in eo elucebant. Modeſtia in vultu ſingularis : comitas affabilitáſque vnicuique periucunda : neminem dicterio læſit vnquam : nunquam prætextatum verbum vllum ei excidit : nunquam arſit iracundiâ : nunquam deierauit : in illa duo intentiſſimo ſemper animo incumbens, vt aut Deum Cæliteſ-ve precando veneraretur, aut libris, ſcholaribúſque exercitationibus daret operam, abdicatis ijs omnibus, quibus ea ætas oblectare animum identidem ſolet : ex quo illud conſecutum, vt primos ſemper gradus obtineret in ſcholis. His artibus facilè à Superioribus admiſſionem impetrauit in Societatem IESV, poſtquàm iam Rhetoricæ eâ quam diximus aſſiduitate, diligentiáque operam dederat. Burdegalæ Domum Probationis adiit V. Cal. Octobris, anno huius ſeculi octauo & viceſimo, quem in diem incidit S S. Coſmæ & Damiani natalis, atque adeò tùm totâ Eccleſiâ celebrem, tùm Societati idcircò venerabilem potiſſimùm, quòd anno ſeculi ſuperioris quadrageſimo, eodem ipſo die à Paulo III. ſummo Pontifice confirmata, inter Religioſos Ordines numerari ritè cepit. Poſtquam egregiè, vt de tali virtute ſperandum meritò fuerat, defunctus erat experimentis omnibus, quibus tyrones ſuos nec molliter exercet Societas eadem, admiſſus ad Religioſa vota poſt biennium, egit in Aquitanâ Prouinciâ annos vndecim, & ingenij opinione, & virtutis laude ſemper inſignis : donec Palo miſſus Romam, ad curſum Theo-

logiæ in almâ Orbis totius Academiâ conficiendum, in quâ quid poſſet, annus primus iam ibidem Pali exactus oſtenderat; tandem poſt quadriennium, quà demiſſiſſimis precibus, quà moleſtâ penè interpellatione, eniciit à Præpoſito Generali (erat is P. Mutius Vitelleſcus, bonæ memoriæ) vt facultatem largiretur Nouæ Franciæ adeundæ, quò pridem animo votíſque ferebatur. Sed non aliunde reſcire certiùs poſſumus, quàm ex eo ipſo, quemadmodùm hîc ſe adhibuerit, aut animo apud Deum, aut conſtanti interpellatione apud homines. Habeo penès me literas, quas in procinctu, proximè nauem conſcenſurus, Rupellâ dedit ad R. P. Raphaëlem Garrellum, illum ex venerabili Recollectorum familiâ, germanum fratrem, VIII. Id. Maij, MDCXLIII. quarum hæc planè ſententia, digna vtique Apoſtolico Leonardi ſpiritu. ANNVS MDCLVI.

QVI AD TE *ſcribit, frater eſt germanus tuus, quem tui obliuio nunquam cepit, capiet nunquam; qui te ſemper tanquam ſe dilexit, diligétque, quíque ad Deum preces quotidie tuâ causâ fundit quanto maximo pectoris ardore potest. Cognouiſti, credo, quemadmodum cùm Romæ verſarer, quò miſſus eram ad ſtudendum Theologiæ; poſt diuturnam interpellationem, facultatem tandem obtinui à Præpoſito Generali noſtræ Societatis, adeundæ Nouæ Franciæ, quò ætatem reliquam ſacrificem conuerſioni infelicium Barbarorum, qui tot iam annos ſub Satanæ tyrannide gemunt. Vt eſt hæc vocatio extraordinaria, plenáque laborum, occaſionúmque acerba multa tolerandi; eam ego examinaui iuxtà regulas omnes, quas eo in genere nobis Sancti tradunt: poſt quæ, noſcens dilucidè illam à Deo proficiſci, enimuerò præclarè mecum agi putaui, qui ad rem tàm ſublimem vocarer, atque adeò conſtitui media omnia adhibere, per quæ id poſſem conſequi. Et benedixit mihi Dominus Deus: nunc enim eo ſtatu ſum, vt quatuor tantùm horæ ſuperſint mihi exigendæ in Gallia. Ergo longum vale tibi dicam oportet, mi frater in Chriſto chariſſime, neque ſine ſenſu doloris aliquo, inde concepto videlicet, quòd diuellor in longum tempus ab eo, qui mihi tàm charus eſt, quódque ad tàm diſsitam regionem proficiſcenti non licuit tecum agere coràm, téque amplecti in Domino. Sed enim mos gerendus voluntati Dei: ea nos interim ſuſtentet conſolatio, ſpem eſſe, in cælo reuiſuros inter nos, vbi mutuus amor noſter perfectior adhuc*

ANNVS MDCLVI.

futurus eſt, expérſque metus, alterius per diſceſſum abſentiæ. Obſecro, obteſtorque, mi frater, ſi mei recordaris adhuc, ac ſi quid adhuc ſtudij reſeruas fratri illi tuorum, à quo magis quàm vllus fratrum diligeris; precare à Domino Deo largiri mihi dignetur virtutes neceſſarias ad locum illum, ad quem contendo, dignè occupandum. Egeo magnopere interceſſoribus apud ſummam eius maieſtatem gratioſis, quorum te ex numero eſſe confido: ad tuas autem ipſius, adiungas quæſo preces Nouitiorum tuorum: mentes tàm candidæ támque puræ impetrabunt mihi à Domino quicquid ad meam vtilitatem petierint. Abeo mirum in modum contentus, & ſic mihi de meâ ſorte gratulans, vt non eam Regum omnium ſolÿs, ſi daretur optio, mutaturus ſim. Nihil iſti meæ felicitati deeſt, niſi dimidiæ horulæ vnius ſpatium ad colloquendum tecum, & ad accipiendas inſtitutiones mihi ad hoc vitæ genus aptè ducendum neceſſarias. Verùm, vt id quoque deſit, æquo animo ferendum: hinc incipiam nuncium remittere rebus omnibus, vnde aliquod ſolatium in vita humanum, aut etiam cœleſte poſſit exiſtere: ſi quidem vtroque me carere vult ſummus rerum omnium noſtrarum arbiter. Diu eſt, ex quo nihil audiui neque de fratribus communibus, neque de alÿs conſanguineis: ſi fortè ad illos ſcribes, ſignifica quæſo, me memorem vtique illorum eſſe, atque adeò eorum rationibus ſtudere ac proſpicere, quo maximè modo poſſum, pro mei ſtatus conditione, hoc eſt diebus ſingulis ad aram pro ÿs preces ad ſummum Deum adhibendo. Si quâ in re putaſſem me aliquid vtilitatis aut compendÿ afferre potuiſſe, ad eos diuertiſſem, Lutetiâ Pariſiorum Rupellam petens: verùm, illos nihil meâ operâ indigere ratus, reluctandum mihi naturæ eſſe putaui in re haud facillimâ, atque abdicare ſolatium omnium maximum, eorum quæ in vitâ accidere mihi queant, quò eâ mei abnegatione inſtrumentum eſſe poſſim diuinæ gloriæ. Et paucis interiectis; *Vale, mi frater, iterum vale: amplector te voluntate, & quidem ergà te propenſiſſimâ. Miſerere fratris tui, miſerere inquam, non idcircò quòd pergit ab obÿciendum ſeſe tempeſtatibus, naufragÿ diſcrimini, piratis, ac barbariei hominum totius orbis immaniſſimorum: hæc enim omnia materia potiùs ſunt lætitiæ, ſed idcircò quòd nondum talis eſt, qualem Deus expetit, & quòd tantum abeſt à virtute quæ ineſſe debet in iſtiuſmodi Operarÿs.*

HÆC IN PROCINCTV: poſtquàm autem Kebeccum tenuit, tùm ad illum eundem, tùm ad alios fratres ſuos ſcrip-

ANNVS MDCLVI

ſit in cortice arboribus detractâ, amores ſuos, non vt inſaniens ille opilio, leues, aut parùm pudicos, ſed caſtos, ſanctóſque, rationem exponens itineris ſui; prolixiùs autem ad fratrem natu maximum, atque adeò caput familiæ. Eâ in Epiſtolâ, poſt decurſa per compendium pleraque eorum, quæ libro primo expoſuimus, de locorum ſitu, déque indigenarum naturâ, ac moribus; ſenſa deinde animi ſui ſic exponit: *Noſtro in itinere perpeſſi ſumus quicquid ferè perpeti nauigantes ſolent, procellas, pericula naufragij, aquæ dulcis inopiam, nauſeam, qui dolor acerbus ſanè eſt: frigus, æſtus, prædones ſuppeditauerunt, vnde exerceremur plurimùm: ſed hæc deinceps præterita, id effecerunt, vt terra Nouæ Franciæ in appulſu nobis eſſet iucundior. Ego quidem nullâ vnquam maioris mentis quiete perfruitus ſum: tuguria noſtra ex cortice non mutem regiâ, neque inopiam noſtram gazâ vllâ, aut rebus magnificis omnibus quas vidi Romæ, Lutetiæ, in aliiſquo celeberrimis vrbibus, Omninò non exiguam animo meo conſolationem affert hæc cogitatio; Poſſe me imitari IESVM Chriſtum, optimum Dominum, fidémque meam probare ipſi, in rebus duris & grauibus. Et ille quidem iter emenſus eſt longius, quàm illud ſit, quod è veteri Gallia ſuſcipitur in Nouam Franciam, tum, cùm è cælo ad ſempiternam noſtram ſalutem deſcendit in terras. Planè vel vnius hominis conuerſio digna eſt, cuius causâ mortes mille appetamus, quando ei de causâ Dei filius neque cruori ſuo peperciſt, neque vitæ. Ego verò, quæ Domino Deo ſit gratia, Barbarorum noſtrorum neque ferrum reformido, neque ignes: nam omnium rerum maximè mihi eſt mors optabilis, quò vitam meam ſacrificem optimo Domino meo, qui meâ causâ ſuam ſacrificauit. Verùm, non eo honore dignus ſum: metuóque merito, ne peccata mea palmam mihi Martyrij præripiant, quam vt aſſequerer, in has oras veni. Mihi crede, mi frater: vana omnia, futiliáque ſunt, præter ſtudium Dei causâ laborandi, réſque duras tolerandi. Quandoquidem ergo eo loco ſum, vbi rerum talium ampla ſeges eſt, non debes angi animo, ſed potius exultare mecum, quòd eo loco ſum, quo eſſe me vult Dominus Deus, quem concupiui tàm ardenter, in quo denique Dei causâ & viuere mihi propoſitum eſt, & tandem emori. Caue tamen putes nos hîc omninò carere ſolatio: res eſt vna quæ nos mirificè ſuſtentat & aſſicit, felices videlicet ſucceſſus laborum noſtrorum, progreſſúſque fidei ingentes in Barbarorum noſtrorum animis. Annis ſingulis illorum*

ANNVS MDCLVI.

complures baptizantur, ísque numerus augeſcit in dies: ipſe ego, ex quo hîc ſum, hanc liquidiſſimam voluptatem cepi animo, vt ex ÿs aliquot aquis ſalutaribus eluerim. Id verò mirabile, quod Barbari iſti non modò lubenter complectuntur fidem, ſed etiam vbi eam ſemel profeſſi ſunt, eandem colunt deinde ſtudio incredibili, atque vnà cum ſuperſtitionum vanitate, exuunt etiam procliuitatem illam ad quodlibet genus licentiæ, opinione rapaciorem, quæ ipſis ab ortu propè inoleuerat. Mirareris, ſi videres quo ſenſu pietatis accedant ad Sacramenta, Sacrificio interſint, fundant preces in tugurijs: cúmque ante Baptiſmum nihil ÿs eſſet ferocius, poſtquàm Chriſto nomen dedere, induunt manſuetudinem. Speramus naſcentem iſtam Eccleſiam à Domino Deo amplificatum iri in dies, Nationéſque has tàm longè latéque fuſas, quæ nos circunſtant, eius tandem imperio colla ſubdituras: eâ ſpe labores omnes toleramus, vndecunque offerantur, magno animo. Tum, ſub finem; *Vale, mi frater; noli expectare dum in terris inter nos reuiſamus, neque enim id vnquam eueniet: hoc agamus potiùs omnes, vt in cælo alÿ aliorum conſpectu fruamur, in parentis vtriuſque conſortio. Te intimo corde amplector, per tot maria & terras: illud tibi confirmans, me vt à vobis toto orbe diuiſus ſim, non alio tamen animo eſſe, atque eram tum, cùm vobiſcum verſabar; ac vt ſeiunctus ſim corpore, ſemper tamen animo coniunctiſſimum fore. Tu viciſſim memor mei eſto, atque adeò tùm ipſe preces adhibe meâ causâ, tùm adhiberi curato ab alÿs: fortè antè quàm hæc vobis reddatur Epiſtola, è viuis exceſſero. Pro nouiſſimis verbis, commendo tibi timorem Dei, vt eius ſummum Numen & reuereris ipſe, & caſtè religioséque coli cures à tuis. E Noua Francià VIII. Cal. Septembris, anno MDCXLIII.*

AT NON tàm citò ſublatus è viuis eſt: annos totos tredecim exegit in Nouâ Franciâ, ſemper ſimilis ſui, hoc eſt ſemper contemptor egregius rerum, quæ blandiri ſenſibus ſolent, ſectator aſperarum, amator Dei, ſalutis animarum ſtudioſus. Poſt menſes aliquot, diſcendæ interim linguæ Kebecci poſitos, ad Hurones miſſus eſt, vbi primùm balbutire aliquid potuit: ibi dum impigrè manus operi admouet homo acer, in graue vitæ periculum incidit, vnà cum eodem Claudio Pijartio, ex quo hæc reſcita: nam cùm pridie Non. Decembres iter facerent ambo per ſtagnum concretâ iam tum glacie rigens, Pijartiúmque, qui anteibat, infida cruſta fefelliſſet,

ſub pedibus diſſiliens ; accurrens Garrellus, ſecurus periculi, ipſe quoque diſruptâ glacie lapſus in ſtagnum eſt. Ergo omni humanâ ſpe deſtituti in tàm ancipiti caſu, votum nuncupant Deo, ad S. Barbaræ decus, cuius feſtus dies agebatur : eâ viâ recepere ſe ſe ambo in tutum ; Pijartius Leonardi meritis vtriuſque incolumitatem attribuit. Sequenti æſtate, dum eam locorum vaſtitatem peragrat, in morbum incidit, qui letalis ab omnibus vulgò putabatur : æger, cùm infirmabatur, tunc potens, tùm aliarum virtutum documentis illuſtribus, tùm patientiæ præſertim, demiſſionis ſui, & ardentiſſimi in Deum amoris, admirationi cunctis fuit. Mox in creditum opus incumbens, vitámque illam penè poſtliminiò recuperatam, offerens Deo, quotidie moriebatur, inquit Paulus Raguenellus, de eo ſcribens in Galliam : quis enim viuere cenſeatur, qui in momenta immaniſſimorum hoſtium furori propoſitus, glande interim, belluarum more victitet, cubet humi, omni prætereà fomento, quod ad corpus quidem pertineat, deſtitutus ? Poſt obitum Caroli Garnerij, quem vt ſuo loco vidimus, crudeliter Iroquij necarunt, reuocatus à Superioribus ad Domum S. Mariæ, Lacui Huronum impoſitam, quò fractas vires ad aliquantum temporis ſpatium reficeret ; dum eundem Lacum noctu traijcit, leucam Gallicam latum ; fœdâ procellâ exortâ derepentè vnà cum tetrâ caligine, quæ proſpectum omnem eriperet oculis, deerrare per Lacum remiges, quo loco eſſent incerti, donec labore & contentione fatigati omnes, vento fluctibúſque ſe ſe permiſerunt. Septem erant partim Galli, partim Hurones iam Baptiſmo initiati : eos in iſtâ tantâ, támque horribili deſtitutione ſic tamen oratione confirmauit Leonardus, vt deinde poſtquàm euaſerant, negauerint quidquam optabilius ſibi fuiſſe, quàm vt tunc morte defungerentur, quippe qui metuerent, ne, dum moriendum eſſet denique, nihil tale præſtò eſſet animam agentibus. Addit ipſe in literis datis ad R. P. Guillelmum Anginotium, X. Cal. Septembris M D C L. cùm ſe, vectoréſque reliquos dies cum viribus defeciſſet, omnes abiecto clauo, remíſque poſitis, tanquam in re conclamatâ, dum mortem in momenta ſingula expectant, in canoâ reſediſſe : verùm, à Deo ſanctíſque Angelis canoæ cu-

ANNVS MDCLV.

ANNVS MDCLVI.

ram ſuſceptam fuiſſe ſic, vt vento ſecundo impellente, eadem ad optatum portum perducta denique fuerit. Et paulò antè, de altero ſuo naufragio ſic memorat: *Nebecci nunc verſamur, poſt peractum iter lencarum trecentarum, omnium puto, quæ vſpiam in orbe terrarum ſuſcipi poſſint, aſperrimum, periculoſiſſimúmque. Nullus non noſtrum permulta vitæ diſcrimina adýt: ego propè facto naufragio diu ſatis volutatus ſum in rapidiſſimo torrente. Inter ſpumantes vertices ferebar, quà rotabatur canoa, quàm nunquam dimiſi, collo tenùs ſemper immerſus aquis, per media ſaxa, quæ me vtique in fruſta mille diſcerpſiſſent, niſi adfuiſſet tutela ductúſque Cuſtodis Angeli.*

PORRÒ, cùm talis tantúſque in aliorum oculis Leonardus eſſet, in ſuis ipſe non modò modicus, ſed etiam vilis, mirum quos ſenſus de ſe haberet mente conceptos. Semper id vſurparent viri ſancti vt de ſe modicè ſentirent: verùm, ex eorum numero fuere, qui dum ſe ipſi quantum poſſent abijcerent, contrà veritatis leges, in exaggerandis aut delictis, aut motibus animi inconſideratis (vt in rebus ſubitis identidem euenit) facere penè viderentur. Id adeò Leonardo contigit: ad illum eundem germanum ſuum fratrem, ex venerabili Patrum Recollectorum familiâ ſe ipſe per Epiſtolam ità deformat, vt agnoſci vix poſſit. Ante triennium quàm excederet è viuis, ſic ad eum de rebus ſuis ſcripſit, ex Aurelianenſi Inſulâ, vbi Huronicæ Coloniæ ſedes atque domicilium, quam Coloniam tunc ipſe procurabat: *Neque quo loco ſis, neque quid agas ſcio: vnum illud certum exploratúmque mihi eſt, eo te loco eſſe, vbi te vult Dominus, id agere quod vult idem, in id ſemper intuentem, vt ne deſis paternis conſilýs, quibus te ſanctiorem effici vult in dies. Cuperem, mi frater, eſſe me ſimilem tui, & ex gratia fructus referre quos refers. Id verò non facio: atque adeò eſt cur metuam, ne poſtquam tandiu eius in me paternâ facilitate malè vſus fuero, is iuſta ſua ſeueritate me denique deſerat prorsùs. Cogor fateri, me, cùm annum ſextum & viceſimum agam in Religione, necdum tantum virtutis adeptum eſſe, quantum in tyrone eſſe vulgò ſolet: nondum didici agere cum Deo, ne in oratione quidem, in qua ſtupidus ſum tanquam ſtipes: quoties imos mentis meæ receſſus ſcrutor, comperio imo in fundo appetitionem quandam inanis gloriolæ latere, vnde ſubit mirari, cur Deus ſuperbiæ hoſtis*

propè

ANNI MDCL

propè capitalis, ferat me ad hanc diem. Amor mei, qui totus in me viget nimis violentus, deprauat quicquid ago in aliorum oculis: exprobrátque mihi conſcientia mea, me ad hoc tempus in miniſteriis meis non Deum quæſiſſe, ſed mihi ipſi immoderatè ſatisfeciſſe: vt ſi nunc excedendum mihi ſit è vitâ, metuam ne me Deus idem probris omnibus oneraturus ſit, quibus onerare ignauos ſolet, eoſque qui nihilo plus virtutis habent quàm hypocritæ. Abeſt ſanè plurimum, vt ſim paratus, ad ſiſtendum me iuſto illi Iudici: nec fieri poteſt vt me ſibi ſatisfeciſſe pronunciet. Maxima verò miſeriarum mearum hæc eſt, quod tametſi diuinis quotidie inſpirationibus vrgeor, nihil tamen emendo eorum, quæ in me ipſe deprehendo: licèt proponam ſæpè, vitam mutare in meliùs, propoſita illa mentis ſunt perſimilia erraticis illis flammulis, quæ æſtate in aëre exiſtunt: euaneſcunt videlicet continuò, relabórque illicò in ſuperiorem illam deſidiam. Vides, mi frater, quo ſtatu nunc ſim, quo ferè ſemper fuerim: hunc ego tibi eâdem ſinceritate aperio, quâ manifeſtare cuncta ſua Magiſtro Nouitiorum tyrones ſolent, illúdque tibi confirmo, ſtatum illum eundem meum deteriorem adhuc eſſe ſpecie illâ, quam tibi propono, imò verò, nullis me verbis aſſequi poſſe, quàm miſer ſit. Gratum quidem mihi eſt, hæc à te ſciri, quò, vt es egregiè in me animatus, miſeratio te mei capiat, iuuéſque me ſacro-ſanctis Sacrificijs, ne Deum dedecorare pergam, incipiámque ſedulò facere fructus pœnitentiæ. Nec tamen tàm miſero ſtatu, fiduciâ diuinæ bonitatis deſtituor: ſemper eius miſericordiæ ſpe ſuſtentor: videor item mihi nonnihil in præſens propenſior ad imperfecta illa, vitioſáque reſecanda: ab eodémque Domino meo precor ex corde, vt quando illum in vitâ meâ non honoraui, honorem ſaltem in morte, eius Cruci confixus in dolorum ipſius communione, quanta maxima eſſe poteſt. Tu porrò, mi frater, adhibeto ad ſummum ipſius Numen preces, at quàm poteris incenſiſſimas: neque tu modò id feceris, ſed etiam perficito cum ſanctis illis Patribus, fatribúſque, quibuſcum vitam exigis, idem vt faciant. Et poſt quædam interpoſita, de illâ tàm ſubitâ, támque inexpectatâ mutatione conſiliorum in Iroquijs, qui repentè tùm pacem vltrò expetierint, cùm nullo negotio rei Gallicæ Chriſtianæque reliquias ijs in oris extinguere poterant; *Si in datâ fide perſtabunt*, addit, *enim-verò aperitur nobis à Domino Deo campus ingens ad nouos labores: ſunt enim barbaræ Nationes pleræque ijs in tractibus ad Meridiem, Solémque occi-*

duum, quibus nihildum auditum de Deo. Et verò idem ille Dominus ardorem nobis omnibus, quotquot hîc ſumus, inÿcit, ÿs in occupationibus conſumendi quod virium vitæque reliquum eſt: niſi me tàm præclarà procuratione indignum peccata mea reddent, ſpero me cum Domini Dei mei gratiâ non tàm ſegnem in eâ fore in poſterum, ac fui priùs. Finem ſcribendi facio, mi frater, te intimo cordecomplectens, opémque implorans ſanctarum precum tuarum, ſacrificiorúmque. Super omnia, poſce mihi à Domino Deo, ſanctum illius amorem, quando ea demùm via eſt facillima, breuiſſima, efficaciſſimáque ad ſanctitatem: precaréque ab eo, vti ſancta illa charitas operiat multitudinem peccatorum meorum. Ex S. Mariâ inſulæ Aurelianenſis III. Non. Nouembris MDCLIII.

ATQVE HIC finem impono primæ Decadi Hiſtoriæ Canadenſis, Decadem alteram ſcripturus, ſi viuam: ſin, erit fortè qui pergat Annales tantorum laborum, támque Apoſtolicorum elaborare. Antequam verò deſino, moneo χϒ ϖόλιν, rem Chriſtianam apud Iroquios penè deletam anno ſuperiore fuiſſe, ad feſtum diem S. Ioſephi, Tutelaris vtique, ſi vnquam aliàs, Nouæ Franciæ. Nefariâ coniuratione initâ (quâ de causâ nondum comperi) conſtituerant Iroquij ad eam ipſam diem S. Ioſephi, exſcindere prorsùs Gallos, tùm Sacerdotes, tùm laïcos, quotquot apud ſe tenebant, neque vlli parcere: ſed à fideli indice ex gente eâdem, iam ſcilicet per Baptiſmum regenerato, nihil mouerunt illi quidem, ſemper humani ergà gentem Euripo mobiliorem, ſed ſubduxere ſe ſe eâ viâ quam tradet initium ſequentis Decadis: ſi arti tamen, humanæ-ve induſtriæ tribuere fas, quod non niſi diuinæ prouidentiæ aſſignari poſſe conteſtantur qui aut interfuerunt ipſi, aut ab ijs qui interfuêre, cognouerunt. Faxit Dominus Deus, vt quando eluſa crudelitas eſt gentis adhuc infidæ, reſpiciant ſe ipſi miſeri aliquando, & quàm funeſtam iacturam ſibi ipſi importauerint, agnoſcant, ſincerè aliquando cum Gallis acturi, complexuríque Chriſtianam fidem ex animo: quanquam viget vtique adhuc illa in compluribus, qui fortè ſemen illud futuri ſunt, quod reliquit Dominus Sabaoth, ne gens tota tanquam Sodoma intereat.

FINIS.

RERVM INSIGNIORVM

INDICVLVS.

EDICVLA ſacra apud Hurones primùm Ihonatiriæ conſtituitur. 163
Aegra precibus Catechumeni repentè conſanatur. 220
Aharihoni, ex Natione felium, contrà fidem datam crematur. 789
Ahatſiſtari. (Euſtachius) 339
Alces conſideratio. 51. 54
Algonquiniarum duarum conſtantia 337. tertiæ facinus mirum. 477
Amantachæ (Ludouici) Baptiſmus. 11
Amioti (Ioannis) mors 482. Elogium ibid.
Amiscuarui diſſertatio cum Buteuxio, ante baptiſmum. 189
Andaroſiæ (Magdalenæ) beata mors. 721
Andatraoniæ (Luciæ conſtantia. 431
Angeli Cuſtodis opitulatio. 216
An ketchi (Michaël) primus ex Algonquinijs baptizatur. 369. de Animorum immortalitate, Canadenſium perſuaſio. 87.
Annierronnoniorum de pace Legationes. 416. 423. 449. eorundem perfida immanitas. 464. 739. pacem feriunt cum Gallis. 741
Anna Auſtriaca, Ludouici XIV. mater. 252. 408
Aoneatæ Huronis conſtantia. 669
Aonnetæ (Mariæ) baptiſmus. 236. nuptiæ ritu Chriſtiano. 237
Arendoïen Huro Patres Societatis IESV excipit. 161
Arentohons (Mariæ) dialogiſmus cum Theotonharaſon, Præfecti Iroquii vxore. 745
Armandi Huronis beata mors. 722.
Armoricum Promontorium. 39
Attikameguiorum pietas. 486. 623. Mariæ, ex eadem gente, baptiſmus. 376
Auis prædatrix. 56

B

BAcchanalia Iroquiorum. 779
Baptiſmus ipſis corporibus ſalutaris. 192. 194.
Baptizatorum puerulorum dedicatio. 196
Batauorum in Iſaacum Iogueſium humanitas. 352. in Breſſanium. 403. in Poncetum. 679.
Berſonus, Rhedonenſis Mercator, de Iſaaco Iogueſio. optimè meritus. 391
Brebeufius (Ioannes) ad Hurones proficiſcitur 158. difficultates itineris. 161. diri cruciatus. 539. mors 542. elogium. 547
Breſſanius (Franciſcus Ioſephus) in Iroquiorum manus venit. 399. eius ærumnæ. 400. liberatur à Batauis. 403. ad Hurones redit. 438. 587.
Breteſchius (Ioannes) auctor Canadenſis Miſſionis reſtituendæ. 4
Burellus (Gilbertus) proficiſcitur in Nouam Franciam. 5
Buteuxius (Iacobus) Montanos Algonquiniósque procurat. 363. 619. piè moritur. 657.

C

CAdomius (Emericus) certamen naſuale temerè committit, & vincitur. 31
Cæcilia à S. Cruce in Nouam Franciam proficiſcitur 257
Calumniæ ſparſæ contrà fidem 763
Calumniatrix, in Patres Societatis IESV conficta, falſi convincitur 397
Camplenius (Samuel) in Nouam Fran-

ciam proficiſcitur. 5. Arcem Kebeccenſem fortiter propugnat. 17. deditionem tandem facit. 29. redit in Nouam Franciam 115. fœdus inſtaurat cum indigenis 116. obitus eiuſdem. 183
Canadenſium mores. 56. & deinceps.
Carola Montmorantia. V. Montmorantia.
Caſtimoniæ illuſtre exemplũ. 366. alia 435
Catharinæ à S. Auguſtino, Hoſpitalariæ, incenſum ſtudium in Nouam Franciam pergendi. 503
Catechumena virgo torquetur à dæmone, & liberatur per baptiſmum 213
Catechumenæ Iroquiæ conſtantia. 774
Chabanellus (Natalis) obit ærumnosè 574. elogium 575.
Chartonus (Franciſcus) proficiſcitur in Nouam Franciam. 5. 5
Chaumonotius (Ioſephus) in Nouam Franciam proficiſcitur. 257. mittitur ad Iroquios 748. eius ad ipſos oratio. 752. Præfectorum cum eo, concilium arcanum. 757. ipſe viciſſim conuocat concilium arcanum. 758. & publicum. 761
Chauuinia (Magdalena) Monialium S. Vrſulæ in Nouâ Franciâ fundatrix. 254
Chaſſaṡ. V. Piſcis armatus.
Chinaṡich, (Iacobi) baptiſmus. 378
Chiṡatenhṡa (Ioſephi) dotes eximiæ. 229. conſtantia in aduerſis. 231. tota eius familia baptizatur. 233. eius ad fratrem oratio. 196. cædes eiuſdem. 300. elogium ibid.
Cichontibick, hoſtis fidei, miſerè moritur. 490
Cocles Inſularis. V. Teſſachaſius.
Confeſſio ingenua. 213
Congregatio B. Mariæ in Inſulâ Aurelianenſi conſtituitur. 718. munus ſodalium, miſſum ad ſodales Pariſinos. 714
Cotonus (Petrus) in Canadenſis Miſſionis reſtitutionem incumbit 7. elogium. 8
Coquei (Roberti) derelictio. 293
Crucis veneratione imber obtinetur. 177

D

DAblonus (Claudius) mittitur ad Iroquios. 748 Kebeccum redit cum Iroquijs aliquot. 793
Danielis (Antonij) cædes. 525. elogium. 527
Decretum de arcendâ ebrietate. 517
Deflagratio Monaſterij S. Vrſulæ.. 615
Dṡartij (Iacobi) cædes 495
Druilletij (Gabrielis) miſſio ad Abnaquioïos. 483. altera. 650.

E

de EBbrietate arcendâ decretum. 517
Elizabethæ, Moniali Conuerſæ Turonibus, mors denunciata. 646
Eriknadat (Io. Baptiſta) Catechiſtes inſignis. 367
Etinechkaṡat (Io. Baptiſtæ) oratio ad Infideles. 284
Exequiarum apud Hurones ritus. 92. & deinceps.

F

FElicitatis, Chriſtianæ feminæ ex gente Huronum, conſtantia. 723
Fibri conſideratio. 46. fibris veſci licet, etiam diebus ijs, quibus à carnibus abſtinetur. 756
Franchetotij (Mathurini) conſtantia. 677 crematur ab Iroquijs. 678
Franciæ Nouæ deſcriptio. 46

G

GAïandere, quid? 769
Gallorum Kebecci degentium pietas. 156
Gamachius Marchio, eiúſque vxor fundatores Collegij Kebeccenſis. 7
Garnerij (Caroli) conſtantia. 565. mors ibid. elogium. 567
Garrelli (Leonardi) cum Ontachijs profectio. 795. cædes indigna. 796. pia mors. 799. elogium. ibid. & deinceps.
Glande veſci coactj Hurones. 561
Gṡpilius (Renatus) 340. eius nex atrox 353

H

HOrologium dux diei. 164
Hoſpitalariæ Moniales Kebeccum perueniunt. 259. earum charitas. 333
Huronum pietas ergà defunctos. 92. turbæ. 226 concilium ad rem fidei ſtabiliendam. 233. calumniæ ſparſæ in Ieſuitas. 291. baptizatorum ardor. 409. ſtrages ingens ab Iroquijs. 528. conſtantia in morte ſingularis 562. caſtimonia. 688. eorundem in Aurelianenſi Inſulâ ardor in fide. 717. eorum vnus ſanatur derepentè. 718
Huro perfidus morte afficitur. 594

I

IDiomatis Algonquinij & Huronici Oeconomia. 107. & deinceps.
Ignatij, Algonquinij adoleſcentis, ardor. 219. baptiſmus. 272. exagitatur à populatibus. ibid.
Imber apud Hurones precibus impetratus. 174
Infantuli duo Chriſtiano ritu ſepeliuntur. 153
Iniuriæ grauis, inſignis condonatio. 720
Ioannæ Neophytæ conſtantiâ. 191
Iogueſius (Iſaacus) in manus Iroquiorum venit. 338. ærumnæ nouæ. 379. baptizat Iroquium, cuius humanitatem expertus erat aliàs. 382. deliberat num Batauorum humanitate ad liberationem vti debeat. 386. vtitur, at permoleſtè. 389. in Galliam peruenit. 391. ad Iroquios reuertitur 451. ab ijs necatur. 460. eius elogium. 461. illius interfector capitur, & vritur. 481. eius chirotheca Monialem ſanat. 500
Iroquiorum captiuorum aliquot baptiſmus. 242. gentis in captiuos immanitas. 334. de pace cum ijs conſtituenda agitur, 414. fraudes inſidioſæ. 504. noui furores. 626. clandeſtina molitio. 664. nihilo ſeciùs agunt de pace. 667
Io. Baptiſtæ Iroquij baptiſmus. 713
Iuuenæus (Paulus) in Nouam Franciam proficiſcitur. 104 eius labores in Canadenſi linguâ diſcendâ. 110. cum barbaris hyemem exigit. 12

K

KApimichat ſij mors luctuoſa. 48
Kebeccenſis Arx Gallis reſtituitur 103 105. eiuſdem ſitus, & forma. 20
Kebeccenſis Eccleſiæ progreſſus. 181 18
pietas & innocentia. 26
Kebeccum migrant Huronum reliquiæ. 58

L

LAlemantius (Carolus) proficiſcitur in Nouam Franciam. 5. euadit naufragio. 41. & ex altero. 4
Lalemantius (Gabriel) dirè cruciatur 539. illius mors. 542. elogium. 54
Landæus (Ioannes) comes Iogueſij, cum eo necatur. 46
Ligeoſij (Ioannis) nex. 733. elogium. 734
Ludouici XIV. Regis Chriſtianiſſimi natalem Neophyti Canadenſes celebrant. 25
Ludouiſiæ Neophytæ conſtantia. 36
Luna per ſpectrum viſa è cœlo deſcendere. 245. illius defectionem mirantur Hurones. 43
Lyonnius (Martinus) indignè exceptus ad Rupellam. 62

M

MAgdalenæ, ex gente Huronum conuerſio. 43
Maria ab Incarnatione in Nouam Franciam deſtinatur. 25
Maria à S. Ioſepho Nouam Franciam cogitat 256. virtutes. 631. mors. 64
Maria, Iroquiorum crudelitatem fugâ vitat. 471. de ſe per ſuſpendium necandâ deliberat. 47
Marſoleti perfidia. 3
Maſſæus (Enemondus) proficiſcitur in

Noũam Franciam. 5. illius mors, & virtutes. 445
Mathias Arieſſa. 357
Meiachkaʁat (Caroli) incenſa oratio. 304. vocatio ad fidem. 312.
Moderatores conſtituuntur Kebecci. 287. eorum præſcripta, ibid. de diſciplinâ morum conſultatio. 303. pœnæ conſtitutæ in reos. 305
Monæus (Simon) mittitur ad Iroquios ſuperiores. 705. excipitur perhumaniter. 707. ab Annierronnonijs capitur in reditu. 715. liberatur. 716
Monicæ captiuæ zelus. 599
Montmorantia (Carola) Henrici, principis Condæi vxor, fundatrix Miſſionis ad Nationem Petuniam. 504
Montemagnius, Eques Melitenſis, Nouæ Franciæ præficitur. 203. reuocatur in Galliam. 501
Mors Chriſtiano puerulo accerſita, culpâ matris. 689
Mortuorum feſta celebritas apud Hurones. 95
Mos Canadenſis mortuos ſuſcitandi, Chriſtiano ritu vſurpatus. 520
Mulierum quarundam fuga memorabilis. 470. 601. fortitudo. 743

N

NAſſa baptiſmum poſtulat. 150 & impetrat. 151. piè moritur. 153
Naufragij periculum declinatum mirabiliter. 258
Naufragium ſine tempeſtate, inſigne. 534
Negabamat (Natalis) baptiſmus. 267. & totius eius familiæ. ibid. quatuor filijs orbatur. 268
Neophytæ è gente Berſiamitarum beata mors. 168
Nicoleti, Galli, obitus, & virtutes. 359
Nipiſirinij ad Sillerianos ſe aggregant. 735
Noæus (Annæus) in Nouam Franciam proficiſcitur, eiuſdem mors luctuoſa. 441. elogium. 444
Normanuillæi, Galli, fortitudo. 661.
Noyrotius (Philibertus) agit cum Ventadorio de Miſſione Canadenſi redintegrandâ. 5. proficiſcitur in Nouam Franciam. 9. illius mors in naufragio. 41. elogium. 42

O

OEnronniorum ad fidem tranſitio. 238
Oijkonchiaronkij conſtantia. 430
Okki, quid 59
Onahare (Ioſephi) conſtantia in cruciatibus. 595
Ononolʁaïæ (Petri) robur mirabile. 243
Onnontaë, ſeu Onontague pagi deſcriptio. 760
Onnontaërronnoniorum clandeſtina molitio. 693. legatos mittunt de pace. 746. mouent aduerſùs Nationem Felium. 784 & vincunt. 785
Ontavakij legationem Kebeccum mittunt. 794
Opilionis (Iroquij) baptiſmus. 609 eius vincula ſoluuntur ſæpiùs. 610.
Otehenſæ, Huronis, fortuna varia. 751
Ouabakvachits (Antonius) baptizatur, cum filiolo. 371
Oüaliſtitekʁe (Antoniæ) charitas eximia. 732
Oümoſatiſcachic (Ioſephi) funeſtus exitus. 490

P

PAmphagia. 75
Pauli contumacia aduersùs vocantem Deum. 215
Pelteria V. Chauuinia.
Perronius (Ioſephus) Kebeccum peruenit. 280
Petuniæ Nationis clades. 563
Pigarʁich, ſagus, baptiſmum flagitat. 273. & impetrat. 279. illius fides. 368
Pijartius (Claudius) ad Hurones proficiſcitur. 171
Piſcis armatus. 50
Ponceti (Ioſephi) ærumnæ. 672. humane excipitur à Batauis. 679

à Ponte (Maria) Duciſſa Eſguillionæa, Hoſpitalariarum in Nouâ Franciâ fundatrix. 253
Pueri decennis conſtantia in ipſo rogo. 761
Pueruli ſexennis conſtantia. 529

Q

QVenius (Ioannes) Algonquinios procurat. 363. penetrat ad Lacum S. Ioannis. 648

R

RAguenellus (Paulus) de Lunæ defectione diſputat. 439
Raymbaldus piè moritur Kebecci. 359
Religio num qua, apud Canadenſes? 78
Reſidentiæ in Nouâ Franciâ conſtitutæ primùm. 155
Reſidentia Trifluuiana. 165
Richelæus (Armandus) Cardinalis Mercatorum Gallorum ſocietatem conſtituit, ad rem Canadenſem promouendam. 15
Rupemontij temeritas rei Canadenſi exitioſa. 17

S

SAoranetſi [Ignatij] virtus conſpicua. 523
Sasaſmatius baptiſmum flagitat. 147. & impetrat. 149. pie moritur, ibid.
Seueritatis diuinæ exempla in contumaces. 200
Silleriani Neophyti de arcendis toto pago Ethnicis deliberant. 283. eorum liberalitas in Iſulares. 308. ardor in ſanciendâ diſciplinâ 310. 362. humanè habent captiuos ex Natione Lupi. 684.
Somniorum vanitas 140. obſtat vehementer progreſſibus fidei, apud Iroquios. 776
Sotrioskon (Bertrandus) per diros cruciatus ab Iroquijs interimitur. 399
Stephani, Dogici apud Hurones, ardor. 429
Supplicatio indicta Kebecci, die feſto Aſſumptæ Deiparæ. 200

T

TAdoſſacenſium ardor in fide. 604. 729
Tantſaron (Ioannis) incenſa oratio. 467. eiuſdem cruciatus. 469
Tecxereinat (Natalis) coſtantia. 728
Teondechoren (Ioſephi) baptiſmus. 321
Tereſiæ baptiſmus. 133. pietas in ſeminario. 331. in captiuitate. 708
Theotonharaſon, vxor Præfecti Iroquij, domum ſuam commodat ad fidem prædicandam. 761. eius mater anus baptizatur. 771. baptizatur ipſa. 782
Teſſaachaſius (Paulus) baptizatur cum vxore. 376. reſipiſcit. 726
Thondarſaa (Caroli) in Patres Societatis IESV humanitas. 314. baptiſmus. 315. oratio ad Neophytos poſt baptiſmum. 317
Trifluuium, quid? 165
Trondihwanæj [Renati] conſtantia. 321. & 356

V

VEntadorius Dux, [Henricus à Leui] Canadenſem Miſſionem redintegrat. 5
Veſtes magnificas Kebeccum mittit ad Neophytos, Ludouicus XIII. Rex Chriſtianiſſimus. 259
Vimontius [Bartholomæus] in Nouam Franciam proficiſcitur. 257
Virginis Canadenſis [Angelicæ] conſtantia. 328. eiuſdem pietas. 329. baptiſmus 330
Virgo Iroquia tantumnon immolata à popularibus ſuis, ex impiâ ſuperſtitione. 777
Virgunculorum ex ſeminario S. Vrſulæ ardor. 331
Volucrum Inſula. 56

X

XAuerij [Franciſci Nenaſcemat] conſtantia in aduerſis. 209. è morbo reualeſcit iam conclamatus. 212 piè moritur. 270

ERRATA.

Pag. 5 lin. 3. *additum* lege *aditum*. Ibid. lin. vlt. *Montmorantio*, l. *Ventadorio*. Pag. 6. lin. 3. *conſenſus*, l. *conſenſu*. Pag 7. lin. 27. *nouuennio*, l. *nouennio*. Pag 3. lin. 16. *ver.* l. *vero*. Pag. 37. lin. 22. *minirum*, l. *nimirum*. Pag. 39. lin. 18. *nihil dum*, l. *nihildum*. Pag. 45. lin. 27. *vocauit* l. *euocauit*. Pag. 50 lin. 18 *accipenſer*, l. *acipenſer* Pag. 51. lin. 3. *ſtipem*, l. *ſtirpem*. Pag. 51. lin. 25. *autummo*. l. *autumno* Pag. 54 in margine, *alcis* l *alces*. Pag. 55 lin. 10. *iudices* l *indices*. Pag. 59. lin. 9 *eſſeuerántque*, l. *aſſeuerant* Pag. 60 lin. 39. *createrem*, l. *craterem* Pag. 61. lin. 18. *ſpontene*, *an* l. *ſponte*, *an*. Pag. 66. lin 9. *occultæ*, l. *occultæ* Pag. 71. in margine, *Turguriorum*, l. *Tuguriorum* Pag. 73. lin. 21. *per humaniter*, l. *perhumaniter*. Pag. 86. lin. 15. *Offerro* l *Offero* Pag. 89. lin. 15 *Hac* l. *Ac*, Pag 115. lin. 14. *Danoſtium*, l *Dauoſtium*. Pag. 129. lin. 26 *quid luuenæus*, l. *luuenæus quid* Pag 131. lin. 25. *ſolitudo*, l. *ſolicitudo* Pag 139. lin 21. *conuiuio interceſſit* Expungenda vox *conuiuio*. Pag. 153. lin. 14. *nihil dum*, l. *nihildum*. Pag. 160. lin. 4. *ipſi*, l. *ipſe* Pag. 162. lin. 5. *malleóſque*, l *malleolos*. Pag. 181. l. *s dictitare ceperunt*. Expungenda vox *ceperunt* Pag. 183. lin. 16. *fuerint*, l. *fuerint*. Pag. 188. lin. 9 *poſtridie*, l. *pridie*. Pag. 189. lin. 34 *admouit*, l. *admonuit*. Pag. 192. lin 21 *anméſque* l. *amnes* Pag. 245. lin 36. 37. *ad*, *ad*, *ad*, l *ab*, *ab*, *ab* Pag. 248. lin. 36. *declicantibus*, l *declinantibus* Pag. 250 lin. 30. *ſiue*, l. *ſine* Pag 256. lin 5. *Virginem* Expungenda vox. Pag 261. lin. 23. *tricliniolum*, l. *tricliniolo* Pag 264 lin. 18. *hæc ita*. Expunge *hæc*. Pag. 286. lin. 28. *rationémque*. l. *ratione*. Pag. 290. lin. 13 *probatus*, *expectatus*. Expunge, *expectatus*. Pag. 295 lin. 34. *exeruit*, l. *exeruerit*. Pag 298. lin 34 *eo ſtatu*, l. *eo in ſtatu*. Pag. 314. lin. 14. *Ioqueſius* l. *Ioqueſius*. Pag. 356. lin. 21. *Euſtachius*, l. *Carolus*. Pag. 401. lin 26. *niſi ſe*, l. *niſi ſi* Pag. 405 lin. 14. *preuiderent* l. *peruiderent*. Pag. 408. lin 36. *obtemperauimus*, l *obtemperauerimus*. Pag. 410. lin. 18 *fretus*, *l. fretum*. Pag. 420 lin. 4. *ſategit*, l. *conatus eſt*. Pag. 429. lin. vlt *impedámque*, *l. impendam* Pag. 436. lin. 30. *conformare melius*, l. *in melius*. Pag. 438. lin. 16. *alias*, l. *illas*. Pag. 445. lin 10. *quo cum*, *l. quorum*. Pag. 472. lin. 20. *penetrat*, l *penetrauit*. Pag. 474. lin. 6. *immitteret*, l. *immineret*. Pag. 500. lin. 33 *abſceſſerint*, *l. abſceſſerunt*. Pag. 502 lin. 29. *ſolutio*, l. *ſolatio*. Pag. 504. lin. 28. *inſeruit*, l. *inſeruerit*. Pag 505. lin. 16. *periude*, l. *perinde* Pag. 536. lin. 8. *ignianium*, l. *ipſos ignia-rium*. Pag 537. lin. 6 *ieciſtis*, l. *iecit: hic* Pag. 539. lin. 24. *ringere*, l. *ringi*. pag. 540. lin. 16 *& holocauſti* Expunge. *&* pag. 541. lin. 30 *Abſcendentibus*, l. *Abſcedentibus*. pag. 549. lin. 15. *addi*. l. *reddi*. pag. 552. lin. 16. *vnà*. l *vna*. pag. 563 lin. vlt. *Iroquiorum*. l *Iroquium*. pag. 574. l. 6. *iuſtiterat* l. *inſtiterat*. pag. 579. lin. 19. *haleces*, l *piſces* pag. 787. lin. 6. *æſtate*, l. *egeſtate*. pag. 591. lin. 21. *nec*, l. *ne*. pag. 608. lin 23. *ringeretque*, l *ringeretur*. pag. 615. lin. 14. *ſchedulâ quem*. Expunge *quem*. pag 625. lin. 21. *depopulabántque*, l. *depopulabantur*. pag. 636. lin. 14. *amantiores ſui filia* l. *amantiores ſui proſequi filiæ*. pag. 648 lin. 26. *vt cum*, l *vel vt cum*. pag. 653. lin 32. *vnum id ſibi*, l. *addidit*, *vnum id ſibi* pag. 658. lin. 32. *fuit*, l. *fuerit* pag. 665. lin. 25. *in quâ*, l. *in quam*. pag. 667. lin 21. *iuſtat*, l. *inſtat* pag. 678. lin. 34. *ſed tamen*, l. *ſed tam*. pag. 679. lin. 29. *ſed ex ijs* Expunge *ſed* pag. 69 . lin. 10 *ad* l *ab* pag 701. lin. 7. *perunere*, l *peruenere*. pag. 703. lin. 21. *ſoliciti & prohibiti*, l *ſolicitis & pvohibitis*. pag 718. lin. 21. *ſuauitas*, l. *ſanitas*. pag. 719. lin. 28. *propriùs*, l. *propiùs* Ibid lin. 24. *illo pacto*, l. *vllo pacto*. pag. 722. lin 5. *Miſeram me*, l. *Miſeram*. pag. 728 lin. 23. *fandimus*, l *fundimus* pag 736. lin. 6. *vtpot è*, l. *vtpote*. pag. 740. lin 22. *mipacti*, l. *impacti*, pag 750. lin 22. *& pratis*, l. *ex pratis*. pag. 756. lin. 37. *adque*, l. *ad quæ*. pag 757. lin. 12. 13. *coalijſſet*, l. *coaluiſſet*. ibid. lin. 17. *in Iroquios*, l. *in alios Iroquios*. pag. 762. lin. 28 *munus noſtrum*, l. *munus nonum*. pag. 769. lin. 28. *alij*, l *alijs* pag. 770. lin. 1. *quod cùm eius frater*, l. *quod cùm Oneiuterrononius ſuus*. Ibid lin. 22. *munuſculíque*, l. *munuſculiſque*. pag. 773. lin. 3. *ectícà*, l. *hectícà*. Ibid. lin. 11. *quidduam*, l. *quiddam*. Ibid. lin. 21. *memoret*, l. *memoraret*. Ibid. lin. 37. *Eccleſiaſtem*, *l. Eccleſiaſten*. pag. 774. lin. 24. *quin faciam*, l. *quin factura ſim*. Ibid. lin. 31. *gnarum*, l. *gnauum*. Ibid. lin. 37. *femina*, l. *feminæ*. pag. 778. lin. 24 *obtendunt*, l. *obtrudunt*. pag. 780. lin. 15. *ſibi*, l. *ſibi*. pag. 781. lin. 15. *ectica*, l. *hectica*. Ibid. lin. 21. *laguente*, l. *languente*. pag. 790. lin. 37. *Atiragente Kios* l. *Atiragentekios*. pag. 792. lin. 11. *ſeu* l. *ceu*. pag. 794. lin. 27. *inreditu*, l. *in reditu*. pag. 795. lin. 2. *fuerint*, l. *fuerunt*. Ibid. lin. 31. *vel perſuaſerat*, l. *vel ſibi perſuaſerat*.